R. P.

PETRI ALOIS NEAPOLITANI

E' SOCIETATE IESV

SACRÆ SCRIPTVRÆ

IN NEAPOLITANO COLLEGIO Professoris,

COMMENTARII IN EVANGELIA QVADRAGESIMÆ.

Iuxta Expositionem Litteralem & Moralem.

TOMVS II.



LVTETIÆ PARISIORVM,

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Regis & Reginæ Architypographi, & GABRIELIS CRAMOISY, viâ Iacobæâ, sub Ciconijs.

M. D.C. LVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.





INDEX COMMENTARIORVM IN EVANGELIA QVADRAGESIMÆ

Qui hoc ſecundo Tomo continentur.





R. P.
PETRI ALOIS NEAPOLITANI,
E SOCIETATE IESV.
COMMENTARII IN EVANGELIA QVADRAGESIMÆ.
TOMVS II.

FERIA SECVNDA, POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Vtique dicetis mihi hanc similitudinem; Medice, cura teipsum.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum! Fac & hic in patria tua. *Lucæ 4.*

Euangelij nexus, & ordo.

1. ACERBA inuidiâ in proximos, & superbâ indignatione in Deum peccantes Nazareni, Apostolicæ sententiæ comprobant veritatem: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* (Ioan. ep. 1. cap. 4.) Fratres, proximosque suos Nazareni non diligebant, cùm iuxtà Ambrosium inuidiæ stimulis agitati dicerent: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum! fac, & hic in patria tua.* Proximis autem inuidentes Nazareni, neque Deum sub humana carne latentem diligere potuerunt: A & propterea superbâ indignatione perciti, *Repleti sunt ira, & eiecerunt eum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum.*

Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medico cura teipsum. Quanta audiuimus facta in Capharnaum! fac & hic in patria tua.

2. CVm Dominus Nazareth veniens Nazarenis; ex Isaïæ vaticinio se Messiam esse indicasset; vt id clarius comprobaret, occultas adstantium cogitationes cognouisse demonstrat,

disens : *Vtique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum.* Quod Prouerbinm bene hie similitudo appellatur : sicut enim medico dicitur, vt euret seipsom ; si peritiam, & efficaciam aliorum morbos curandi ostendere satagit; sic Naxareni intra se de Christo tacitè dicebant: Si exteros, nempe Capharnaitss eurauit; debet multò magis Naxarenos, inter quos nutritus est, veluti suos eiues curare. Quod apertè sequentibus verbis explieatur : *Quanta audiuimus facta in Capharnaum ; fac & hic in patria tua.* Quibus verbis, vel potius taeitis eogitationibus Naxareni duos prauos affectus indicabant; scilicet incredulitatem & inuidiam. Nam tamquam increduli, & iouidi intra se dicebant ; Nisi hîc facit, quæ apud Capharoaitas facta esse dicuntur, falsa ea existimabimus : si autem vera sunt, nostris potios eiuibus, quàm exteris, talia beneficia sunt conferenda.

3. Inuidiæ morbo Naxarenos ciues laborasse, ideoque Christi miraculis obicem posuisse præter citatum Ambrosinm, testatur Chrysostomus his verbis : *Cum venisset Nazareth Dominus, à miraculis abstinet, ne prouocaret eos ad maiorem liuorem.* Sed quæres qnomodo Christus Dominus exhibitis miraculis ad maiorem iouidiam Naxarenos ciues prouocasset? Respoodeo, visa semel miraculorum vtilitate Naxareni, alia, atque alia miracula, & beneficia alibi à Christo edita per inuidentiam exhiberi sibi etiam voluissent; ita vt erecto claudo, excum etiam sibi illuminari poposcissent : & rursus illuminato cæco, muto loquelam reddi voluissent : loqueote etiam per miraculum muto, mortuum suscitari efflagitassent ; ne miraculo aliquo alibi patrato caruissent : & hæc omoia non ex charitate, sed ex inuidia moti, velnti patrio iure exhibeoda petiissent : ex quo factum asset, vt semper ex miraculis in maioris inuidiæ stimnlos incidissent. Quàm iusto pudore erubescere Naxareni debuissent, aodieodo quod de Podareto à Plutarcho in Lycurgo scribitur : *Podaretus non adscriptus triginta Patribus, qui Rempublicam administrabant, abiit valdè lætus, quòd triginta meliores se haberet ciuitas.* Sed qoos propter alienum bonum innidiæ stimulos ethnicus non sensit, vera fide illuminati sensere Nazareoi : idque ad iustum eorum nequitiæ supplicium.

Podaretus ethnicus ab inuidia liber, aliorũ exaltatione letatur.

4. *Multa inuidia sunt mala ; vnicum tamen inest bonum ; nempe quòd nocumento sit illi ipsi, qui ea æstuat ; quodque cor eius magis exedat, quàm rubigo ferrum*, ait Basilius orat. 10. *Inter vitia, iniustius inuidia nihil est ; quæ protinus ipsum auctorem vedit, excruciatque animum*, Legitur apod Hieronymum ad Gal. 5. Similiter Chrysologus ser. 172. *Inuidia suorum carnifex semper extitit : exedit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit. Quid plura? Hanc, qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorem. Quis ibi malorum finis, vbi alterius bonum pœna est; vbi cruciatus est aliena felicitas? Malum multiplex : Quot sunt prosperitates hominum, tot tormenta sunt inuidorum.* Saulis inuidiam plus Sauli iouidenti Dauidis gloriæ, quàm ipsi Daoidi nocuisse bene probat Chrysostom. 5. serm. de virtutibus & vitiis.

Inuidiæ vnicum bonum, quòd inuidos cruciet.

5. Pœnæ, & supplicia nulla sunt, qoæ infernis damnatorum suppliciis æqniparari possint, vnus tamen inuidiæ cruciatus infernis cruciatibus est coæquaodus, eoque quodammodo

A maior dici potest. Chysologus Epolonem, cui Lazarus repræsentabatur, alloquens ait : *Plus te felicitas Lazari, quàm Gehenna torquet incendium.* Quam misera est inuidorum conditio, qui Electorum magis, quàm dæmonum aspectu cruciari possunt! Non integra foret damnatorum pœna, nisi illis inuidentibus Sanctorum felicitas innotesceret : *Nostra gaudia cumulant vestra tormenta.* Ita Lazarus Epulonem alloquitur apud Chrysostomum. Qoàm monstrosum cruciandi genus inuidia conflat ; qood partim ex infernali pœna tolerata, partim ex superna felicitate repræsentata componitur!

Ser. 661.

Inuidia Damnatorũ cruciatus vehementer auget.

Inuidia mõstrosum vitium.

6. Cum Domious dæmoniacos doos liberare vellet Matth. 8. *Dæmones rogabant eum : Mitte nos in gregem porcorum ; & ait illis, ite.* Quæ-

B ritur autem ab interpretibus Euthymio, Theophylacto, & aliis, cur dæmones, vt in porcos mitterentur, rogarint ; & cur id Christus tam libenter concesserit? Inter plures rationes illa ad rem nostram affertur, nimirum, quia inter dæmones, & porcos magna in multis conformitas est ; sed præcipoè in exprimenda innidorom conditione valdè conueniunt. *Quemadmodum sues lutosâ immunditiá, & dæmones nostris damnis lætantur ; sic inuidi calamitate proximorum exultant : cumque aliquid triste, ac doloris efficiens proximo acciderit ; tunc aliquantulùm quiescunt, atque respirant ; alienas enim iacturas suos quæstus existimant*, ait Chrysostomus.

Dæmones cur in porcos à Domino mitti voluerint.

Inuidi porcis similes.

Chrysost. in Matth. hom 42.

7. Habacuc 2. vbi dieitur : *Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter iuncturas ædificio-*

C *rum est, respondebit* ; legunt Septuaginta : *Lapis de pariete clamabit, & Scarabæus de ligno loquetur.* Quæ verba iuxtà Hieronymum, & communem interpretationem ad exprobranda iniquis ipsorum scelera, à Propheta dicuntur : eò enim humana iniquitas peruenit, vt à rebus sensus, & rationis expertibus obiurgari meritò possit. Scarabæus inuidi symbolum est ; inter Scarabæum autem, & inuidum conformitatem explicat Chrysostomus : *Quemadmodum Scarabæi alieno stercore, sic inuidi aduersa aliorum fortuna nutriuntur.* Potest aotem Scarabæus ipsis inuidis in liuore pertinaciam exprobrare : cum enim inuidus perpetuò aliorum malis oblectetur ; Scara-

Inuidus Scarabæo similis.

Supra.

D bæus tamen teste Clemente Alexandrino, sex mensibus intra terram viuus obruitur, adeoque toto eo tempore ab immunditia abstinet. Quare ad inuidos, velnti Seasabæos obruendos terram immanem hiatum legimus reserasse Numer. 16. De Dathan, Chore, & Abiron dieitur : *Dirupta est terra sub pedibus eorum ; & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum ; descenderuntque viui in infernum operti humo. Inuidia factum est, vt hiatu suo terra Dathan, Chore, & Abiron, vniuersumque illum populum viuos absorpserit*, ait Chrysostomus.

Scarabæus sex mensibus intra terram latens ab immũditia abstinet.

Clemens V. stromat.

Inuidos Dathan, Choren, & Abyron terra viuos absorpsit.

Supra.

8. *Paruulum occidit inuidia*, id est animo

E pusillum, dicitur Iob. 5. Talis autem cædes ab inuidiâ perpetratur, inuidi animam deprædando, vt elegantissimè explicat Chrysologus serm. 4. *Inuidia intestinus hostis, non carnis quatit muros, non elidit septa membrorum ; sed in ipsam cordis arietat arcem ; & antequam viscera sentiant, ipsam dominam corporis animam prædo capit, & adducit inclusam. Affectus varij in animo pugnant; ex his, qui victoriam adeptus est, vexillum in facie tamquam in arce eleuat, tristitia, & inuidia pallidum, ira luteum, verecundia purpureum, lætitia, candore, & purpura dilutum*, ait Philo. Quàm

Inuidum quomodo occidat inuidia.

A bene veaillum in inuidi facie pallidum inuidia erigit; cum pallor mortis color sit; inuidum autem occidat inuidia. In illud Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo: spinas, & tribulos germinabit tibi*, iuxta Basilium, Rabanum, & Procopium spinæ, quæ antea non fuerant, è terra prodierunt post peccatum à primis parentibus ex inuidia diaboli patratum, scilicet, vt per spinas, qualia essent diabolicæ inuidiæ germina in homine transmissa significaretur. Inuidi enim inuidiæ stimulos spinis acutiores suo in corde germinare quotidie sentiunt. Lucæ 15. dicitur de fratre seniore inuidente paternam indulgentiam prodigo filio resipiscenti: *Erat filius eius senior in agro, & cum veniret, & appropinquaret domui, indignatus nolebat introire.* B *Erat in agro terram percolens se desertans; sentes eradicat, & gramina; stimulos inuidiæ non euellit*, ait Chrysologus serm. 4.

Inuidi cor inuidiæ stimuli veluti spinæ lacerant.

9. Iob 28. cum terram maximis naturæ donis locupletem describeret: *Locus sapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum*; subdit: *Nec intuitus est eam oculus vulturis.* Tamquam mirabile quid profert S. Iob, quòd vultur cum loca plurima peruolitet, cumque perspicacissima oculorum acie polleat; nihilominus terram tam pretiosam, eam neutiquam respiciendo, prætereerit. Sed vultur inuidorum naturam refert; inuidi enim, cùm perspicacissimè omnia perscrutentur, nihilominus aliorum virtutes prætereunt; & in alienis malis tantùm animo conquiescunt, imitantes vulturem, qui cum acutissimis oculis loca plurima peruestigare posset, C florentia tamen, & iucunda loca, diuitiisque referta celerrimè præterit; & in fœtidis tantùm cadaueribus immoratur. Basilius orat. 10. *Quemadmodum vultures ad ea, quæ malè olent maiore impetu perferuntur; multa prata, multaque iucunda, & odorata loca prætereuolantes; sic etiam inuidi vitæ splendorem, rectéque factorum magnitudinem ne aspiciunt quidem; ad marcida verò mirandum in modum feruntur.*

Inuidus vulturi similis.

10. Diabolus sæpissimè in sacris litteris Beelzebub appellatur, hoc est muscæ dominus, seu deuorans muscam, vt interpretatur S. Hieronymus: idque ob plures rationes. Primò, D quia idolum, in quo ab Accaronitis diabolus adorabatur, ob victimarum sanguinem à muscis frequentabatur. Secundò, quia (vt superiori Euangelio diximus) sicut Myagros à Græcis, ita ab Accaronitis Idolum illud Beelzebub dictum aduersus muscarum pestem inuocabatur. Sed ad rem nostram, muscarum, hoc est inuidorum dominus diabolus dicitur; maximè enim inuidis diabolus dominatur; & muscæ inuidorum mores adamussim exprimunt: quandoquidem in animalium corpora inuolantes, sanas illorum partes prætereunt, in vlcerosis verò consistunt. Basilius orat. 10. *Muscæ sanis corporis partibus neglectis ad vlcera contendunt; sic inuidi ad putrida mirificè perferuntur.* E

Diabolus, cur Beelzebub, hoc est Muscarum dominus appellatur. *Hieronym. de nom. Hebraic.*

Inuidi muscis similes.

11. Si verò quæratur, cur præcipuo quodam modo inuidorum cordibus diabolus dominetur? Ratio est, quia ex sacris litteris diaboli dominatio est *tenebrarum potestas*; tenebrarum autem potestati, & ignorationis caligini maximè inuidi subiiciuntur. De fratribus Iosepho inuidentibus dicitur Gen. 37. *Hæc igitur causa somniorum, atque sermonum inuidiæ, & odij fomitem ministrauit.* Odium scilicet sermonibus, inuidia somniis respondebat: fratrem oderant, quòd ille suis sermonibus se aliis præferre videA batur; inuidebant, quòd illi somnia dominationem in alios portendissent. Eò enim liuor progreditur, vt non solùm veris, sed etiam somniatis bonis inuideat. Aduersus hanc contra Iosephum inuidentiam egregio dilemmate Basilius arguit: *Si vera erant Iosephi somnia, quâ ratione poterat effici, vt non omninò ea euenirent, quæ prædixit? Sin falsa, cur inuidebant erranti, & decepto?* Dilemmati huic respondet Basilius: *Re verà propria est Diaboli affectio ipsa inuidentia: atque adeo mirum esse non debet, si diabolica huiusmodi affectio inuidorum mentibus dementiæ tenebras offundat.*

Luca 22.

Inuidorum cordi cur præcipuè Diabolus dominetur.

Inuidi non solû veris, sed somniatis bonis inuident.

Orat. 10.

12. Porrò in præsenti Euangelica historia mirus inuidiæ cum Dæmone consensus apparet; B quandoquidem vterque, scilicet tam inuidiæ, quàm Satanæ spiritus præcipitium Domino inferre tentauit. Lucas hic de inuidis Iudæis ait: *Duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas eorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.* Matth. 4. de Satana dicitur: *Assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem; & statuit eum supra pinnaculum templi; & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Scilicet hoc præcipuè commune cum diabolo habet inuidia, vt ambo aliorum præcipitio oblectentur. *Superbia, & inuidentia diabolus est*, ait Augustinus. Iisdem ergo vitiis superbi, & inuidi diabolo simillimi fiunt.

Inuidiæ, & Diaboli cõformitas.

Augustinus lib. de S. Virgin.

13. Inuidiæ spiritus ipso dæmonis spiritu nequior videtur. Rex Saul cum Dauidem sibi præferri cerneret, canentibus Hebræis puellis: C *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Hinc contra Dauidem ex inuidia motus, ei mortem moliebatur; eodemque tempore factum est, vt etiam à dæmone Saul vexaretur. Vexatus igitur Saul ab inuidia, & à dæmone; ab hoc facilè, nempè citharæ pulsu liberari potuit: ab inuidia verò non potuit. Pulsante enim citharam Dauide immundus spiritus à Saule recedebat; in eodem tamen inuidiæ spiritus firmus persistebat. 1. Regum 16 *Quandocumque spiritus malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus.* Cap. verò 18. *Dauid psallebat manu sua sicut* D *per singulos dies; tenebatque Saul lanceam, & misit eam putans, quòd configere posset Dauid cum pariete.* Quare S. Basilius Seleucensis de Saule, & Dauide ait: *Hic lyram sumebat in manus, quò cantu abigeret dæmonem; ille sanatus hastam in medicum iactabat: O nouum, iniuriumque facinus! Dæmon pellebatur; & dæmone liberatus arma capiebat; dæmon vincebatur, & hominis mores plus sumebant ferocitatis.* Hugo Victorinus ait: Dauidem non tam citharæ, cantusque suauitate, quàm crucis signo dæmonem à Saule expulisse: *Dauid malignum spiritum, qui exagitabat Saulem compescebat; non quòd eius cithara tantam virtutem haberet; sed figuram crucis Christi per lignum, & chordarum extensionem mysticè gerebat,* E *quæ iam tunc dæmones effugabat.* Crux igitur dæmonem fugat; cruce tamen non fugatur inuidia; immo inuidia factum est, vt Crux Domino Redemptori statueretur, Matth. 20. *Sciebat, quòd per inuidiam tradidissent eum.* Ideo Chrysologus ait: *Inuidia Iudæos, si dici fas est, fecit esse Deicidas: Deicidas diximus, non quò perimere, sed quò facinus hoc tetendit. In Christo enim Iudæi, non hominem tantùm, sed Deum filium Dei conati sunt opprimere.* Addit ibidem Chysologus: *Inuidia cœlum teneat: ibi enim diabolum fecit ex Angelo: vrit terram; quæ vtique paradisi nobis amœna fiam.*

1. Reg. 18.

Inuidiæ spiritus Dæmonis spiritu quodammodo nequior.

Basilius Orat. 16.

Dauid lyra, & plectro crucis figuram repræsentando Dæmonem fugabat.

Inuidia Iudæos fecit Deicidas.

Chrysol. ser. 172.

Inuidiæ mala plurima.

Matth. 2.

mee custode seclusit. Reges vrget; quia hac Herodem in teranos Christi sic compulit desaeuire; vt ante lac, quàm sanguis teneris funderetur ex membris. Charitatem violat; nam hac Cain reddidit fratricidam; & innocuam adhuc terram noui sanguinis cruore perfudit. Contra inuidiam egregiè scribit S. Cyprianus ser. 2. de zelo, & liuore.

Inuidia cur figulo potius tribuatur.

Plutarc. de vtilitate ex inimicis capienda.

14. Cum inter eiusdem artis opifices, eiusdemque scientiæ professores æmulatio, & inuidia esse soleat; communi Prouerbio dici poterat: Philosophus philosopho, faber fabro, artifex artifici, gemmarius gemmario inuidet. Cur tamen potiùs ad inuidos significandos communi prouerbio ex Plutarcho dictum est: *Figulus figulo inuidet?* Quia scilicet cum figuli terream massam tractent, per tales potius inuidi significantur; B quippe qui vili, & omnino terreno affectu ad inuidiam incitantur. Si enim è terra in cœlum cor eleuarent; cognoscerent vtique Dei potentiam, & bonitatem illimitatam esse; adeoque, quòd pluribus suæ beneficentiæ dona impertiat, nihil imminui, neque impediri, quin aliis, atque aliis benefacere possit, & velit: atque hinc omnes inuidentiæ stimuli planè cessarent. De inuidia, & liuore vide Chrysost. tom. 5. hom. 44. & 45. ad populum Antiochenum.

Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.

C

15. QVomodo hæc, aliæque huiusmodi vniuersales sententiæ etiam exceptionem aliquam admittere possint, dictum est in Euangelio Dominicæ præcedentis in illa verba, *Beatus venter, qui te portauit.* Vbi de immaculata Virginis Conceptione egimus. Verissimum est autem plerumque prophetas sua in patria acceptos non fuisse. Ratio huius est, quia, vt dicitur 1. Reg. 16. 7. *Homo videt, quæ parent; Deus autem intuetur cor.* Cum ergo homines ex eo tantùm, quòd exterius apparet, indicium ferant; hinc est, vt qui Prophetarum populares sunt, eiusdemque patriæ ciues, exterius considerantes eorum cognationem, aliaque similia; D internum autem Dei spiritum in ipsis Prophetis loquentem, vel ignorantes, vel credere nolentes, eos despiciant. Ideo de Christo Domino dicitur Matth. 13. 54. *Veniens in patriam suam, docebat eos in Synagogis eorum; itaut mirarentur, & dicerent: Vnde huic sapientia hæc, & virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, Iosephus, & Simon, & Iudas; & sorores eius nonne omnes apud nos sunt? Vndè ergo huic omnia ista? & scandalizabantur in eo.* Addit S. Hieronymus ex inuidia etiam Prophetam suis popularibus acceptum non esse: *Quod propemodum naturale sit ciues semper ciuibus inuidere: non enim considerant præsentia viri opera; sed fragilis recordantur infantiæ.* E

In Matth. c. 13.

In veritate dico vobis: Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex; cum facta esset fames magna in omni terra; & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.

Eliæ lingua clauis cœli.

16. HÆc historia habetur 3. Reg. c. 17. & 18. Quòd ad præuaricantem populum puniendum suis precibus Elias cœlum clauderet, idemque nonnisi post annos tres, & menses sex ad imbres demittendos operire potuerit, benè Chrysostomus ait: *Clauis cœli sit sermo Eliæ sanctissimi. Iubet enim, & clauditur, erat pestimedum, & aperitur. Claudit, inquam, cœlum, & aperit; ligat, & soluit; reserat, quod conclusit. Vt Sanctorum meritum monstraretur; non solùm in terris posse, quod velit; sed & in cœlestibus posse impetrare quodcumque petierit.* Dicitur autem clausum fuisse cœlum veluti fons, cùm pluuias ad terram fœcundandam non demitteret: claudi enim dicitur id, à quo, quod expetitur, non habetur. Sic denegans indigenti eleemosynam sua viscera claudere dicitur Ioannes ep. 1. c. 3. 17. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* 2. dicitur cœlum clausum respectu nubium, quæ in aërio cœlo sunt. Nubes autem, cùm imbres non demittunt, stipante eas vndique secundæ regionis frigore, verè clausæ sunt. Sicut è contrario erumpente concluso intus tonitru, & fulgure, in pluuias nubes verè aperiri dicuntur. Ideo Psal. 134. 7. dicitur: *Fulgura in pluuiam fecit.* Hinc de erumpente è nubibus tonitru Latinus Poëta dixit: *Abrupta tremiscunt fulgura; & attritus subita face rumpitur æther.* & alius: *Rupteque polo micat igneus æther.* 3. dicitur cœlum clausum, quia iuxtà Augustinum l. 1. de Trinit. c. 11. Sacra Scriptura locutionis genere vtitur, quod in consuetudine hominum inuenitur. C Ideo solet Scriptura interdum de rebus loqui iuxtà vulgare hominum iudicium; & iuxtà id, quod foris apparet. Sic Ioëlis c. 2. 31. dicitur sub mundi finem: *Luna conuertetur in sanguinem:* hoc est sanguinea apparebit: Et vt Apoc. 6. 12. dicitur: *Luna tota facta est sicut sanguis.* Sic Act. 7. 56. Stephanus dixit: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei:* Cùm verè cœli non aperti fuerint; sed tantum Stephani oculis ita patentes fuerunt; vt visiua eius potentia diuinitus eleuata potuerit à Dei dextris Iesum videre. Idem dicendum cum Ezech. 1. dicitur: *Aperti sunt cœli, & vidi visiones Dei.* Sic aërem apertum dicimus; cum remotis nubibus à Deo nobis patens, & perspicuus est, vt Solem, aut Lunam, & stellas videre possimus. D Qui loquendi modus reperitur etiam apud profanos auctores: *Videt medium discedere cœlum; palantesque polo stellas.* Sic è contrario Isaiæ 34. 4. dicitur: *Complicabuntur sicut liber cœli:* & Apoc. 6. 14. *Cœlum recessit, sicut liber inuolutus.* Non quòd verè sub mundi finem cœlum complicandum sit, & recessurum; sed quia ob crassas nubes, densamque caliginem tunc in cœlo luminaria videnda non sunt: atque adeo tamquam recedere, & complicari cœlum videbitur; eo modo, quo in complicato, & inuoluto libro, quæ in eo scripta sunt, legere non possumus. Denique sicut ad siccitatem, & sterilitatem significandam Leuitici 26. 19. dicitur: *Dabo vobis cœlum desuper sicut ferrum, & terram æneam.* Sic ad idem significandum dicitur cœlum clausum. E

Chrysost. ser. de Elia hom. 1.

Cœlũ quomodo claudi dicatur.

Statius & Sil. Italic. lib. 1.

Scriptura non aliquo genere loquitur, quod in cõsuetudine hominum tõ inuenitur; ideo iuxta id quod foris apparet interdum loquitur.

Æneid. 9.

17. Dicitur hîc, & in Iacobi epist. cap. 5. v. 17. cœlum clausum fuisse annis tribus, & mensibus sex: cui sex mensium additioni contradicere videtur, quod 3. Reg. c. 18. legitur: *Factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio dicens: Vade, & ostende te Achab, vt dem pluuiam super faciem terræ.* Ad hanc difficultatem dissoluendam recolenda est regula Augustini quæst. 47. in Exodum: *Diuina Scriptura solet tempora ita nuncupare; vt quod de summa perfectioris numeri paululum excrescit, aut intra est, non computet.*

Scriptura solet tẽpore ita nuncupare, vt quod de summa perfectioris numeri paulũ excrescit,

aut infra est, non computetur.

tur. Iuxtà hanc regulam tertio cap. Reg. 3. Sex mensium ratio non est habita. Ibi ergo cùm dicitur anno tertio datam esse pluuiam, anno tertio plane completo debet intelligi. Iuxtà allatam Augustini regulam Act. c. 7. 6. à S. Stephano dicitur: *Locutus est ei*, nempe Abrahæ, *Deus; quia erit semen eius accola in terra aliena*, hoc est partim in Cananæâ, partim in Ægypto *annis quadringentis*. Qui anni non numerandi sunt à prima Abrahæ peregrinatione in Ægyptum, de qua dicitur Exodi 12. 40. Sed à natiuitate filij eius Isaac, à qua natiuitate vsque ad Hebræorum egressum ab Ægypto anni quinque, & quadringēti fluxerunt: quinque autem anni ob allatam Augustini regulam à S. Stephano prætermissi sunt. Similiter post Hebræorum ab Ægypto egressum cum tota illorum peregrinatio in deserto fuerit quadraginta annis, vt dicitur Act. c. 7. 36. Eumque redeuntibus exploratoribus è promissionis terra, secundus peregrinationis annus perageretur: nihilominus incredulis, & præuaricantibus Hebræis Deus dixit Num. 14. *Filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram*. Vbi hæc per desertum vagandi pœna cum non quadraginta; sed triginta, & octo annis cum dimidio fuerit, nempe post exploratorum reditum; dicitur tamen fuisse annis quadraginta; quia vnius cum dimidio anni, qui deerunt, ob traditam regulam, ratio non habetur. Porro Augustini regula non solùm in Sacra Scriptura locum habet, sed etiam in communi loquendi vsu. Sæpe enim dicuntur in bello milites mille perempti; quamuis millenario aliquid desit, vel supersit.

Scripturæ idioma est, vt omnem terrā illius significet prouinciæ, de qua sermo est.

18. *Cum facta esset fames magna in omni terra*, Scilicet in omni terra Achab regi subiecta, & in vicina Sidonis. Hîc enim Hieronymi regula recolenda est, qui ait: *Idioma est Sacra Scriptura, vt omnem terram illius significet prouinciæ, de qua sermo est*. Sic Isaiæ 13. dicitur: *A summitate cœli Dominus, & vasa furoris eius, vt disperdat omnem terram*; omnem scilicet terram Babylonis, vt ibi

Hieron. in Isai. c. 13.

Hieronymus explicat. Similiter crucifixo Domino Matth. 27. 45. dicitur: *A sexta hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam*. Super vniuersam terram Iudææ, cum Origene asserit Maldonatus; super terram etiam Ægypti Iudææ propinquam, vbi talem Solis eclipsim S. Dionysius videns exclamasse fertur, *Aut Deus naturæ patitur; aut mundi Machina dissoluitur*. Similiter iuxtà allatam Hieronymi regulam, cum Lucæ 2. dicitur: *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*: orbis scilicet non absolutè vniuersus, sed tantùm Romano Imperio subiectus. Quare Syrus ibi legit: *Vt describeretur vniuersus populus protectionis suæ*.

Chrysost. de Eliabom. 2.

19. Quanta sterilitas, vnde fames prouenit, fuerit in terra Israël, & in Sidonia egregie sic à Chrysostomo describitur: *Cum Elias Propheta sanctissimus populum præuaricatum aspiceret, cumque Baal, & lucos despecto Domino, coli à sacrilegis peruideret; Cumque Creatore despecto figmentis sese, nemoribusque omnis populus addixisset; zelo Dei commotus Iudæam terram siccitatis sententiæ, & pluuiarum sterilitati addixit. Tunc subitò anhelat terra, siccatur cœlum, sitiunt omnes, fontes arescunt, omnis humor ima petit, supera deserit, aër feruet, serenitas torquet, tranquillitas pœna est, æstuant noctes, dies arescunt, sata torrentur, arbusta ægrotant, prata deficiunt, nemora languent, campi ieiunant, squallet terra; herbas, quas produxit, enterimit: iram Dei vniuersa creatura testatur*. Simi-

Steriliatis magnæ descriptio.

A liter Eucherius: *Commouit omnem creaturam vnus sermo Prophetæ, & miro modo humi sonans aëra, cœlumque concussit: turbatus est humani ministerij ordo; & à sæculis instituta elementorum harmonia contabuit; cum sicco humidum, & calido frigidum negaretur. Sed elementa pœnam suam læta susceptiunt, dummodo vel in salute hominum, vel in honore proficiat Conditoris*.

In 3 Reg c. 13. Eucher. vel alius grauis auctor iuxtà Bellarm.

20. *Missus est Elias in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam*. Cum tantùm Iudæi essent puniendi; cur sterilitatis, famisque pœna ad Sidonios transiit? Ad Sidoniæ enim viduæ penuriam, famemque subleuandam missus Elias dicitur. Respondet apud Augustinum auctor de mirabilibus sacræ Scripturæ lib. 2. c. 18. *Ne quem moueat,*

Iezabel suæ patriæ famis supplicii meritum.

B *quòd Sidoniorum terra hanc tandem plagam pariter cum Israel perpessa erat; dum inde Iezabel persecutrix Prophetarum, & totius vindictæ, & facinoris causa, Sidoniorum regis filia paternam originem ducebat*. Iezabel ergo prius in patria, deinde in seipsa scelerum pœnas dedit.

21. Inter Sidonios Sareptana vidua meruit, vt ad eius penuriam subleuandam Elias mitteretur; quandoquidem vidua hæc mirificè liberalem erga ipsum Eliam se præstitit; cum enim ad suum, suique filij alimentum tantùm farinæ pugillum haberet, vt sincerè indicauit; rogata tamen ab Elia, vt poculum aquæ ei daret, & antequam sibi, suoque filio cibum prouideret, ei

Sareptanæ viduæ pia liberalitas.

C subcinericium panem faceret, Prophetæ petitioni statim liberaliter obtemperauit: *Abiit, & fecit iuxtà verbum Eliæ*. Hinc meritò Eucherius exclamat: *O magnificum mulieris animum; ô immutabile mentis propositum; ô verè venerabile per secula factum! Poculum petit, & mox offert: & quod regibus iam forsitan deerat, quod diuites non habebant, hoc vidua ex abundantia erogauit. Pascit pane, qua cum filio die postero erat moritura; nec habere se negat, sed fatetur simpliciter, nec metuit prodere veritatem: & non tam postulanti, quàm quodammodo exigenti omnem causam pandit in medium: quantitatem victus, & numerum personarum; vt non tam hospitem velit habere, quàm iudicem. Erat in illo tempore spectaculum Angelis, hominibus-*

3. Reg. c. 17.

Eucherius supra.

D *que gratissimum; quod inter Gentes in terra profana, vidua mulier iam tunc esset filia Abrahæ, multò hospitalior ipso parente; multò humanior fidei genitore. Erat quidem Abraham hospitalis, & erga peregrinos magno detentus affectu; sed erat verè opulentus, erat diues. At Sareptana vidua*. subdit Eucherius, *studio humanitatis omnem vim despexit naturalis affectus; non de se, non de paruulo sollicita; nihil eam à mentis proposito reuocauit; nec proprij sexus infirmitas, nec materna erga paruulum viscera pietatis: occidit in se natura officia hospitalitatis intuitu; & effectus est deuotus erga hospitem matris animus filij crudele sepulchrum*.

E *Et multi leprosi erant in Israël sub Elisæo Propheta: Et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.*

22. HÆc historia habetur 4. Reg. c. 5. Cur Dominus erga suos ciues Nazarenos miraculis beneficum non se præstet, Elisæi probat exemplo; qui non Israëlitas leprosos, sed alienigenam Naaman mundauit; obiicere tamen contra Nazareni posse videntur, ipsum Elisæi exemplum retorquendo: Quandoquidem Elisæus sæpius suis etiam popularibus miraculis beneficus fuit. Nam in Iericho habitans Elisæus Hierichuntinas aquas pessimas immerso sale bo-

Elisæi miracula.

4 Reg. 2. 21

nas, & in agros antea ſteriles fœcuodas reddidit.
4. Reg. 3. 20. 2. Iſraëlis regi, eum ingenti exercitu ſiti laboranti aquas ſuffecit; eidemque victoriam contra
4. Reg. 4. regem Moab impetrauit. 3. Non alieoigenæ viduæ, vt Elias, ſed ex Iſraëlis popolo viduæ beneficus fuit, ei oleum diuinitus multiplicando.
4. Reg. 4. 32. 4. Sonamitidi molieri ſterili impetrauit filium; cumque poſtea mortuum ad vitam renocauit.
4. Reg 4. 43. 5. Suis domeſticis panes multiplicauit, ita vt centum viris abundè ſuffecerint: aliaque plura non in exteros, ſed in Iudæos beneficia diuioitus contulit. Reſpondetur allato Eliſæi exemplo, noluiſſe Dominum probare à Prophetis, ſanctiſqoe viris non eſſe in ſoos populares miraculorum beneficia collata; ſed taotùm indicare voluiſſe Eliſæum maiorem fidem reperiſſe in leproſo ethnico, nempe in Naamano Syro, quàm in Iſraëlitis pluribus leproſis; qui quidem tamquam vera fide illomioati, vt à lepra mundarentur, moltò magis, qnàm Ethnicus Naaman, ad Domini Prophetam multis antea miraculis celebrem accurrere debebant.

Et repleti ſunt omnes in Synagoga ira hæc audientes.

Sol occidit ſuper iracundias Nazarenorum. 23. CVm iouidi Nazareni ſibi exteros præferri cogooſcentes, in Dominum indignari cœpiſſent; auditis eiuſdem Domini verbis, qnibus eos ſoa beneficentia, & miraculis iodignos ſignificabat; eorum indignatio ad comolum excreuit; ita vt vndeqoaque ita repleti ſuam in Dominum iracundiam rabiem, & voltus ardore, & linguæ fremitu, & iracuodis
Ad Ephes. 4. 25. geſtibus indicarent. Ideo contra Apoſtoli mooitum verè Sol occidit ſuper iracundiam Nazarenorum: quandoquidem ex eornm oculis Chriſtus Dominus iuſtitiæ Sol protinus ſe ſubduxit.

Et ſurrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis, ſuper quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.

24. NAzareni ſoa in Chriſtum impietata apertè comprobarunt Nathanaëlem iure dixiſſe Ioan. 1. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Ea qoo patet Nazarenos apud ipſos Iudæos malè audiiſſe. Præterea Ioan. 18. 31. cum Iudæi coram Pilato præſide dixerint: *Nobis non licet interficere quemquam*: cumque hîc Dominom è montis vertice præcipitem deturbare conentur, apertè ex rabie in Chriſtum ſe Moſaïcæ legis tranſgreſſores oſtendunt. [Inuidi deſideria diaboli perficiunt.] Benè autem Dominus machinantibus ei mortem dixit Ioan. 8. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis; & deſideria patris veſtri vultis facere; ille homicida erat ab initio.* Diabolus enim Chriſto Domino, vt ſe deorſum præcipitem ageret ſuaſit; qnod cum cooſecutos non eſſet; inuidi, & increduli Nazareni, vt diaboli deſideria perficerent, è mootis apice Dominum præcipitare conati ſunt.

Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat.

25. TRes modi, quibus è furentium Nazarenorum manibus Dominus euaſerit, afferuntor. Primus modus eſt reddendo ſe inuiſibilem: ſed ad hunc modum ſignificandum dixiſſet potius Euangeliſta: *Ieſus abſcondit ſe;* ſicut dixit Ioan. 8. 59. Secundus modus affertur à S. Ambroſio, & Beda aſſerentibus Dominum Nazarenorum voluntatem mutaſſe, vt voluerint eum dimittere. Sed tali volontatis mutatione Nazareoornm rabies, & obſtinatio digna ooo erat. Tertius modus eſt reddendo Nazareoos ſtupidos: qui quidem modus videtur probabilior; cum ex eo noo minus corpore, quàm corde, veluti ſaxei impij Nazareni remanſerint. [Nazareni præcipitium Chriſto machinantes ſtupidi redduntur.]

FERIA TERTIA,

POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Si peccauerit in te Frater tuus; vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. *Matthæi 18.*

Euangelij nexus, & ordo.

1. OMINES peccando cum tribus iodigeant, correptione, vt reſipiſcant; abſolutione, vt Deo concilientur; oratione, vt perſeuerantiam in Dei amicitia conſequantur. In his omnibus homo homini ſubiicitur; atque adeo homo homine iodiget; primò, vt monitore; ſecundò, vt iudice; tertiò, vt ſocio: monitore quoad correptionem; iodice qnoad abſolotionem; ſocio quoad impetrationem. Primò homo
Peccatores correptione, abſolutione, & oratione indigent. homini monitor conſtituitur, vt peccans corripiatur; propterea correptionis fraterna præceptum, & modus hîc traditur à Chriſto Domino: *Si peccauerit in te frater tuus; vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum*, &c. Secuodò homo homini datur iudex, vt abſoluatur; propterea Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus hic dicitur: *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Tertiò homo homini ſocius tribuitur, vt qood in oratione à pluribus flagitatur, efficacius impetretur: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt.* Quare totum hoc Euangelium ad mutuam, hominemque inter homines ſubiectionem, concordiamque fouendam dirigitor.

2. Porrò tria hæc, quæ in hoc Euangelio

Cap 5. habeutur, ſimul etiam ſua in epiſtola B. Iacobus Apoſtolus vuienda eſſe exiſtimauit. Quare ad correptiouem ſuadeudam ait: *Si quis ex vobis erraneris à veritate, & conuerterit quis eum; ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatórem ab errore via ſua, ſaluabit animam eius, & operiet multitudinem peccatorum.* Ruríus ad culparum abſolutionem ſignificaodam ait: *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Denique: *Orate pro inuicem, vt ſaluemini*, addit ad concordem orationem ſuadendam.

Si peccauerit in te frater tuus.

3. QVæres hîc: Si non in me, ſed in alium, vel immediatè in Deum aliquis peccet, corripiendusne eſt à me? Dominus enim de peccaro contra nos hîc loqui videtur. Reſpondetur peccantem in proximum, etiam contra nos adſtaotes peccare, quando enim coram aliquo peccatur, eo ipſo contra illum peccatur: quia iniquiratis teſtis, & veluti comprobator efficitur; licèt directè contra illum offenſa non ſit Auguſtinus de verbis Domini ſer. 16. *Quando me audiente fratri meo quiſquam iniuriam facit; abſit, vt à me iniuriam illam alienam putem: prorſus & mihi fecit: imo & mihi plus fecit, cui putauit placere quod fecit.* Ibidem Auguſtinus ait: *Si multis audientibus tibi fecit iniuriam, & in illos peccauit, quos teſtes ſua iniquitatis effecit.* Rurſus ſi iuxtà Apoſtolum ad Rom. 12. *Multi vnum corpus ſumus in Christo; ſinguli autem alter alterius membra*; conſequenter quod contra proximum fit, contra nos fieri cenſendum eſt. Ad repelleodum enim à quibuſlibet corporis partibus ictum manu accurrunt; quia ſub vno capite inuicem membra ſunt. Quare idem Apoſtolus 1. ad Corioth. 12. ait: *Pro inuicem ſollicita ſunt membra: & ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.*

Peccant in nos etiam, qui in proximum, vel in Deum peccant.

4. Dico 2. peccantem immediatè in Deum, etiam cootra nos peccare, nam ſubdit ibidem Apoſtolus: *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*, hoc eſt, vt explicat S. Thomas: *Vos eſtis membra de membro principali*, quod eſt Chriſtus verus Deus, & Eccleſiæ caput. Qui igitur peccat in caput, in membra etiam, quæ à capite maximè pendent, peccat. Debemus enim Chriſto Domino Deo noſtro gratas vices repeodere: cum ille iniurias in nos, tamquam in ſua membra illatas, ſuas eſſe exiſtimet. Quare cum Saulus fideles perſequeretur, Dominus dixit: Actorum 9. *Saule, Saule, quid me perſequeris?* hoc eſt iuxtà Auguſtinum tract. 10. in ep. Ioan. *Non expaueſcit vocem capitis de cœlo clamantis pro membris ſuis: Saule, Saule quid me perſequeris? Perſequutorem ſuum vocauit perſequutorem membrorum ſuorum.*

5. Porrò tanta diuina charitas eſt, vt iniurias ſibi illatas patienter magis Deus, quàm noſtras tolerare videatur. Quod primò patet Gen. 4. vbi dicitur: *Factum eſt poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terra munera Domino.* Vbi Ambroſius de Caino lib. 1. c. 7. & 10. ait: *Duplex culpa; vna quòd poſt dies obtulit; altera, quòd non ex primis fructibus, obtulit primitias Deo; hoc eſt primitias ſibi prius vendicare; Deo autem ſequentia deferre.* Hanc iniuriam ſibi illatam mitiùs Deus tulit, dixitque tantùm Caino: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne ſi benè egeris, recipies; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Secus verò cum fratrem Cain occidit, non leuiter à Deo monitus, ſed acriter punitus eſt; dixitque ei Dominus: *Maledictus eris ſuper terram: Cum operatus fueris eam, non dabit fructus ſuos: vagus, & profugus eris ſuper terram.* 2. Quamuis Madianitæ, vt idololatræ in Deum impij fuiſſent; nihilominus non ad vlciſcendam idololatriam, ſed ad illatam Iſraëlitis iniuriam eos cum quinque eorum Regibus trucidari Dominus iuſſit. Numeror. 31. *Locutus eſt ad Moyſen dicens: Vlciſcere prius filios Iſraël de Madianitis; & ſic colligeris ad populum tuum.* 3. Amalecitarum idololatriam, & impia ſacrificia diu Deus patienter tolerauerat: iidem tamen cum Iſraëlitas ex Ægyptia ſeruitute egreſſos, impedire conati ſunt, ne promiſſa terra potirentur; Deus Sauli præcepit. 1. Reg. 15. *Recenſui quæcumque fecit Amalec Iſraël, quomodo reſtitit ei in via, cum aſcenderit de Ægypto. Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius: non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid, ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum, atque lactentem.* 4. Inter Iſraëlitarum Reges Ieroboam primus fuit, qui cootra diuinum cultum Idola venerari cœpit 3. Reg. 12. Nihilominus cùm in Dei Prophetam ſacrilegam manum extendit, tunc Deum vltorem expertus eſt: *& exaruit manus eius, quam extenderat contra Prophetam; nec valuit retrahere eam ad ſe*, vt capite ſequenti dicitur. 5. Achab non ob impietatem in Deum; ſed quod ſuadente Iezabele vxore innocentem Naboth, eius ablata vinea, lapidari iuſſerit, ab Elia ei dictum eſt 3. Reg. 21. 19. *In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum*; quam pœnam ſubiit in bello ſagitta confiſus: *Et linxerunt canes ſanguinem eius*, vt habetur c. 22. 38. Similem, peiùtemque pœnam eius vxor Iezabel è feneſtra præceps deturbata, & à canibus deuorata, perpeſſa eſt iuxtà Domini verbum: *Canes comedent Iezabel in agro Iezrahel*, 3. Reg. c. 21. 23. & 4. Reg. c. 9. 36. Vt ergo Deo grati animi vices rependamus; non minus, ſed multò magis erga ei illatas iniurias, quàm erga nobis illatas zelo affici debemus. Denique quòd non ad ſola peccata, quæ directè contra nos fiunt (vt aliqui exiſtimarunt) correptio fraterna reſtringitur, ſatis conſtat ex verbis Apoſtoli vniuerſaliter dicentis: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite.* Vbi fideles omnes Euangelicam legem profitentes, ſpirituales vocauit, eò quod non ſubiaceant Moyſaicæ legi, quæ ab Apoſtolo ad Hebræos 7. *Lex mandati carnalis* appellatur; cum carnales ſacrificiorum cæremonias contineret, vt notat Theodoretus. Ad Gal. 6.

Dei charitas iniurias ſibi illatas patienter magis, quã noſtras ferre videtur.

Corripe eum.

6. SI quando corporales medici negligerent vulnerum, aut vlcerum curationem, ea in ſe tranferrent; vtique tale periculum eos valdè ſollicitos redderet ad ægroti curationem. Quod in corporalibus medicis non accidit, accidit in ſpiritualibus: Si quis enim occurrente correptionis neceſſitate, fratrem ſuum à ſpirituali morbo curare neglexerit, ipſum morbum, vel eo peiorem in ſe transferet. Auguſtinus de verbis Domini: *Admonet nos Dominus non negligere inuicem peccata noſtra; non quærendo quid reprehendas, ſed videndo quid corrigas: ſi neglexeris, peior eo factus es: ille iniuriam fecit, & iniuriam faciendo graui ſeipſum vulnere percuſſit: tu vulnus fratris contemnis; peior tacendo, quàm ille conuiciando.*

Correctionẽ peccatoris omittẽs, peccati morbum in ſe transfert.

Auguſtinus, ſer. 16.

Correctio ex proximi dilectione fluens, non aspera sit.

7. Sed, vt correptio peccantis proximi animum non exasperet; ea non ex indignatione, sed ex proximi dilectione prouenire debet: talis enim est charitatis, sanctæque dilectionis efficacitas, vt obiurgatio qualibet ab ea proueniens, tantùm externum sonum obiurgationis habeat; amaritiem verò, & asperitatem non retineat. Augustinus in epist. ad Galat. 6 ait: *Numquam alicui peccati obiurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquidò nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere.* Et subdit: *Dilige, & dic, quod voles; nullo modo maledictum erit, quod speciem maledicti sonuerit.* Similiter Gregorius: *Vera iustitia compassionem habet; falsa verò dedignationem; quamuis & iusti soleant rectè peccatoribus dedignari. Sed aliud est, quod agitur typho superbiæ, aliud, quod zelo disciplinæ: dedignantur etenim, sed non dedignantes: desperant, sed non desperantes: persecutionem commouent, sed amantes: quia, & si foris increpationem per disciplinam exaggerant; intus tamen dulcedinem per charitatem seruant.* Quia, vt Gregorius ait. *Vera iustitia compassionem habet;* ideo à Dauide dictum est, Psalm. 140. *Corripiet me iustus in misericordia.* Nazianzenus orat. 18 Patris sui in aliis corripiendis lenitatem talem fuisse testatur: *Vt ei in ipsa quoque iactatione, atque perturbatione sua constaret serenitas. Ac proinde ei (res mira, atque ab humanis sensibus aliena) contingebat, non vt solus obiurgator esset, sed vt solus iis etiam, quibus succensebat, & amori, & admirationi esset: quòd videlicet in eo comitas obiurgationis acrimoniam vinceret.* S. Basilius in regulis fusiùs disputatis Reg. 51. docet corripientibus aliena peccata imitandos esse probos medicos, *Vt ægris non irascantur; sed aduersus morbum ipsum pugnent.*

Gregorius tom. 34. in Euang.

Corripiens non contra peccantem sed contra peccatum pugnet.

Correptio aspera est mendax.

8. Quando non ex charitate lenioribus verbis; sed ex immoderata iracundia contumeliis correptio fit; de huiusmodi correptione dicitur Ecclesiastici 19. 28. *Est correptio mendax in ira contumeliosi.* Quare mendax? Quia cum vera correptio in bonum delinquentis dirigenda sit; iracunda, & contumeliosa correptio ad satisfaciendum ipsius tantùm corripientis indignationi dirigitur: delinquenti verò nullatenus prodest, sed potius obest; eum scilicet ad mutuam indignationem prouocando.

9. Isaias c. 7. futurum Messiam talem fore prædixerat, *Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum:* vel, vt Septuaginta vertunt, *Repellere mala, & eligere bona.* Ad vaticinium hoc implendum quæritur, quod malum Redemptor noster repellere à se debebat, malumne pœnæ, an malum culpæ? Non malum pœnæ; hoc enim à se non repulit, quandoquidem, vt idem Isaias ait: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Non malum culpæ; cum enim de Christo Domino scriptum sit: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo: Christo nullum diabolici flagelli peccatum potuit proximare,* ait Chrysostomus. Consequenter malum culpæ tamquam contra se ingruens repellere Christo Domino non opus erat. Respondetur ex Hugone Cardinali, cum de Christo vaticinatur Isaias fore, vt repelleret à se malum, in membris suis vaticinium hoc implesse; malum enim culpæ à membris suis, hoc est ab hominibus repulit detestando peccata, & corripiendo peccatores. Sed, vt qua suauitate peccatorum correptio fieri debeat, cognoscamus, de Redemptore testatur Isaias: *Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum:* hoc est: Redemptor noster veluti lacte, & melle cibari videbitur: Nam veluti lacteam, & mellifluam linguam habebit, vt dulci, suauique correptione ab hominibus malum, nempe peccatum reprobando, repellere possit. Quare, *lingua nostra veluti Christi lingua fiet, si proximum corripiendo, Christi mansuetudinem imitemur,* ait Chrysostomus. Similiter Ier. 15. Dominus ait: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Vbi ex Chrysostomo contra Iudæos orat. 5. & aliis Patribus: Os eorum, qui proximos conuertunt, est quasi os Dei. Os Dei sub humana carne nos erudiens Christus Dominus est: *Nouissimè locutus est nobis in filio.* Christi igitur mitissimum os habere debet, qui per fraternam correptionem pretiosum à vili, hoc est animam à peccati sordibus separat: ad id insinuandum Dominus ait: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Isaias c. 53.

Ps. 90.

Chrysost. Hom. 5. ex variis in Matth. & Hom. in Ps. 14.

Correptio è lactea, & melliflua lingua proueniat.

Hom. 51. ad Populum.

Ad Hebr. 1.

Matth. 11

10. Præterea myrrha, vt ait Bernardus, amaritudinem peccatorum significat: quare Cant. 5. cum Christus Ecclesiæ sponsus suo in horto, nempe in fidelium congregatione myrrham messuisse, hoc est amaram peccatorum segetem oris gladio secuisse se diceret, addit: *Comedi fauum cum melle meo:* scilicet, vt qua suauitate ad peccata arguenda linguam deliniuerit, significaret. Porrò nostra peccata myrrham suam Christus Dominus vocat; peccatorum enim oblectatio hominibus iocunda, Christo amarissima myrrha fuit: rursus huiusmodi myrrham aromatibus, hoc est pœnitentiæ lacrymis ex vtili correptione prouenientibus coniunctam fuisse testatur: *Veni in hortum meum; messui myrrham meam cum aromatibus meis: Comedi fauum cum melle meo.* Hæc pia lacrymarum aromata è pœnitentium oculis fluere expetit cœlestis sponsus; eum adueniente Austro, calido scilicet Spiritus sancti flamine, recedit diabolus sub frigido Aquilonis nomine significatus, iuxta Gregorium. Propterea Cant. 4. ait: *Surge,* hoc est abi, *Aquilo; & veni, Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.*

In Cant. ser 43.

Myrrha peccati amaritiem significat.

Correptio sit veluti ex myrrha, & melle commista.

Aromata sunt pœnitentium lacrymæ.

11. Exodi 27. ad prunas Altaris tractandas, quæ nihil fœdi continebant, instrumenta ex ære fieri præcipiuntur: *Facies in vsus eius forcipes, atque fuscinulas; omnia vasa ex ære fabricabis.* Contra verò ad maleolentem, & fœdum mucum è lychnis tollendum instrumenta aurea diuino instinctu fieri præcepit Salomon: *Fecit Salomon lucernas desuper aureas, & forcipes aureos.* Salomonis templum ex S. Hieronymo sanctæ Christi Ecclesiæ typus erat. Porrò forcipes, quibus emungebantur elychnia, vt muco sublato purius lucerent, correptionis fraternæ figuram exprimebant: hæc enim forcipis instar peccatorum immunditiem è proximorum corde tollere nititur; vt à vitiis purgatum cor ante Dei conspectum purius eluceat; propterea aurei, hoc est charitatem præ se ferentes emunctorii forcipes esse debebant. *Auri nomine charitas intimatur,* ait Gregor. Quare qui indignatione, & asperioribus verbis correptionem exequitur, is contra sacrum templi institutum non aureo, sed ferreo forcipe vtitur. Lib. 2. Machab. c. vlt. dicitur: *Extendisse Ieremiam dexteram, & dedisse Iudæ gladium aureum dicentem: Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deiicias aduersarios populi mei Israel.* Similiter cum proximos corripiendo contra vitia dimicamus, non asperitatis ferreo, sed aureo charitatis gladio est dimicandum.

3 Reg. c. 7.

Hieronymus in Zach. c. 6.

Templũ Salomonis sanctæ Ecclesiæ typus.

Gregorius 34. mor. c. 23.

Auri nomine Charitas significatur.

Forcipes aurei ad elychnia mundanda, symbola correptionis ex Charitate faciendæ.

Corrigentibus vitia aureo gladio est vtendum.

12. Qui proximum corripit, correptionis mansue-

1. Reg. c. 17. mansuetudine Dauidem cithara psallentem imitari debet. Sicut enim suauissimo citharæ sono, & consono cantu, Dauid è Saule dæmonem expellebat; ita nos non clamore, non exprobratione, non minis; sed dulcioribus, plenisque amore verbis è proximi animo culpam remouere debemus. Propterea Hugo Victorinus ait: *Plerumque dum vulnera per lenia fomenta mollescunt; & furor insanorum sæpe ad salutem medico blandiente reducitur. Cumque eis in dulcedine condescenditur, languor insaniæ mitigatur. Neque enim negligenter intuendum est, quòd cum Saulem spiritus aduersarius inuaderet, apprehensa Dauid cithara, eius insaniam sedabat. Quia cum sensus per elationem in furorem vertitur; dignum est, vt ad salutem mentis, quasi dulcedine citharæ, locutionis nostra tranquillitate reuocetur.*

Corripiens proximum, Dauidem citharæ sonō dæmonē ex eo entem imitetur.

13. Egregiè in primis, quod ad correptionem fraternam spectat, nos monet Ecclesiasticus 19. *Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat: Non feci; aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne fortè non dixerit, & si dixerit, ne fortè iteret. Corripe amicum; sæpe enim fit commissio.* Et paulò post. *Corripe proximum, antequam commineris; & da locum timori Altissimi.* Dicitur ergo primò: *Corripe amicum*: correptio enim eam lenitatem habere debet, vt correptus amicum corripientem esse se sentiat. Proinde Ambrosius lib. 8. in Lucam cap. 17. ait: *Plus proficit amica correptio, quàm accusatio turbulenta, illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet. Bonum quippe est, vt amicum magis te, qui corripitur credat, quàm inimicum; faciliùs enim consilio acquiescitur, quàm iniuriæ succumbitur.* Vnde & Apostolus 2. ad Thess. 3. *Corripite, inquit, fratrem, vt erubescat, non vt inimicum eum existimetis.* Idem Ambrosius 3. de officiis cap. 16. ait: *Si quid vitij in amico deprehenderis, corripe occultè; si te non audierit, corripe palam. Sunt enim bonæ correptiones, & plerumque meliores, quàm tacita amicitia: & si lædi se putet amicus, tu tamen corripe. Tolerabiliora enim sunt amici vulnera, quàm adulantium oscula. Debet amicus amico compati, & condescendere; vitium eius suum putare; corripere humiliter, compatienter. Corripiat eum vultus tristior, & sermo deiectior. Intercipiant verba lacrymæ, vt non solùm videat, sed & sentiat correptionem ex amore. & non ex rancore procedere.* Egregiè enim monet Chrysostomus hom. 30. in epistol. ad Hebræos dicens: *Non videtis Medicos quando vrunt, vel secant aliquos, quanta lenitate eius curationem exercent? Multò amplius corripientes oportet hoc agere: Medici aliquantulùm requiescentes agrum faciunt recreari: sic etiam oportet corripientes efficere, vt qui corripiuntur, non resiliant.* Idem docet Gregorius 2. par. pastor. cap. 10. *Amariores pilulæ auro contectæ ægris dantur: Similiter charitatis, & lenitatis auro inuoluenda correptio est, vt proficiat.*

Corripiens tam mitis esse debet, vt correptus se corripiē amicum esse sentiat.

Corripiens medicū maxima dexteritate, & lenitate vitera secantem imitetur.

Correptio instar medicæ pilulę, charitatis auro contegatur.

14. Propterea monebat Apostolus ad Galat. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. Dæmonis incursionem accusat potius, quàm animi negligentiam*, qui benè corripit, ex Chrysostomo. Et Augustin. lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 19. ait: *Piè, cautèque vigilandum est, vt cum aliquem reprehendere, vel obiurgare nos necessitas coegerit; primùm cogitemus, vtrum tale sit vitium, quod numquam habuimus, vel quo iam caruimus; & si nunquam habuimus, cogitemus & nos homines esse, & habere potuisse: si verò habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas; vt illam reprehensionem, aut obiurgationem non odium, sed misericordia præcedat: vt siue ad correptionem eius, propter quem id facimus, siue ad peruersionem valuerit (nam incertus est exitus) nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos inuenerimus in eo esse vitio, in quo est ille, quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque obiurgemus; sed tamen congemiscamus; & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cauendum inuitemus.* Similiter Gregor. 23. Mor. cap. 14. ait: *Debemus primùm meminisse quod sumus; vt ex propria infirmitate pensemus, quo decendi ordine infirmis fratribus consulamus. Consideremus, quia aut tales sumus, quales nonnullos corrigimus; aut tales aliquando fuimus; etsi diuina gratia operante non sumus: vt tantò temperatiùs humili corde corrigamus, quantò nosmetipsos veriùs in his, quos emendamus, agnoscimus. Si autem tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc illi sunt, quos emendare curamus; ne cor nostrum fortè superbiat, & de ipsa innocentia peius ruat; quorum mala corrigimus, alia eorum bona nos ante oculos reuocemus. Quæ si omnino nulla sunt, ad occulta Dei iudicia recurramus; quia sicut meritis nullis hoc ipsum bonum, quod habemus, accepimus: ita illos quoque potest gratia superna virtutis infundere; vt excitati posteriùs etiam ipsa possint bona, quæ nos ante recepimus, præuenire. Quis enim crederet, quòd per Apostolatus meritum Saulus lapidatum Stephanum præcessurus erat; cum in morte eius lapidantium vestimenta seruabat.*

Corripiens, vt sanctiter cedat, prius in ... culpas mentem conuertat.

15. Hæc multiplex cautela adhibenda est, vt in spiritu lenitatis iuxtà Apostolum correptio fiat. Ad hunc lenitatis spiritum exprimendum diximus supra ex Hugone Victorino corripientem imitari debere Dauidem, qui suauissimo citharæ sono è Saule dæmonem expellebat. Notandum tamen est citharam suauem, & harmonicum sonum non reddere, quando nondum consonis chordis prima pulsandi tentamenta fiunt; sed posteaquam chordæ omnes debitè tensæ ad certam normam redactæ fuerint; tunc harmonicum sonum reddi. Audiamus Iuonem Carnotensem. *Qui citharam pulsat, certè singulas chordas intendendo cum temperat, ingratum earum sonum audire solet; ac postea cum omnes tensæ, & modulatæ sunt ad harmoniam, suauissimum concentum eidem reddunt. Ita etiam Doctor, aut Prælatus, cum subditos suos, vel auditores coërcet, & quasi laxas citharæ chordas ad virtutis, & honestatis obseruantiam intendit; absurda solet probra, & conuicia ab eisdem audire: & posteaquam omnes ad honestatem & charitatem modulati sunt, eiusdem aures laude, & gratiarum actione demulcent, quas prius vituperando violauerant.*

Corripiens citharæ dū imitetur, qui primis pulsandi tētamentis consonas chordas reddit.

Serm. 2.

16. Addit Apostolus motiuum. *Vt in spiritu lenitatis* correptio fiat: *Considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Quare apud Cassianum collat. 2. cap. 13. *Cum senior non in spiritu lenitatis iuniorem corripuisset; factum est, vt ipse senior in grauissimæ tentationis æstus incideret: Cui eandem a Sancto viro dictum est Reuertere ad cellam, tandemque te intellige, vel ignoratum hactenus à diabolo, vel despectum; nec in eorum numero reputatum, quibus ille quotidie confligere, & colluctari profectibus eorum, & studijs instigatur. Qui vnum eius in te directum iaculum post tantam annorum seriem, quam in hac professione triuisti, non dicam*

Corripiens asperè in vehementem tētationem incidit.

respuere, sed ne vno quidem die differre quiuisti: quo te idcirco Dominus passus est cruciari: vt saltem in senecta disceres compati infirmitatibus alienis, & fragilitati condescendere inmorum, tuis exemplis, atque experientia doceris. Cum peccantes, quamuis indiscretè corripiantur, culpa agnità ab ea recedunt; tunc contrà asperè corripientes vsurpare possunt verba Dauidis Psal. 19. *Ipsi obligati sunt, seu infirmati sunt, & ceciderunt; nos autem surreximus, & erecti sumus.*

17. Sed vt ad lenitatem in corripiendo suadendam ad Ecclesiasticum supra citatum reuertamur, subditur ibi: *Corripe proximum antequam commineris, & da locum timori Altissimi.* Quæritur hîc vbinam locus Altissimi timori dandus his verbis præcipiatur; in cordene corripientis, an potius in corde correpti? Respondet Cornelius, & Pigna, in corde corripientis: scilicet, vt propter Altissimi timorem lenitatem corripiens in corripiendo adhibere debeat. Respondeo id benè intelligi etiam posse non de corripiante, sed de ipso correpto, & in illius corde locum timori Domini esse relinquendum. Itaque sensus est: Cum proximum corripis; quamuis prudẽter putes metum esse incutiendum delinquenti ob patratum crimen; non tamen lenitatis spiritum deserens minas adhibeas; sed locum Altissimo relinquere debes; vt illius timor in proximi corde operetur, & suppleat comminantis officium: & hoc pacto perfecta charitas non foras mittit, sed admittit intro timorem; qui certò melius, quàm humana lingua corripiendum increpabit: itàque ex humana lenitate, & diuino timore, pœnitentiæ partus, obstetricante manu Dei, felicius orietur.

Corripiens quomodo locũ Diuino timori relinquere debet.

18. Rursus ad lenitatem in corripiendo insinuandam dixit Apostolus? *Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Vbi Theophylactus ait non dici simpliciter in patientia, sed in omni patientia; vt quaquauersus constans, & perfecta sit monitoris patientia; nullumque sibi limitem, vt proximi fragilitati compatiatur, præscribat. Sic terminum nullum patientiæ admittendo veluti à Deo, qui in perfectionibus omnibus infinitus est, patientiam corripiens mutuetur: dicatque cum Dauide: *Quoniam tu es patientia mea Domine.* Patientiæ imaginem suo ipse vultu corripiens exprimere debet: proinde patientiæ effigiem nobis Tertullianus expressam ante oculos posuit dicens: *Vultus illi tranquillus est, & placidus; frons pura, nulla mæroris, aut iræ rugositate contracta; remissa æque in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis; os taciturnitatis honore signatum; color, qualis securis, & innoxiis. Motus frequens capitis in diabolum, & minax risus. Cæterum amictus circum pectora candidus, & corpore impressus; vt qui nec inflatur, nec inquietatur: Sedet enim in throno spiritus eius mitissimi, & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur; non nubilo liuet; sed est teneræ serenitatis apertus, & simplex.*

2. ad Tim. 4.

Corripiens Diuinam patientiam mutuetur.

Ps. 70.

Tertullianus de patientia, c. 15. Patientiæ effigies.

19. Hoc sanctæ patientiæ simulacrum iusti suo in corde, veluti in templo Deo sacro, statuere debent; quibus ab Apostolo dicitur: *Vos estis templum Dei viui.* Ad mortem damnati si intra templum recipiantur, liberi sunt: propterea iustus peccatores ad æternam mortem damnatos intra misericordiæ, & inuictæ patientiæ viscera excipere, & amplexari debet, vt eos ab animæ interitu liberet: & ideo iuxtà Bedam, Dionysium, & Cassianum supra citatum, ad peccatores suaui, & salutari correptione saluandos iustum hortatur Salomon: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.*

2. ad Cor. 5. Corripiendus peccator intra patientiæ templũ admittatur, vt à damnationis morte liberetur.

Prou. 24.

A

20. Sed quamuis correptio lenitatis spiritu non fiat, & aspera videatur; vt tamen proficua nobis sit, & patienter corripiens audiatur, modum tradit Augustinus epist. 147. dicens: *Documus libet hominis ore nobis verum cum aliqua asperitate sonuerit; non ab illo homine, qui forte peccator est; sed ab ipsa veritate, hoc est à Christo, qui iustus est, emendamur. Emendabit me iustus in misericordia, & arguet me;* legit idem Augustinus, Psalm. 140. & subdit: *Melius est mihi, vt quando videt iustus peccatum meum, emendet me: non mihi parcat; dicat, quia peccaui; saniat in peccatum meum, vt me liberet à peccato. Videtur acerbè clamare; sed intus lenis est misericordia. Quando ergo arguit, & quando clamat, & quando iustus sæuit, miseretur; & totum illud de misericordia paterna est, non de sæuitia inimici. Magis autem quando non vult te teneri sub peccato, magis amat, quia secat. Non vult enim putredine peccati cætera membra tua contabescere: ferrum profert, sed noli timere, noli pauescere: medicum est ferrum. Non contra te ferrum fertur, sed contra vulnus tuum.* Benè Clemens Alexandr. lib. 1. Pædagogi c. 8. ait: *Est reprehensio veluti quædam Chirurgia affectionum animæ; medicamentum est probri insimulatio; quæ resoluit affectiones, quæ iam occalluerunt; impudicæque, ac libidinosæ vitæ sordes expurgat; fastusque, ac superbiæ carnes, quæ excreuerunt, exæquat. Admonitio est veluti quædam diæta ægrotantis animæ, quæ sunt sumenda, consulit, & quæ non sunt, prohibet.* Si rudes lapides sensum haberent, cum in venerandas sanctorum statuas efformantur; peruersè contra sculptorem, eiusque ictus conquererentur. *Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic?* ait Apost 9. ad Rom. 20. Similiter; qui à iusto rerum æstimatore corripitur, vt peccati ablata scabritie iustus euadat, in corripientem indignare non debet. Benè enim Seneca lib. 2. de ira c. 27. ait: *Bonorum iudicum castigatio sic accipienda est, quomodo scapellum, & abstinentia, & alia, quæ profutura torquent.*

Correptio quamuis aspera: patienter excipienda.

Aug. hom. ... inter ... tom. 10

Correptio Christi ... & dicta similis.

B

Correptio peccatoris vulnus fert scalpellum ... gnum abscissionis.

C

21. Sed quoniam peccatores correptionem respuentes, sua sæpè spiritualia animæ vulnera curari nolunt; de iis, tamquam de sauciis Chirurgi manus repellentibus benè pronunciatur Prouer. 15. 10. *Qui increpationes odit, morietur. Qui oderunt correptiones, consumentur,* legit Cyprianus ep. 11. Propterea tales phræneticis similes sunt, qui sanari nequeunt; cum medici monita, & medicamenta reiiciant. Hinc benè Plutarchus in Moralibus ait: *Qui dentibus laborant, medicum ipsi adeunt, malum exponunt: qui febre tenentur, accersunt. At phreneticus nec accersit, nec admittit ad morbi sui vehementiam. Ita, qui vitia sua celant, & admonitiones recusant, de his nulla salutis spes est.* Dauid Psal. 12. Deum precabatur. *Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus: Præualui aduersus eum.* Ex Græco legitur: *Illumina oculos meos, ne vmquam somno mortifero dormiam* Somno mortifero laborant, qui correptione è peccati lethargo excitari renuont. Ideo Augustinus ser. 59. caput 2. de verbis Domini ait: *Lethargici sunt, qui nimium dormiendo premuntur. Prorsus tales sunt homines: in lucem oculos extendere pigrescunt; & iis, qui eos excitare volunt, molesti sunt Recede à me, ait languidus lethargicus: Obsecro te recede à me. Quare? Dormire volo. Sed ille: Morieris inde. Ille amore somni: Mori volo, respondet. Et Charitas desuper: Nolo. Plerumque istum Charita-*

D

Correptionẽ respuens phreneticis, vel lethargo laborantibus similis.

E

tis affectum exhibet filius seni patri iamiamque morituro post paucos dies; iam vtique ætate finita. Si lethargicum vides, & lethargico morbo premi suum patrem à medico agnoscis dicente sibi: Excita patrem tuum; noli eum permittere dormire; si vis vt viuat. Adest puer seni; pulsat, vellicat, pungit; pietate molestus est: nec mori citò permittit citò moriturum. Quantò maiore charitate nos amicis nostris molesti esse debemus; cum quibus non paucos in hoc mundo dies; sed apud Deum in æternum viuamus? Ergo contra consopitum peccati somnu proximum ex fraterna charitate clamemus: *Numquid, qui dormit, non adjciet, vt resurgat?*

Psal. 4. 9.

22. Allatæ Salomonis sententiæ consonat alia Prou. 29. *Vire, qui corripientem dura ceruice contemnis, repentinus superueniet interitus; & eum sanitas non sequetur.* Vbi benè iuxtà Vatablum similitudo sumitur ab indomitis tauris, qui colla iugo submittere omninò detrectant. Peccator ergo, qui iustæ correptionis iugum respuit; diaboli iugo subiicietur; & vsque ad vltimum interitum enormium peccatorum pondera pertrahet: & quia numquam sanæ mentis sanitatem consequetur; & nunquam appropinquantis mortis accessum præuidebit; ideo tum corporalis, tum spiritualis ei animæ interitus repentinus erit. Erit præterea vitæ exitus repentinus; quia cum peccatores corripi nolunt, eorum vita à Deo ob obstinationis pœnam corripi, & præcidi solet. *Qui odit correptionem, minuetur vita*, dicitur Ecclesiastici 29. 5. seu, vt legit Athanasius: *Tollentur immaturè anima impiorum*; qui scilicèt non solùm in Deum, sed in seipsos impii sunt, animæ medelam respuendo; correptionem per iracundiam dedignantes. Ideo benè Bernardus exclamat: *Mira peruersitas! Medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti.* Cui sagittatori illi, de quo fidelibus dixit Apostolus ad Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

Correptionē respuens indomito tauro similis, iugo diaboli submittitur.

Correptionē respuens vita præciditur.

Athanasius Apolog.

Correptionē respuens corporis, & animæ repentinum interitum incurrit.

Bern. serm. 42. in Cāt.

23. *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris*, dicitur Ecclesiastici 21. 7. seu ex Græco textu: *Qui odit correptionem, in vestigio est peccatoris.* Vbi peccatoris nomine diabolum Rabanus intelligit. Qui igitur correptionem auersatur, in eo vestigio figit pedem, in quo diabolus fixit. Fixit autem superbiæ Princeps pedem in peccati obstinatione; ibidem, qui correptionem odit, pedem figit. Propterea orabat Dauid. *Non veniet mihi pes superbiæ.*

Correptionē respuens diabolicæ obstinationis vestigio pedē figit.

Psal. 35. 12.

24. Quàm stultus esset, qui indignatus speculum procul arceret; eo quòd illi faciei labes ostenderet? Similis stultitiæ notam incurrit, qui aduersus corripientem, ei spirituales labes ostendentem irascitur. Ideo Clemens Alexandrin. lib. 1. Pædagogi, cap. 9. ait: *Quemadmodum speculum non est malum deformi, eò quod ipsum ostendat, qualis sit: ita nec is, qui reprehendit, ei malè vult, qui laborat animo: nec enim ei delicta adiungit; sed ea, quæ adsunt, peccata ostendit. Beneuolentia, non odij signum est reprehendere: ambo enim probrum obijciunt, & amicus, & inimicus; sed inimicus quidem irridens, amicus verò beneuolens.*

Corripiens speculo similis.

Ibidem 5. 8.

25. Augustinus lib. de correptione, & gratia, sic à correptione abhorrentem alloquitur: *Quicumque corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonstrari; non vis vt feriantur, fiatque tibi vtilis dolor, quò medicum quæras: non vis tibi tu ipse ostendi; vt cum deformem te vides, reformatorem desideres; eique supplices, ne in illa remaneas fœditate. Tuum quippe vitium est, quòd malus es; & maius vitium corripi nolle, quia malus es.* Quare idem Augustin. serm. 1. de verbis Domini monet: *Prudenter accipiat vnusquisque monita præceptoris; vt non perdat tempus misericordiæ Saluatoris.*

Correptionē respuens magis correptione indiget.

26. Quod alios docuit, egregiè seruauit Augustinus, quia non solùm correptionem non respuit, sed verbis illis ad Hieronymum scripsit ep. 19. cap. 4. *Identidem rogo, vt me fidenter corrigas, vbi mihi hoc opus esse perspexeris. Quamquàm enim secundùm honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus Presbyterio maior sit; tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est: licet etiam à minore quolibet non sit refugienda, vel dedignanda correctio.* Præterea de correptione præclarè differit Petrus Damiani, lib. 6. epist. 18.

Corripi à Hieronymo Augustinus petit.

Correptio etiam à minori accipienda.

27. Quamuis delinquentibus correptio necessaria sit, eamque fieri Dominus præceperit; benè tamen monet Augustinus lib. 1. de Ciuit. cap. 9. *Si propterea quisque obiurgandis, & corripiendis malè agentibus parcit; quia opportunius tempus inquirit; vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur; vel ad bonam vitam, & piam erudiendos impediant infirmos alios, & premant, atque auertant à fide; non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis.* Idem antea docuerat Nazianzenus Apologia prima. Cum delinquens correptione exasperandus potius, quàm se correcturus præuidetur, cauendum est, *Ne ministerium correptionis in arma vertamus furoris*, vt Gregorius loquitur. Talia furoris immane exemplum refert Seneca lib. 3. de ira c. 14. *Cambysen Regem nimis deditum vino, Praxaspes vnus ex carissimis monebat, vt parcius biberet; turpem esse dicens ebrietatem in Rege, quem oculi omnium, aurésque sequerentur. Ad hoc ille: Vt scias, inquit, quemadmodum numquam excidam mihi, approbabo iam & oculos post vinum in officio esse, & manus. Bibit deinde liberalius, quàm aliàs capacioribus scyphis: & iam grauis, & vinolentus obiurgatoris sui filium procedere vltra limen iubet, alleuataque super caput sinistra manu stare. Tunc intendit arcum, & ipsum cor adolescentis (id enim se petere dixit) figit, rescissoque pectore hærens in ipso corde spiculum ostendit; ac respiciens patrem, an satis certam haberet manum, interrogauit.* Verissimè tunc dici potuit: *Vinum, & ebrietas auferunt cor.* Cor scilicet figentis, & fixi.

Correptio quando differenda.

Gregor. in Ps. pœnit. n. 25.

Correptionē respuens Cambyses rex immanissimè sæuit.

Vini; & ebrietatis non aufert. his exemplum.

Osea 4. 11.

Corripe eum inter te, & ipsum solùm.

28. AD significandum correptionis fraternæ secretum, suo in templo fecisse dicitur Salomon, *forcipes aureos, & fuscinulas de auro purissimo.* Forcipes intra se extractas è lucernarum elychniis excipiebant sordes. *Fuscinulæ illæ aureæ intra lucernas mittebantur, vt si aliquando caderet aliquid de cinere lychnorum, remaneret intra ipsas*, ait Tostatus. Hæc autem sacri Templi instrumenta corripientes imitari debent; ita vt intra cordis secretum proximi, qui corripitur, culpas retineant.

3. Reg. c. 7.

Forcipes, & fuscinulæ in Salomonis templo correptionem secretè faciendam indicabant.

Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

29. SI proximum lucrari pretiosum quid æstimauerimus; quandocumque nos possumus, nunc in aliorum curam corripiendi proximum transferemus; non enim, qui terfaciendo aurum in via inueniet, illud colligendum aliis relin-

Corripiēdi proximum opportuna oblata oc-

quet. *Si inueneris aurum iacens; non dicis apud teipsum: Quare ille, aut ille hoc non sustulerunt; sed festinas ante alios rapere: similiter de fratribus, qui lapsi sunt, cogita; putatoque te thesaurum reperisse, nimirùm occasionem illis medendi*, ait Chrysost. orat. 5. contra Iudæos; vbi multa de fraterna correptione differit.

Occasione veluti thesauro inuento gaudere debemus.

30. Ad id confirmandum ait Hieronymus: *Consideremus quantam mercedem habeat sermo doctoris, si valuerit ab errore quempiam liberare, & de peccantium numero educere.* Ad hoc ostendendum verba affert à Domino Ieremiæ 15. prolata: *Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam stabis; & si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris. Quasi Deus dicat*, ait Hieronymus: *Si conuerteris à peccatis populum, & ego de tribulatione conuertam te in lætitiam. Hæc autem lætitia non qualiscumque erit, sed lætitia beatorum Angelorum: Stabis, inquit, ante faciem meam, sicut Angeli stant in conspectu Dei quotidie videntes faciem illius.* Meritò autem Angelorum præmium, qui fratrem lucratur, consequetur: Angelorum enim proprium est peccatorum conuersione gaudere iuxta Domini dictum Lucæ 15. *Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* S. Gregor. 18. Moral. cap. 17. explicans eadem Ieremiæ verba: *Si separaueris pretiosum à vili*, ait: *Vilis Deo est Mundus præsens; pretiosa verò est anima humana. Qui ergo pretiosum à vili separat, quasi os Domini vocatur; quia per eum Deus verba sua exerit, qui ab amore præsentis seculi loquendo quã potest, humanam animam euellit.*

Hieronym. in Ier. 15.

Corripiens proximum, quasi os Dei erit.

Corripiens proximum quod præmium consequitur.

31. Quare de lucrantibus per fraternam correptionem proximos benè dicitur: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris, id est similis eris verbo meo*, ait Theodoretus: *Verbo autem Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum:* At conuersio, & iustificatio peccatoris, maius; magisque arduum opus est, quàm cœli, terræque creatio, vt cum Sancto Augustino docet S. Thomas. Huius ratio est, quia si cum materiali cœlo fiat comparatio, nobilius cœlum est anima iusti; cum nobiliori modo Dei sedes sit, Deique gloriam manifestet. *Cœlum est anima iusti, sicut per Prophetam Dominus dicit, cœlum mihi sedes est: & cœli enarrant gloriam Dei*, ait Gregor. in Ezech. hom. 14. Quare citato Ierem. loco notandum est, non dici à Deo: *Si separaueris pretiosum à vili, os meum eris*, sed, *quasi os meum eris:* ad significandum inter Dei os, & os lucrantis proximum suum, perfectam æqualitatem non intercedere. Si quæratur ex quo capite perfecta æqualitas non intercedat; propter excessum an propter defectum? Siue dubio propter defectum creaturæ Deo comparatæ. Sed addo etiam id dici posse propter excessum ipsius creaturæ. Mirabile quidem Dei opus fuit, cum ad diuinæ vocis imperium cœli, terræque creatio ex nihilo prodiit. At maius opus est, rationis participem animam ex illo nihilo educere, in quod propter peccatum inciderat Dauid pœnitens, dicens: *Ad nihilum redactus sum.* Supracitatus Augustinus explicans promissionem à Christo Apostolis factam Ioan. 14. *Maiora horum facietis*, reddit rationem: *Quia maius opus est, vt ex impio iustus fiat; quàm creare cœlum, & terram: Cœlum enim, & terra transibit; prædestinatorum autem salus, & iustificatio permanebit.* Addit S. Thomas: *Maius opus est iustificatio impij, quæ terminatur ad bonum æternum diuinæ participationis; quàm creatio cœli, & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis.* Quòd si opponatur, sub cœli creatione iuxta Augustinum, includi etiam Angelorum creationem, quæ certè coniuncta fuit cum supernaturalis gratiæ communicatione, quæ est bonum supernaturale; & ideo pluris æstimanda est cœli, Angelorumque creatio, quàm conuersio animæ peccatricis: respondet idem Augustinus tom. 9. tr. 72. *Iudicet, qui potest, vtrum maius sit iustos Angelos creare, quam impios iustificare: certè si æqualis est vtrumque potentiæ; hoc maioris est misericordiæ.*

Ier. 15.

Corripiens proximum similis Deo cœlorum conditori.

Ps. 32.

S. August. c. 9. Tract. 72.

S. Th. 1. 2. q. 113. ar. 9.

Cœlum est anima iusti.

Ps. 102.

Ps. 18.

Ps. 80.

Ps. 72.

Iustificatio peccatoris maius opus, quã mundi creatio.

S. Thomas supra.

L. de Ciuit. 12. Confess. 1. de Gen. ad litteram.

32. Similiter S. Chrysostomus comparans corripientem; & lucrantem proximum suum cum eo, qui eleemosynam elargitur, ait: *Hæc est maior eleemosyna, quàm decem millia talentorum; quàm hic mundus vniuersus, quantus vndique patet oculis: siquidem homo est toto mundo pretiosior; huius enim causa, & cœlum, & terra, & mare, & sol, & stellæ condita sunt.*

Tom. 5. or. 3. contra Iudæos.

Correptio est maior eleemosyna, quàm ingentis pecuniæ elargitio.

33. Præterea quantam vtilitatem, quantumque gaudium consecuturus sit, qui proximum à peccatis reuocando, lucratur, fusius explicat Chrysostomus or. 4 contra Iudæos: *Si cum duos obolos dederimus, paulumque pecuniæ consumpserimus in pauperes, gaudemus: si poterimus animas seruare, quantò maiorem voluptatis fructum capiemus? Quantum autem in futuro seculo recipiemus gaudium? Nam ibi quoque quoties conuenientemus, multam capiemus voluptatem ex congressu reminiscentes officiorum, quæ vicissim alij in alios præstitimus. Cum illos conspexerimus ad tribunal illud metuendum, multa fiducia participes erimus. Qui benè viuunt; qui docent; qui instituunt, vbi viderint eos, quos seruarunt, illic patrocinantes ipsis, multa fiducia replebuntur. Et hoc Paulus declarans, dixit: Gloria vestra sumus, quemadmodum & vos nostra. Quando hoc? In die Domini nostri Iesu Christi.* Quamuis autem ex correptione sæpe fructus hoc est peccatoris correctio non sequitur; ita vt delinquens pœnitentiæ armis ad excutiendam diaboli tyrannidem pugnare renuat; adhuc corripientis zelus apud Deum suo fructu, ac mercede non caret. Ideo benè Chrysost. hom. 6. in epist. ad Timoth. ait: *Tubicinem, etsi nemo ad bellum profecturus sit, tuba tamen canere oportet, suumque munus implere: inde enim suo stipendio non carebit.*

Corripiens proximum quod gaudium, quod præmium cõsequatur.

2. ad Cor. 1.

Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos: vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.

34. ADhibendi dicuntur testes, non tantùm, vt iterandæ correptioni præsentes sint; sed vt ipsi etiam delinquentis culpam testantes, eum moneant, & fraternè corripiant. Quare in scijs nullo pacto proximi culpa est detegenda, sed ij tantùm, quibus delinquentis culpa innotuit, sunt aduocandi. Luc. c. 5. cum Domini discipuli è Genesareth stagno pisces extrahere vellent, *Annuerunt socijs, vt venirent, & adiuuarent eos.* Similiter, vt delinquentes proximos à cœnoso peccatorum lacu extrahamus; si soli nequimus, socios ad id Christianæ charitatis munus aduocare debemus.

Corripiens proximum, eius culpã alijs iustis detegere cùm debet.

Correptionis testes cur aduocandi

35. Leuitici 19. dicitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo; sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Videtur autem his verbis, non debere præmitti secretæ correptionis experimentum, sed statim publica correptio præcipi. Re-

Correpṫio publica nõ significat manifestare crimen; sed contra distinguitur ab indignatione cordis occulta.

spondet in hunc locum Radulphus: *Cùm publicè arguendus frater hic dicitur; non sic accipiendum est, quasi statim coram multitudine obiurgandus sit; sed quoniam latens odium prohibebatur, subditur, vt admoneatur frater publicè, id est manifesto; ne dolor occultus reseruetur in corde.* Quare publicè arguere contradistinguitur ab interna indignatione; itaut correptionem apertis verbis fieri debere significetur. Hieronymus epist. 4. ad Rusticum: *Si me vis corrigere delinquentem, apertè increpa; tantùm ne occultè mordeas.* Quare iuxtà Hieronymi documentum, cum fratris defectus innotuerit, ita linguæ charitas non parcat, vt parcat morsibus maledicis obtrectatio. Portò citato Leuitici loco subditur: *Publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Quoniam omittendo correptionem fratris, hic in peius ruit, & qui omittit, facit contra charitatem,* ait Lyran. Quare bene monuit

Correptionem omittens proximi vitia facit sua.

In Prouerbijs.

Bernard.

Seneca: *Amici vitia si feras, facies tua. Cum his conuersare, qui te corrigant. Secretò admone amicos, palàm lauda. Vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit. Bonis nocet, qui malis parcit.* S. Bernard. serm. de Natiuit. S. Ioan. *Arguere, & increpare interdum necesse est. Ferueat ergo in nobis amor iustitia, odium iniquitatis. Nemo fratris vitia palpet; peccata dissimulet nemo. Nemo dicat: Numquid ego sum custos fratris mei? Est enim consentire, silere tem cum arguere possis: & scimus quia similis pœna facientes manet, & consentientes.*

Prou. 10. ver. 10.

36. Iuxta allatam explicationem in Leuitici textum, intelligenda sunt etiam verba Salomonis, allata ab Augustino ser. 16 de verbis Domini: *Annuens oculis cum dolo, congerit hominibus mœstitiam: qui autem arguit palam, pacem facit.* Quæ verba desumpsit Augustinus ex versione LXX. vbi adamussim ita habetur: *Qui annuit oculis cum dolo, congregat viris tristitias; redarguens cum fiducia, pacificat,* idest pacem tandem, & amicitiam consequitur cum ipso, qui corripitur: vt explicatur ab eodem Salomone cap. 28. *Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum magis, quam ille, qui per blandimenta decipit.* Qui autem per blandimenta decipit, dicitur annuere oculis ad assentationem. Ex dictis patet arguere palàm citato loco, non esse arguere corã multis; sed arguere cum fiducia, remota omni formidine, & assentandi voluntate. Prætetea Euangelico correptionis ordini contradicere videntur Apostoli verba 1. ad Timoth. cap. 5. *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* Respondet citatus August. *Ipsa corripienda sunt coram omnibus quæ peccantur coram omnibus: ipsa corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius. Distribuite tempora, & concordat scriptura.*

Corripiens ab ipso correpto resipiscente sincerum amicum recipiabit.

Corripiẽda sunt peccata publica publicè, secreta secretè.

Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.

37. DIc Ecclesiæ, hoc est Ecclesiastico prælato; vsurpatur enim in sacris Literis iuxta Hebraïcam phrasim abstractum nomen pro concreto. Ita iustitia pro iustis ponitur 2. ad Cor. 5. *Deus erat Christo mundum reconcilians sibi, &c. vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Ecclesiastici 44. reconciliatio pro reconciliatore: *In diebus suis placuit Deo, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Psal. 106. Iniquitas pro iniquis: *Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum.* Prima Petri 2. Sacerdotium pro sacerdotibus: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.*

Abstractũ ponitur pro concreto.

Si autem Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.

38. IMpœnitentem peccatorum post publicam Prælati correptionem extra fidelium consortium, & consuetudinem eiiciendum Dominus præcipit. Primò ne prauo exemplo alios inficiat. Propterea Apostolus prima ad Corint. 5. cum incestuosum impœnitentem eiiciendum esse dixisset, addidit: *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit:* & ad Galat. 5. *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant.* Præcipitur ergo de impœnitente peccatore: *Sit tibi sicut Ethnicus*, quia de ethnicis Dominus præcepit Exodi 23. 32. *Non inibis cum eis fœdus. Non habitent in terra tua; ne fortè peccare te faciant in me.* & Psal. 105. 35. de Israëlitis dicitur: *Commisti sunt inter Gentes; & didicerunt opera eorum.* Additur præterea: *Sit tibi, vt publicanus.* Publicani enim apud Iudæos, vt infames, & publici peccatores vitabantur; eo quòd munus exigendi vectigal Romanis idololatris soluendum, contra diuinam legem à publicanis exerceri putabatur. Existimabant enim Iudæi se, vt populum Deó dicatum, non debere tributa vlla Gentilibus soluere; idque contra libertatem filiorum Dei, nonnisi per illatam vim fieri. Impœnitens ergo peccator velut publicanus vitandus est; eo quòd prauo exemplo ipse ab iis, qui cum eo versantur, prauarum operationum veluti vectigal diabolo soluendum exigere videatur.

Correptione respuens vitandus, ne alios inficiat.

39. Impœnitens peccator extra Ecclesiam Prælati auctoritate eiectus, vitandus est, propter ipsius etiam peccatoris vtilitatem; scilicet vt resipiscendi incentiuum habeat; tum quia se aliis exosum videt, tum quia extra Ecclesiam eiecti, & excommunicati maximas ærumnas subire solent; præcipuè corporales etiam vexationes ab immundis spiritibus; quippe qui in peccatores Ecclesiasticis sacramentorum auxiliis, & fidelium orationibus priuatos Deo permittente sæuius inuehuntur. Propterea de incestuoso dixit Apostolus prima ad Cor. 5. *Iam iudicaui tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit.* In interitum carnis, hoc est, vt morbis, & plagis eum diabolus torqueat; & ideo carnis vigore macerato, & attrito, tandem humiliatus resipiscat, vt explicant Chrysostomus, Anselmus, Theodoretus, & Theophylactus. Quare de Alexandro, & Hymenæo blasphemis Apostolus 1. ad Timoth. cap. 1. ait: *Quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.* Vbi Ambrosius ait: *Commotus Apostolus blasphemijs eorum, sententiam protulit in eos: diabolus autem, qui ad hoc paratus est, vt aduersos à Deo accipiat in potestatem, audita sententia, corripit eos; vt intelligerent hac causa se pœnis adstringi, qui blasphemauerant. Hinc est, quod in Euangelio dictum est inter cætera: Iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat: ostendens causa peccati aliquando infirmitatem inferri corporibus. Et quia ministro diabolo fiunt, declarauit Dominus dicens inter multa Luc. 13. Hanc cum sit filia Abrahæ, quam alligauerat Satanas decem, & octo annis, non oportuit solui à vinculo die sabbati?* Similiter Theodoretus ibidem ait: *Eos tradidit diabolo, non vt bonorum magistro, sed vt sane carnifici. Ab Ecclesiastico enim corpore separati, & diuina gratia nudati, ab aduersario crudeliter flagellabantur, incidentes in morbos, & alias calamitates. Hæc enim consueuit inferre hominibus, quoniam est & inimicus, & vltor, vt dicit Propheta*

Correptione respuens vitandus, vt eo opprobrio, & calamitate resipiscat.

Eiecti ab Ecclesia quas calamitates incurrant.

Ioan. 5. 14.

Psal. 8. Consentaneum autem erat illos mutare sententiam, dum viderent damnum, quod oriebatur ex blasphemia. Ideo Matth. 10. dicitur: *Dominus conuocatis duodecim discipulis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos:* non tantùm, vt eiicerent; ait S. Thomas, *sed, vt ad corporum vexationem immitterent in peccatorum supplicium.*

Correptionis fraternæ eximia praxis.

40. Plura de correptione fraterna, vide apud sanctum Thomam 2. 2. qu. 33. Præclaram praxim ad fraternam correptionem exercendum lege hist. S. Franc. Xauerij apud Tursellinum lib. 1. cap. 9. lib. 3. cap. 18. lib. 6. cap. 12. lege prætetea S. Bernardum serm. 2. de Resurrectione: & epist. 78. Egregiè etiam sermone 44. in Cantica ait: *Vulnera illius, qui incidit in latrones, non in solo oleo, sed in vino simul, & oleo sanitatem recipiunt: necessarium habet spiritalis medicus, etiam vinum feruidi Zeli cum oleo mansuetudinis, cui sanè conuenit non modò consolari pusillanimes, sed corripere inquietos. Si enim viderit illum, qui vulneratus est, id est, qui peccauit, blandis, aut lenibus hortamentis, quæ in eum prærogata sunt, minimè emendatum; magis autẽ fortè etiam abutentem sua mansuetudine, & patientia negligentiorem fieri; & in peccato suo etiam securius obdormire, frustrato tam suauium oleo monitorum; oportebit sanè mordacioribus vti medicamentis, & vinum compunctionis infundere; duris videlicet cum eo increpationibus, atque inuectionibus agere; & si causa requirit, & duritia tanta est, etiam censura Ecclesiastica baculo percellere contemptorem.*

Amen dico vobis, Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.

41. NE Ecclesiæ correptio paruipenderetur, allata verba Dominus addidit, significans Apostolis, eorumque legitimis successoribus, potestatem talem à Deo datam, vt quos illi damnent, & absoluant, iidem in cœlesti curia à Deo etiam damnentur, vel absoluantur. Porrò non quoscumque, sed *quæcumque alligaueritis, & solueritis*, dixit, vt ampliorem Ecclesiæ potestatem significaret; quæ scilicet ad peccata, vota, & iuramenta liganda, vel soluenda se extendit. Dices: Cur à Domino dictum est, *super terram*, cùm Ecclesiæ caput, nempe Pontifex, suam potestatem etiã sub terra extendat; scilicet cùm indulgentias pro defunctis concedit, vt à Purgatorij pœnis soluantur; vel cum excommunicatum in vita, postea defunctum absoluit; & hinc eius corpus sacro sepulchri loco gaudere concedit? Quod fecisse S. Gregorium erga monachum cum pecunia defunctum, narrat Ioannes Diaconus in Gregorij vita lib. 2. cap. 45. Respondetur primo ex eo, quòd vnum affirmetur, alterum non negari. Respondetur 2. illud *super terram*, non ad reum, sed ad iudicem referri, ita vt sensus sit: Ecclesiasticus Iudex existens super terram, ita delinquentem ligare, vel absoluere potest; vt in cœlo pariter à cœlesti Iudice ligatus, vel absolutus habeatur. Respond. 3. illud *super terram* super terrenos homines, quales peccatores sunt, intelligi posse. Sicut Gen. 3. diabolo sub serpente dictum est: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Quia, vt explicat Rupertus lib. 3. de Trinit. cap. 18. *Homines, qui terrena sapiunt, sunt cibus, & pabulum eius.* Similiter iuxtà Augustinum lib. 2. de Genesi contra Manichæos cap. 18. dictum diabolo est: *Terram manducabis, hoc est! Ad te pertinebunt quos terrena cupiditate deceperis, id est peccatores, qui terræ nomine significantur.* Idem Augustinus tom. 3. lib. de agone Christiano cap. 2. ait: *Quando dictum est diabolo: Terram manducabis; dictum est peccatori: Terra es, & in terram ibis. Datus est ergo in cibum diabolo peccator. Non simus terra, si nolumus manducari à serpente.* Similiter Deuter. cap. 4. 26. & cap. 30. 19. & cap. 31. 28. dicitur: *Testes inuoco hodie, cœlum, & terram:* & Iudith cap. 7. 17. *Contestamur hodie cœlum, & terram:* & 1. Machab. cap. 2. 37. *Aduocabit cœlum desursum, & terram discernere populum suum.* Psal. 99. *Iubilate Deo omnis terra; seruite Domino in lætitia.* Quibus locis iuxtà sacros Interpretes, & SS. Patres, terræ nomine homines intelliguntur; sicut cœli nomine cœlites significantur. Illud etiam Deuter. 32. *Audite cœli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei*, de hominibus cœlestibus, & terrenis cum Basilio, Hieronymo, & Rabano Glossa intelligit.

Terra homines terrenis cupiditatibus deditos significat.

Terra, id est homo affecta terrenus, serpẽtis tartarei cibus est.

Hieron. in Isai. c. 1. 1.

Iterùm dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.

42. AD fraternam charitatem, & concordiam seruandam, cum in nos proximus peccat, non illatam iniuriam nos vlcisci debere; sed fraternè proximum corripiendum esse, Dominus supra dixerat: nunc fraternæ concordiæ fructum, & præmium addit dicens: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.* Quod si quæras, cur ita orantibus tam liberalis à Domino promissio fiat? Respondeo, si cum duo dicuntur, intelligantur correptus, & corripiens, iuxtà Anastasium Nicænum quæst. 74. eos benignè à Deo exaudiri; quia alter patienter correptionem tulit, seque correxit; alter peccanti in ipsum proximo iniuriam condonauit. Si verò duo, quicomque ex fidelibus intelligantur simul ad orandum consentientes; eorum preces efficaces sunt apud Deum ob humilitatis virtutem, quia alter alterius precibus innititur, suis meritis humiliter diffidens. De Christi Domini discipulis Spiritus sancti aduentum expectantibus dicitur Actor. 1. 14. *Omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione vt vnà omnes inuenirei corona ignea aduenientium gratiarum*, ait August. ser. 179. de tempore, lege S. Th. 2. 2. quæst. 84. ar. 3. & interpretes citato loco Act. cap. 1.

Oratio plurium concors, cur valde efficax?

43. Obiici hîc potest; quòd experientia constat, non semper, quod à duobus simul orantibus petitur, impetrari. Respondetur 1. Obiectionis huius solutionem haberi ex verbis à Domino additis; scilicet: *si duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo.* Simul enim orantes in nomine Domini congregari debent; ita vt eorum oratio Redemptoris nomine, & auxilio inuocato fiat; & eorumdem spirituali saluti non obsit. Hoc posito respondet Augustinus: *Vigilanter audi, quod positum est, in nomine meo. Qui promisit, quid vocatur? Vtique Christus Iesus. Christus significat regem, Iesus significat Saluatorem; ac per hoc quodcumque petimus aduersus vtilitatem salutis, non petimus in nomine Saluatoris. Et tamen ipse Saluator est, non solùm quando facit, quod petimus; verum etiam quando non facit. Quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo potius se exhibet Saluatorem. Nouit enim medicus quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus: & ideo contraria*

Oratio cur interdùm inefficax: hîc, & sequentibus.

August. tr. 27 in Ioan.

poscentis non facit voluntatem vt faciat sanitatem. Non ergo contra nostram salutem petamus. Quod si feceris, non vt Saluator facit, quod est nomen eius fidelibus eius. Est quippe impijs damnator, qui dignatur fidelibus esse Saluator. Quædam quamuis in nomine eius petamus, non tunc, quando petimus facit, sed tamen facit. Differtur enim, quod petitur, non negatur. Dilatio autem ipsa etiam benefica est ad majorem petentis vtilitatem; scilicet, vt perseuerante, & feruentiori largior gratiarum accessio fiat. Benè autem Basilius ait in Constitutionibus monasticis c. 2. *Quæ tibi expediunt, melius Deus intelligit, quam tu: & ideo fortaßè differt, quæ daturus est, vt hoc modo magis te ad assiduitatem vocet; & vt intelligas quod sit donum Dei, & vt datum diligenter custodias; siquidem nititur vnusquisque, quod magno labore inuenit, id maiore diligentia custodire; ne eo amisso, labores etiam vnà cum eo suos multos amittat; neue neglecto Dei munere æterna vita indignus efficiatur. Quid enim profuit Salomoni citò sapientiæ donum inuenisse; quod postea erat amissurus? Proinde noli vnquam animum despondere, nisi celeriter inuenias quod rogas. Si enim intellexisset Dominus te, si munus celeriter impetrasses, id nunquam esse amissurum, sine dubio, qua eius est bonitas, vltro ipso tibi nullo tuo rogatu detulisset.*

Basilius.

44. Porro allatæ Augustini sententiæ consonat Gregorius hom. 27. in Euang. *Iesus Saluator, vel etiam Salutaris dicitur. Ille ergo in nomine Saluatoris petit, qui illud petit, quod ad veram salutem pertinet. Pensate quæso petitiones vestras: videte si in nomine Iesu petitis; idest, si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Iesu, Iesum non quæritis, si in æternitatis templo importuni pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione quærit vxorem, alius petit villam, alius postulat vestem, alius dari sibi deprecatur alimentum. Et quidem, cum hæc desunt, ab omnipotente Deo petenda sunt: sed meminisse debemus, quod ex mãdato eiusdẽ nostri Redemptoris accipimus: Quærite primùm regnum Dei.*

Gregor. hom. 27. in Euang.

Oratio cur inefficax.

Matth. 6. 33.

45. R. 2. mirum non esse nihil Deum concedere, cum petitio propemodum circa nihil versatur. Petitur autem nihil, cum temporalia, & transitoria petimus, spiritualis diuinæ gratiæ bono neglecto: præter quod bonum, vt Augustinus ait; *Quicquid aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla omnino res est; sed quia in tanta bona rei comparatione quicquid aliud concupiscitur, nihil est. Neque enim prorsus nulla res est homo, de quo ait Apostolus ad Galat. 6. Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit. In comparatione quippe spiritualis hominis, qui scit gratia Dei se esse, quod est; quisquis vana præsumit, nihil est.* Quare cum Dominus Apostolis dixit Ioan. 16. 24. *Vsque modo non petistis quidquam: quoniam in comparatione rei, quam petere debuistis, pro nihilo habendum est, quod petistis. vt explicat idem Augustinus.*

Oratio cur inefficax.

August. tr. 102. in Ioan.

46. R. 3. ex verbis Apostoli Iacobi c. 4. *Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis. Malè petit à Deo: qui iussa Domini contemnens, à Domino beneficia superna desiderat: qui amisso amore supernorum, infima tantùm quærit bona percipere; & hæc non ad sustentationem humanæ fragilitatis, sed ad redundantiam liberæ voluptatis,* ait Beda. Similiter Cassianus collat. 9. c. 23. *Magnificentiæ Dei, & munificentiæ maximam irrogabit iniuriam quisquis sempiternis petitionibus prætermissis; transitorium aliquid, & caducum ab eo maluerit postulare; & offensam potius, quàm propitiationem iudicis sui vtilitate orationis incurret.* Terrent Regis profectò offenderetur munificentia; si ab eo rusticus, cui se liberalem largitorem Rex offerret, effodiendi terram instrumenta ligones, rastra, sarcula, & aratra peteret. Munificentissimus est, & augustissimus Rex noster, & indignè fert quandocumque quis nostrum de rebus ipsum minimè ipsi conuenientibus rogat. Ea pete, quæ digna sunt Rege, & Deo. 2. Malè petitur non solùm quando vilis, sed etiam quando stulta est petitio. Stultè autem dulcis scaturiginis fontem quispiam adiret; vt ex eo salsas, & amaras aquas hauriret. Ideo benè Cyrillus ait: *Omnibus, quia ad replendas cupiditates, carnalesque voluptates suas, quidquam a Deo petunt, aures Deus penitus obstruxit. Nam quæ ipse odit quoniam turpia sunt, ea quomodo cæteris largietur? Quomodo dulcedinis fons amarum aliquid scaturire poterit?* Quare, cum quis à Deo *patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est,* opera tenebrarum ipsi Deo contraria petit, de eo benè Gregorius ait: *Quisquis sic orat, in ipsis suis precibus contra Deum pugnat. Vnde & sub Iudæ specie dicitur: Fiat oratio eius in peccatum. Oratio autem in peccatum est, illa petere, quæ prohibet ipse, qui petitur.* Huiusmodi enim petitionibus magna in Deum infertur injuria. Nam, vt bene Chrysologus ait; *Qui mala à Deo postulat, Deum mali iudicat, & sentit auctorem.*

Orat. 9. Ascet. — Ora- tio cur inefficax. *(Oratio cur inefficax.)*

August. tr. 102. in Ioan.

Cyril. in Io. lib. 9. c. 43.

Iacobi primo.

Gregor. super. pro.

Ps. 108. 7.

Chrysol. ser. 112.

47. R. 4. Etiam apud homines cuiuslibet doni promissum titulo ingratitudinis iustè reuocari, vt iurisperiti docent. Quamuis ergo Deus orantibus omnia se concessurum promiserit; promissio hæc sæpè ob ingrati animi culpam reuocatur. Ideo S. Bernardus ait: *Multos videmus satis importunè petentes, quod sibi deesse cognouerint: sed paucos admodum nouimus, qui dignas super acceptis beneficijs gratias agere videantur. Nec reprehensibile, quod instanter petimus; sed planè petitioni negat effectum, quod inuenimur ingrati. Et fortè hoc etiam clementiæ esse videtur ingratis negare, quod postulant; ne contingat nobis, quòd tantò grauius de ingratitudine iudicemur, quantò magis de accumulatis beneficijs ingrati probabimur extitisse. Ergo misericordia res est in hac parte subtrahere misericordiam; quemadmodum ira, & indignationis misericordiam exhibere; eam sanè, de qua per Prophetam ipse Pater misericordiarum loquitur dicens: Misereamur impio, & non discet facere iustitiam.* Consonat cum Bernardo Gregorii sententia 15. Mor. c. 10. *Maioris iracundiæ est, cum hoc tribuitur, quod malè desideratur, atque inde repentina vltio sequitur. Nam quantò citius malum votum impleri permittitur, tantò celerius punitur.* Quare de Deo erga ingratos Hebræos dicitur ps. 77. 29. *Desiderium eorum attulit eis; non sunt fraudati à desiderio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.*

Oratio cur inefficax.

Bernard. Ser. contra ingratitudinem.

Isaia 26.

48. R. 5. Vniuscuiusque fidelis orationem talem esse debere, qualem Plato quamuis Ethnicus docuit: *Deus, arce mala, etiam si ea ex errore petamus.* Ideo ex duabus petitionibus, alteram ex recta ratione prolatam, alteram verò ex errore prouenientem, priorem Deus exaudit. Quare benè Augustinus ait ep. 34. *Bonus Dominus, qui non tribuit sæpe quod volumus; vt quod mallemus attribuat.* Et Isidorus lib. 3. de summo bono c. 7. *Multos Deus non exaudit ad salutem.* Hinc ab Augustino benè dicitur. *Malè vsurus eo, quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit. Proinde si hoc ab illo petitur, vnde homo læditur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset*

Plato in Alcibiade.

Oranti Deus petitionem neget vt meliora concedat.

Augustinus Trac. 73. in Ioannis.

non dare propitius, det iratus. An non videmus Israelitas malo suo impetrasse, quod culpabili concupiscentia petierunt? Concupierant enim carnibus vesci, quibus pluebatur manna de cœlo. [Num. 11. 33.] *Quando nos delectant mala, & non delectant bona, rogare debemus potius Deum, vt delectent bona, quàm vt concedantur mala.* [Ps. 118.] Denique à Deo nescientes quid nobis prosit, cum Dauide tantum petamus. *Fiat nobiscum secundùm misericordiam tuam.* [Orans quid petere, quid non petere à Deo.] Quod adeo verum est, vt ipsi Ethnici naturali tantùm lumine ducti, id expressè docuerint. Quare teste Valerio Max. lib. 7. c. 2. *Socrates humana sapientia quasi quoddam terrestre miraculum, nihil vltra, petendum à Dijs immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent: quia ij demùm scirent quid vnicuique esset vtile; nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quàm latè patentem errorem cæcas tuas petitiones spargis? Diuitias appetis, quæ multis exitio fuerunt. Honores concupiscis, qui complures pessum dederunt, Regna tecum ipsa voluis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur. Splendidis coniugijs inijcis manus: at hæc, vt aliquando illustrant, ita nonnunquam funditus domos euertunt. Desine igitur, stulta, futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus inhiare; aque totum cælestium arbitrio permitte; quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt.*

49. Iis, quas docuit Socrates, precibus, Gentilium Laconum oratio addatur: quæ vt melius æstimetur, audiamus priùs Gregorium, qui cum fidelibus loquitur dicens. [Gregor. hom. 27. in Euan.] *Alius postulat mortem inimici; eumque, quem gladio non potest persequi, persequitur oratione. Et viuit adhuc, qui maledicitur; & tamen is, qui maledicit, iam de morte illius reus tenetur. Iubet autem Deus, vt diligatur inimicus; & tamen rogatur Deus, vt occidat, inimicum.* [Orans quid petere, quid non petere à Deo debet.] Contra verò de Laconibus dicitur: [In Laconum Apoph. l. 2.] *Cum Deos comprecantur, hoc votis addunt vt possint iniuriam pati: quòd nemmem indicarent ad gerendum imperium, aut alioqui magnas res obeundas idoneum, qui quauis iniuria commoueretur. Summa comprecationis hæc erat, vt Dij bonis adderent honesta, præterea nihil. Non aliud petebant virtutis præmium, quàm honestam famam.* Iuuenalis similiter Ethnicus, cùm Satyra 10. damnasset hominum preces circa inutilia, & ipsis precantibus nocitura, addit.

Orandum est, vt sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, mortis terrore carentem;
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ: qui ferre queat quoscunque labores:
Nesciat irasci, cupiat nihil: & potiores.
Herculis ærumnas credas sanosque labores,
Et venere, & Cœnis, & plumis Sardanapali.

Senecæ monitum est epist. 10. *Tunc scito, te esse omnibus cupiditatibus solutum, cùm eò perueneris, vt nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta dementia est hominum! Turpissima vota Dijs insusurrant: si quis admouerit aurem, conticescent; & quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Vide ergo ne hoc præcipi salubriter possit. Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat: Sic loquere cum Deo, tamquàm homines audiant.*

50. Sed omissis Ethnicis, præterire non debemus quod S. Cyprianus in ep. 4. lib. scribit, [Cyprianus.] vbi cum dixisset aduersitates ex peccatis prouenire, addidit. [Oratio ob orantium dissensum inefficax.] *Quod magis suasit, & compulit, vt has in vos litteras scriberem, scire debetis (sicut Dominus ostendere, & reuelare dignatus est) dictum esse in visione: Petite, & impetrabitis. Tunc deinde præceptum plebi assistenti, vt pro quibusdam personis designatis sibi petendo: in petendo autem fuisse dissonas voces, & dispares voluntates; & vehementer hoc displicuisse illi, qui dixerat: Petite, & impetrabitis; quod plebis inæqualitas discreparet; nec esset fratrum consensio vna, & simplex, & iuncta concordia; cùm scriptum sit: Deus, qui inhabitare facit vnanimes in domo.* [Ps. 67.] *Et in Actis Apostolorum legimus: Turba eorum, qui crediderunt, animo, ac mente vnà agebant:* [Act.] *& Dominus sua voce mandauerit dicens: Hoc est mandatum meum, vt diligatis inuicem: & iterum: Dico vobis, quoniam si* [Matth. 18.] *duobus ex vobis conuenerit in terra de omni re, quamcumque petieritis, continget vobis à Patre meo, qui in cœlis est. Quod si duo vnanimes tantùm possunt; quid si vnanimitas apud omnes esset? Iampridem de diuina misericordia impetrassemus quod petimus: non tandiù in hoc salutis, & fides nostra periculo fluctuaremus: immo verò nec venissent fratribus hæc mala, si in vnum fraternitas fuisset animorum.*

51. Orantium pacem, concordemque animum ad impetrandum prodesse plurimum mysticè indicatur. 2. Paralip. c. 3. vbi de Cherubinis, qui fidelium precibus in Propitiatorio præsidebant, dicitur: *Alæ vtriusque Cherubin expansæ erant: ipsi autem stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versæ ad exteriorem domum.* Facies ad exteriorem domum vertebant, vt accedentes ad orandum inuitarent, & allicerent: erectis pedibus stabant, vt ad opem orantibus petendam se planè expeditos ostenderent: alas expandebant vt liberalitatem promptam indicarent. Quoniam verò oliua pacis, & reconciliationis symbolum est, & propterea columba diluuio cessante ad Noë oliuæ ramum attulit, Gen. 8. Ideo vt fraterna pax, & concordia orantibus insinuaretur, alij duo Cherubim decem cubitorum, qui in Oraculo, & Propitiatorio erant non ex alia materia, quàm ex oliuæ ligno fuisse leguntur. Fecit in Oraculo duo, Cherubim de lignis oliuarum: dicitur 3. Reg. c. 6. Qui enim Cherubim sibi propitios, & adiutores volebant, se ipsos etiam omnino concordes, veluti ex pacifica oliua compactos præferre debebant. Lege præterea S. Bernardum Serm. de quatuor modis orandi; de obsecratione, oratione, postulatione & gratiarum actione. S. Th. 2. 2. Q. 37. ar. 15, & 16. S. Basilium in constitutionibus Monasticis c. 2.

Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo; ibi sum in medio eorum.

52. QVantùm pacifica, & fraterna plurium societate, & ex diuina charitate concordia delectetur Dominus, his verbis indicat, quibus consonat testimonium Dauidis ps. 75. *Factus est in pace locus eius.* [Deus vbi pax est, diabolus vbi discordia.] Optima est Bernardi deductio: *sicut in pace factus est locus Domini; sic in discordia locum diabolo fieri manifestum est.* [Ser. 3 in de dic. Ecclesiæ 10.] Lucæ 10. Apostolis præcepit Dominus: *In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra.* Vbi filium pacis prædestinatum vocari docet Gregorius. [Prædestinatus, cur filius pacis dicatur.] Sed quæritur, quare hoc præsertim titulo prædestinatus vocetur? Nimirum, quia idem est, filium pacis aliquem nominari, ac filium Dei: Deus enim pax est. [Hom. 10 Euang.] Quare Hilarius huius Euangelij supra allata verba interpretans ait: *Ipse, qui pax, atque charitas est; sedem, atque habitationem in lenis, atque pacificis voluntatibus collocabit.*

53. Rursus ad impetrandum à Deo, quæ petimus, pax & consensus inter fratres, efficax medium est. Quare ps. 36. dicitur. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Ille autem in Deo delectetur, qui Deum ipsum delectat: simul enim hæc duo sunt ex August. *Quod alicui Deus placeat, & quod aliquis placeat Deo.* Vt Deo placeamus, Deumque oblectemus, pacificum illi cor præbere debemus; in huiusmodi enim loco Deus libentissimè conquiescit: *Factus est in pace locus eius.*

Orantium concordia apud Deum valde efficax ad impetrandum *Augustinus in Ps. 144.*

Ps. 75.

54. Vt Israëlitæ quod petebant, facilè impetrarent, Deus Sanctuarium in quo ipse habitaret ad Israëlitarum preces excipiendas, iisque opem ferendam, fieri præcepit: Exodi 25. *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Facient mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Porrò vbi legitur: *Factus est in pace locus eius*, ex Chaldæo paraphraste legitur: *Facta est in pace domus Sanctuarij eius*: scilicet, vt significetur pacis, & concordiæ locum, veluti Sanctuarium, aptissimum esse ad preces fundendas, gratiasque à Deo impetrandas.

Pacis locus veluti Sanctuariũ vbi apud Deum preces efficaces sunt.

55. Augustinus ser. de tempore 166. ait: *Pacem nobis Christus dedit; concordes, atque vnanimes esse præcepit, & charitatis fœdera incorrupta, atque inuiolata mandauit. Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur. Si Filius Dei incipit vocari, qui pacificus esse iam cœpit; non vult Filius Dei dici qui pacem noluerit amplecti: negat Deum sibi Patrem, qui pacificus esse contemnit. Pacificos esse oportet Dei Filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes, fideliter sibi vnanimitatis nexibus cohærentes. Pax spiritum specialiter Dei promeretur; pax dilectionis mater est; pax indicium est sanctitatis. Pax plebis sanitas, gloria sacerdotis, & patriæ lætitia, & terror hostium, siue visibilium, siue inuisibilium: si volumus velociter a Deo exaudiri, & gratanter munera nostra ab eo accipi, debemus vtique in pace conuersari.*

August. ser. de temp. 166.

Matth. 5.

Pacis encomium.

56. Idem Aug. ser. de temp. 169. cum attulisset Eccli. sententiam c. 25. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum; & vir, & mulier benè sibi consentientes*; subdit: *Concordia fratrum voluntas Dei est, iucunditas Christi, perfectio sanctitatis, iustitiæ regula, materia doctrinæ, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina. Pax suffragium precum, & supplicationum, facilis, atque impetrabilis; quia desideriorum omnium competens est plenitudo sicut scriptum est in Apostolo. Pax conuentionis amabilem Deum facit in fratribus, quæ charitatis indicat testimonium. Pax dilectionis mater est, concordiæ vinculum, ac puræ mentis indicium manifestum: quia sibi exigit de Deo, quòd velit quidquid voluerit, petat, & quidquid voluerit sumat.*

Concordiæ encomium.

57. Cur rapaces aues mutuam societatem refugiant, rationem reddit Ambrosius in Hexameron 14. dicens: *Propter auiditatem prædandi, nec ipsis inter se conueniunt: refugit enim auaritia consortium plurimorum.* Qui terrena prædari cupiunt, vt præda soli potiantur, aliorum consortium fugiunt: contra verò ad cœlestia bona prædanda plurium ex mutua charitate societas est eaoptanda: vt sic largiore cœlestium bonorum capta præda dicere liceat: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.*

Terrenæ prædæ cupiœ aliorũ societatem vitat: secus cælestibus bonis potiri cupiens.

Psal. 132.

58. Apud August. tom. 10 ser. 2. ad fratres in eremo post eximias pacis laudes prolatas, citatum Dauidis testimonium affertur: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Et additur: *Tanta est eminentia huius virtutis: quod de ea Propheta prius miraretur, quàm ostẽderet quid esset, vel quid vtilitatis haberet. O quàm grandem admirationem proposuit, quando dixit: Ecce! ô quàm mirabilem vtilitatem prædicauit, quando subiunxit: Quàm bonum, & quàm iucundum? Quædam sunt bona, quæ non sunt iucunda: & quædam iucunda, quæ non sunt bona. Bona sunt ieiunia, vigiliæ, macerationes, & similia; sed non iucunda; quia caro in his non iucundatur, sed læditur. Iucundæ sunt commessationes, ebrietates, sed non bonæ. Vix poteris inuenire in præsenti vita vnum, quod sit bonum, & iucundum. Cupis tamen illud vnum inuenire? Persequere pacem, & amplectere eam. Hæc est sola virtus, quæ bonum habet, & iucundum. Hæc est illa bonitas, quæ nos habitare facit vnius moris in domo.*

Pax bona, & iucunda.

Ps. 33. 15.
Ps. 65. 7.

59. Meritò Plutarchus in Æmilio celebrans sedecim Æliorum concordiam ait: *Sedecim propinqui omnes erant Ælij. Domus his erat perangusta; prædio omnes vno se sustentabant; quia vno in domicilio habitabant cum numerosa sobole, & vxoribus. Inter quas fuit Pauli Æmilij, qui bis fuerat Consul, bis triumphauerat, filia, verecundiam paupertatis viri non habens, sed admirans virtutem. At huius temporis fratres, & cognati, nisi regionibus, fluminibus, murorum diuersis distinxerint communia; & multum inter se spatij intersecerint, non cessant à mutuis contentionibus.* Sed tum in angusto, tum in spatioso loco fratrum concordia sæpè læditur. In angusto matris vtero Esau, & Iacob fratres discordes fuisse legimus Gen. 25. 22. *Collidebantur*, seu iuxtà Symmachum, *Colluctabantur in vtero matris paruuli.* In latissimo orbis terræ spatio, tunc à paucis primis hominibus occupato, Cain Abelum fratrem iniquè discors occidit. Benè ergo nos contra discordiam monet Bernardus serm. 29. in Cantica. *Longè quæso à vobis facite semper hoc tam abominabile, & detestabile malum. Væ homini illi, per quem vnitatis vinculum iucundum turbatur. Ante mihi contingat mori, quàm audire in vobis quempiam iustè clamitantem: Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Si naturalis sanguinis nexus ad fouendam fraternam concordiam inualidus est, validissimus ad id esse debet diuinæ charitatis nexus. Nam vt benè Augustinus ait serm. 25. vel 27. de verbis Apostoli: *Melior est fraternitate sanguinis Christi fraternitas; quoniam illa interdum sibi inimica est; Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se communia cum æmulatione diuidit; hæc etiam cum gratulatione communicat.*

Æliorum Romanorũ mira concordia.

Fratres discordes siue in angusto, siue spatioso loco collocati.

Discordia abominabile malum.

Cant. c. 1. 5.

Fraternitas humanæ consanguinitatis diuidit, Christi sanguinis fraternitas vnit.

69. Gen. 9. Cum Noë filio Iapheto benediceret, dixit: *Dilatet Dominus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem.* Cum Noë amplam dilatationem filio à Deo precaretur, potius precari debuisse videtur, vt seorsim à fratre habitaret, ab eoque se iunctam possessionem haberet: præsertim cum ex diluuio extinctis hominibus, vniuersum terræ spatium filiis Noë, & nepotibus latè pateret. Nihilominus sancto Patriarchæ Noë magna benedictio visa est fraterna concordia, & societas, eàque ad augmentum valdè prodesse existimata est.

Fraterna cõcordia valde ad augmentum vtilis.

61. Firmilianus Cæsareæ Cappadocum Episcopus epist. 55. ad Cyprianum scribens de animorum concordi vnitate, ait: *Gratias propter hoc Domino egimus, quod contigerit, vt qui corpore ab inuicem separamur, sic spiritu adunemur, quasi non vnam tantùm regionem tenentes; sed in ipsa, atque eadem domo simul habitantes. Adunatio, & pax, & concordia, non solùm hominibus fidelibus, & cognoscentibus veritatem; sed & ipsis*

Apud Cyprianum.

Concordia S. Angelis gratissima. Lucæ c. 15.

Angelis cœlestibus voluptatem maximam præstat: Quibus dicit sermo diuinus esse gaudium in vno peccatore pœnitentiam agente; & ad vnitatis vinculum reuertente. Quod vtique non diceretur de Angelis conuersationem in cælis habentibus; nisi ipsi quoque nobis essent adunati, qui nostra adunatione lætantur. Sicut è contrario vtique contristantur, quando vident diuersas quorumdam mentes, & scissas voluntates; quasi non tantùm vnum, & eumdem Dominum simul timentes, sed separatis, & diuisis ab inuicem non possit esse sermo communis. Cùm enim sancti Angeli per internas inspirationes homines alloqui vellent; id quia cum discordibus, & à mutua charitate alienis hominibus exequi nequeunt; gaudio, quo affici vellent, iniquè priuantur.

B

62. Hugo citato Psalm. 132. concordis vnitatis vtilitates octo enumerat. Præterea ad plurium concordem vnitatem commendandam dicitur Ecclesiastæ 4. 9. *Melius est duos esse simul, quàm vnum; habent enim emolumentum societatis suæ: si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Et si quisquam præualuerit contra vnum, duo resistunt ei. Funiculus triplex difficile rumpitur. Si melius est esse duos simul, quàm vnum:* Melius est etiam cæteris paribus tres esse simul, quàm duos: ideo subditur: *Funiculus triplex difficilè rumpitur. Quantò duo ab vno differunt, si amore coniuncti sint; tantò etiam eorum contubernium plus valet. Etenim vera charitas, & nullo violata liuore, quantò augetur numero, tantò crescit & robore*, ait Hieronymus in Matthæi 5.

Concordiæ vtilitas.

C

63. Tergeminum Gerionem, & Centimanum Gygen, seu Briareum finxit antiquitas. Quod mendaciter fabulæ finxerunt, concordiæ veritas assecuta est. Ideo Chrysostomus hom. 6. de fraterno amore ait: *Nihil est concordia comparandum; vnus enim quasi multiplicatur: si concordes fuerint duo, aut decem, vnus non est vnus; sed illorum quisque decuplex redditur; inuenitque in decem vnum, & in vno decem. Quòd si hostes illis aliqui sint; qui in vnum impetum fecerint, ei quasi in decem irruerit, sic capitur. Eget vnus, at non premitur egestate, nam maiori parte, & numero inopia obumbratur: illorum vnus quisque viginti habet manus, ac viginti oculos, totidemque pedes, animas item decem: non enim suis tantùm, sed illorum etiam membris quisque vtitur in omnibus; ac si centum forent, idem rursus contingeret. Idem apud Persas, & Romæ esse potest: quodque natura non potest, id amicitia potest. Si igitur mille habeas amicos, aut etiam duo millia amicorum, cogitare debes, quò rursus euadat numerus. Hoc enim est mirabile, vnum millesimum fieri.* Similiter Basilius in Constitutionibus monasticis cap. 19. ait: *Quid coniunctione, vnitate, & necessitudine aptius excogitari potest? Quid elegantius fingi mutua inter se morum, animorumque contemperatione? Homines ex diuersis nationibus, & regionibus profectos, adeo veluti in vnum coaluisse; vt in pluribus corporibus vnus tantum animus inesse videatur, vicissimque plura corpora vnius mentis instrumenta cernantur. In his, qui infirma corporis valetudine est, is complurimos animos infirmitatis suæ participes habet. Qui verò animi æger est, ei complures præsto sunt, à quibus curetur, & assiduè erigatur. Hi æquabili iure inter se alij aliorum, & famuli sunt, & domini; & inuicta libertate summam inter se seruiunt seruitutem; quam non necessitas, aut casus aliquis fortuitus violenter cum ipsorum mœrore inuexit; sed cum gaudio libera animi voluntas induxit: quippe cum charitas ipsos, alioquin liberos, alios alijs subiectos efficiat; & tamen integram illis libertatem conseruet.*

Chrysost. apud Maximum.

Concordia efficit, vt vnus non sit vnus, sed multi.

D

E

Concordia libertatem integrâ aliquem alijs subijcit.

A

64. Similiter de plurium sub sanctæ vitæ disciplina vnitate Thomas à Kempis ait: *Ibi homo magis in virtute probatur, & exercetur: ibi frequenter de negligentia arguitur. Ibi ad perfectiora verbo, & exemplo trahitur. Ibi suam imperfectionem considerare, & lugere compellitur. Ibi alterius feruore excitatur; alterius humilitate docetur; istius obedientia, illius patientia monetur. Ibi confunditur inuenitur tardior. Ibi inuenit quos timet, ibi habet quos diligit; & sic ex omnibus proficit. Ibi alterius correptio, ipsius fit admonitio. Ibi alienum periculum, proprium efficitur speculum. Ibi vnus alterius est custodia. Ibi homo portat, & portatur. Ibi multa audit, & videt, vnde doceatur. Ibi boni commendantur, vt meliores fiant. Ibi negligentes arguuntur, vt referueant. Ibi homo non permittitur torpescere, nec secundùm suum libitum agere.* Plura ibidem adducuntur sanctæ vnitatis, & societatis emolumenta.

Kempis Theodid. 1. p. serm. 1.

Concordis societatis emolumenta.

B

65. *Vade ad apem, & disce*, dicitur Prou. 6. 9. Apem ergo docentem audiamus. Quoniam singularitas, & aliorum consortium respuere à superbia prouenit, iuxtà Bernardum, qui in illa verba Psalm. 106. *Errauerunt in solitudine*, ait: *Solitudo superborum est; quia solos sese reputant, solos appetunt appellari. Litteratus est, odit socium. Fortis est, aut formosus, dat ei pacem, & contabescit. Solitarius est, sed erroneus; errat in solitudine sua.* Quare errat in solitudine sua? quia in solitudine gradiendo, pede illo incedit, de quo Dauid dixit Psalm. 35. 12. *Non veniat mihi pes superbiæ*, Ideo Cyrillus contra singularitatis appetitum ex superbia prouenientem elegantissimum apis, & passeris affert apologum. *Apis inueniens passerem solitarium, præmissa salutatione dixit ei: Vt quid, mi frater, amaram diligis solitudinem, cùm amicitiæ societas sit tam dulcis? At ille respondit: Nonne inter sidera sol est vnus, & super omnia vnus est Deus? Quo audito, cum subtiliter procedens illa singularitatis eius superbiam notasset; in hac causa taliter arguendo processit argumentosa: Quamuis vnus essentialiter Deus sit, comparis tamen Trinitatis hypostaticæ indiuisibili societate gaudet. Sol autem lunam stellarum infimam, ne sit solus, dono lucis efficere sibi sociam splendoris in granditate conatur. Sic & primum mobile cum sit vnum, lationis primariæ communicata virtute, secum cæteros orbes rapit; ne sit in officio suo singulare. Quin vniuersitas mundi cunctarum suarum partium iunctura vnitatis connectitur, vt nulla earum, disiunctionis solitudinem vllatenus patiatur. Nonne anima naturaliter societatis amatrix, mox dolet, si vel in puncto suum corpus deseruerit. Cum à principio Deus hominem creasset vnum, mox statim dixisse fertur: Non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile. Propter hoc etiam duo creati sunt oculi, alæ duæ, manus totidem, ac pedes dualitate consimiles. Vt pluralitate munerum, & vnitate formarum membris omnibus ex simili adiutorio sit prouisum. Ad quid constructæ sunt vrbes, collectæ ciuitates, legisque fœdere adunatæ sunt politiæ; nisi vt communi obsequioso consortio, non solùm sint sufficientes, sed etiam tranquillæ res humanæ? Væ ergo soli, quia cum instabili pede superbiæ ventilatus ceciderit, societate priuatus, subleuans adiutorium non habebit. Quia & anima-*

Iuxtà 70. interpretes.

Bernar. ser. de fallacia prosperitatis.

Superbi aliorum societatem respuunt.

C

Cyrill. lib. Apolog. Mor. 10. 7.

Apologus apis, & solitarii passeris ad concordem societatem commendandam.

D

E

Gen. 2. 18.

A *lia domestica turmatim viuunt: cætera quoque quamiùm possunt, natura politiam colunt. Is, qui fugit consortium: aut rabiosus est, aut ferus.* Quoniam verò eremitica vita opponi poterat, apis quasi sciens diuina colloquia sanctis eremitis consueta, *dulciora esse super mel, & fauum*, addidit: *Eremita Diuûm socius est: Quibus dictis tristem reliquit solitudinis amatorem.*

Ps. 10. 11. & Ps. 18. 103.

66. De primis Euangelicæ legis fidelibus dicitur Act. 4. 32. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Propterea Christianos Ethnici admirantes dicere consueuerunt, teste Tertulliano Apolog. 39. *Vide, vt se diligant; vt alter pro altero mori sint parati.* Meritò Chrysostomus hom. 33. in Matth. Queritur deesse in sui temporis Christianis tale vinculum charitatis; B frustraque ab Episcopo pacem in Ecclesia omnibus annunciari. Discordibus Christianis pudorem iniiciant Ethnici Æthiopes; apud quos, teste Diodoro Siculo lib. 3. tantùm valebat concors amicitiæ nexus, vt si quis inter eos vulnere, vel alio incommodo affectus esset; cæteri non animi dumtaxat, sed corporis quoque sympathia illum prosecuti, sibi idem infligerent.

Ethnici Christianã concordiã sunt admirati.

Ethnici Æthiopes ob vulneratum amicũ se sauciabant.

67. Ad vnanimem concordiam amandam, & seruandam incentiuum fidelibus proponit Apostolus, quòd omnes ad eiusdem cœlestis patriæ consortium aspiremus. *Obsecro vos, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus; sicut creati estis in vna spe vocationis vestræ.* C Sicut enim eamdem cœlestis Patris hæreditatem in æterna beatitudine, & gloria consequi speramus; ita etiam tanquàm eiusdem cœlestis Patris vnanimes Filij nos gerere debemus.

Concordiã suadet cõmunis cœlestis beatitudinis spes.
Ad Eph. 4.

68. Denique vnanimem concordiam enixè fouere debemus contra communem humani generis hostem diabolum: cui, vt ait Bernardus, *Nihil aquè molestum est, vt concordia. Si enim de ieiunio agatur, ipse numquam comedit: si de vigilijs, non dormit: si de paupertate, nihil habet: si de continentia, hæc ei naturalis est. Concordiam ægerrimè fert teneri in terra, quam non potuit conseruare in cœlo.*

Bernard. de modo benè viuendi c. 41.
Concordia nihil diabolo molestius, cùm eâ careat.

Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, vsque septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies; sed vsque septuagies septies.

69. Discrimen inter Christi Domini, & Petri misericordiam erga peccantes, egregiè explicat Chrysostomus hom. 2. in Feria 5. passionis, dicens: *Mira patientia! Petrus condemnat Ananiam mentientem; Saluator Iudam patienter sustinet proditorem.* Redemptoris sententia est Matthæi 7. *In qua mensura mensi fueritis,* E *remetietur vobis.* Quare peccantibus in nos pro-

Act. 5.
Misericordia humana quã angusta, quàm ampla diuina.

A ximis si septies tantùm iniuriæ condonandæ forent; similiter septies tantùm nostra nobis peccata essent dimittenda: cum autem septenarium numerum peccando excederemus, misericordiæ locus non inueniretur: cumquè Spiritus sancti testimonio per Salomonem, *Septies in die cadat iustus:* vnius tantùm diei spatio diuina misericordia etiam erga iustos concluderetur. Sed tam angustos ignoscendi terminos Dei misericordia dedignatur. Homo quidem cum septies tantùm ignoscere satis existimet; cumquè peccatores multò pluries, quàm septies cadant; hinc est, vt humana misericordia vnius diei spatio, seu potius diei dimidio concludatur. Hoc autem hominibus per Oseam Dominus exprobrat: *Misericordia* B *vestra, quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens.* Dei quidem misericordia nobis primo mane se profert, hoc est in ipso humanæ vitæ exordio: *Repleti sumus mane misericordia tua,* ait Dauid: & Iob: *Vitam, & misericordiam tribuisti mihi.* Finem verò tunc diuina misericordia habet, cum finem habet æternitas: *Suauis est Dominus, in æternum misericordia eius.*

Prou. 24. 16. iuxtà lectionem Hieronymi epist. ad Rusticum. Et Gregor. l. 6. c. 2. in 1. Reg.
Cap. 6.
Ps. 89. 14.
Cap. 10.
Ps. 99. 5.

70. Lucæ 17. cum de fraterna correptione, & de dimittendis proximo iniuriis Dominus loqueretur, ait: *Si septies in die peccauerit in te; & septies in die conuersus fuerit ad te; dimitte illi:* Responderunt Apostoli: *Domine adauge nobis fidem.* Quæritur autem, quæ connexio sit inter Christi Domini cohortationem de condonandis iniuriis: & inter Apostolorum petitionem de fide augenda? C Respondetur, cum Lucæ 6. Apostolis Dominus dixerit: *Dimittite, & dimittemini:* Si quis huiusmodi Domini verbis firmam fidem præstaret, is procul dubio ad dimittendas proximo iniurias facilem animum experiretur. Ex quo patet eum, qui ad iniuriam dimittendam difficilem se præbet, vel fidei firmitate laborare; vel de dimittendis sibi à Deo peccatis cura non vrgeri. Efficax quidem est Gregorij dilemma circa orationem Dominicam: *Aut non facientes, dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: & nosmetipsos hæc dicendo, amplius ligamus. Aut fortassè conditionem hanc in oratione intermittimus. Et Aduocatus noster precem quam* D *composuit, non recognoscit; atque apud se protinus dicit: Scio quid monui; non est ipsa oratio, quam feci. Dimittamus ergo quod debetur nobis; vt dimittatur quod debetur à nobis.* Quare sicut in remissione peccatorum nostrorum nolumus Deum certum numerum ita statuere, vt illo absoluto, veniæ spes nulla sit; ita in remittendis peccanti in nos proximo iniuriis, finis nullus, numerusque statuendus est; & hoc significauit Dominus dicens: *Non dico tibi vsque septies; sed vsque septuagies septies.* Et si rursus quæreretur, num tantùm septuagies septies dimittenda sit iniuria? Re- E spondendum esset: *Non tantùm septuagies septies, sed septingenties septies.*

Apostoli cur post mandatũ de condonãda iniuriã Domino dixerint: *Adauge nobis fidẽ.*

Gregor. in Euang. hom. 27.
Matt. 6. 12.



FERIA QVARTA,

POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Accesserunt ad Iesum ab Ierosolymis Scribæ, & Pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? *Matthæi* 25.

Euangelij nexus, & ordo.

1.  B immunditie manuum, quam in Apostolis Pharisæi calumniabantur, ad cordis immunditiem longè fœdissimam damnandam Dominus transit: docetque omnes peccatorum sordes è corde prodire. Nam cum ex Augustino *Peccatum sit vel dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei*: hoc est, cum peccatum omne vel mente, vel ore, vel opere consummetur, omnis ista peccatorum genera ab immundo corde prodire Dominus docet. Primò, quæ ore fiunt peccata, è corde prodeunt: *De corde exeunt falsa testimonia, & blasphemiæ.* Secundò, quæ mente peccata fiunt, è corde procedunt: *De corde exeunt cogitationes malæ.* Tertiò, quæ opere peccata patrantur: similiter è corde proueniunt; *De corde exeunt homicidia, adulteria, fornicationes, furta.* Porrò his omnium sordium generibus Pharisæis externam munditiē affectantes coinquinati erant. Primò mente sordidi erant propter hypocrisim: *Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me.* Secundò sordidi erant ore, cum malignè de Apostolis obmurmurarent: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lauant manus cum panem manducant.* Tertiò, opere, rapacitatis sordibus fœdissimi erant; cum debitum parentibus honorem, & alimentum dandum negarent, sibique vsurparent. Ideo eis Dominus ait: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei? Honora patrem, & matrem; & irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.*

Tom. 6. lib. 22. cont. Faustum.

Peccata omnia ab immundo corde prodeunt.

Pharisæi cogitatione, ore, & opere delinquebant.

A

B

C

Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lauant manus suas, cùm panem manducant.

2. **Q**Vilibet cibus, etiam lautè paratus, panis nomine in sacris litteris significatur. Hinc de Putiphare Principe exercitus Pharaonis, cum suæ domus regimen Iosepho commisisset, dicitur Gen. 39. *Nec quidquam aliud nouerat, nisi panem, quo vescebatur.* Similiter cap. 43. Ioseph fratres suos lauto conuiuio excepturus famulis præcepit: *Ponite panes.* Præterea 2. Reg. cap. 9. Dauid Rex Miphiboseth Ionathæ filio dixit. *Tu comedes panem in mensa mea semper.* Eodem significatu dicitur Ezech. 16. 49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium.*

Cibus quilibet, etiam lautus, panis nomine appellatur.

D

A 3. Hoc posito, in veteri Testamento inter alias duæ leges Hebræis datæ erant. Ex his erat prima, ne immundum cibum assumerent; immundus autem cibus erat ex immundis animalibus: hæc erant, quæ vngulam fissam non habent, neque ruminant; & quæ per terram repunt super pectus; & pisces non habentes pinnulas, & squamas, & volucres rapaces, vel quatuor pedes habentes; & particularia quædam aliqua ex bipedum genere animalia: præterea morticina, nempe animalia ex se mortua, seu ab aliis animalibus discerpta: vt patet ex Leuitici cap. 11. Deuter. 14. Ezech. 4 Machab. 2. cap. 6. & 7. Huius legis, cum Apostolis aliis seruantissimus fuit Petrus Apostolus, qui Act. 10. 14. dixit: *Nunquam manducaui omne commune, & immundum: neque intrauit in os meum omnis caro profana*, vt ex Cyrillo additur: hoc est iuxtà phrasim Hebræam, *nulla caro profana.*

Cibus immundus Hebræis qui erat.

Cyrill. Alex. l. 7. in Leuit. & l. qua in Leuit.

B

4. Altera lex erat, vt si quis immundum aliquid tetigisset, legalem immunditiem contraheret, eique templi ingressus prohiberetur, donec ablutione à lege præscripta immunditiem illam expiaret. De vtraque lege dicitur Leuitici cap. 11. 41. 42. 43. *Omne, quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum. Quidquid super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, siue per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est: Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis.* Cum autem dicat: *Nolite contaminare animas vestras*; hinc constat ex huiusmodi animalium esu, vel tactu, non solùm legalem, sed etiam spiritualem immunditiem prouenisse; vt si Iudæi ea scienter comedissent, vel tetigissent, peccassent.

Cibum immundū Hebræi manducantes grauiter peccabant.

C

5. Ex allata duplici lege Pharisaïca superstitiosa traditio initium habuit. Asserebant enim Pharisæi cibos quoslibet reddi immundos, adeoque vetitos; si quis eos immundis manibus tetigisset: ideoque quamuis sibi immundi contactus conscii non forent, adhuc ad cautionem maiorem inter comedendum sæpius manus abluebant. Quòd superstitionem hanc vnà cum Domino discipuli non seruarent, Pharisæi Domino dixerunt? *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum?* Vbi benè S. Paschasius ait: *Nemo cùm hæc audit, existimet discipulos Domini sub specie contemptus sui, incultis, & illotis manibus, ac si rusticos, consuetè manducasse; præsertim, quia mensæ Domini, quasi conuiuæ participes erant. Ideo magis credendum, quòd communem seruauerint ho-*

Pharisæi superstitiosè inter comedendū manus sæpius abluebant.

D

S. Paschasius.

nestatem; quando istud neque natura patitur, neque hospitalitatis admittit affectio. Quis itaque mox aquam non offerat manibus aduenientis propter obsequium; aut quis ad offerentis iniuriam istud recusset officium? Præsertim cum ipse Dominus arguat

Luc. 7. 44.

Simonem inuitatus ad mensam: Aquam manibus meis non dedisti. Aquam pedibus meis non dedisti, legitur in sacro textu: Sed si aquam pedibus, multò magis maoibus aquam dandam Dominus significauit. *Vult itaque fieri Dominus, quod sic exegisse perdocemur. Sed Pharisæi non diligentiam corporis à discipulis Domini, sed superstitionis suæ baptismata requirebant; quà in mensa sopius lauabant. Quam planè purificationem ma…num de superstitione venientem magis, quàm de honestate, & vsu quotidiano illi calumniantes requirebant, cum essent impuri, & immundi.* Idemantea dixerat S. Chrysologus serm. 171. Verè frequeos illa Pharisæorum ablotio erat *quasi mendacium aquarum infidelium*, vt dicitur Ier. 15. 18. Quia dum aquæ exterius mundare videbantur, iotetius per superstitionem, & hypocrisim animam maculabant. *Nec purgant contaminatum animum manus loto, nec in aspersit aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur*, vt bene S. Leo pronunciauit.

Mendaciū aquarum infidelium erat, cum Pharisæi manus aqua sæpius abluebant.

S. Leo. ser 2. de passione.

Iesus autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem. Et, Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

6. QVomodo Pharisæorum traditio cootraria esset Dei mandato de parentibus honorificaodis, iofra explicabitur. Nuuc de tam iusto, & pio Dei mandato est dieendum. Præceptum hoc habetor Exodi 20. 17. Deuter. cap. 5. 16. & cap. 27. 16. ad Ephes. 6. & ad Coloss. 3. S. Thom. opusc. 7. vbi de Decalogo disserit, ait: *Sciendum est, quòd Deus dando legem Moysi, dedit decem præcepta in duabus tabulis lapideis scripta; quorum tria in prima tabula scripta pertinent ad amorem Dei; septem verò scripta in secunda tabula pertinent ad amorem proximi. Et ideo tota lex fundatur in duobus præceptis Charitatis.* Inter præcepta secundæ tabulæ primum locum obtinet: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Plato lib. de legibus dixit: *Cultum Deorum ad honorandos parentes veluti proœmium esse.* Sicut ergo proœmium auditorom animos aptat, & præparat ad ea, quæ postea dicenda sunt, audienda, & exeqoenda: ita Dei veneratio ad parentes hooorandos nos inducere debet; cum id Deos post suum cultum primo loeo præcipiat.

S. Thom.

Coltus diuinus filios ad pie honorandos parentes præparat.

7. Honorare tria io Scriptura significat; & iuxta tres omnes significatus parentes honorandos esse præcipitor. Hooorare significat primò reoerentiam exhibere vel externam, vel iotetnam. De externa reoerentia dieitur à Saule Samueli 1. Reg. 25. 30. *Peccaui; sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel.* De interna reoerentia, & veneratione dieitur Eccles. 7. *Honora Deum ex tota anima tua.* 2. significat obedire, vt Ecclesiastici 38. *Honora medicum propter necessitatem*: Vbi præcipuus honor medico exhibendus, est iis, quæ ad medelam præscribit, obedire. 3. significat aliquid elargiri; vt ad 1. Timotheom 5. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* Quod postea explicans, ait: *Si quis fidelis habet viduas, subministret illis.* Eodem significatu dicitur Prou. 13. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum.* Verè de interiori sua substantia filia matrem honorauit, de qua Valerius Max. lib. 5. cap. 4. ait: *Sanguinis ingenui mulierem prætor apud tribunal suum capitali crimine damnatam, Triumuiro in carcere necandam tradidit: quam receptam, is qui custodia præerat, misericordia motus non protinus strangulauit: aditum quoque ad eam filiæ, sed diligenter excussæ, ne quid cibi inferret, dedit, existimans futurum, vt inedia consumeretur. Cum autem iam dies plures intercederent, secum ipse quærens quidnam esset, quo tandiu sustentaretur; curiosius obseruata filia, animaduertit illam exerto vbere famem matris lactis sui subsidio lenientem. Quo tam admirabilis spectaculi nouitas ab ipso ad Triumuirum, à Triumuiro ad Prætorem, à Prætore ad Consilium iudicium perlata, remissionem pœnæ mulieri impetrauit.* Idem refert Plinius lib. 7. cap. 36. Similiter, vt ibidem Valerius scribit, Cimonis filia *Patrem suum Cimona consimili fortuna affectum, parique custodia traditum, iam vltima senectutis veluti infantem pectori suo admotum aluit.* Meruit id Cimon, qui, vt ibidem Valerius testatur, *Patri suo sepulturam voluntarijs vinculis emere non dubitauit. Cui etsi maximum postea & ciuem, & ducē euadere contigit, plus tamen laudis in carcere, quam in Curia assecutus est.* Plura erga parentes miræ pietatis exempla affert ibidem Valerius Maximus. Plura etiam Seneca lib. 3. de beoefic. cap. 37. & Rhodiginus lib. 11. cap. 17. Præterea moltiplicem erga parentes honorem exhibendum enumerauit Plato relatus à Rhodigino lib. 9. cap. 18. *Fas est*, inquit, *parentibus prima, & maxima debita omnium antiquissima debitorum persoluere. Putare enim quisque debet omnia, quæ possidet, eorum esse, qui genuerunt; ita vt illis hæc omnia ministrare debeat; primùm quidem externa bona; deinde corporis; postremò quæ ad animum pertinent; verbisque etiam per totam vitam parentes, maximè venerari licet.*

Honorare triplicem significatum habet, secūdùm quos omnes sunt hoooranndi parentes.

Mulieris erga matrem eximia pietas.

Mulieris erga patrem eximia pietas.

Cimonis erga patrem pietas.

8. Vt desidiam, & segnitiem à se homo procul arceat, ad formicam mittitur Prou. 6. 6. *Vade ad formicam, ô piger; & disce sapientiam; quæ parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.* Vt prudentiam discamus, monemur, vt serpentem inspiciamus; qui cum ictibus impetitur, *toto corpore occultat caput, vt illud, in quo vita est, protegat*, vt S. Hieronymus ait. Vt simplicitatem assequamur, columbæ imitandæ proponuntur; dicente Domino Matth. 10. 16. *Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Sed vt pietatem erga parentes seruemus, ciconia propooitur, de qua Cassiodorus lib. 2. ep. 14. relatus etiam à S. Thoma opusc. 7. ait: *Ciconiæ magnum pietatis tradunt exemplum: nam cum parentes earum pennas senio coquente laxauerint, nec ad proprios cibos quærendos idonei potuerint inueniri, plumis suis genitorum membra frigida refouentes, escis corpora laxa reficiunt; & donec in pristinum vigorem ales grandæua redierit, pia vicissitudine iuuenes reddunt, quòd à parentibus paruuli susceperunt. Et ideo non immeritò longa vita seruantur, qui pietatis officia non relinquunt. Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore*, dicitur Eccles. 3. 7. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram*, dicitur Exod. 20. 12. Vbi S. Thomas ait: *Inter omnia præcepta huic tantùm adiungitur, Vt sit longæuus super terram. Et ratio huius est, ne credatur non deberi præmium honorantibus parentes, quia est naturale.* Porrò ad significandum Deus, quàm ei pietas in parentes grata sit, non solùm in parentes proprios, sed etiam in animalium parentes pietatem, vitæ longitudine remuneratur.

Ciconiæ erga parentes valde beneficæ.

Honorāns parentes longam vitā meretur. hic, & n. 9. 14. & 22. S. Thom. opusc. 7.

Hinc Deut. 22. 6. 7. præcipitur. *Si ambulans per viam, in arbore, vel in terra nidum auis inueneris; & matrem pullis, vel ouis desuper incubantem; non tenebis eam cum filijs: sed abire patieris, captos tenens filios; vt bene sit tibi, & longo viuas tempore.* Benè tamen S. Thomas supracitatus ait: *Nota, quòd vita longa est, quando est plena; & quæ non mensuratur tempore, sed actione secundùm Philosophum. Tunc autem plena est vita, quando est virtuosa. Et ideo virtuosus, & sanctus diu viuit, quamuis citò moriatur. Ideo dicitur Sapient. 4. Consummatus in breui, expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. Optimè autem mercatur ille, qui tantùm facit vna die, quantùm alius in vno anno.* A virtute seiuncta mortalis vita semper breuis habenda est: *Quantum est in hac vita longum; quod erit aliquando finitum? Et quod erat longum erit nullum; quia quando erat, non stabat; & quando producebatur, non augebatur, nec addendo crescebat; quia veniendo recedebat,* ait August. hom. 1. inter 50. Similiter Bernardus ser. 17. in ps. 90. *Hæc vita magis mors est, nec simpliciter vita, sed vita mortalis; semperque ex quo incipimus viuere, nihil aliud agimus, nisi morti appropinquare, & incipere mori. Ibi vere viuitur, ubi viuida vita est, & vitalis.* Præsens ergo vita à spe viuendi beatam vitam seiungi non debet; & ne à tali spe seiungatur, piè viuendum est. Plato in libris de legibus cum parentes honorandos esse docuisset, addidit: *Quod si ita exactè seruauerimus, digna à dijs præmia referemus, plurimùm bona cum spe viuentes.* Addit S. Thomas; *Præmium est vita corporalis; sed contrarium, scilicet mortem acquirunt illi, qui iniuriant parentibus. Habemus enim ab eis vitam, sicut milites à Rege feudum. Et ideo sicut dignum est, quod illi amittant pro proditione feudum; ita isti propter iniuriam illatam parentibus, vitam.* Cognouit id naturali lumine Homerus, qui Iliade 17. de Hippothoo dicit: *Nec nutricationis vicem parentibus reddidit; & ideo breuis illi contigit vita.* Exodi 21. 17. & Leuitici 20. 9. præcipitur: *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur: patri, matrique maledixit; sanguis eius sit super eum.* Ideo Ierosolymæ, eiusque populo citò futurum exitium, & interitum Deus prædicit Ezech. 22. *Appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus annorum tuorum.* Hoc est tuis sceleribus effecisti, vt citius te exitio, & morte punirem. Inter scelera antem, quæ ibi præcipuè commemorantur, est in parentes iniuria: *Patrem, & matrem contumelijs affecerunt in te.* Præproperum vitæ finem inobedientiæ erga parentes, pœnam esse egregio exemplo, illustrat S. Bernardinus tom. 2 Domin. 1. Quadrag. ser. 17. Vbi refert sua ætate in Hispaniæ citerioris oppido non procul Valentia, adolescenti, qui parentibus inobediens eò deuenerat, vt anno decimo octauo propter latrocinia, & publica facinora suspenderetur; cum prorsus imberbis esset, iam exanimi barbam, & capillum populo spectante, subitò excreuisse, ætatemque illam hominis nonagenarii retulisse. Episcopum post communem omnium orationem respondisse, tali miraculo Deum docere, quantum de vita eis detrahat, qui de parentum obedientia detrahunt; victurum iuuenem illum ad eam ætatem fuisse, quæ apparebat in facie, & capite; nisi ipsos septuaginta annos parentum inobedientia detraxisset. Hinc autem benè intelligitur, quàm damnabilis apud Deum filiorum inobedientia sit: Cum non aliis plurimis iuuenis illius sceleribus, sed tantùm inobe-

Vita longa non mensuratur tempore, sed actione.

Parentes non honorans, non spiritualem solùm, sed corporalem mortem citius incurrit.

S. Th. supra.

Pij parentes non honorantis supplicium.

A dientiæ, tot annorum detractio tributa sit.

9. Prouerb. 20. 20. dicitur: *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lumen, seu lucerna eius in medijs tenebris.* Vbi luminis, seu lucernæ nomine, iuxtà Caietanum, vita intelligitur: vitæ ergo lucerna digna est, vt extinguatur in impijs erga parentes filijs, quoniam debitæ misericordiæ oleum in vasis suis habere noluerunt. Et, quod peius est, extinguitur eorum vita in medijs tenebris; hoc est, in profunda peccatorum nocte: vt qui naturales parentes neglexerunt, ex patre diabolo Gehennæ adeant hæreditatem: è contrario piorum erga parentes filiorum lucerB na, hoc est vita, diu lucida conseruatur; eò quòd misericordiæ oleo largius abundarit. Genesis 37. cum Ioseph Patriarcha vidisse se dixit, *Quasi Solem, & lunam, & stellas vndecim adorare me:* sicut stellæ vndecim eius fratres; ita sol patrem, luna matrem per somnium significabant. Qui ergo erga solem, & lunam; hoc est erga patrem, & matrem iniurius est, digna retributione omnimodè est luce priuandus. Contra verò Ioseph, qui eximiè parentes honorauit, longæuam vitam eximiis honoribus perfunctus absoluit: De eo enim dicitur Gen. 50. *Mortuus est expletis centum decem vitæ suæ annis. Et vidit Ephraim filios vsque ad tertiam generationem.*

C 10. Rursus, quia oculi lumina appellantur: *Qui maledixit patri, & matri, extinguetur lumen eius;* hoc est, oculis priuari meretur. Ad quod significandum addidit Salomon Prou. 30. 17. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ; effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Vbi filius erga matrem ingratus, dicitur despicere partum matris suæ; hoc est labores, & dolores, quos mater, cum eum vtero gestauit, & peperit, tolerauit: Corui autem de torrentibus aduocantur; eò quod in huiusmodi aquosis locis commorari soleant, cùm siccissimæ, & calidissimæ naturæ sint: Propterea, vt dicitur 3. Reg. 17. ad subministranD dum cibum Eliæ commoranti iuxtà torrentem Carith, qui est contra Iordanem, coruis ibidem commorantibus vti Deus voluit. Sed cur impii in parentes filii coruis, & aquilis pabulum esse debent? Primò; quia cum ob impietatem in parentes, tales filii longiorem humanam vitam viuere non meruerint; ab huiusmodi auibus vorari debent, vt in earum alimentum conuersi, diu vitam viuant rationis expertem. Plinius enim lib. 7. c. 8. Coruos, & aquilas cæteris auibus longæuiores esse testatur. Albertus Magnus, & ex eo Aldobrandus coruos centum, & octo annos viuere asseruerunt. Secundò teste Æliano lib. 3. c. 43. Corui præ voracitate, & ingluuie, ne parentibus quidem parcunt; eosque necant, E & deuorant: eademque sæuities aquilis tribuitur. Porrò eum patrem aliquis habere dicitur, cuius mores imitatur: ideo Ezechielis 16. Ierosolymæ dictum est: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Redditque rationem Augustinus tract. 42. in Ioann.: *Quia Iudæi imitati sunt impietates illorum; inuenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur; sed quorum mores sectantes pariter damnarentur.* Improbus ergo filius coruus, & aquilas veluti parentes habet, cum in parentes impius talium auium mores imitetur: ideo huiusmodi filius subsannans senio confectos parentes, quos naturali lege alere deberet; aliorum parentum, nempe coruorum, & aquilarum in cibum tradi debet: *Effodiant eum corui, & comedant eum filij aquilæ.* Tertiò, Quos valdè

Lucerna, idest vita non honorantium parentes ostò extinguitur, quòd misericordiæ oleo careat.

Filij in parentes impij cur à coruis, & aquilis puniendi.

Corui, & aquilæ cæteris auibus longæuiores.

Corui centum, & octo annos viuunt.

Corui, & aquilæ parentes deuorant.

Patrem habere dicitur aliquis eum, cuius mores imitatur.

diligimus, in oculis ferre nos dicimus. Ideo, vt qua dilectione suos fideles Deus diligeret, indicaret, eos suis in oculis ferre significauit Zach. 2. 23. dicens: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Filius ergo, qui parentes diligere, eosque veluti in oculis ferre debebat; quòd secus faciat, in meritum eius supplicium dicitur: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui.*

Absalomi inparentes impii exitium.

Chrysost. nus de Absalone.

11. Quartò Quæsiti responsio desumitur ex infelici Absolomi exitio, qui impiè in Dauidem patrem insurrexit. De Absalomi autem exitio dicitur 2. Reg. 18. *Adhæsit caput eius quercui; & illo suspenso inter cælum, & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit. Tulit ergo Ioab tres lanceas, & infixit eas in corde Absalom.* De quo Chrysostomus: *Inseritur ramis, obligatur lignis, transfixo gutture colligatus: pendens iam mortuus ab hominibus inuenitur, quem iam nec cœlum potuit conspicere viuum, nec terra vlterius sustinere. O nefandum interitum parricida! Iniuriam patris non pugnantis gladius, non hostilis manus, non iaculantis ictus defendit; sed vindicant ligna, arbor vlciscitur, rami defendunt.* Idem Chrysostomus homil. in psal. 7. *Absalom Dauidem aggressus, est occisus à Ioab, & in alto ligno suspensus est, qui aduersus patrem erigebatur: & ab arbore detinebatur, qui cum radice pugnabat: & vinctus erat à ramo ramus, qui erat à paterna affectione abruptus: & capite tenebatur, qui genitoris caput auferre contendebat: & tanquam fructus pendebat ab arbore, qui naturæ agricolam volebat exscindere: & in corde iaculo confossus est; illic occisus, vbi cædem parabat. Et tunc videri poterat spectaculum admirabile. Mulo enim equitans ex pilorum coma, à coma arboris tenebatur, & coma tenebat comâ tyrannum; illic eum contundens, vbi diadema paternum gestare contendebat. Poterat ergo videri Absalom suspensus in medio cœli, & terræ. Cœlum eum non admittebat: terra eum auersabatur, non ferens pollui passibus parricidæ. Si enim Dathan deuorauit, qui contra Mosen erat locutus; & os suum aperuit aduersus eum, qui os improbè aperuerat quomodo potuisset ferre pedes currentes aduersus genitorē?* Addit idem Chrysostomus de Absalomi supplicio: *Vt scias quod factum est, non fuisse humana industria, sed totum fuisse diuinæ iudicij; capilli, & lignum eum alligarunt; & brutum eum animal tradidit; & pro fune quidem coma, pro ligno autem arbor extitit: pro milite autem eum adduxit mulus. Et quod est admirabilius, qui patrem ei reconciliauit, is ipsum interfecit, propemodum instans vehemens accusator: sed is quidem eum occidit; Deus autem tulit sententiam, & in verticem ipsius iniquitas eius descendit.*

Ps. 7.

Cum ergo impii in parentes filii, Absalomi imitatores sint, similiter à ferali ligno suspensi pendere debent. In huiusmodi autem suspensa cadauera quia deorsatim corui, & Aquilæ aduolare solent, vt eorum carnibus vescantur; ideo Genes. 40. Pistoris somnium, qui suum supra caput ad pastum aues aduolasse somniauerat, interpretatus est Ioseph dicens: *Tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, & suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas:* Ideo dicitur Matth. 24. *Vbi fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ.* Et Iob 39. *Vbicumque cadauer fuerit, statim adest.* Hinc imprecatio illa apud veteres prouenit: *Abi ad coruos:* iuxtà quam imprecationem à Poeta dictum est: *Deque tuo impastis sit rixa cadauere coruis.* Corui autem, vt docet Isidorus lib. 12. orig. cap. 7. Antequam cadauera discerpant, ex iis primùm oculos eruunt; cum talis esca iis suauissima sit. Hine à Poëta dictum est: *Effossos oculos vorat atro gutture coruus.* Aquilæ verò non oculos, sed cadauerum corda primùm discerpere consueuerunt; talemque escam eis pergratam esse naturalis historiæ Auctores traduut. Ideo Salomon dixit: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* De corde, & oculis Plinius lib. 11. cap. 37. ait: *Cor primùm nascentibus formari in vtero tradunt, tardissimè oculus.* Cum ergo cor sit primogenæ vitæ initium, & oculi eiusdem complementum; hæc duo discerpi debent in eo, qui parentibus, à quibus vitam accepit, iniurius est.

Corui cadaueribus primùm oculos eruūt aquilę verò cor.

Catullus

Cor primùm formatur, vltimò oculi.

12. Denique filiorum reuerenter parentes non cognoscentium oculi puniri debent; sicut, quia caninum est parentes non agnoscere, canes anticipata à natura vindice pœna, cæci nascuntur. Ideo Augustinus tom. 10. fragmento 2. decem Decalogi præceptorum transgressoribus aptans decem Ægypti plagas ait: *Quartum præceptum est: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Huic contraria quarta Ægyptiorum plaga κυνόμυια est, Quid est κυνόμυια? Canina musca. Græcum vocabulum est. Caninum est parentes non agnoscere. Nihil tam caninum, quàm cùm illi, qui genuerunt, non agnoscuntur. Meritò ergo, & catuli canum cæci nascuntur.* Nunquam satis detestabilis filii in parentes sæuities erit, quæ apud Varremium in historia Indica legitur: refert enim Sultani Armutii filium eadem nocte patri, matrique, decemque suis fratribus oculos eruisse; eosque viuos concremasse. *Gratulor Ausonius, & nostro gratulor orbi! Gratulor huic terræ, quòd abest regionibus illis, quæ tantum genuere nefas. Sit diues amomo; Cinnamaque, costumque suam, sudataque ligno, Thura ferat, floresque alios procul indica tellus; Hæc dum monstra ferat.*

Caninū est parētes nō agnoscere: ideo canes, velut in pœnam cęci nascuntur.

13. Sed vt à Salomone ad Siracidem transeamus, Ecclesiastici 3. dicitur: *Filij sapientiæ Ecclesia iustorum: & natio illorum obedientia, & dilectio:* hoc est filii cœlesti sapientia prędití, congregatio iustorum sunt; & eorum natio, seu genus ita dilectioni, & obedientiæ erga parentes deditum est; vt toti ex obedientia, & dilectione conflati esse videantur. Si enim Iob proximum diligens dixit: *Oculus fui cæco, & pes claudo;* multò magis suos filius parentes amans in eorum obsequium & oculos, & os, & aures, & manus, & pedes, totumque se exhibere debet; & sic totus ex dilectione, & obedientia constare dicetur.

Iob c. 29. 15.

14. Addit 2. Ecclesiasticos: *Iudicium patris audite filij; & sic facite, vt salui sitis:* & sensus est: Iis mandatis, quæ iuxtà diuinam legem, & familiæ bonum, rectamque vestræ educationis institutionem pater facienda esse iudicat, obedite, *vt salui sitis:* hoc est, iuxtà Arabicum: *Vt hæreditatis vitam perennem;* nempe in terria longæuam, & in cœlo perpetuam. *Vt viuatis vitam sæculi sæculorum,* Syriaca versione legitur. Cur eà omnia obedientia à filio pater colendus sit, ibidem ratio redditur ab Ecclesiastico: *Deus enim honorauit patrem in filijs:* hoc ēst, Quia patrem à filiis honorandum esse Deus pręcepit. Quare, qui ex naturali tantùm sanguinis propensione in animalibus erga parentes amor prouenit; in hominibus non ex naturę propensione tantùm, sed ex Dei imperantis voluntate prouenire longè efficaciùs debet: ita vt naturalem instinctum Deo placendi studium multò ardentius superet; in-

Parētes honorādi non tam ex naturali propensione, quàm ex Dei præcepto.

Basil. or. 18.

gentemque pudorem afferat, nisi naturæ vim diuini præcepti efficacitas vincat. Benè enim Basilius ait: *Nemo est omninò sic prudentia inops, qui non summa infamia dignum iudicet, se ab auibus, quæ longissimè à ratione absunt, virtute superari. Nam Ibes parentes, cum præ senectute alæ deciderint, circumstantes alis suis fouent, pastusque eis copiosè præparant, ac suppeditant; quodque possunt innoxiatum auxilium ferunt; ita vt leniter vtraque ex parte cum alis sustineant.*

Ibes aues officiosæ in parentes senea.

15. His auibus similes addi possunt ciconiæ, similiter in parentes officiosæ; de quibus ea Cassiodoro supra diximus. Basilius de eisdem hom 8. in Hexameron ait: *Pietas, & obsequium ciconiarum erga suos senio confectos parentes satis profectò liberos nostros beneuolos parentibus, atque obseruantissimos efficere potest, modò mentem adhibere velint. Nemo enim prorsus est, qui naturæ sensu, prudentiáne, sic destituatur, vt non mediocri pudore eum existimet dignum, qui quod ad virtutem attinet, sinit se ab alitibus istis nulla recta rationis vi praditis deprehendi inferiorem. Illa genitorem per senium defluxu pennarum degrauescentem suismet pennis circumdatum fouent; & abundè victum, lautéque subministrantes sub sidium etiam ei quoad fieri potest in ipso volatu præstant, sensim vtrinque suis eum sublenantes alis.* Idem docet S. Epiphanius in Physiologo c. 25. Idem pluribus S. Ambrosius in Hexameron lib. 5. c. 16. de Ciconia dicens: *Depositis patris artus per longæuum senectutis plumarum tegmine, alarumque remigio nudatos circumstans soboles pennis propriis fouet. Et quid dicam? Collectitio cibo pascit, quando etiam ipsa reparat natura dispendia; vt hinc, atque inde sublenantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, & in pristinos vsus desueta iam reuocent pij patris membra. Quis nostrûm leuare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat? Quod in ipsa historia vix credibile habetur? Quis, vt pius sit, non hoc seruulis mandat obsequium? At verò quibus non est graue, quod pietatis est plenum; non est onerosum, quod soluitur naturæ debito. Non recusant aues pascere patrem, quod etiam præscripta necessitate sub terrore pœnarum plerique hominum recusarunt. Aues non scripta, sed nata lex stringit. Aues ad hoc munus nullo præcepto conueniunt, sed gratia naturalis officio. Aues non erubescunt venerandi senis membra portare. Est enim victoria pietatis; quod eiusque frequenti testificatione peterebaris, vt congrua mercedem remunerationis inuenerit. Nam Romanorum vsu Pia auis vocatur. Et quod vix vni Imperatori cõsulto senatus delatum dicitur, hoc ista aues in commune meruerunt. Habent ergo aues ista decreta Patrum ad propria insigne clementia. Pios enim filios patrum primo opertuit iudicio prædicari. Habent etiam vniuersorum suffragia. Nam retributio beneficiorum antipelargôsis nominatur: Pelargos enim Ciconia dicitur. Virtus ergo ab his nomen, cum relatio gratiarum Ciconiæ vocabulo nuncupatur.* Paulò superioribus verbis alludit Ambrosius ad Imperatorem Antoninum Pium, qui vnus inter Imperatores Pii nomen consecutus est ob eximiam pietatem, qua Adrianum adoptionis patrem viuum, & mortuum prosecutus est: & tamen non vna, sed Ciconiæ omnes idem nomen obtinuerunt. De Ciconiis antea etiam dixerat Philo lib. de Decalogo dicens: *Eamus ad volucres præpetibus pennis vltro, citroque volantes per aërem; discamus ab eis saltem quid nos deceat. Ciconiæ senes impotes volandi nido se continent: ex his prognatæ terra, marique volitans, & cibos parentibus afferunt. Sed ille, vt eorum ætate dignum est, quiete fruuntur, & copia:*

Ciconiæ eximiè in parentes officiosæ.

Antoninus imperator solus Pii nomẽ apud Romanos est consecutus: apud eosdem idẽ nomen Ciconiæ omnes obtinuerunt.

A *immores verò laborem comportandi solantur pietate, ac spe recipiendæ in senectute gratiæ, debitum persoluentes interim, quod tempus postulat: & eadem opera natos implumes, effœtosque parentes educant; naturæ instinctu & pullis, & decrepitis alacriter præstando mutuum officium. Et postea non obuoluent faciem præ pudore homines parentum contemptores; damnabuntque suam iniuriam in eo, quæ vel sola erat curanda, vel ante alias; præsertim cum non tam conferatur, quàm referatur beneficium.* Sed ad Ecclesiasticum supra citatum redeamus.

16. Quia ex parentibus maior filiorum erga matrem est obligatio; subditur ab Ecclesiastico: *Et iudicium matris exquirens firmauit in filios*: scilicet Deus exquirens, idest seuerè exigens firmiter statuit, vt quæ mater præcipit, filii promptè exequantur. Ad filiorum erga matrem pietatem suadendam piscium, & aquæ, ex qua gignuntur, proponit exemplum Ambrosius in Hexam. lib. 5. c. 4. dicens: *Disce ab aqua, quæ sit parentum, & filiorum necessitudo. Viuere pisces sine aqua non queunt; nec à sua parentis consortio separari: & fit hoc naturà quadam, vt separati moriantur illicò.*

Pisces erga matrẽ amorem docent.

17. Est autem erga matrem obligatio maior; quia erga filios maior est matris, quàm patris amor, vt benè Aristoteles 6. Ethic. c. 7. asserit: *Matres plus amant filios, quam patres; quia certiores sunt eos esse suos; & quia plures circa eos labores sustinent.* Ideo iustus Tobias cap. 4. prope mortem filium monuit: *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius; memor enim esse debes, quæ, & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.* Vbi in vulgata legitur: *Deus honorauit patrem in filijs.* Arabicus legit: *Dominus constituit debitum super filium genitori suo*: Et vbi legimus: *Iudicium matris exquirens firmauit in filios*; Arabicus legit: *Et debito genitrici constringuntur filij eius.* Ideo ait Ambros. in psal. 118. *Non possum saluo pietatis iure odisse patrem, cui debeo, quod creatus sum: nec matrem longo decem mensium fastidio pij fœtus onera portantem, cui in absolutione plus periculi, in dilatione plus tædij est.* Et in Luc. c. 2. *Tu matri debes pudoris iniuriam, Virginitatis dispendium, partus periculum, matris longa fastidia, matris longa discrimina; cui misera in ipsis votorum fructibus maius periculum est; & cum ediderit, partu absoluitur, non timore.*

Filiorum erga matrẽ maior obligatio.

Ecclesiastici

Ambros. in Ps. 118.

Idem in Luc. 2.

18. 2. Machabæos. c. 7. 27. quàm iustè septem Machabæorum mater sibi ab adolescentiori filio obedientiæ honorem exhibendum esse petiit, dicens: *Fili miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & in ætatem istam perduxi. Peto nate.* Sed quid piissima, & meritissima mater petierit, audiamus: *Non timeas carnificem istum; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem; vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.* Cuius tam eximiæ matris cohortationis illustris Paraphrastes sic est Ambrosius: *Miserere mei, quæ te in vtero tot mensium curriculo portaui; ne vno momento confundas senectutem meam; ne decolores tot fratrum tuorum trophæa; ne sacrum eorum comitatum relinquas; ne consortium deseras. Te adhuc isti expectant triumphi. Aspice in cœlum, vnde hausisti Spiritum, ad patrem omnium. Aspice in terram, quæ tibi ante alimoniam ministrauit. Aspice ad fratres, qui collegam requirunt: aspice ad matrem, quæ tibi lac dedit; redde mercedem pij sanguinis. nolo à fratribus, nolo à matre diuelli. Temporales opes sunt, quas promittit Antiochus, temporales honores: perpetua corona, quæ à Deo omnipotente defertur. Væ mihi*

Pia mater quid à filio efflagitet.

Ambros. l. 1. de Iacob. c. 11 & 12.

mihi septem dierum lumina dedit Dominus; sextum iam diem clausi, & omnium opera bona valde. Debes mihi fili, vt qua in illis sex laboraui, in te requiescam septimo, tamquam à sæculi operibus iam feriata.

19. Mosaïcæ legis Heroïnam imitata est in Euangelica lege S. Symphorosa; cui tamquam cęlesti sponsæ verè *coma sicut elata palmarum* fuerunt: è ligno enim capillis suspensa, martyrij palmam est consecuta. Hæc autem è suspendio, veluti è sublimi suggestu, ita filios hortata dicitur, Vsuardo, & Beda testibus: *Eia, ò mea, non tam pignora, quàm viscera, attendite ad petram, vnde excisi estis. Patrem habuistis Getulium Christi Martyrem: matrem habetis Symphorosam ad Martyrium festinantem, & exultantem. Quid dubitatis vestros sequi, ò boni filij, parentes? ea quæ vobis pro Christo infligentur, non tormenta, sed blandimenta reputate. Hos patitur fœmina imbecilla cruciatus: patimini & vos constantes viri. Meo nutriti lacte, vestro me sanguine recreate: porrexi vbera, reddite vulnera. Hoc beneficio maternum obsequium rependite. Nullum mihi charius vestra in me charitatis argumentum. Viuam, si vos pro Christo mori sensero. Felicissima erit vna vestra, si felicissima pro Christo morte coronetur.*

Cantic. 5. 11.

Pia mater quid à filio efflagitet.

20. Addit 3. Ecclesiasticus: *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis; & in oratione dierum exaudietur.* Et quia, qui Deum diligit, parentes etiam, quos Deus diligendos præcepit, diligit, ideo ibi legit Ambrosius: *Qui honorat patrem, veniam impetrat peccatorum. Et continebit se ab illis*; scilicet à futuris alioqui culpis abstinebit: *& in oratione dierum exaudietur*: hoc est; *votorum quotidianorum compos erit*, vt legit Vatablus. *Quo die petes, impetrabis*, legit Palacius. Tria ergo maxima præmia parentes debitè honorantibus promittuntur; scilicet peccatorum remissio; à peccatis præseruatio; & velox precum exauditio.

Cap. 3.

Honorantibus parentes tria præmia.

21. Addit 4. Ecclesiasticus: *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam.* Nam qui parentem, non solùm externa reuerentia veneratur; sed ei etiam debitis alimentis liberalis est; hic suas opes non minuit; sed eas potius thesaurizando cumulat. Efficit enim Deus, vt munificis erga parentes filiis opes augeantur; & vt talium filiorum filii postea pari obsequio, & liberalitate suis etiam parentibus munifici sint, & liberales. Ideo subditur: *Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filijs*; quos scilicet ita sibi beneficos experietur, sicut ipse antea proprio patri beneficus fuit. Nam, vt benè teste Laertio lib. 1. c. 1. Thales Philosophus dixit: *Quale præmium rependeritis parentibus vestris, tale à liberis vestris expectate*; scilicet, si benefici erga parentes fueritis, filiorum vestrorum beneficentiam habebitis: è contrario, si in parentes auari fueritis, & impii; tales etiam vestros filios experiemini. Quod tamquam talionis pœna animalium ipsorum experimento comprobatur, vt supra diximus; corui enim, & aquilæ senescentes suis à filiis dilacerantur; cum ipsi etiam similem sæuitiem suos in genitores exercuerint.

Filii erga parentes liberalibus opes augentur.

Benefici in parentes, beneficos eius suos filios habebunt.

22. Addit 5. Ecclesiasticus: *Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem.* De longiore vita obedientia filii præmio iam diximus supra. Subditur præterea, *Qui obedit patri, refrigerabit matrem*; seu ex Græco textu: *Requiescere faciet matrem suam.* Nam sicut maxima totius familiæ, ac præcipuè matris turbatio, & mœror, est filium erga patrem inobedientem habere; ita è contrario matris, ac familiæ vniuersæ quies, & gaudium, est obsequiosi, & concordis filii erga patrem obedientia. Insuper si erga patrem filius se obsequentem exhibet, non ex timore, sed ex filiali charitate; multò magis erga matrem, cui plus debet, vt supra diximus, debitam dilectionem exhibebit; ac propterea eam refrigerabit, suoque obsequio recreabit.

Obedientia erga patrem est matris, & totius familiæ gaudium.

23. Addit 6. *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt.* Nam honor erga parentes ex debito timore, hoc est veneratione erga Deum, parentum honorem præcipientem, prouenire debet. Subditur: *Et quasi Dominis seruiet his, qui se genuerunt.* Quomodo autem iis seruiendum sit explicans ait: *In opere, & sermone, & in omni patientia honora patrem tuum*; ita vt non solùm verbis, & humili salutatione eum honores; sed etiam opere illi subsidium, quo indiget, subministres: idque in *omni patientia*; ita vt nunquam obediendo defatigatus cesses: & quamuis patrem senem, vel nimis morosum, vel verbis asperum experiaris, adhuc illius imperio obsequaris. Si enim Petrus Apostol. fidelibus præcepit: *Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam dyscolis*, nempe morosis, & molestis: multò magis id erga parentes obseruari debet: cum antea parentes in filiorum infantia, & pueritia importunas lacrymas, & ineptias tolerarint. Et quoniam iuxtà Platonem, Theopompum, & Sophoclem apud Clementem Alexandrinum, *Senes bis pueri sunt*: & vt Antiphon ait: *Senis educatio est similis educationi pueri*: Et vt ait S. Basilius: *Nihil differt is, qui ætate puer est, ab eo, qui mente est infans*: Sicut in filiorum infantia, & pueritia erga eos parentes patienter, & amanter se gesserunt; ità mutuò in parentum senectute, quæ est veluti secunda pueritia, eorum molestia est toleranda. Quare cum senes parentes sæpè præ senio in multis deficiant, filiisque valdè molesti sint; non proinde filii à debita iis reuerentia recedentes, in eos iniuriosè insurgere debent; cum secus faciendo, sibi, & parentibus noceant. Propterea additur: *Ne glorieris in contumelia patris tui; non enim est tibi gloria eius confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui; & dedecus filij, pater sine honore. Fili suscipe*, seu *subleua senectam patris tui; & ne contristes eum in vita illius. Et si defecerit sensu, veniam da; & ne spernas eum in virtute tua*, hoc est, cum tu viribus corporis, mentisque polles. *Eleemosyna enim patris non erit in obliuione*: seu ex Tigurina lectione: *Neque enim patri præstita benignitas erit in obliuione*, scilicet apud Deum, qui largè illam remunerabitur. *Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum*: Scilicet pro tolerato patienter matris peccato; nempè pro matris impatientia, delictis verbis, & iurgiis, retribuetur tibi bonum tum in hac vita, tum in futura. Idemque de patris iam senis tolerata morositate dicendum est. Teste Plutarcho in apophegmatis Laconum, Telecrus dicenti: *Malè de te loquitur pater tuus*: respondit: *Non faceret, si non esset faciendum.* Tantam, etiam erga maledicum ipsi patrem reuerentiam ethnicus filius seruauit.

Parentes ore, & opere honorandi, etiam morosi, & molesti.

Ep. 1. c. 2. n. 18.

Clemens l. 6. Stromat. Senes bis pueri.

S. Basil. or. 18.

Eccli. 3.

Telecri erga patrem veneratio.

24. Ad filialis obedientiæ erga parentem præmium explicandum subditur: *Vt superueniat tibi benedictio ab eo: Vt exaudiatur ipsius deprecatio pro te*, legit Ambrosius: *& benedictio illius in nouissimo maneat*: Scilicet, vt

Obedientiæ erga parentes præmium.

vsque ad vltimam senectutem paternæ, vel maternæ benedictionis fructus percipias; eò quod parentum senectutem opere, & sermone honoraueris. Vel *benedictio illorum in nouissimo maneat*, hoc est, vt extremò Iudicij die parentum benedictionem diuinus Iudex compleat, obedientes filios inter electos ad dexteram suam aduocans, eisque dicens: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Subditur deinde: *Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Ædificare domos in sacra scriptura significat augere rem familiarem, opesque dare, & rerum temporalium abundantiam. Ideo de Ægyptiis obstetricibus contra Pharaonis iussum Hebræos infantes seruantibus dicitur Exodi cap. 1. *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos*: idest *copiam bonorum eis Deus largitus est*; vt cum Augustino explicat Theodoretus. Præterea domus sæpè significat prolem, progeniem; eò quòd filij, & filiorum filij, veluti genitorum, & familiæ fabrica sint. Hinc Hebraïcè filius dicitur בֵּן ben à radice בָּנָה banà, idest ædificauit. Iuxtà hoc significatum dicitur Exodi cap. 1. *Filij Israel ingressi sunt in Ægyptum cum domibus suis*, idest cum filiis, & nepotibus. Similiter 2. Reg. 7. 11. Deus Dauidi daturum se promisit domum, idest regiam sobolem: & 3 Reg 21. 29. Deus prædixit Achab impio Regi domum, idest stirpem regiam se euersurum. Ruth. 4. 11. dicitur Lia, & Rachel Israëlis domum, idest prosapiam ædificasse. Cum ergo dicitur: *Benedictio patris firmat domos filiorum*; idem est ac dicere: Patris bona pro filiis precatio filiorum prosapiam, eorumque opes stabiles reddit. Contra verò *maledictio matris eradicat fundamenta*, scilicet familiæ. Tribuitur autem matri potiùs, quàm patri maledictio; eò quòd facilius fœminæ ira corripiantur; cumque factis iracundiæ satisfacere nequeant, id imprecationibus supplent.

Mat. 25.

Ædificare domũ opes augere significat.

Domus pro filiis sumitur.

25. Maternæ maledictionis exemplum S. Augustinus ex parte testis oculatus refert 22. de Ciuit. c. 8. *Decem quidam fratres (quorum septem sunt mares, tres fœminæ) de Cæsarea Cappadociæ suorum ciuium non ignobiles, maledicto matris, recenti patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali pœna sunt diuinitus coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum: in qua fœdissima specie oculos suorum ciuium non ferentes, quaquauersum cuique ire visum est, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater, & soror, Paulus, & Palladia, multis alijs locis miseria diffamante iam cogniti.* Absalom non à patre maledictus, paterna tamen maledictione dignus, cum tres liberos habuisset, vt dicitur 2. Reg. 14. 27. nihilominus filium nullum superstitem habuit, vt patet ex cap. 18. num. 18. Adeo verum est, quòd parentis maledictio, licèt non illata, sed alioquin inferenda, familiæ, vt Ecclesiasticus ait, eradicet fundamenta. Præclara Principum posteritas lucernæ nomine in scriptura appellatur: filij enim à patre nobilitatis, & principatus lumen recipientes, illud suæ proli, & nepotibus successiuè communicant. Propterea 3. Reg. cap. 11. 36. dicitur: *Filio eius*, nempe Roboamo Salomonis filio, Dauidis nepoti, *dabo tribum vnam; vt remaneat lucerna Dauid seruo meo.* Et cap. 15. *Propter Dauid dedit ei Dominus*

Materna maledictio quantùm filiis noceat.

Lucernæ nomine nobilis posteritas significatur.

A *Deus suus lucernam in Ierusalem; vt suscitaret filium eius post eum.* Absalomus ergo patri iniurius, filiis orbatur, Salomonis fratris sui sententiam veram expertus est: *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lumen eius*: *extinguetur lucerna eius*, legitur ex Hebræo Prouerb. 20. 20. Contra verò obedientis filij progenies à Deo cum prosperitate seruatur: propterea tali filio à Deo Ecclesiastici verbis promittitur: *In iustitia ædificabitur tibi.* Vbi eleemosyna, hoc est alimonia parentibus subministrata iustitia appellatur iuxtà Arabicum textum. Appellatur autem iustitiæ nomine; quia ad iustitiam spectat, quæ cuiusque sunt, ei reddere: benè autem Philo ait: *Filiorum nihil est proprium, quod non parentibus debeant; à quibus vel acceperunt, vel in acquirendo adiuti sunt.* Et ab Ecclesiastico ipso dicitur cap. 7. 29. *Honora patrem tuum; & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris: memento quoniam nisi per illos natus non fuisses; &* C *retribue illis, quomodo & illi tibi.* Dicitur ergo: *In iustitia ædificabitur tibi*; hoc est, tua familia stabilis erit; eò quod in iustitia, nempe in obedientia, & honore erga parentem fundata sit. *Benedictio enim patris firmat domos filiorum.* Et quoniam in hac mortali vita sine angustiis, & ærumnis esse non possumus, additur: *In die tribulationis commemorabitur tui*: scilicet, sicut tu patris indigentiæ immemor non fuisti; ita tribulatione ingruente cum Dei auxilio indigebis, neque tui Deus immemor erit. Et quoniam per peccata in tribulationis pœnas incurrimus, subditur: *Sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua.* Facilè enim Deus flectitur ad eius peccata condonanda, qui in parentes beneficus fuit.

Absalom erga parentem impius filiorum nullũ superstitem habuit.

Obsequium in parentes iustitia nomine appellatur.

Philo lib. de Decalogo.

Filius parentes honorãtibus stabilis familia, prole quæ promittitur.

Deus valdè beneficus, & misericors erga filios parentes honorantem.

26. Additur vltimò ab Ecclesiastico: *Quàm malæ famæ est*, ex Græco, *Quàm execrabilis,* D *& infamis est, qui derelinquit patrem: & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.* Cui consonat Salomon Prouerb. 19. 26. *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, ac infelix.* Benè hoc comprobatur Absalomi exemplo; qui tot ante annis patris desertor, eique iniurius cum fuerit, adhuc, veluti recentis infamiæ pœnas sustinet. Audi Adrichomium in descriptione Ierusalem num. 227. *Monumentum columna erat, & statua marmorea cum inscriptione, duobus ab Ierosolyma stadijs distans, quam Absalom viuus sibi in monumentum in valle regia erexerat. Vbi etiamnum turris, & magnus lapidum extat aceruus, qui quotidie magis, ac magis augetur. Nam pagani, & peregrini illac transeuntes pro more habent, vt quisque lapidem in eum projiciat, & quasi iuxta legem vindicantes ipsius aduersus Dauid patrem suum rebellionem, huiusmodi maledictione illum execrentur: Maledictus sit parricida* E *Absalom, & quicumque iniustè parentes suos persequuntur, maledicti sint in æternum.* Cur apud omnes filii erga parentes iniurii, ignominiosi sint, rationem reddit Xenophon apud Stobæum serm. 79. *Despectatores parentum omnes passim pro nihilo habent; quemcumque ingratum erga illos deprehendunt, arbitrantur pro susceptis beneficijs in gratia referenda fore immemorem.*

Absalomi erga patrem impietas memoria.

27. Citato textu, *Blasphemat, qui spernit patrem suum*, legit Syrus. Vbi iniuria patris dicitur blasphemia, quia videtur esse in Deum. *Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur*-

Iniuria à filiis illata parentibus cur blasphemia dicatur.

Ad Ephes. 3. 15.

Quare Apostolus ad Ephes. 6. ait, *Filij obedite parentibus vestris in Domino:* Dicens autem *in Domino*, significauit nos in parentibus considerare debere, & colere Patrem cœlestem, cuius imaginem, & personam nobis repræsentant. Propterea Apost. 2. ad Timoth. cap. 3. de tempore cum *refrigescet charitas, & abundabit iniquitas*, ait: *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes.* Vbi blasphemiã cum inobedientia erga parentes iungit; eò quòd, qui parentibus inobediens est, Deo etiam iniurius sit. Hierocles apud Stobæum parentes appellat secundos, ac terrestres quosdam Deos; & asserit filios in paterna domo veluti æditunos in fano, sacerdotesque ab ipsa natura se consecratos existimare debere, vt parentũ B cultui operam dent. Similiter apud Philonem lib. de Decalogo, Parentes filiis veluti Dii visibiles esse dicuntur. Additque Philo: *Nec fieri posse, vt pius sit erga Deum inuisibilem, qui erga parentes visibiles est impius.* Propterea est *maledictus à Deo, qui exasperat matrem*; adeoque eam exasperatam in imprecationes erumpere cogit. Quare Plato lib. 11. de legibus ait: *Apertissimum est à Dijs preces parentum aduersus filios exaudiri. Nihil enim imprecatione parentis perniciosius filio.* Quod pluribus exemplis ostendit. Quamuis autem parentes ab imprecationibus abstinere debeant; in filiorum tamen meritam pœnam eas Deus irritas esse non sinit. Contra C verò pium obsequium parentibus præstitum in hac, & in altera vita amanter Deus remuneratur; quod naturali lumine cognouit Euripides, dicens:

Quisquis parentes hic piè viuens colit;
Hunc viuentemque, mortuumque amat Deus.
Non liberis est pulchrius munus aliud;
Quàm liberos dici parentis optimi;
Parentibusque dignum honorem reddere.

Quare Isocrates ad Demonicum scribens ait: *Talis sis circa parentes, quales optaueris circa te ipsum esse tuos ipsius filios.*

Filij in paterna domo, quasi in templo æditui & sacerdotes esse debent.

Imprecatio parentis in filios quam noxia.

Obsequiũ parentibus præstitum Deo gratissimum.

28. Præter plura supra citata sacræ scripturæ obedientiam erga parentes mandantis, & commendantis testimonia, in eadem egregiæ erga D parentes obedientiæ habemus exempla. Primùm eximia fuit in Isaac obedientia, qui, teste Iosepho vigesimum quintum annum agens in ipso ætatis flore Abrahamo genitori eum in sacrificium iugulare volenti, statim obsequentem se præstitit. Hinc Chrysostomus ait: *Verùm admirer, fortemne spiritum Patriarchæ, an tam constantem pueri obedientiam; quòd neque reluctatus est, neque factum ægrè tulit; sed cessit, & obtemperauit ijs, quæ à patre fiebant; & sicut agnus cum silentio super altare accubuit, expectans patris dexteram.* Eximia etiam fuit in Rechabitis erga parentem obedientia. Hi à Ieremia Domini Propheta ad vinum bibendum inuitati: *Respon*E*derunt: Non bibemus vinum; quia Ionadab filius Rechab, pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri vsque in sempiternum: Et non domum ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris super faciem terræ, in qua vos peregrinamini. Obediuimus ergo voci Ionadab filij Rechab, patris nostri, in omnibus, quæ præcepit nobis; ita vt non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, & mulieres nostræ, filij, & filiæ nostræ: & non ædificaremus domos ad habitandum; & vineam, & agrum, & sementem non habuimus: sed habita*A*uimus in tabernaculis; & obedientes fuimus iuxtà omnia, quæ præcepit nobis Ionadab pater noster.*

Isaac & Rechabitarum obedientia eximia erga parentes.
Chrysost. hom. 47. in Genes. 2.
Ier. 35.

Huic tam eximiæ erga parentem obedientiæ à Deo præmium non defuit: nam Rechabitis dixit Ieremias: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Pro eo, quòd obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa, quæ præcepit vobis; propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Vbi præter perennem posteritatem, promittitur etiam in ea non defuturum virum, qui in conspectu Domini perpetuò stet; hoc est iustè, & laudabiliter viuat. Sic ambulare coram Domino, piè, & sanctè viuere significat. Ideo Genes. 15. Abrahæ Deus dixit: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Quoniam verò, qui piè, sanctèque viuit, à Deo diligitur, ac protegitur; ideo stare coram Domino, ab eo diligi, & protegi significat: sicut è contrario abscondi à facie Domini, est ab eo odio haberi, & destitui. Hinc Cain Deo dixit Genes. 4. 14. *A facie tua abscondar*; hoc est iuxtà Chrysostomum, à tutela, & fauore tuo destituar. Similiter Iob Deo dixit, 13. 24. *Cur faciẽ tuam abscondis; & arbitraris me inimicum tuum?* Præterea stare coram Domino, significat et ministrare, diuinoque cultui inseruire. Hinc Chaldæus vertit: *Non defi*C*ciet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, ministrans coram me.* Similiter 1. Reg c. 1. 22. de Samuële diuino cultui dicato eius mater Anna dixit: *Non vadam donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter.* Rechabitæ igitur in paternæ obedientiæ præmium scribæ, hoc est diuinæ legis periti, templique ministri constituti sunt. Ministerium autẽ Rechabitarum fuit sacros in templo psalmos canere, diuinasque laudes cantu resonare; quod ante templum conditum etiam faciebant. Ideo 1. Paralipomenon cap. 2. 55. de iis dicitur: *Cognationes scribarum habitantium in Iabes Canentes, atque Resonantes, & in tabernaculis* D *commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore patris domus Rechab.* Ideo etiam Psalmus septuagesimus Rechabitis tamquã cantoribus peculiariter inscribitur. Quoniam verò Dauidici Psalmi Christi Domini, iustorumque de diabolo reportandam victoriam vaticinantur; satis congruè Rechabitis in obedientiæ præmium Psalmos canere datum est. Nam vt dicitur Prou. 21. 28. *Vir obediens loquetur victoriam.* Et S. Augustinus in Psalmum septuagesimum Rechabitis inscriptum, ait: *Sola obedientia tenet palmam: sola inobedientia inuenit pœnam.* Maxima autem Rechabitarum patri obedientium laus est, quòd eos, vnà cum aliis sanctissimis viris, veluti exemplaria ad imitandum solitariis Religiosis propo E nit S. Hieronymus Ep. 13. ad S. Paulinum dicens: *Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones; Philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem. Nos habeamus propositi nostri principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios. Noster princeps Elias, noster Eliseus; nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus; & faciebant sibi tabernacula propè fluenta Iordanis. De his sunt filij Rechab; qui vinum, & siceram non bibebant; qui morabantur in tentorijs; qui Dei per Ieremiam voce laudantur; & promittitur eis, quòd non deficiat de stirpe eorum vir stans coram Domino.*

Stare coram Deo quid significet.

Rechabitarũ erga parentes obedientia quod præmium habuerit.

4. Reg. 6.
Ier. 35.

Obedientia Christi Domini erga genitricem, & nutricium Iosephum.

Bernar. ser 19 in Cantica.

29. Sed instar omnium, eximium erga parentes obedientię exemplar Christum Dominum habeamus; de quo dicitur Lucæ c. 2. 51. *Descendit cum eis; & venit Nazareth; & erat subditus illis*, nempe Virgini matri, & Ioseph nutricio. Vbi Bernardus ait: *Cum remansisset in Ierusalem, & dixisset, in his, quæ Patris sui erant, oportere se esse; non acquiescentibus parentibus eius, sequi eos in Nazareth non despexit, Magister discipulos, Deus homines; Verbum, & Sapientia fabrum, & feminam.* S. Basilius in Constit. monasticis c. 4. de Christo Domino ait: *In prima ætate subditus parentibus omnem laborem corporalem mansuete, & obedienter sustinuit. Cum enim homines illi essent iusti quidem, & pij; verum pauperes, & rebus necessarijs non abundantes, meritò laboribus corporis assidue dediti erant, per hos necessarias res sibi ipsis acquirentes. Iesus autem his subditus, omnium etiam simul perferendo labores, obedientiam declarabat. Itaque discamus filij subiecti esse parentibus.* Ita Iosephi fabrilibus laboribus, tamquam obsequens filius, opem Christus Dominus tulit; vt inde faber ipse dictus fuerit, Marci 6. 3. *Nonne hic est faber?* Cumque Ioseph iuxtà sanctum Chrysostomum, & S. Thomam, faber lignarius fuerit, Christus Dominus talem fabrilem artem exercens; *Erat iuga boum conficiens*, ait S. Iustinus: scilicet, vt hinc nobis obedientiæ iugo colla submittenda esse indicaret. Præterea, vt matri etiam obsequentem se Dominus exhiberet, materni etiam laboris particeps esse voluit. Quod piè meditatus S. Bonauentura ait: *Legitur de Domina, quòd colo, & acu quærebat sibi, & filio necessaria: suebat ergo, & filabat mundi Domina, & paupertatis amatrix. Sed numquid ibat ipsa per domos petendo pannum, & alia, in quibus operaretur? Sed cum Iesus cœpit esse quinquennis, numquid & ipse portabat ambasiatas matris petendo pro ipsa ea, in quibus operari valeret? Non enim habebat alium scutiferum. Sed numquid reportabat opera facta petens ex parte matris solutionem, & pretium? Nonne in talibus erubescebat puer Iesus, filius Dei altissimi; & etiam mater ipsius mittens? Sed quid, si aliquoties dum opus reddidisset, & pretium peteret, mulier aliqua superba, & rixosa, & loquax iniuriosè respondit, opus factum accepit, eum sine pretio expulit, & sic vacuus domum rediit? ô quot & quanta sunt iniuria aduenis, quas Dominus vitare non venit, sed suscipere?* Boni concionatoris sermo harmoniam quamdam habere debet; quæ ex consonantia inter os, & cor, inter verba, & opera ipsius concionatoris proueniat. Quare musicæ nomine diuini verbi prædicationem intelligendam esse docet Hugo Cardin. cum Ecclesiastici 32. Spiritus sanctus præcipit: *Non impedias musicam*. Sed ipsum Dei Verbum, cum sub humana carne ad populum vtilissimam concionem haberet; eaque repentino mulieris clamore interpellaretur Lucæ 11. quæritur cur suauissimæ musicæ interpellatrix mulier obiurgata non fuerit; sed ei potius Dominus pacatè responderit? Respondet Costerus meditatione 27. à mulieris obiurgatione Dominum abstinuisse; quia eius mater, exclamantis mulieris verbis laudabatur, *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Vt hinc omnes doceremur quanti parentum honor sit faciendus.

Iuga boum fabrili arte Dominus cōficiebat.

S. Iustinus Dialog. contra Tryphonem

S. Bonauent. in meditationib. vitæ Christi c. 12.

Christus Dominus cur interpellantē diuina verba mulierem non reprehenderit?

30. Sed quamuis tot sacrarum litterarum testimonijs, & exemplis honor, & obedientia erga parentes præcipiatur, & commendetur: & quamuis Apostolus ad Colossenses 3. 20. dicat: *Filij obedite parentibus per omnia*: omnia tamen intelligenda sunt, quæ diuinæ legi consona sunt, non contraria; alioquin ijs nullatenus est obediendum. Ad quod significandum Apostolus dixit ad Ephes. 6. *Filij obedite parentibus vestris in Domino.* Vbi quærit Hieronymus, cur additum sit, *in Domino*? Et respondet: *Vt parentibus nostris obtemperemus in Domino, implentes ea, quæ non sunt contraria Domini voluntati.* Idem docet Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 7. Cum enim diuinę voluntati contraria parentes præcipiunt, sunt potius odio habendi; ab eorum scilicet mandatis abhorrendo: quod Dominus Lucæ 14. docuit dicens: *Si quis non odit patrem suum, & matrem; non potest meus esse discipulus.* Et Matth. 10. 37. *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Nam, vt benè S. Thom. adnotauit opusc. 7. *Deus verior pater est, cui potius est obediendum. Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te?* dicitur Deut. 32. Ideo S. Hermingildus potius necem ab impio patre subire voluit, quàm contra verā Dei legem eius impietati obtemperare, de quo S. Gregorius lib. 3. Dialogor. c. 31. Ideo Deut. 33. 9. dicitur. *Qui dixit patri suo, & matri sua; Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro vos: & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.* Quo textu S. Augustinus conuincit Manichæos falsò dicentes Euangelium contrarium esse veteri testamento, & antiquo Dei præcepto de honorandis parentibus. *Manifestum est*, concludit Augustinus, *honorem parentum in gradu suo esse seruandum, & eos tamen in diuini amoris comparatione, præsertim si impedimento sunt, nulla dubitatione oportere contemni.* Similiter S. Chrysost. ait: *In omnibus obtemperandum parentibus est; præterquàm in his, quæ pietati officiunt. Ita cùm sanctum sit, omnem honorem parentibus afferre; cùm plusquàm oporteat quærunt, veritati reluctantes, resistendum est. Sic Luca c. 14. à Domino dicitur: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & liberos, & fratres, adhuc & animam suam, non potest meus esse discipulus. Non simpliciter iussit te coniunctos tibi homines insequi: id enim iniquum omninò, atque pestiferum est. Sed quando plus me petit aliquis diligi, odio ipsum me habeas, ait. Hoc enim tam diligenti, quam ei, qui diligitur, perniciosissimum est.* Exodi 32. 25. contra idololatras Israelitas Moses dixisse legitur: *Si quis Domini est, iungatur mihi. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium suum super femur suum; ite, & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum; & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Fecerunt filij Leui iuxtà sermonem Moysi; ceciderunt que in die illa, quasi viginti tria millia hominum. Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino.* Vbi benè Ambrosius ait: *Quod occidi fecit à proximis proximos, filios à parentibus, à fratribus fratres, præceptum euidens, quia præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati. Ea est enim vera pietas, quæ præponit diuina humanis, perpetua temporalibus. Neque verò aliquid durum videtur pro vindicta iniuriæ cælestis. Denique sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio Deus. Nesciunt enim suis parcere, qui nihil suum norunt; quoniam sanctis omnia Deus est.* Vide præterea Hieronymum Epist. 1. Iniqua præcipientibus parentibus obtemperandum non esse, ipso naturæ lumine Ethnici cognouerunt. Agesilaus iubenti patri, vt in causa quadam sententiam legibus non consonam pronunciaret, respondit:

Obediendū parentibus sed cū consona diuinæ legi præcipiunt.

August. lib. contra Adimantum c. 6.

Chrys. 9. Homil. in 10 Matth.

Luca 14.

Ambrosius Ep. 50 ad Romulum

Agesilaus, & Acrotatus parentibus praua præcipientibus laudabiliter non obtemperarunt.

Plutarchus de vetosa verecundia. Plutarchus in apoph. Laconum.

Abiit, pater, à puero didici parere legibus. Quamobrem nunc quoque tibi obtempero, cauens ne quid faciam præter leges. Similiter Ærotatus parentibus petentibus, vt iniquus in re operam ipsis nauaret, cum aliquandiù verbis repugnasset, grauius vrgentibus parentibus respondit: *Quamdiù vobiscum vixi, nullam habui iustitiæ notitiam: sed postquam me patriæ, eiusque legibus tradidistis, & ad iustitiam, honestatemque pro viribus, facultatibusque vestris erudistis, conabor his potiùs, quàm vobis obsequi; ac quoniam vultis me optima agere; optimum autem est tum priuato, tùm multò magis principi id, quod est iustum; agam quæ vultis; quæ verò dicitis, detrectabo.*

Parentum in benè educandis filiis ob. gatio.

31. Vt filij parentibus debitum honorem, & obedientiam exhibeant; antea parentes in filiis benè educandis verbo, & exemplo prælucere debent; & erga eos ita se amanter, & beneficè gerere, vt hinc filii grati animi incitamento discant *mutuam vicem reddere parentibus, quod acceptum est coram Deo*, vt dicitur epist. 1. ad Timoth. cap. 5. Quare Apostolus ad Ephes. 6. cum dixisset: *Filij obedite parentibus vestris in Domino*, veluti correlatiuum mandatum subdit, *Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros; sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.* Seu iuxtà Hieronymum, *In admonitione Domini*: monendo scilicet sæpè, & efficaciter filios, quid iuxtà Dei legem agere debeant. Genes. 6. iuxtà Chrysost. & Augustinum, Filij Seth vocantur filij Dei; vt hinc doceamur à iustis, qualis Seth fuit, ita filios educari, vt filij Dei videantur, Deique filij meritò nominari possint. Educare, & erudire ita parentes filios debent; *Vt ex membris primi hominis transferant in membra Christi*, ait August. lib. 1. de nuptiis cap. 4.

Chrysost. hom. 22. in Genes. Seth ita filios educauit, vt Dei filii vocati fuerint. August. 15 de Ciuit. c. 23.

32. Parentes, qui filios obedientiam, & honorem Deo, Sanctisque debitum non docent, meritò à filiis non honorari, sed iniuriosè contemni Deus permittit. Tales parentes filios non educare, sed enecare dicendi sunt. 4 Reg. cap. 2 de Elisæo dicitur: *Cum ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei. Qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: Egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Cur non alio mortis genere puniti, sed vrsis potiùs lacerandi tales pueri dati sunt? Vrsi teste Plinio lib 8. cap. 36 & lib. 10. cap. 63. informes suos fœtus lambendo formant, & figurant. Vt igitur Deus indicaret parentum Vrsos non imitantium negligentiam, in suis filiis iuxtà bonos mores efformandis, ipsos filios malè educatos ab Vrsis deuorari voluit: Et hinc peruersi filii conqueri potuerunt: *Perdidit nos aliena perfidia; parentes sensimus homicidas*, vt ait Cyprianus serm. 5. de lapsis. *Deus puerorum clade parentes flagellauit; ac simul posteros monuit, vt in verâ Dei cultu modestia, & probitate filios suos educent, ne similiter castigentur*, ait S. Iustinus quæst. 80. Primo Reg cap. 4. Heli sacerdos, quòd filios malè educarit, cum iis mortem, & damnationis reatum incurrit: *Quia falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum Iudicem, semetipsum cum filijs crudeli damnatione percussit*: ait S. Gregor. 1. par. Pastor. cap. 6. *Heli propter duos dumtaxat filios, quos non ea, quâ digni erant correctione corripuit, cum eis simul, & cum tot hominum multitudine periit*, ait B. Petrus Damiani lib. 1. epist. 6. Multitudo autem Israëlitarum, quæ periit, fuit *triginta millia peditum*. Similiter S. Eucherius ait: *Heli sacerdos pro filiorum iniquitate*

Filii à parentibus malè educati cur ab vrsis deuorati?

Parentes filios malè educantes sunt parricidæ.

Heli sacerdos filios malè educans cum iis seuerè punitur.

S. Eucherius vel auctor anglus. 1. Reg 6. 4 9. 11.

A *damnatus est, quòd eos peccantes minus seuera animaduersione plectebat. Equidem coërcuit, equidem corripuit; sed lenitate, & mansuetudine patris, non seueritate, & auctoritate Pontificis.* Ideo parentes benè monet Chrysostomus hom. 49. in Genes. *Vos viventis curam geratis, & continentiam filios vestros doceatis. Consuetudo enim malitia processu temporis inualescens tantum facit malum, vt postea non possit aliqua vinci admonitione. Et cum semel à malitia fuerint occupati, quasi in captiuitatem essent adducti, quoquò diabolus iusserit, eunt. Ille enim eis imperat, & perniciosa illa dat mandata, quæ iuuenes libenter perficiunt, præsentem tantùm voluptatem spectantes, & futurum dolorem non cogitantes. Ideo oro, vt præbeatur manus pueris no-*
B *stris, ne etiam pro his, quæ illi peccarunt, pœnas sustineamus. An nescitis quid seni Heli acciderit, cum non debitè emendaret filiorum delicta? Sicut medicus, si morbum sectione indigentem, sectione, aut emplastro curare noluerit, citò morbum incurabilem efficiet, cum congruam non adhibeat medicinam: Ita senex ille cum deberet filios suos pro qualitate peccatorum emendare, nimia vsus lenitate, illos arguit. Proinde oro, exemplo hoc timeamus, & habentes filios prouideamus eis de honesta educatione.* Ideo benè Salomon monet Prouerb. cap. 22. 15. *Stultitia colligata est in corde pueri; & virga disciplinæ fugabit eam.* & cap. 13 24. *Qui parcit virgæ, odit filium suum.* Parentes enim, qui filiorum correptionem omittunt, & erga eos nimis indul-
C genter se gerunt, Simias imitari videntur, de quibus Plinius lib. 8. cap. 54. ait: *Simiarum generi præcipua erga fœtum affectio. Gestant catulos, quos magna ex parte complectendo necant.*

Parentes nimis erga filios indulgentes, simias imitantur.

33. Porrò sicut in parentibus erga filios nimia lenitas vitiosa est, ita etiam asperitas nimis. Quare idem, quod ad Ephes. monitum repetens Apost. ad Coloss. 3. ait: *Filij obedite parentibus vestris per omnia. Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.* Seu ex Græco: *Ne despondeant animum*: scilicet cum viderint iracundis parentibus satisfacere se non posse, animum despondeant, spemque habendi cum parentibus concordiam abiiciant; &
D ita paternum priùs, deinde diuinæ legis iugum excutiant. Subdit ibidem Apostolus: *Qui iniuriam facit, recipiet id, quòd iniquè gessit.* Huius eximium exemplum natura protulit. Nam vt ait Basilius in Hexameron hom. 8. *Iniquissima volucris aquila in educanda sua prole dicitur esse: duos enim mox vt exclusit pullos, horum alterum alarum verbere cæsum nido deturbat in terram: alterum autem, & eum solùm exceptum vt proprium adiungit sibi familiariter. Quin hunc quoque, quem ipsa genuit ob nutricationis difficultatem à se ablegat. Eiusmodi parentes ij sunt in liberos praui, & inclementes; qui prætextu à paupertate quæsito suos infantes exponunt; aut certò iniquissimos se declarant*
E *patrimonio in filios partiendo.* Eamdem suos in pullos aquilæ sæuitiem refert Aristoteles 1. de histor. animalium cap. 31. eamdem etiam in prolem sæuitiem coruos exercere refert Chrysostomus hom. de Elia dicens: *Odit coruus prolem suam, & natam non educat.* Idem docet Aristoteles lib. 6. de histor. animal. cap. 6. & lib. 9 c. 31. Plinius etiam lib 10. cap. 12. ait: *Corui pellunt nidis pullos, ac volare cogunt, robustos quoque fœtus suos fugant longius.* Hinc est, quòd coruorum pulli à parentibus destituti diuina à Deo naturæ auctore nutriri dicantur. Psal. 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Huic coruorum sæuitiæ eorum filii par

Parentibus in filios asperitas nimia vitanda.

Aquilæ, & corui suam in prolem sæuitiæ.

Maiolus colloquio 6.

reddunt. Nam teste Ælianus lib. 2. cap. 49. *Expulsi à parentibus pulli, ea, quæ sunt ad viuendum necessaria, inquirunt; genitoresque suos iam senio confectos, & ad prædandum inutiles minime alunt;* & quòd peius est, eos deuorant, vt supra etiam diximus, & apud Philetem Græcum legitur. Propterea corui parricidæ, & culeo digni dicuntur, iuxtà Aldobrandum. Eadem etiam sæuitia aquilarum filiis tribuitur in parentes antea ipsis filiis crudeles, vt suprà diximus. Rectè ergò Apostolus cùm monuisset parentes in filios, & filios in parentes benè se gerere debere, addidit: *Qui iniuriam facit, recipiet id, quod iniquè gessit.* Sicut è contrariò, qui pietatem exercet, recipiet id, quod piè gessit. Quare si Ciconiæ, vt suprà vidimus, adeo suam prolem obsequiosam experiuntur, mirum esse non debet; cùm anteà ipsæ in filios, eximia pietatis officia exerceant. Hoc autem comprobat, quod de ciconiis scribit Gregor. Bruin in Delphio. *Anno Domini 1536. Conflagrante toto ferè Delphio Batauorum oppido, parentes filios adhuc ad volandum impotentes, ab incendio protegentes, alis contexerunt, rostro detulerunt, ac pedibus, vt eriperent: & ne officium intermitterent poterunt, nunquam deseruisse, quin potius mortem cum ipsis sustinuisse propalam visa sunt.*

Ciconiæ suos vt pullos ab incẽdio liberarent, vnà cũ ipsis conflagrarunt.

34. Ciconias non imitantur parentes, qui filios malè educando, eos non ab igne eripiunt, sed in æternum incendium miserabiliter coniiciunt. S. Gregor. 4. Dialogor. cap. 18. narrat paruulum quemdam blasphemare solitum, è patris gremio à dæmonibus fuisse abreptum: *Quatenus reatum suum pater eius agnosceret, qui paruuli filij animam negligens, non paruulum peccatorem gehennæ ignibus nutriuisset,* subdit Gregorius. Quomodo benè instituendi sint filii Anna Samuelis piissima mater ostendit. *Natus Samuel fuit apud matrem tempore lactis; mox, vt eum ablactauit, dedit in templum; vt ibi cresceret, ibi roboraretur spiritu, ibi Deo seruiret,* ait Augustinus in Psal. 98. *Prima statim pueritia à mamma matris venit ad mammam spiritualem,* ait Chrysostomus hom. de Samuele. Idem Chrysost. hom. 21. in epist. ad Ephes. de Anna suum primogenitum Deo offerente ait: *Primitias obtulit, aluus eius facta est fœcunda, & alios etiam fratres illi acquisiuit.* S. Ambrosius exhortatione ad Virgines laudans Iulianam nobilissimam Romæ matronam, quæ Deo suum vnigenitum Annam imitata dedicauerat, eam sic filium alloquentem inducit: *Tu fili, impetratus meus, & votiuus meus, agnosce a quo donatus sit mihi. Ille tua ora plasmauit; ille tua membra distinxit; ille mea orata suscepit; cuius templo, cuius obsequiis, antequam nascereris, sacraui. Non parentibus, non tibi, sed Deo natus es; cuius antequam de vulua matris exires, esse cœpisti. Et omnes quidem illius sumus; sed tamen tu specialiter promissus Domino redderis; ego quasi Anna promisi, vt omnibus vitæ tuæ diebus, ac noctibus à conspectu Domini non recedas: tu exequere.* S. Bernardus epist. 110. parentes alloquens ait: *Si filium vestrum Deus facit & suum, quid vos perditis? Aut ipse quid perdit? fit de diuite ditior, de nobili generosior, clarior de illustri; & quod his omnibus maius est, sanctus de peccatore: sed vos non perditis eum; quia multos per eum acquiritis vobis filios. Quotquot sumus in Claraualle, ipsum in fratrem, vos in parentes recipimus.* S. Hieronymus ad Lætam ep. 7. de institutione filiæ sic egregiè scribit: *Samuel nutritur in templo, Ioannes in solitudine preparatur: ille sacro crine venerabilis est; vinum, & siceram non bibit; adhuc paruulus cum Domino sermocinatur. Hic fugit vrbes; zona pellicea cingitur; locustis alitur, ac melle syluestri; & in typum pœnitentiæ prædicandæ tortuosissimi animalis vestitur exuuiis. Sic erudienda est anima, quæ futura est templum Dei. Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret. adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur. Iurare non discat; mentiri sacrilegium putet; nesciat sæculum; viuat Angelice.*

Puer malè educatus è patris gremio à dæmonibus rapitur.

Matrum in filiis benè educandis exempla.

Tob. cap. 1.

Cap. vltimo.

Tobias optimus filii educator.

35. Tobias piissimus pater egregium educandi filios specimen dedit: de eo enim dicitur: *Genuit filium, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. In hora autem mortis suæ vocauit ad se Tobiam filium suum, & septem iuuenes filios eius, nepotes suos, dixitque eis: Audite filij mei patrem vestrum: seruite Domino in veritate, & inquirite, vt faciatis, quæ placita sunt ei: & filijs vestris mandate, vt faciant iustitias, & eleemosynas; vt sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute sua.* Quæ pia genitoris monita cum Tobias filius benè seruasset, de eo dicitur: *Vidit quintam generationem, filios filiorum suorum. Et completis annis nonaginta nouem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum. Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius in bona vita, & in sancta conuersatione permansit; ita vt accepti essent tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.*

Cap. vltimo.

36. Cum ad diuinam iram placandam duo filij Resphæ vxoris Saulis, crucis patibulo affixi essent; De ea dicitur 2. Reg. 21. 10. *Tollens Respha cilicium substrauit sibi supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo, & non dimisit aues lacerare eos per diem, neque bestias per noctem.* Tradunt Hebræi hæc duorum filiorum corpora mansisse in cruce sex ferè mensibus, nempe à Martio ad Septembrem; quo mense in Palæstina pluuiæ æstate cessantes, incipere solent. Si tanta sollicitudine sub dio per noctes, & per dies pia hæc mater perseuerauit, vt exanimes filios intactos à rapacibus volucribus seruaret: quanta sollicitudine parentibus curandum est, ne filiorum animæ immundorum spirituum prædæ sint.

Respha ergo filiorum suspensa cadauera p… tas.

37. Benè instruendi filios specimen Dauid dedit, cum Psal. 33. 12. dixit: *Venite, filij, audite me: timorem Domini docebo vos.* De agnis scribit Arist. lib. 6. de hist. anim. cap. 19. *Candidi, nigriuè efficiuntur fœtus, si sub lingua arietis venæ nigræ, aut candidæ habentur.* Si ab arietis lingua agnorum colores pendent, multò magis in hominibus filiorum mores à patria lingua eos instituente proueniunt: humana enim proles vitiosa, vel virtute prædita erit; si patris lingua vitiorum nigredinem, vel virtutis candorem loquendo referet. Porrò citato Psalmi loco legit Aquila: *Venite filij, respicite me.* Parentes enim ita exemplo filiis prælucere debent, vt filij non solùm parentum verba audientes, sed vitæ formam respicientes, ad benè viuendum incitentur; alioquin parentum monitis nihil proficient. *Parentis vitium, filiorum exitium* vocat Chrysost. serm. 111. Elegans est Apologus Aniani. *Cancrum retrogradum monet mater, antrorsum vt eat: Filius respondet: Mater, præi, sequar.* Suauissimè canit luscinia, sed cantus suauitate parentis imitatur exemplum: *Luscinia modulos suos pullos docere; versusque, quos imitarentur, tradere visa est,* ait Arist. 4. de animalibus cap. 9. Sua de can-

Agni nigri, vel albi nascuntur, si arietes generantes lingua nigredinem, vel candorẽ habeant.

Parentũ bonis, vel malis, filiorum mores conformantur.

In Aniano, seu Æsopi fabulis.

Cancri, eiusque matris apologus.

Luscinia suos pullos suauiter canere docet.

ctâ Matre testatur August. lib. 1. Confess. *Præcepta vita, quæ in animo plantauerat verbo, rigabat lacrymis, alebat exemplis.* De S. Basilio ait Nazianzenus orat. 30. *Illi contigit domesticum habere virtutis exemplar; in quod oculos conjiciens iam inde ab ineunte ætate optimus erat. Patrem generoso impetu è propinquo affectabatur; nec à summis virtutibus illius longo interuallo distabat.* Porrò monita, quæ citato psalmo Dauid dedit, filiisque à pio parente sunt danda, illa sunt: *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo, & fac bonum; inquire pacem, & persequere eam.* De quibus vide ibi Patres, & interpretes.

S. Basilius patrem educatorē optimè habuit.

38. Præterea monita ipsi à Dauide patre data, refert Salomon Prou. cap. 4. *Ego filius fui patris mei tenellus, & vnigenitus coram matre mea; & docebat me, atque dicebat: Possi de sapientiam, possi de prudentiam. Ne dimittas eam, & custodiet te: dilige eam, & conseruabit te.* Non possessionem auri, & argenti; non possidendum regnum; sed Sapientiæ possessionem Dauid filiu commendauit. Et quoniam *Timor Domini principium Sapientiæ est:* præ omnibus timorem Domini, eiusque cultum, & venerationem cordi esse debere Dauid docuit. Rursus à teneris annis filij ad virtutem instituendi sunt. *Dum tener est natus, generosos instrue mores,* cecinit Phocylides; ideo, cum adhuc tenellus esset, se à patre bene institutum fuisse Salomon dixit. *Cereus in vitium flecti puer est,* vt Poëta dixit, si malè instituatur: sin benè, cereus in virtutem erit. Ideo benè monet Basilius. *Animus dum tener est adhuc ritu ceræ, quæ impressas in se formas quascumque facillimè recipit, mollissimè cedit. confestim ab ipso initio omni rerum bonarum imbui exercitatione debet.* Similiter Plutarchus lib. de institutione liberorum ait: *Sicut infantium membra, simul ac nati sunt, formari, componique debent; vt recta, minimeque obliqua fiant; ita puerorum mores principiè apte, concinneque fingere conuenit. Illa enim nouella ætas ad fingendum facilis, & tenera est; & illorum animis, dum molles adhuc extant, disciplina melius instillantur. Difficilius autem, quæ dura sunt, molliuntur. Sicut enim sigilla mollibus imprimuntur ceris; ita & doctrina, dum puerilis animus est, insculpuntur. Ego filius fui patris mei tenellus: filius fui patris mei delicatus,* legit Chaldæus: hoc est, filius fui in deliciis eoutritus. Quoniam nimiæ deliciæ regios pueros à virtute auertere solent; hoc in se non accidisse testatur Salomon; cum prudens eius pater non ita filij deliciis indulserit; vt virtutis studium omitti permiserit. *Filius fui, vnigenitus coram matre mea:* Vbi siue vnigenitus pro vnico filio intelligatur; siue pro primogenito accipiatur; sicut accipitur Genes. 22. vbi de Isaac, qui primogenituræ ius habebat, expulso iam Ismaële, dicitur: *Tolle filium tuum vnigenitum:* Vtraque acceptio auget benè educandi curam in Salomone adhibitam. Quandoquidem erga vnigenitos, vel primogenitos indulgentiores parentes esse solent; iisque ne nimis coërceantur, indulgere: cum contrarium sit faciendum. Nam vnigeniti magis bonis moribus imbuendi sunt; ne vitiis corrupti in peccatorum pœnam citò vita priuentur, orbusque pater superstes remaneat. Præterea primogeniti peculiariter bonis moribus instituendi sunt; vt minoribus fratribus exemplo præluceant. Sic à piissima matre Blancha tamquam sanctæ vitæ iunioribus fratribus exemplar institutus est S. Ludouicus Galliæ Rex: cui piissima parens sæpè dicere consueuit:

Dauidis monita Salomoni filio data.

Prou. c. 1. 7. Filii à teneris annis sunt benè instituendi. Horatius. Basilius in regulis fusius disput. interrogat. 15.

Vnigenitus pro primogenito sumitur.

Primogeniti præcipuè sunt bene instituendi.

Mallem te, fili mi, mortuum cernere, quàm Creatorem tuum mortali crimine offendentem. Quæ verba vsque adeo illius animo hæsere, vt diuina ipsum gratia protegente, nunquam huiusmodi crimen admiserit. Huiusmodi monitis instituenda est tenera filiorum ætas.

S. Ludouicus nunquam mortaliter peccauit ob frequentia Blanchæ matris monita. Surius in S. Ludouici vita.

39. Ideo Ecclesiastici 7. 25. dicitur: *Filij tibi sunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum.* Ex Græco legitur: *Flecte illos à pueritia illorum.* Filij enim à pueritia ad obediendum flexibiles reddendi sunt; cumque corruptæ naturæ propensione in vitia, noxiasque affectiones tendere videntur, inde eos cursum reflectere sunt cogendi. Quod si à prima ætate non fiat, eueniet vt pueritiæ, & adolescentiæ vitia non correcta in senectutem vsque perdurent. Nam, vt Salomon ait: *Prouerbium est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Quam enim viam siue bonam, siue malam adolescens inierit, eâdem vsque ad senectutem incedet. Quod si adolescens prauam viam inierit, *ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient,* vt dicitur Iob 20. 11. Per ossa duras prauitatum consuetudines intelligit Gregorius: *Quæ ossa cum eo in puluere dormient, quia eousque in illo iniqua consuetudines perdurant; quo hunc ad mortis puluerem pertrahant, & non nisi cum eius vita finiantur.* Arbores cum teneræ virgæ adhuc sunt, vt rectæ assurgant curandum est; cum autem obduruerint, obliquitatem, in quam deflexerint, non relinquent. Idem de homine, qui arbor inuersa dicitur, est dicendum. *Rami, quando correxeris eos, rectificantur: trabs autem non lentescit, quando correxeris eam.* Arabico prouerbio dicitur Cant. 1. n. 66. Ideo monuit Plato in dialogo Euthyphronis: *Consentaneum est primam de iuuenibus curam suscipere; vt quàm optimi euadant: quemadmodum decet agricolam nouellarum plantarum primam curam agere.* Idem Plato lib. 4. de Republica: *Magistratus summi est prospicere, vt pueri, & iuuenes honestè, & sanctè à prima ætate, & infantia instituantur.* Eadem arborum similitudine vtitur S. Hieronymus epist. ad Demetriadem: *Optimè fit ad institutionem morum; pueri quippe apti sunt: habent enim in se lentum quoddam, & molle, quo formari queant, atque ad arbitrium volentis trahi; & in cunctis ferè rebus citiùs assuescit, quod tenerum est. Nouellas adhuc, & vix firmæ radicis arbusculas, dum ad omnem ductum sequaces sunt, in quamlibet partem flecti facile est. Ipsa quoque litterarum studia teneris melius inseruntur ingenijs. Hoc etiam plurimum in viuendi rationem valet; dum adhuc mollis est ætas, & animus duci facilis, exercenda boni consuetudine & iugi meditatione firmanda est.* Idem sub similitudine lanæ conchyliorum sanguine tinctæ, & recentis vasis, in quem liquor infunditur, docet Hieronymus epist. 7. dicens: *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum candorem reuocet? Recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quo primum imbuta est. Græca narrat historia Alexandrum potentissimum Regem, orbisque domitorem, & in moribus, & incessu Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitijs, quibus paruulus adhuc fuerat infectus,* ait idem Hieronymus in Prouerb. cap. 22.

Filii à pueritia malè educati in senectutem vitia protrahunt. Prou. c. 22. 6.

Alexander Macedo pædagogi vitia contraxit.

40. Cum Dauid pluribus Psalmis inscriptionem illam proposuerit: *In finem:* quærit Chrysostomus, cur eâdem inscriptione non vsus sit in Psalmo 14. Et respondet: *Psalmus ille, qui etiam docet de iustitia, & cæteris virtutibus, non*

Psalmus decimus quartus cur non inscribitur: In finem?

debet in finem vitæ suadere hæc acquirere; sed ab initio, ab ipsis incunabulis, & à teneris vnguiculis cum eis versari. Nemo enim puero suadens, & eum admonens dicit: Sis temperans ad finem; sis prudens, aut iustus ad finem; sed ab initio eum instituit ad vitam modestam; & ab ineunte ætate ei iacit fundamentum, Dei metum. Omnis quoque vir erat, vt filius eius non in finem ditetur; nec, vt quando fuerit senex, prudens euadat: sed vt diuitiæ, & prudentia, & auctoritas cum eo ab initio, & ab ineunte ætate versantes, ei comites sint vsque ad senectutem. Propterea dicebat B. Ieremias: *Bonum est viro, quando iugum tulerit ab adolescentia sua. Si enim nullus nostrûm vult possidere seruum senem; nec qui habet delectum exercitus, senes refert in numerum; multò magis regnans virtus mauult adolescentiam, quàm senectutem.* Prou. 13. 24. Vbi dicitur: *Qui diligit filium, instanter erudit.* Ex Hebræo legitur: *Diluculo, seu mane.* Et sensus est, ipso mane, seu ætatis diluculo, nempe in pueritia, cum primus rationis radius illucescit, à bono parente filium esse erudiendum.

Ierem. Thr. 3.

A

B

41. S. Ambros. in Psalm. 118. set. 19. explicans allata Ieremiæ verba. *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit,* ait: *Qui à iuuentute iugum portauerit; & habenis maturi moderaminis teneriora volens colla subdiderit; sedebit singulariter remotus à strepitu interpellantium passionum, & quietus silebit; cui iam non necesse est iurgari cum corpore, decertare cum varijs cupiditatibus; quia tulit iugum verbi anima, quæ quærit Deum; quæ captiuas sibi fecit omnes delicias iuuentutis.* Bernardus Dorhot in speculo iuuentutis plura colligit eximia exempla eorum, qui à pueritia benè fuerunt educati. *Insignis matrona filiolum quinquennem Martyrum sanguine perungebat, eum ad martyrij gloriam frequenter accendens; tandem sub tenera adhuc ætate, secum martyrij palmam alacriter consequi vidit sub Dunaano Tyranno,* vt refert Baronius tomo 7. anno Christi 522. pagina 93.

Thr. 3. 27.

C

Puer quinquennis Martyrum sanguine à matre perunctus, adhuc puer martyrium subiit.

42. Balearium insularum incolæ fundæ ictu ad collimandum insignes sunt. Hanc autem collimandi peritiam matrum industria à pueritia discunt: de iis enim Diodorus testatur: *Ita rectè lapides propellunt, vt rarò effugiat ictum appetitus locus. Quod eis continuò à pueritia vsus præbet, à matribus ad id certamen coactis: imponunt enim supra erectum lignum panem, signum, quod ictu petant; neque ante cibum capiunt; quam panem lapide eiectum pro cibo sumant.* Similiter à bonis pueri parentibus & alimenti, & blandimenti præmio proposito, suis vt operationibus ad virtutis scopum collimient, incitandi sunt. Alioquin *quod in pueritia, & in iuuentute non discitur, in matura ætate nescitur,* vt Theodoricus Rex scripsit apud Cassiodorum lib. 1. ep. 24. Psitacus teste Apuleio lib. 2. Floridorum, primo vitæ biennio facilè addiscit quidquid suggeritur: senio sic obstupescit, vt quantùm flagelletur, nunquam doceatur.

Balearium insularum pueri quomodo ad collineandū bene instituantur.

D

E

43. De equis ad bellicam disciplinam effotmandis Poeta cecinit:

Virgilius Georgic. l. 3.

Primus equi labor est animos, atque arma videre
Bellantum, lituosque pati, tractuque gementem
Ferre rotam, & stabulo frenos audire sonantes.
Tum magis, atque magis blandis gaudere Magistri
Laudibus, & plausæ sonitum ceruicis amare,
Atque hæc iam prima depulsus ab vbere matris
Audeat, inque vicem det mollibus ora lupatis.

Elaborant gressus ad numeros quosdam glomerare pulli equini. Equi in theatris decubitus, tripudia, & stationes periculosas, motionesque exactè effingunt, ait Plutarchus lib. de ratione brutorum. Quod si principes viri, & equites in equis à prima ætate bene effotmandis tanto studio tenentur; quanto maiori cura in filiis à pueritia benè instituendis affici debent; vt ij à teneris annis acriter contra vitia dimicare discant? Themistocles adolescens ferox, & mutabilis antea, cum postea mores mutasset, mirantibus ciuibus dixit: *Asperos, & indomitos pullos, in optimos equos euadere, si quis illis adhibeat disciplinam, rectamque institutionem,* vt in Laconicis refert Plutarchus. *Equus indomitus euadit durus; & filius remissus,* hoc est suæ voluntati sine disciplinæ fræno relictus, *euadit præceps*: præceps scilicet in malum, dicitur Ecclesiastici 30. 8. Bonæ ergo disciplinæ fræno à teneris annis ad benè operandum instituendi sunt filij. Nam, vt benè Vegetius de re militari lib. 1. cap. 4. ait: *Incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat: non enim tantùm celerius, sed etiam perfectius imbibuntur; quæ discuntur à pueris,*

Equis non magis, quā filiis bene effōrmādis principes viri studeāt.

44. Filius, vt supra diximus Hebraïcè dicitur בֵּן ben, hoc est ædificium, à radice בָּנָה banâ, id est ædificauit. Hoc ædificium baptismali gratia in Dei templum consecratur. Curandum est igitur parentibus, ne animatum huiusmodi templum vitiis profanetur; ne virtutibus malè fultum collabatur. Ideo Chrysostomus ait: *Annon absurdum est nos domum ruinam minantem fulcire, pecunias impendentes, fabros accersentes, denique nihil non facientes; domum autem Dei (nam Dei domus esse debet adolescentis anima) ne vulgari quidem dignari cura? Vide ne idem audias, quod olim audiére Iudæi. Nam illi postquam à captiuitate templum materiale conspicientes neglectum, priuatas ædes suas exornarunt; adeo Deum exasperarunt, vt mitteret eis prophetam, qui famem minaretur, magnamque rerum necessariarum penuriam; & hanc comminationis causam eloqueretur: Vos quidem in domibus vestris, vndique habetis mansiones; domus autem mea deserta est. Quòd si illius templi neglectus tantam excitauit iram Numinis; multò magis huius templi neglectus ad iracundiam prouocabit Dominum. Si quidem hoc templum tanto est illo honoratius, quantò plura habet sanctimoniæ Symbola. Caue igitur committas, vt templum Dei fiat spelunca latronum. Sed quomodo fiet spelunca latronum? Cum patimur illiberales, ac seruiles concupiscentias intrare, sedemque figere in adolescentulorum animis. Tales enim cogitationes grauiores, ac perniciosiores sunt latronibus, quæ puerorum ingenuitatem vertunt in seruitutem.*

Filii tanquā Dei templū ne prauis moribus profanētur curandū.

Chrys. hom. 60. in Samuele.

Aggæi 1.

Luca 19.

45. Ne huiusmodi latrones in Dei templum, hoc est in pueri animum ingrediantur; iustâ, valdeque proficuâ seueritatis virgâ arcendi sunt, eâdemque, si ingressi fuerint, sunt expellendi. Ideo bonus parens monetur Prouerb. 22. 15. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam:* & Prouerb. 23. 13. *Noli subtrahere à puero disciplinam: Si enim percusseris eum virga, non morietur.* Hoc est, corripiendo virgæ ictu filium, timere non debes, ne ei languorem inducas, adeoque mortem acceleres: cum potius filiorum vitia, Vt præproperæ eorum mortis causa timenda sint. Vitia enim non solùm in demeriti pœnam; sed etiam Physicè per nimiam crapulam, & lasciuiam, vitam breuiorem reddunt. Hinc secundus sensus est: *Si percusseris eum virga,*

virga, & sic eum benè viuere coges, *non morietur*; morte scilicet temporali acerba; insuper nec morte æterna. Ad quod significandum subditur: *Tu virga percuties eum, & animam eius ab inferno liberabis.* Ab inferno, nempe tum à sepulchro, quod alioqnin præpropera morte subiret: tum etiam ab inferno, hoc est à gehennæ incendio; ad quòd, si prauos mores non correxisset, damnatus esset. Præproperam, & violentam, immò etiam infamem mortem ex nimia parentum indulgētia malè educatos filios subire testatus est non vnus, qui ad suspendium damnatus verè dicere potuit: *Non me prætor, sed pater ad suspendium damnat.* Quod multò peius est, quot nunc malè educati filij, & parentes filios malè educantes, æternis ignibus cruciati inuicem maledictis inuehuntur; eo quòd suæ damnationis parens filium, & filius parentem potissimam causam agnoscat. Inter hos nunc cruciatur Iustina, quæ filio Valentiniano Imperatori Arianam hæresim instillauit: & Drahomica impia mater, quæ Boleslaum Bohemiæ tyrannum pessimè educauit.

Parens delinquentem filium seuerè corripiens à duplici morte liberat.

Iustina, & Drahomica filios malè instituentes damnatæ.

46. Allatæ Salomonis sententiæ consonat Eccles. c. 30. *Qui diligit filiū suum, assiduat illi flagella; vt lætetur in nouissimo suo; & non palpet proximorum ostia.* Præmium enim bonæ filiorū educationis, eorumque correptionis est, vt tam filij, quàm parentes extremo vitæ tempore lætentur: parentes quidem quòd ex hac vita transituri filios benè institutos relinquant; filij, quòd à parentibus bene instituti, sub vitæ finem benè ante actæ vitæ conscij, inde lætitiam habeant.

Filiorū bonæ educationis primus fructus.

47. Bonæ educationis fructus secundus est, vt filius benè institutus *non palpet proximorum ostia.* Malè enim in otio educatus filius, dissipato patrimonio luxuriosè viuendo, cogitur mendicantium cæcorū more aliena ostia palpare, & pulsare, cibum ignominiosè petendo. Ne in hanc mendicitatis miseriam filij incidant, parentibus accipitrum exemplū proponit Ambros. l. 5 Hexamer. c. 18. Cum enim pulli volare incipiunt, *Nidis eijciunt, ac si mereantur, propulsant pennis, atque præcipitant, verberant alis; cogunt audere, quod trepidant; nec vllum postea deferunt biennuus alimonia. Cauent ne in tenera ætate pigrescant; ne soluantur delicijs; ne marcescant otio; ne discant cibum magis expectare, quā quærere: intermittunt nutriendi officia, vt in vsus rapiendi audere compellant.* Domestici catuli emendicare coguntur reliquias, & micas, quæ cadūt de mensa dominorum suorum: Canes verò venatici laboriosa venationis disciplina exerciti, non solū sibi, sed suis etiam heris delicatam escam acquirunt. Ideo Lycurgus ad benè instituendos filios per assiduam disciplinam, non autem per nimiam indulgentiam, vt Lacedęmones excitaret, *Catulos duos ex eodem susceptos patre, & matre eduxit; atque vnum domi relictum gulæ assuefecit; alterum secum trahens ad venationem exercuit. Inde produxit eos in concionem; positisque spinis piscium, & gulæ irritamentis emisit simul leporem. Hic cum vterque consueta peteret, & cepisset alter leporem: Ceruitis, inquit, ciues hosce, licèt eâdem stirpe sint; vita tamen disciplinâ longe inter se euasisse diuersos.*

Bonæ educationis filiorum fructus secundus.

Accipitrum ergo prolē bene scuerum.

Lycurgi ad bene filios educandos exemplum. Plutarch. in Apophtegm. Laconic.

48. Tertius bonæ filiorum educationis fructus ab Ecclesiastico dicitur: *Qui docet filium suū, laudabitur in illo; & in medio domesticorū in illo gloriabitur.* Nam, vt S. Maximus ex sacra scriptura ait: *Gloria patris est filius sapiens: Filius sapiens lætificat patrem.* & Prou. 23. 15 Pij patris ad filium verba sunt: *Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum.* Ideo Apostolus Paulus filiis, quos Deo spiritualiter genuerat, ait: *Gaudium meum; &*

Filiorū bonæ educationis tertius fructus.
Prou. 10.
S. Maximus hom. 59.
Filii bene educati parentum gaudium, & ornamentum.

A

corona mea, ad Philipp. 4. & 1. ad Thessal. c. 2. 19. *Quæ est nostra spes, aut gaudiū, & corona gloriæ; nonne vos ante Dominū nostrum Iesum Christū?* Ideo Prou. 17. 6. dicitur: *Corona senū filij filiorum; & gloria filiorū patres eorū.* Vbi corona pro præmio, & insigni ornamento ponitur; & sensus est; sicut filii, & nepotes suorū parentum nobilitate, & honore gloriantur, ita vicissim parentes suorū laborum præmium, suæque senectutis ornamentum filios, & nepotes benè viuentes habent. *Cornelia Gracchorum mater, cum Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua, pulcherrima sæculi illius ei ostenderet, traxit eam sermone quousque è schola redirent liberi; & Hæc, inquit, ornamenta mea sunt; Dominium rerum collabi solet; bonæ mentis vsurpatio nullum tristioris fortunæ recipit incursum.* De parentum gloria à filiis proueniente vide Senecam lib. 3. de beneficiis cap. 31. & 32.

Valer. Max. lib. 4. cap. 4.

B

49. Quartus fructus est: *Qui docet filium suum, in zelum mittet inimicum.* Sic enim inimico vel tortor erit, vel beneficus: tortor, si inimicus inuidiæ stimulis cruciabitur; beneficus, si ad laudabilem æmulationem prouocabitur; vt ipse etiam similiter suum filium benè instituat. Hoc secundum Christiano homini est optandum.

Eccli 30. Filiorū bonæ educationis fructus quartus.

50. Quintus fructus est: *Mortuus est pater eius, & quasi non mortuus; similem enim reliquit sibi post se.* Cum enim filius benè educatus pij parentis laudabiles mores imitatur; illius imaginem referre

C

videtur; ideoque pater in filio tamquam viua in imagine viuere, ac superstes esse, dicitur. 2. ob filios benè educatos, & ab ijs familiæ bonam famam, honoremque conseruatum, dicitur patris vita in hominum memoria conseruari. Si enim Ennius poëta ob relictum post se carminis monumentum dicere potuit:

Eccli 30. Filiorum bonæ educationis fructus quintus. Parentes in filiis bene educatis memori gloria superstites viuunt.

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? Volito viuus per ora virûm.

Id multò magis ob benè institutam familiam pio parenti dicere licet. Ideo Eccles. c. 44. 8. post celebratos pios parentes, addidit: *Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum:* scilicet tum ipsorum filiorum, tum eorum parentum. Subdiiit præterea: *Filij eorum, propter illos vs-*

D

que in æternum manent: semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur. Corpora eorum in pace sepulta sunt; & nomen eorum viuit in generationem, & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia. Quoniam verò *omnibus hominibus filij sunt anima,* vt ait Euripides: de huiusmodi anima, non solùm de sua propria pius parēs mortalem vitam relinquens benè dicere potest: *Anima mea Deo viuet, & semen meum seruiet ipsi.*

Euripides apud Iblisten. in vita Apollonij lib. 2. c. 7.
Psal. 21. 39.

51. E contrario de improbis parentibus ibidem dicitur: *Sunt, quorum non est memoria: perierunt quasi non fuerint: & nati sunt, quasi non nati; & filij ipsorum cum ipsis.* Additur præterea citato c. 30. Cur pius parens mortem lætus suscipiat: *In obitu*

Filii parentum anima.
Eccli. 44.
Bonæ filiorum educationis fructus sextus.

E

suo non est contristatus, nec confusus coram inimicis. Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Huius ratio est, quia pius parens eum viueret, filios ad se aduocans sæpè dixit: *Venite, filij, audite me; timorem Domini docebo vos:* hinc filii in Domini timore benè instituti; & inde eximia fortitudine roborati inimicorum insidias non formidabunt: *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit,* dicitur Eccles. 34. 16. Rursus, quia Isaias 33, 6 de iusto Deum timente ait: *Timor Domini ipse est thesaurus eius:* ex hoc thesauro opes extrahit iustus, quibus amicis vberem gratiam reddet.

Psal. 33. 12.

51. Post fructus bonæ educationis enumeratos,

subdit per Ironicam permissionem Ecclesiasticus: *Lacta filium tuum*, hoc est veluti tenera nutrix ei assiduè blandiaris; *& pauentem te faciet: lude cum eo, & contristabit te.* Nam vt benè Arabico prouerbio dicitur: *Collusio, siue iocus, aufert reuerentiam.* Reuerentia autem erga patrem sublatâ filius inobediens, & imperiosior patri redditur; & hinc fit, vt filius sæpè patrem contristet; & quòd peius est, vt inuerso ordine filium pater reuereatur. Propterea monetur pater: *Non corrideas illi; ne doleas; & in nouissimo obstupescent dentes tui.* Similitudo sumitur ab eo, qui acerbis fructibus delectatur, quorum comestione dentes redduntur stupidi; & ea stupore cibos alios mandendo, dolorem incurrunt. Sic qui in acerba filij ætate ei blandiendo, nimisque indulgendo se oblectat; postea, cum vlterius filij ætas procedit, ex ea non oblectationem percipiet, sed dolorem. Propterea monet Ecclesiasticus, ne pater filio corrideat. De suo risu vultusque exhilaratione coram liberis, reliquâque familiâ dixit Iob. c. 19. 24. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Risus enim cum vultus exhilaratione adeo parcus, & moderatus erat, vt inde adstantes non crederent sibi aliquid vltra consuetam reuerentiam permitti: & ideo subdit: *Et lux vultus mei non cadebat in terram:* hoc est iuxtà Vatablum: *Non spernebant meam auctoritatem; sed ridentem etiam venerebantur:* Vbi benè Gregorius ait: *Talis debet esse dispensatio regiminis; vt is, qui præest, ea se circa subditos mensura moderetur; quatenus & arrideat timeri debeat; & iratus amari; vt eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata seueritas odiosum. Sæpè enim subiectos frangimus, dum plus iusto vigorem iustitiæ tenemus. Et sæpè à disciplina metu resoluimus subditos; si nostro regimini hilarnaus frena relaxamus: quia dum nos, quasi licenter lætos aspiciunt, audacter ipsi ad illicita resoluuntur.* Ideo Gregor. 2. par. Pastoralis cap. 6. ait: *Curandum est; vt rectorem subditis matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina. Atque inter hæc sollicita circumspectione prouidendum, ne aut districtio rigida aut pietas sit remissa. Quod benè tabernaculi arca significat; in qua cum tabulis virga simul, & manna est: quia cum Scriptura sacra scientia in boni rectoris pectore si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis. Hinc Dauid ait: Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt: virga enim percutimur, baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ, quæ feriat, sit & consolatio baculi, quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans: sit Zelus, sed non immoderatè sæuiens: sit pietas, sed non plusquam expediat, parcens: vt dum se in arce regiminis iustitia, clementiaque permiscet, is, qui præest, corda subditorum terrendo demulceat, & tamen ad terroris reuerentiam demulcendo constringat.* Similiter Seneca ait: *Plurimum proderit pueros statim salubriter instituere: difficile autem est regimen; quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundamus. Sic itaque inter vtrumque regendum est, vt modo frenis vtamur, modò stimulis.*

Parentes filiis nimis blandiendo, eos inobedientes reddunt.
Centuria 2. n. 4.

Ps. 22. 4.
Virga, & manna in arca regimen ex seueritate, & dulcedine mistum significat.

Seneca lib. 2. de ira.

53. Ad filium benè educandum subdit Ecclesiasticus: *Non des illi potestatem*, seu ex Græco, *libertatem; & ne despicias cogitatus illius;* hoc est, vigilanter eius cogitationes, & affectus consideres; eosque si praui sint, ne corrigere omittas. *Curua ceruicem eius in iuuentute; & tunde latera eius, dum infans;* hoc est, vt alij legunt, *dum paruus est: ne forte induret, & non credat tibi,* hoc est tuis monitis practicam fidem non præstet: *& erit tibi dolor animæ:* Corporis enim dolur, cui

A in filio pepercisti, in tui cordis, animæque dolorem conuertetur. Quid patri salutare hoc Ecclesiastici monitum non seruanti, sed nimiam libertatem filio danti acciderit, legitur apud Aug. tom. 10. ser. 33. ad fratres in Eremo. *Hipponensis ciuis Cyrillus filium habebat vnicum; & quia vnicus erat, eum superfluè diligebat, & supra Deum. Ideo superfluo amore inebriatus, filium corrigere negligebat; dans ei etiam potestatem faciendi omnia, quæ placita essent illi. O dolosa libertas! ô grandis filiorum perditio! ô paternus amor mortiferus! Ecce filios se dicunt diligere, quos ingulari procurant. Dicunt eos amare, quibus suspendia parant. Ecce pater, & filius ambo in foueam cadunt. Quare Pater cum filio cadit in foueam; nisi quia pater cæcus est, quia malus, & quia salutem suam, &* B *filiorum videtur negligere? Quæ, & quomodo pater hæc neglexerit, nisi quando filio libertatem donauit; quando eum corrigere neglexit; quando virgæ pepercit? quando ei semper serenam faciem demonstrauit. Cyrillus filium habebat, quem corrigere negligebat; & luxuriosè viuendo consumpsit partem bonorum suorum: ebrietatem perpessus, matrem prægnantem nequiter oppressit; sororem violare voluit; patrem occidit; & duas sorores vulnerauit ad mortem.*

Filius ex nimia patris indulgentia parricida, & erga sorores incestuosus.

54 Duo præcipuè vitia corrigenda esse Ecclesiasticus monet, scilicet superbam peruicaciam, & ignauam otiositatem. Ad superbam peruicaciam corrigendã, similitudine à iuuencis ducta, quorum ceruix iugo subditur, ait: *Curua ceruicem eius.* Rursus ad ignauiæ, & otiositatis corre- C ctionem, similitudine ducta ab equis, qui calcaribus lateri admotis ad cursum incitantur, additur: *Tunde latera eius:* scilicet, ne otiosè viuere assuescat; sed honesti laboris, virtutisque studium à tenera adhuc ætate currere incipiat. Ad ignauiam à filiis depellendam exemplo cerui esse possunt, de quibus Plinius lib. 8. c. 32. ait: *Edunt partus exercent cursu, & fugam meditari docent: ad prærupta ducunt, saltumque demonstrans.* Similiter ad honesti laboris cursum ineundum de filio patri dicitur: *Tunde latera eius.* Alioquin *erit tibi dolor animæ.*

Parentes filiorũ superbam peruicaciam & ignauam otiositatem corrigant.

Cerui filios ad cursum, saltumque per prærupta cauent.

55. Ideo monet etiam Salomon Prou. 29. 15. *Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam.* D seu iuxtà Septuaginta, *Confundit parentes suos:* Magnam enim ignominiam parentibus affert filius malè educatus. Sicut è contrario: *Vir, qui amat sapientiam, lætificat matrem suam. Filius sapiens lætificat patrem; filius verò stultus mœstitia est matri suæ. Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ.* Numerorum 17. 7. dicitur: *Moyses regressus inuenit germinasse virgam Aaron: & turgentibus gemmis eruperant flores; qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Similiter correptionis virga, qua, parens teneræ ætatis filium corripit, & ad bonos mores dirigit; ætatis progressu pulcherrimos flores, virtutisque fructus suauissimos germinat: ideo benè dicitur: E *Erudi filium tuum, & dabit delicias animæ tuæ.* Subdit vltimo loco Ecclesiasticus: *Doce*, seu, vt alii legunt, *castiga filium tuum; & operare in illo; ne in turpitudinem illius offendas:* ne scilicet ex prauis filii moribus in ignominiam maximam, ac dedecus tu pater incurras.

Prou. 29. 15.
Prou. 10. 1.
Prou. 29. 17.

Virga Aaronis in flores, & fructus germinat. E correptionis virga virtutum flores, fructusque nascuntur.

Prou. 29. 17.
Eccli. 31.

56. Ptolomæus Philadelphus Ægypti rex septuaginta duobus interpretibus singulis singulas morales quæstiones proponens, à quadragesimo primo quæsiuit: *Quæ sit maxima negligentia?* cui ille respondit: *Si quis filiorum negligens fuerit, eosque nullatenus erudiat.* Quod responsum compro-

Parentum in benè educandis filiis negligentiam quam ipsi patri, toti que familiæ sit noxia.

Item in hist. 51. inter pret. tom. 7. Bibliot. P.P.

bare videtur Apostolus 1. ad Timot. c. 5. dicens: *Si quis suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit; & est infidelis deterior.* Est igitur filiorum benè educandi curam negligere, negligentia maxima; quia non vni solùm, sed toti familiæ, filiis, & nepotibus noxia maximè est. Nam, vt dicitur Psal. 106. 41. *Deus posuit sicut oues familias. Ouis autem ouem sequitur; & filius patrem mutando consectatur*, vt ex Hebræis sumpto prouerbio dicitur. Praui igitur mores veluti contagium quoddam, à parentibus in filios, posterosque transmittuntur. Quidam accusatus, quòd patrem verberasset, suam impietatem defendit dicens: *Et ille patrem suum verberauit; & hinc meus filius, cum adoleuerit, me verberabit: adeo nobis hoc gentilitium est.* Hanc verè Verberonum familiam appellasses. Apud Megarenses non vt oues, familiæ positæ erant: nam Megarenses multò magis circa pecora, quam circa filiorum curam solliciti erant: ita vt Diogenes dixerit: *Malim esse Megarensium aries, quam filius*, vt Ælianus lib. 12. variæ histor. refert. De parente, qui filios ab incurrentibus in puerilem ætatem vitiis eripere non satagit, dici potest, quod de Israëlitica tribu dicitur Oseæ 7. 11. *Factus est Ephraim, quasi columba seducta non habens cor. Sicut columba amens*, seu *insipiens*, legunt Septuaginta. Quæ sit amentia insipientis columbæ, docet ibi Hieronymus:

Columbæ suos erga pullos ignauia.

Aues cæteræ pullos suos etiam cum periculo vitæ suæ protegere festinant; & cum ad nidum suum accipitrem, colubrum, coruum, siue cornicem accedere viderint, huc, illucque volitant, & immittunt se, morsu & vnguibus lacerant; & dolorem parentis querula voce testantur. Sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit.

57. Sed vt ad Salomonis sententiam redeamus: *Virga, atque correptio tribuit sapientiam.* Ad quam sententiam illustrandam, reuocemus in memoriam, quod de hirundine scribit S. Ambrosius lib. 5. in Hexameron cap. 17. vbi ait: *Accipiamus materna sedulitatis in filios grande documentum Hirundo, si qua pulli eius fuerint cæcitate suffusi, habet quoddam medendi genus, quo possit eorum lumina intercepto vsui reformare.* Quòd medendi genus explicans Tertullianus ait: *Hirundo excæcatos pullos nouit oculare rursus de sua Chelidonia.* Similiter parens, si filius in vitiosæ vitæ cæcitatem incurrerit, ad eum oculandum correptionis virgam adhibere debet. *Virgam vigilantem*, seu, vt alij legunt, *Virgam oculatam*, vidit Ieremias. Talis est virga correptionis, quæ ita oculata est, vt oculos etiam percutiendo imprimat; correptumque ad resipiscendum oculatum reddat. Benè ergo pronunciauit Salomon: *Virga, atque correptio tribuit sapientiam.* Osor filij profectò pater iudicaretur, si cæcum filium, cum illuminare potest, id omitteret. Propterea Salomon ait: *Qui parcit virgæ, odit filium suum.*

Prou. 29. 15.

Maternæ sedulitatis erga filios exemplū ex hirundine.

Hirundo excæcatis pullis visum reddit.

Tertull. lib. de Pœnitentia sub fin.

Iere 1. 11.

Virga correptionis cæcum corripiendo illuminat.

Prou 13. 24

58. Sed quoniam fœmineus sexus fragilior est, ad filias benè educandas, peculiare monitum tradit Ecclesiast. c. 7. 25. dicens: *Filiæ tibi sunt? serua corpus illarum; & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* Præterea de filiarum institutione accuratè scripsit S. Hieronymus geminam epistolam, alteram ad Lætam, alteram ad Gaudentium.

Filiæ præcipuè parentū seueri. ace bene educandæ.

59. Ad filios benè instituendos plura monita habentur apud S. Paulinum ep. ad Aprum, apud Plutarchum lib. de educatione liberorum; apud eundem in vita Lycurgi; apud Xenophontem in Pædia Cyri: apud Senecam lib. 2. de ira cap. 22. apud Alexandrum ab Alexandro lib. 1. Genialium c. 25. Porrò laude benè educandi filios Theodosius Imperator commendatur à Nicephoro lib. 12. cap. 23. & ipse Theodosius, vt à Pulcheria sorore benè institutus fuerit, refertur eodem lib. 12. c. 23. Eadem laus Carolo Magno tribuitur ab Æmilio lib. 2 c. 10. Sed ex parentibus omnibus, qui benè filios instituerint, quatuor seligamus: ex lege Mosaïca Dauidem; ex Euangelica lege Constantinum & Basilium Imperatores; & S. Ludouicum Galliæ Regem.

Theodosius Imperator & Carolus Magnus optimi filiorum educatores.

60. Dauid moriturus Salomoni filio dixit: *Ego ingredior viam vniuersæ terræ: confortare, & esto vir: & obserua custodias Domini Dei tui*: hoc est præcepta, quæ custodienda, & seruanda Dominus præcepit: *vt ambules in vijs eius; & custodias cæremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & testimonia; sicut scriptum est in lege Moysi: vt intelligas vniuersa, quæ facis, & quocunque te verteris*: hoc est, vt intelligenter, & prudenter agas quæcunque ages.

Dauidis monita filio data.

3. Reg c. 2.

61. Constantinus Imperator post distributas filiis Imperij partes, teste Nicephoro: *Cum vellet hanc eis fortunam feliciter cedere, & ex animarum salute esse; pietatis in eis semina sparsit, tum suis diuinis præceptionibus, tum magistrorum diligentia, quos omnibus virtutibus insignes eis præfecerat. Igitur dum iam Cæsares essent, sed ætate adhuc tenera, dabantur eis, quorum & ope, & opera publicas res administrabant. Sed ad virilitatem maturescentibus, paterna institutio satis erat; qua præsentes eos ad paterna studia exstimulauit, & ad imitandam pietatem eius instituit: absentes autem regijs litteris compellens, salutaria præcepta tradidit. In quibus illud maximum, & præcipuum fuit, vt Dei, qui rerum omnium Dominus est, cognitionem, & sanctam erga illum religionem omnibus opibus, atque adeo ipsi regno anteponerent. In primis hortabatur, vt summa cura afficerentur erga Ecclesiam Dei; præcipiebatque, vt planè, & sine fuco Christiani essent. Illud quoque paterna cura, sollicitudoque prouidit; vt cum filijs suis contubernales adhiberentur hi, qui vera religione, pietateque pollerent, tum vt magistratuum primores, quorum fidei rerum publicarum potestas delegata foret, eiusmodi generis essent omnes.*

Constantini in bona filiorum educatione sollicitudo.

Nicephorus in vita Constantini l. 4. c. 51. & 52.

62. Basilius Imperator Constantinopol. vnà cum hæreditate filio suo Leoni egregia monita scripta reliquit, sexaginta sex capitibus comprehensa, quæ habentur tom. 9. Bibliot. P.P. par. 2. initio: de iis meminit Baron. tom. 10. anno Christi 886.

Basilius Imperator Sexaginta sex monita filio scripta reliquit.

63. Denique S. Ludouici monita Philippo filio data hæc referuntur à Surio in eius vita.

S. Ludouici egregia monita Philippo filio data.

Fili mi, ante omnia diligenter in eam curam incumbe, vt diligas Deum: nemo enim potest esse saluus, nisi Deum amet.

Charitas.

Caue, ne vnquam admittas peccatum mortiferum: sed omnia potius ferre velis genera tormentorum, quàm aliquam talem perpetrare culpam.

Odium peccati.

Cum aduersa accidunt, feras æquo animo; & cogites te commeruisse: atque ita lucrum tibi inde accedet.

Patientia.

Cum rebus prosperis fueris, humiliter agas gratias Deo; ne inde animo elatus, efficiaris deterior, vnde te oportuit fieri meliorem.

Humilitas.

Crebrò confitearis peccata tua; deligasque tibi sapientes confessarios, qui te possint instituere, & docere, quid agere, quid vitare te oporteat: & coram illis ita te compares, vt audeant sincerè te reprehendere, & vitia tua indicare tibi.

Confessio.

Officium diuinum deuotè auscultes: facessant tibi fabulæ, & nugæ, nec oculi huc, atque illuc circumferantur: sed ores Deum ore, & etiam meditando

Precandi studium.

Hinc Deut. 22. 6. 7. præcipitur. *Si ambulans per viam, in arbore, vel in terra nidum auis inueneris; & matrem pullis, vel ouis desuper incubantem; non tenebis eam cum filijs: sed abire patieris, captos tenens filios; vt bene sit tibi, & longo viuas tempore.* Benè tamen S. Thomas supra citatus ait: *Nota, quòd vita longa est, quando est plena; & quæ non mensuratur tempore, sed actione secundùm Philosophum. Tunc autem plena est vita, quando est virtuosa. Et ideo virtuosus, & sanctus diu viuit, quamuis citò moriatur. Ideo dicitur Sapient. 4. Consummatus in breui, expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. Optimè autem mercatur ille, qui tantùm facit vna die, quantùm alius in vno anno.* A virtute seiuncta mortalis vita semper breuis habenda est: *Quantum est in hac vita longum; quod erit aliquando finitum? Et quod erat longum erit nullum; quia quando erat, non stabat; & quando producebatur, non augebatur, nec addendo crescebat; quia veniendo recedebat*, ait August. hom. 1. inter 50. Similiter Bernardus ser. 17. in ps. 90. *Hæc vita magis mors est, nec simpliciter vita, sed vita mortalis; semperque ex quo incipimus viuere, nihil aliud agimus, nisi morti appropinquare, & incipere mori. Ibi verè viuitur, vbi viuida vita est, & vitalis.* Præsens ergo vita à spe viuendi beatam vitam seiungi non debet; & ne à tali spe seiungatur, piè viuendum est. Plato in libris de legibus cum parentes honorandos esse docuisset, addidit: *Quod si ita exactè seruauerimus, digna à dijs præmia referemus, plurimùm bona cum spe viuimus.* Addit S. Thomas; *Præmium est vita corporalis; sed contrarium, scilicet mortem acquirunt illi, qui iniuriant parentibus. Habemus enim ab eis vitam, sicut milites à Rege feudum. Et ideo sicut dignum est, quod illi amittant pro proditione feudum; ita isti propter iniuriam illatam parentibus, vitam.* Cognouit id naturali lumine Homerus, qui Iliade 17. de Hippothoo dixit: *Nec nutricationis vicem parentibus reddidit; & ideo breuis illi contigit vita.* Exodi 21. 17. & Leuitici 20. 9. præcipitur: *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur: patri, matrique maledixit; sanguis eius sit super eum.* Ideo Ierosolymæ; eiusque populo citò futurum exitium, & interitum Deus prædicit Ezech. 22. *Appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus annorum tuorum.* Hoc est tuis sceleribus effecisti, vt citius te exitio, & morte punirem. Inter scelera autem, quæ ibi præcipuè commemorantur, est in parentes iniuria: *Patrem, & matrem contumelijs affecerunt in te.* Præproperum vitæ finem inobedientiæ erga parentes, pœnam esse egregio exemplo, illustrat S. Bernardinus tom. 2. Domin. 1. Quadrag. ser. 17. Vbi refert sua ætate in Hispaniæ citerioris oppido non procul Valentia, adolescenti, qui parentibus inobediens eò deuenerat, vt anno decimo octauo propter latrocinia, & publica facinora suspenderetur; cum prorsus imberbis esset, iam exanimi barbam, & capillum populo spectante, subitò excreuisse, ætatemque illam hominis nonagenarii retulisse. Episcopum post communem omnium orationem respondisse, tali miraculo Deum docere, quantum de vita eis detrahat, qui de parentum obedientia detrahunt; victurum iuuenem illum ad eam ætatem fuisse, quæ apparebat in facie, & capite; nisi ipsos septuaginta annos parentum inobedientia detraxisset. Hinc autem benè intelligitur, quàm damnabilis apud Deum filiorum inobedientia sit: Cum non aliis plurimis iuuenis illius sceleribus, sed tantùm inobedientiæ, tot annorum detractio tributa sit.

Vita longa non mensuratur tempore, sed actione.

Parentes non honorans, non spiritualem solùm, sed corporalem mortem citius incurrit.

S. Th. supra.

Filij parentes non honorantis supplicium.

9. Prouerb. 20. 20. dicitur: *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lumen, seu lucerna eius in medijs tenebris.* Vbi luminis, seu lucernæ nomine, iuxtà Caietanum, vita intelligitur: vitæ ergo lucerna digna est, vt extinguatur in impijs erga parentes filijs, quoniam debitæ misericordiæ oleum in vasis suis habere noluerunt. Et, quod peius est, extinguitur eorum vita in medijs tenebris; hoc est, in profunda peccatorum nocte: vt qui naturales parentes neglexerunt, ex patre diabolo Gehennæ adeant hæreditatem: è contrario piorum erga parentes filiorum lucerna, hoc est vita, diu lucida conseruatur; eò quòd misericordiæ oleo largius abundarit. Genesis 37. cum Ioseph Patriarcha vidisse se dixit, *Quasi Solem, & lunam, & stellas vndecim adorare me:* sicut stellæ vndecim eius fratres; ita sol patrem, luna matrem per somnium significabant. Qui ergo erga solem, & lunam; hoc est erga patrem, & matrem iniurius est, digna retributione omnimodè est luce priuandus. Contra verò Ioseph, qui eximiè parentes honorauit, longæuam vitam eximiis honoribus perfunctus absoluit: De eo enim dicitur Gen. 50. *Mortuus est expletis centum decem vitæ suæ annis. Et vidit Ephraim filios vsque ad tertiam generationem.*

Lucerna, idest vita non honorantium parentes citò extinguitur, quòd misericordiæ oleo careat.

10. Rursus, quia oculi lumina appellantur: *Qui maledixit patri, & matri, extinguetur lumen eius;* hoc est, oculis priuari meretur. Ad quod significandum addidit Salomon Prou. 30. 17. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ; effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Vbi filius erga matrem ingratus, dicitur despicere partum matris suæ; hoc est labores, & dolores, quos mater, cum eum vtero gestauit, & peperit, tolerauit. Corui autem de torrentibus aduocantur; eò quod in huiusmodi aquosis locis commorari soleant, cùm siccissimæ, & calidissimæ naturæ sint: Propterea, vt dicitur 3. Reg. 17. ad subministrandum cibum Eliæ commoranti iuxtà torrentem Carith, qui est contra Iordanem, coruis ibidem commorantibus vti Deus voluit. Sed cur impii in parentes filii coruis, & aquilis pabulum esse debent? Primò; quia cum ob impietatem in parentes, tales filii longiorem humanam vitam viuere non meruerint; ab huiusmodi auibus vorari debent, vt in earum alimentum conuersi, diu vitam viuant rationis expertem. Plinius enim lib. 7. c. 8. Coruos, & aquilas cæteris auibus longæuiores esse testatur. Albertus Magnus, & ex eo Aldobrandus coruos centum, & octo annos viuere asseruerunt. Secundò teste Æliano lib. 3. c. 43. Corui præ voracitate, & ingluuie, ne parentibus quidem parcunt; eosque necant, & deuorant: eademque sæuities aquilis tribuitur. Porrò eum patrem aliquis habere dicitur, cuius mores imitatur: ideo Ezechielis 16. Ierosolymæ dictum est: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Redditque rationem Augustinus tract. 42. in Ioann.: *Quia Iudæi imitati sunt impietates illorum; inuenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur; sed quorum mores sectantes pariter damnarentur.* Improbus ergo filius coruos, & aquilas veluti parentes habet, cum in parentes impius talium auium mores imitetur: ideo huiusmodi filius subsannans senio confectos parentes, quos naturali lege alere deberet; aliorum parentum, nempe coruorum, & aquilarum in cibum tradi debet: *Effodiant eum corui, & comedant eum filij aquilæ.* Tertiò, Quos valdè

Filij in parentes impij cur à coruis, & aquilis puniendi?

Corui, & aquilæ cæteris auibus longæuiores.

Corui centum, & octo annos viuunt.

Corui, & aquilæ parentes deuorant.

Patrem habere dicitur aliquis eum, cuius mores imitatur.

diligimus, *in oculis ferre nos dicimus.* Ideo, vt qua dilectione suos fideles Deus diligeret, indicaret, eos suis in oculis ferre significauit Zach. 2. 23 dicens: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Filius ergo, qui parentes diligere, eosque veluti in oculis ferre debebat; quòd secus faciat, in meritum eius supplicium dicitur: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui.*

Absalomi in parentē impii exitium. Chrysost. tom. 1. de Absalone.

11. Quartò Quæsiti responsio desumitur ex infelici Absalomi exitio, qui impiè in Danidem patrem insurrexit. De Absalomi autem exitio dicitur 2. Reg. 18. *Adhæsit caput eius quercui; & illo suspenso inter cœlum, & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit. Tulit ergo Ioab tres lanceas, & infixit eas in corde Absalom.* De quo Chrysostomus: *Inseritur ramis, obligatur lignis, transfixo gutture colligatus: pendens iam mortuus ab hominibus inuenitur, quem iam nec cœlum potuit conspicere viuum, nec terra viterius sustinere. O nefandum interitum parricida! Iniuriam patris non pugnantis gladius, non hostilis manus, non iaculantis ictus defendit; sed vindicant ligna, arbor vlciscitur, rami defendunt.* Idem Chrysostomus homil. in psal. 7. *Absalom Danidem aggressus, est occisus à Ioab, & in alto ligno suspensus est, qui aduersus patrem erigebatur: & ab arbore detinebatur, qui cum radice pugnabat: & vinctus erat à ramo ramus, qui erat à paterna affectione abruptus: & capite tenebatur, qui genitoris caput auferre contendebat: & tamquam fructus pendebat ab arbore, qui natura agricolam volebat exscindere: & in corde iaculo confossus est; illic occisus, vbi cædem parabat. Et tunc videri poterat spectaculum admirabile. Mulo enim equitans ex pilorum coma, à coma arboris tenebatur, & coma tenebat comâ tyrannum; illic eum confundens, vbi diadema paternum gestare contendebat. Poterat ergo videri Absalom suspensus in medio cœli, & terræ. Cœlum eum non admittebat: terra eum auersabatur, non ferens pollui passibus parricida. Si enim Dathan deuorauit, qui contra Mosen erat locutus; & os suum aperuit aduersus eum, qui os improbè aperuerat quomodo potuisset ferre pedes currentes aduersus genitorem?* Addit idem Chrysostomus de Absalomi supplicio: *Vt scias quod factum est, non fuisse humana industria, sed totum fuisse diuini iudicij; capilli, & lignum eum alligarunt; & brutum eum animal tradidit; & pro fune quidem coma, pro ligno autem arbor exstitit: pro milite autem eum adduxit mulus. Et quod est admirabilius, qui patrem ei reconciliauit, is ipsum interfecit, propemodum instans vehementius accusator: sed is quidem eum occidit; Deus autem tulit sententiam, & in verticem ipsius iniquitas eius descendit.*

Ps. 7.

Cum ergo impii in parentes filii, Absalomi imitatores sint, similiter à fetali ligno suspensi pendere debent. In huiusmodi autem suspensa cadauera quia densatim corui, & Aquilæ aduolare solent, vt eorum carnibus vescantur; ideo Genes. 40. Pistoris somnium, qui suum supra caput ad pastum aues aduolasse somniauerat, interpretatus est Ioseph dicens: *Tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, & suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas:* Ideo dicitur Matth. 24. *Vbi fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ.* Et Iob 39. *Vbicumque cadauer fuerit, statim adest.* Hinc imprecatio illa apud veteres prouenit: *Abi ad coruos:* iuxtà quam imprecationem à Poëta dictum est: *Deque tuo impastus sit rixa cadauere coruis.* Corui autem, vt docet Isidorus lib. 12. orig. cap. 7. Antequam cadauera discerpant, ex iis primùm oculos eruunt; cum talis esca iis suauissima sit. Hinc à Poëta dictum est: *Effossos oculos voret atro gutture coruus.* Aquilæ verò non oculos, sed cadauerum corda primùm discerpere consueuerunt; talemque escam eis pergratam esse naturalis historiæ Auctores tradunt. Ideo Salomon dixit: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* De corde, & oculis Plinius lib. 11. cap. 37. ait: *Cor primùm nascentibus formari in vtero tradunt, tardissimè oculus.* Cum ergo cor sit primogenea vitæ initium, & oculi eiusdem complementum; hæc duo discerpi debent in eo, qui parentibus, à quibus vitam accepit, iniurius est.

Corui cadaueribus primùm oculos eruūt, aquilę verò cor. Catulline Cor primùm formatur, vltimò oculi.

12. Denique filiorum reuerenter parentes non cognoscentium oculi puniri debent; sicut, quia caninum est parentes non agnoscere, canes antiespara à natura vindice pœna, cæci nascuntur. Ideo Augustinus tom. 10. fragmento 2. decem Decalogi præceptorum transgressoribus aptans decem Ægypti plagas ait: *Quartum præceptum est: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Huic contraria quarta Ægyptiorum plaga κυνόμυια est, Quid est κυνόμυια? Canina musca. Græcum vocabulum est. Caninum est parentes non agnoscere. Nihil tam caninum, quàm cùm illi, qui genuerunt, non agnoscuntur. Meritò ergo, & catuli canum cæci nascuntur.* Nunquam satis detestabilis filii in parentes sæuities erit, quæ apud Vartomium in historia Indica legitur: refert enim Sultani Armutii filium eadem nocte patri, matrique, decemque suis fratribus oculos eruisse; eosque viuos concremasse. *Gratulor Ausonie, & nostro gratulor orbi: Gratulor huic terræ, quòd abest regionibus illis, quæ tantum genuere nefas. Sit diues amomo; Cinnamaque, costumque suam, sudataque ligno, Thura ferat, floresque alios procul indica tellus; Hæc dum monstra ferat.*

Caninū est parētes non agnoscere: ideo canes, veluti in pœnam cęci nascuntur.

13. Sed vt à Salomone ad Siracidem transeamus, Ecclesiastici 3. dicitur: *Filij sapientiæ Ecclesia iustorum: & natio illorum obedientia, & dilectio:* hoc est filii cœlesti sapientia præditi, congregatio iustorum sunt; & eorum natio, seu genus ita dilectioni, & obedientiæ erga parentes deditum est; vt toti ex obedientia, & dilectione conflati esse videantur. Si enim Iob proximum diligens dixit: *Oculus fui cæco, & pes claudo;* multò magis suos filius parentes amans in eorum obsequium & oculos, & os, & aures, & manus, & pedes, totumque se exhibere debet; & sic totus ex dilectione, & obedientia constare dicetur.

Iob c. 29 15.

14 Addit 2. Ecclesiasticus: *Iudicium patris audite filij; & sic facite, vt salui sitis:* & sensus est: Iis mandatis, quæ iuxtà diuinam legem, & familiæ bonum, rectamque vestræ educationis institutionem pater facienda esse iudicat, obedite, *vt salui sitis:* hoc est, iuxtà Arabicum: *Vt hæreditatis vitam perennem;* nempe in terris longæuam, & in cœlo perpetuam. *Vt viuatis vitam seculi seculorum,* Syriaca versione legitur. Cur eximia obedientia à filio pater colendus sit, ibidem ratio redditur ab Ecclesiastico: *Deus enim honorauit patrem in filijs:* hoc est, Quia parens à filiis honorandum esse Deus præcepit. Quare, qui ex naturali tantùm sanguinis propensione in animalibus erga parentes amor prouenit; in hominibus non ex naturę propensione tantùm, sed ex Dei imperantis voluntate prouenire longè efficaciùs debet: ita vt naturalem instinctum Deo placendi studium multò ardentius superet; in-

Parētes honorādi non tam ex naturali propensione, quàm ex Dei præcepto. Basil. or. 18.

gentemque pudorem afferat, nisi naturæ vim diuini præcepti efficacitas vincat. Benè enim Basilius ait: *Nemo est omninò sic prudentiæ inops, qui non summa infamia dignum iudicet, si ab auibus, quæ longissimè à ratione absunt, virtute superari. Nam Ibes patrem, cui præ senectute alæ decidunt, circumstantes alis suis fouent, pastusque ei copiosè præparant, ac suppeditant; quodque possunt innolatu auxilium ferunt; ita vt leniter vtraque ex parte eum alis sustineant.*

Ibes aues officiosæ in parentes senes.

15. His auibus similes addi possunt ciconiæ, similiter in parentes officiosæ; de quibus ex Cassiodoro supra diximus. Basilius de iisdem hom 8. in Hexameron ait: *Pietas, & obsequium ciconiarum erga suos senio confectos parentes satis profectò liberos nostros beneuolos parentibus, atque obseruantissimos efficere potest, modò mentem adhibere velint. Nemo enim prorsus est, qui natura sensu, prudentiáue, sic destituatur, vt non mediocri pudore eum existimet dignum, qui quod ad virtutem attinet, finit se ab alitibus istis nulla rectæ rationis vi præditis deprehendi inferiorem. Illæ genitorem per senium defluxu pennarum degrauescentem suismet pennis circumdatum fouent; & abundè victum, lautéque subministrantes sub sidium etiam quoad fieri potest in ipso volatu præstant, sensim vtrinque suis eum subleuantes alis.* Idem docet S. Epiphanius in Physiologo c. 25. Idem pluribus S. Ambrosius in Hexameron lib. 5. c. 16. de Ciconia dicens: *Depositis patris artus per longæuum senectutis plumarum tegmine, alarumque remigio nudatos circumstans soboles pennis propriis fouet. Et quid dicam? Collectitio cibo pascit, quando etiam ipsa reparat natura dispendia; vt hinc, atque inde subleuantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, & in pristinos vsus desueta iam reuocent pii patres membra. Quis nostrûm leuare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat? Quod in ipsa historia vix credibile habetur? Quis, vt pius sit, non hoc seruulis mandat obsequium? At verò quibus non est graue, quod pietatis est plenum; non est onerosum, quod soluitur naturæ debito. Non recusant aues pascere patrem, quod etiam præscripta necessitate sub terrore pœnarum plerique hominum recusarunt. Aues non scripta, sed nata lex stringit. Aues ad hoc munus nullo præcepto conueniunt, sed gratiæ naturalis officio. Aues non erubescunt venerandi senis membra portare. Est enim victoria pietatis; quod consque frequenti testificatione percrebuit, vt congrua mercedem remunerationis inuenerit. Nam Romanorum vsu Pia auis vocatur. Et quod vix vni Imperatori cōsulto senatus delatum dicitur, hoc istæ aues in commune meruerunt. Habent ergo aues istæ decreta Patrum ad propria insigne clementiæ. Pios enim filios patrum primi opertuit iudicio prædicari. Habent etiam vniuersorum suffragia. Nam retributio beneficiorum antipelargósis nominatur: Pelargos enim Ciconia dicitur. Virtus ergo ab his nomen, cum relatio gratiarum Ciconiæ vocabulo nuncupatur.* Paulò superioribus verbis alludit Ambrosius ad Imperatorem Antonioum Pium, qui vnus inter Imperatores Pii nomen consecutus est ob eximiam pietatem, qua Adrianum adoptionis patrem viuum, & mortuum prosecutus est: & tamen non vna, sed Ciconiæ omnes idem nomen obtinuerunt. De Ciconiis antea etiam dixerat Philo lib. de Decalogo dicens: *Eamus ad volucres præpetibus pennis vltro, citroque volantes per aerem; discamus ab eis saltem quid nos deceat. Ciconiæ senes impotes volandi nido se continent: ex his prognatæ terra, marique volitans, & cibos parentibus afferunt. Sed illæ, vt earum ætate dignum est, quiete fruuntur, & copia:*

Ciconiæ eximiè in parentes officiosæ.

Antoninus imperator solus Pii nomē apud Romanos est consecutus: apud eosdem idē nomen Ciconiæ omnes obtinuerunt.

A iuniores verò laborem comportandi solantur pietate, ac spe recipiendæ in senectute gratiæ, debitum persoluentes interim, quod tempus postulat: & eadem opera natos implumes, effœtosque parentes educant; naturæ instinctu & pullis, & decrepitis alacriter præstando mutuum officium. Et postea non obuoluent faciem præ pudore homines parentum contemptores; damnabuntque suam incuriam in re, quæ vel sola erat curanda, vel ante alias; præsertim cum non tam conferatur, quàm referatur beneficium.* Sed ad Ecclesiasticum supra citatum redeamus.

16. Quia ex parentibus maior filiorum erga matrem est obligatio; subditur ab Ecclesiastico: *Et iudicium matris exquirens firmauit in filios:* scilicet Deus exquirens, idest seuerè exigens firB miter statuit, vt quæ mater præcipit, filii promptè exequantur. Ad filiorum erga matrem pietatem suadendam piscium, & aquæ, ex qua gignuntur, proponit exemplum Ambrosius in Hexam. lib. 5. c. 4. dicens: *Disce ab aqua, quæ sit parentum, & filiorum necessitudo. Viuere pisces sine aqua non queunt; nec à sua parentis consortio separari: & fit hoc natura quadam, vt separati moriantur illicò.*

Pisces erga matrē amorem docent.

17. Est autem erga matrem obligatio maior; quia erga filios maior est matris, quàm patris amor, vt benè Aristoteles 6. Ethic. c. 7. asserit: *Matres plus amant filios, quam patres; quia certiores sunt eos esse suos; & quia plures circa eos labores sustinent.* Ideo iustus Tobias cap. 4. prope C mortem filium monuit: *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius; memor enim esse debes, quæ, & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.* Vbi in vulgata legitur: *Deus honorauit patrem in filijs.* Arabicus legit: *Dominus constituit debitum super filium genitoris sui:* Et vbi legimus: *Iudicium matris exquirens firmauit in filios;* Arabicus legit: *Et debito genitrici constringuntur filij eius.* Ideo ait Ambros. in psal. 118. *Non possum saluo pietatis iure odisse patrem, cui debeo, quod creatus sum: nec matrem longo decem mensium fastidio pij fœtus onera portantem, cui in absolutione plus periculi, in dilatione plus tædij est.* Et in Luc. c. 2. *Tu matri debes pudoris iniuriam, Virginitatis dispendium, partus periculum, matri longa fastiD dia, matri longa discrimina; cui misera in ipsis votorum fructibus maius periculum est; & cum ediderit, partu absoluitur, non timore.*

Filiorū erga matrē maior obligatio.

Ecclesiastici c.

Ambros. in Ps. 10.

Idem in Luc. 12.

18. 2o. Machabæor. c. 7. 27. quàm iustè septem Machabæorum mater sibi ab adolescentiori filio obedientiæ honorem exhibendum esse petiit, dicens: *Fili miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & in ætatem istam perduxi. Peto nate.* Sed quid piissima, & meritissima mater petierit, audiamus: *Non timeas carnificem istum; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem; vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.* Cuius tam exiE miæ matris cohortationis illustris Paraphrastes sic est Ambrosius: *Miserere mei, quæ te in vtero tot mensium curriculo portaui; ne vno momento confundas senectutem meam; ne decolores tot fratrum tuorum trophæa; ne sacrum eorum comitatum relinquas; ne consortium deseras. Te adhuc isti expectant triumphi. Aspice in cœlum, vnde hausisti Spiritum, ad patrem omnium. Aspice in terram, quæ tibi ante alimoniam ministrauit. Aspice ad fratres, qui collegam requirunt: aspice ad matrem, quæ tibi lac dedit; redde mercedem pij sanguinis. noli à fratribus, noli à matre diuelli. Temporales opes sunt, quas promittit Antiochus, temporales honores: perpetua corona, quæ à Deo omnipotente defertur. Vos mihi*

Pia mater quid à filio efflagitet.

Ambros. l. de Iacob. c. 11 & 12.

mihi septem dierum lumina dedit Dominus; sextum iam diem clausi, & omnium opera bona valde. Debes mihi fili, vt quæ in illis sex laboraui, in te requiescam septimo, tamquam à sæculi operibus iam feriata.

19. Mosaïcæ legis Heroïnam imitata est in Euangelica lege S. Symphorosa; cui tamquam cęlesti sponsæ verè *coma sicut elatæ palmarum* fuerunt: è ligno enim capillis suspensa, martyrij palmam est consecuta. Hæc autem è suspendio, veluti è sublimi suggestu, ita filios hortata dicitur, Vsuardo, & Beda testibus: *Eia, ô mea, non tam pignera, quàm viscera, attendite ad petram, vnde excisi estis. Patrem habuistis Getulium Christi Martyrem: matrem habetis Symphorosam ad Martyrium festinantem, & exultantem. Quid dubitatis vestros sequi, ô boni filij, parentes? ea quæ vobis pro Christo infligentur, non tormenta, sed blandimenta reputate. Hos patior fœmina imbecilla cruciatus: patimini & vos constantes viri. Meo nutriti lacte, vestro me sanguine recreate: porrexi vbera, reddite vulnera. Hoc beneficio maternum obsequium rependite. Nullum mihi charius vestra in me charitatis argumentum. Viuam, si vos pro Christo mori sensero. Felicissima erit vita vestra, si felicissima pro Christo morte coronetur.*

Cantic. 7. 8.

Pro matre quid à filio efflagitat.

20. Addit 3. Ecclesiasticus: *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis; & in oratione dierum exaudietur.* Et quia, qui Deum diligit, parentes etiam, quos Deus diligendos præcepit, diligit, ideo ibi legit Ambrosius: *Qui honorat patrem, veniam impetrat peccatorum. Et continebit se ab illis*; scilicet à futuris alioqui culpis abstinebit: *& in oratione dierum exaudietur*: hoc est; *votorum quotidianorum compos erit*, vt legit Vatablus. *Quo die petit, impetrabit*, legit Palacius. Tria ergo maxima præmia parentes debitè honorantibus promittuntur; scilicet peccatorum remissio; à peccatis præseruatio; & velox precum exauditio.

Cap. 3.

Honorantib. parentes tria præmia.

21. Addit 4. Ecclesiasticus: *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam.* Nam qui parentem, non solùm externa reuerentia veneratur; sed ei etiam debitis alimentis liberalis est; hic suas opes non minuit; sed eas potius thesaurizando cumulat. Efficit enim Deus, vt munificis erga parentes filiis opes augeantur; & vt talium filiorum filii postea pari obsequio, & liberalitate suis etiam parentibus munifici sint, & liberales. Ideo subditur: *Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filijs*; quos scilicet ita sibi beneficos experietur, sicut ipse antea proprio patri beneficus fuit. Nam, vt benè teste Laertio lib. 1. c. 1. Thales Philosophus dixit: *Quale præmium rependeritis parentibus vestris, tale à liberis vestris expectate*; scilicet, si benefici erga parentes fueritis, filiorum vestrorum beneficentiam habebitis: è contrario, si in parentes auari fueritis, & impii; tales etiam vestros filios experiemini. Quod tamquam talionis pœna animalium ipsorum experimento comprobatur, vt supra diximus; corui enim, & aquilæ senescentes suis à filiis dilacerantur; cum ipsi etiam similem sæuitiem suos in genitores exercuerint.

Filii erga parentes liberales opes augent.

Benefici in patrē es, beneficos eius suos filios habebunt.

22. Addit 5. Ecclesiasticus: *Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem.* De longiore vita obedientis filii pręmio iam diximus supra. Subditur præterea, *Qui obedit patri, refrigerabit matrem*; seu ex Græco textu: *Requiescere faciet matrem suam.* Nam sicut maxima totius familiæ, ac præcipuè matris turbatio, & mœror, est filium erga patrem inobedientem habere; ita è contrario matris, ac familiæ vniuersæ quies, & gaudium, est obsequiosi, & concordis filii erga patrem obedientia. Insuper si erga patrem filius se obsequentem exhibet, non ex timore, sed ex filiali charitate; multò magis erga matrem, cui plus debet, vt supra diximus, debitam dilectionem exhibebit; ac propterea eam refrigerabit, suoque obsequio recreabit.

Obedientia erga patrem est matris, & totius familiæ gaudium.

23. Addit 6. *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt.* Nam honor erga parentes ex debito timore, hoc est veneratione erga Deum, parentum honorem præcipientem, prouenire debet. Subditur: *Et quasi Dominis seruiet his, qui se genuerunt.* Quomodo autem iis seruiendum sit explicans ait: *In opere, & sermone, & in omni patientia honora patrem tuum*; ita vt non solùm verbis, & humili salutatione eum honores; sed etiam opere illi subsidium, quo indiget, subministres: idque in *omni patientia*; ita vt nunquam obediendo defatigatus cesses: & quamuis patrem senem, vel nimis morosum, vel verbis asperum experiaris, adhuc illius imperio obsequaris. Si enim Petrus Apostol. fidelibus præcepit: *Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam dyscolis*, nempe morosis, & molestis: multò magis id erga parentes obseruari debet: cum antea parentes in filiorum infantia, & pueritia importunas lacrymas, & ineptias tolerarint. Et quoniam iuxtà Platonem, Theopompum, & Sophoclem apud Clementem Alexandrinum, *Senes bis pueri sunt*: & vt Antiphon ait: *Senis educatio est similis educationi pueri*: Et vt ait S. Basilius: *Nihil differt is, qui ætate puer est, ab eo, qui mente est infans*: Sicut in filiorum infantia, & pueritia erga eos parentes patienter, & amanter se gesserunt; ità mutuò in parentum senectute, quæ est velut secunda pueritia, eorum molestia est toleranda. Quare cum senes parentes sæpè præ senio in multis deficiant, filiisque valdè molesti sint; non proinde filii à debita iis reuerentia recedentes, in eos iniuriosè insurgere debent; cum secus faciendo, sibi, & parentibus noceant. Propterea additur: *Ne glorieris in contumelia patris tui; non enim est tibi gloria eius confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui; & dedecus filij, pater sine honore. Fili suscipe*, seu *sublena senectam patris tui; & ne contristes eum in vita illius. Et si defecerit sensu, veniam da; & ne spernas eum in virtute tua*, hoc est, cum tu viribus corporis, mentisque polles. *Eleemosyna enim patris non erit in obliuione*: seu ex Tigurina lectione: *Neque enim patri præstita benignitas erit in obliuione*, scilicet apud Deum, qui largè illam remunerabitur. *Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum*: Scilicet pro tolerato patienter matris peccato; nempè pro matris impatientia, deliris verbis, & iurgiis, retribuetur tibi bonum tum in hac vita, tum in futura. Idemque de patris iam senis tolerata morositate dicendum est. Teste Plutarcho in apophthegmatis Laconum, Telecrus dicenti: *Malè de te loquitur pater tuus*: respondit: *Non faceret, si non esset faciendum.* Tantam, etiam erga maledicum ipsi patrem reuerentiam ethnicus filius seruauit.

Parentes ore, & opere honorandi, etiam morosi, & molesti.

Ep. 1. c. 2. n. 18.

Clemēs lib. 6. Stromat. Senes bis pueri.

S. Basil. or. 18.

Eccli. 3.

Telecri erga patrem veneratio.

24. Ad filialis obedientiæ erga parentem præmium explicandum subditur: *Vt superueniat tibi benedictio ab eo: Vt exaudiatur ipsius deprecatio pro te*, legit Ambrosius: *& benedictio illius in nouissimo maneat*: Scilicet, vt

Obedientię erga parentes præmiũ.

vsque ad vltimam senectutem paternæ, vel maternæ benedictionis fructus percipias; eò quod parentum senectutem opere, & sermone honoraueris. Vel *benedictio illius in nouissimo maneat*, hoc est, vt extremò Iudicij die parentum benedictionem diuinus Iudex compleat, obedientes filios inter electos ad dexteram suam aduocans, eisque dicens: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Subditur deinde: *Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Ædificare domos in sacra scriptura significat augere rem familiarem, opesque dare, & rerum temporalium abundantiam. Ideo de Ægyptiis obstetricibus contra Pharaonis iussum Hebræos infantes seruantibus dicitur Exodi cap. 1. *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit illis domos*: idest *copiam bonorum illis Deus largitus est*; vt cum Augustino explicat Theodoretus. Præterea domus sæpè significat prolem, progeniem; eò quòd filij, & filiorum filij, veluti genitorum, & familiæ fabrica sint. Hinc Hebraïcè filius dicitur בֵּן ben à radice בָּנָה banà, idest ædificauit. Iuxtà hoc significatum dicitur Exodi cap. 1. *Filij Israel ingressi sunt in Ægyptum cum domibus suis*, idest cum filiis, & nepotibus. Similiter 2. Reg. 7. 11. Deus Dauidi daturum se promisit domum, idest regiam sobolem: & 3 Reg 21. 29. Deus prædixit Achab impio Regi domum, idest stirpem regiam se euersurum. Ruth. 4. 11. dicitur Lia, & Rachel Israëlis domum, idest prosapiam ædificasse. Cum ergo dicitur: *Benedictio patris firmat domos filiorum*; idem est ac dicere: Patris bona pro filiis precatio filiorum prosapiam, eorumque opes stabiles reddit. Contra verò *maledictio matris eradicat fundamenta*, scilicet familiæ. Tribuitur autem matri potiùs, quàm patri maledictio; eò quòd faciliùs fœminæ ira corripiantur; cumque factis iracundiæ satisfacere nequeant, id imprecationibus supplent.

Matth. 25.

Ædificare domū opes augere significat.

Domus pro filiis sumitur.

25. Maternæ maledictionis exemplum S. Augustinus ex parte testis oculatus refert 22. de Ciuit. c. 8. *Decem quidam fratres (quorum septem sunt mares, tres fœminæ) de Cæsarea Cappadociæ suorum ciuium non ignobiles, maledicto matris, recenti patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab iis factam acerbissimè tulit, tali pœna sunt diuinitus coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum: in qua fœdissima specie oculos suorum ciuium non ferentes, quaquauersum cuique ire visum est, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater, & soror, Paulus, & Palladia, multis aliis locis miseria diffamante iam cogniti.* Absalom non à patre maledictus, paterna tamen maledictione dignus, cum tres liberos habuisset, vt dicitur 2. Reg. 14. 27. nihilominus filium nullum superstitem habuit, vt patet ex cap. 18. num. 18. Adeo verum est, quòd parentis maledictio, licèt non illata, sed alioquin inferenda, familiæ, vt Ecclesiasticus ait, eradicet fundamenta. Præclara Principum posteritas lucernæ nomine in scriptura appellatur: filii enim à patre nobilitatis, & principatus lumen recipientes, illud suę proli, & nepotibus successiuè communicant. Propterea 3. Reg. cap. 11. 36. dicitur: *Filio eius*, nempe Roboamo Salomonis filio, Dauidis nepoti, *dabo tribum vnam; vt remaneat lucerna Dauid seruo meo.* Et cap. 15. *Propter Dauid dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem; vt suscitaret filium eius post eum.* Absalonius ergo patri iniurius, filiis orbatur, Salomonis fratris sui sententiam veram expertus est: *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lumen eius: extinguetur lucerna eius*, legitur ex Hebræo Prouerb. 20. 20. Contra verò obedientis filii progenies à Deo cum prosperitate seruatur: propterea tali filio à Deo Ecclesiastici verbis promittitur: *In iustitia ædificabitur tibi.* Vbi eleemosyna, hoc est alimonia parentibus subministrata iustitia appellatur iuxtà Arabicum textum. Appellatur autem iustitiæ nomine; quia ad iustitiam spectat, quæ cuiusque sunt, ei reddere: benè autem Philo ait: *Filiorum nihil est proprium, quod non parentibus debeant; à quibus vel acceperunt, vel in acquirendo adiuti sunt.* Et ab Ecclesiastico ipso dicitur cap. 7. 29. *Honora patrem tuum; & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris: memento quoniam nisi per illos natus non fuisses; & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Dicitur ergo: *In iustitia ædificabitur tibi*, hoc est, tua familia stabilis erit; eò quod in iustitia, nempe in obedientia, & honore erga parentem fundata sit. *Benedictio enim patris firmat domos filiorum.* Et quoniam in hac mortali vita sine angustiis, & ærumnis esse non possumus, additur: *In die tribulationis commemorabitur tui*: scilicet, sicut tu patris indigentiæ immemor non fuisti; ita tribulatione ingruente cum Dei auxilio indigebis, neque tui Deus immemor erit. Et quoniam per peccata in tribulationis pœnas incurrimus, subditur: *Sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua.* Facilè enim Deus flectitur ad eius peccata condonanda, qui in parentes beneficus fuit.

Maternæ maledictio quantùm filiis noceat.

Lucernæ nomine nobilis posteritas significatur.

Absalom erga parentem impius filium nullū superstitem habuit.

Obsequium in parentes iustitiæ nomine appellatur

Philo lib. de Decalogo.

Filiis parentes honorantibus stabilis familia, prolesque promittitur.

Deus valdè beneficus, & misericors erga filium parentes honorantem.

26. Additur vltimò ab Ecclesiastico: *Quàm malæ famæ est*, ex Græco, *Quàm execrabilis, & infamis est, qui derelinquit patrem: & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.* Cui consonat Salomon Prouerb. 19. 26. *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, ac infelix.* Benè hoc comprobatur Absalomi exemplo; qui tot ante annis patris desertor, eique iniurius cum fuerit, adhuc, veluti recentis infamię pœnas sustinet. Audi Adrichomium in descriptione Ierusalem num. 227. *Monumentum columna erat, & statua marmorea cum inscriptione, duobus ab Ierusolyma stadiis distans, quam Absalom viuus sibi in monumentum in valle regia erexerat. Vbi etiamnum turris, & magnus lapidum extat aceruus, qui quotidie magis, ac magis augetur. Nam pagani, & peregrini illac transeuntes pro more habent, vt quisque lapidem in eum projiciat, & quasi iuxta legem vindicantes ipsius aduersus Dauid patrem suum rebellionem, huiusmodi maledictione illum execrentur: Maledictus sit parricida Absalom, & quicumque iniustè parentes suos persequuntur, maledicti sint in æternum.* Cur apud omnes filii erga parentes iniurii, ignominiosi sint, rationem reddit Xenophon apud Stobæum serm. 79. *Despectores parentum omnes passim pro nihilo habent; quemcumque ingratum erga illos deprehenderint, arbitrantur pro susceptis beneficiis in gratia referenda fore immemorem.*

Absalomi erga patrē impii perpetua infamia.

Iniuria à filiis illata parentibus cur blasphemia dicitur.

27. Citato textu, *Blasphemus est, qui spernit patrem suum*, legit Syrus. Vbi iniuria patris dicitur blasphemia, quia videtur esse in Deum. *Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur.*

Ad Ephes. 3. 15.

Quare Apostolus ad Ephes. 6. ait, *Filij obedite parentibus vestris in Domino:* Dicens autem *in Domino*, significauit nos in parentibus considerare debere, & colere Patrem cœlestem, cuius imaginem, & personam nobis repræsentant. Propterea Apost. 2. ad Timoth. cap. 3. de tempore cum *refrigescet charitas, & abundabit iniquitas*, ait: *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes.* Vbi blasphemiã enim inobedientia erga parentes iungit; eò quòd, qui parentibus inobediens est, Deo etiam iniurius fit. Hierocles apud Stobæum parentes appellat secundos, ac terrestres quosdam Deos; & asserit filios in paterna domo veluti æditutos in fano, sacerdotesque ab ipsa natura se consecratos existimare debere, vt parentũ cultui operam dent. Similiter apud Philonem lib. de Decalogo, Parentes filiis veluti Dii visibiles esse dicuntur. Additque Philo: *Nec fieri posse, vt pius sit erga Deum inuisibilem, qui erga parentes visibiles est impius.* Propterea est *maledictus à Deo, qui exasperat matrem*; adeoque eam exasperatam in imprecationes erumpere cogit. Quare Plato lib. 11. de legibus ait: *Apertissimum est à Dijs preces parentum aduersus filios exaudiri. Nihil enim imprecatione parentis perniciosius filio.* Quod pluribus exemplis ostendit. Quamuis autem parentes ab imprecationibus abstinere deberent; in filiorum tamen meritam pœnam eas Deus irritas esse non sinit. Contra verò pium obsequium parentibus præstitum in hac, & in altera vita amanter Deus remuneratur; quod naturali lumine cognouit Euripides, dicens:

Filij in paterna domo, quasi in templo æditui & sacerdotes esse debent.

Imprecatio parentũ in filios quàm noxia.

Obsequiũ parentibus præstitum Deo gratissimum.

Quisquis parentes hic piè viuens colit;
Hunc viuentemque, mortuumque amat Deus.
Non liberis est pulchrius munus aliud;
Quàm liberos dici parentis optimi;
Parentibusque dignum honorem reddere.

Quare Isocrates ad Demonicum scribens ait: *Talis sis circa parentes, quales optaueris circa te ipsum esse tuos ipsius filios.*

28. Præter plura supra citata sacræ scripturæ obedientiam erga parentes mandantia, & commendantis testimonia, in eadem egregiæ erga parentes obedientiæ habemus exempla. Primùm eximia fuit in Isaac obedientia, qui, teste Iosepho vigesimum quintum annum agens in ipso ætatis flore Abrahamo genitori eum in sacrificium iugulare volenti, statim obsequentem se præstitit. Hinc Chrysostomus ait: *Vtrùm admirer, fortemne spiritum Patriarchæ, an tam constantem pueri obedientiam; quòd neque reluctatus est, neque factum ægrè tulit; sed cessit, & obtemperauit ijs, quæ à patre fiebant; & sicut agnus cum silentio super altare accubuit, expectans patris dexteram.* Eximia etiam fuit in Rechabitis erga parentem obedientia. Hi à Ieremia Domini Propheta ad vinum bibendum inuitati: *Responderunt: Non bibemus vinum; quia Ionadab filius Rechab, pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri vsque in sempiternum: Et non domum ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris super faciem terræ, in qua vos peregrinamini. Obediuimus ergo voci Ionadab filij Rechab, patris nostri, in omnibus, quæ præcepit nobis; ita vt non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, & mulieres nostræ, filij, & filiæ nostræ: & non ædificaremus domos ad habitandum; & vineam, & agrum, & sementem non habuimus: sed habitauimus in tabernaculis; & obedientes fuimus iuxtà omnia, quæ præcepit nobis Ionadab pater noster.* Huic tam eximiæ erga parentem obedientiæ à Deo præmium non defuit: nam Rechabitis dixit Ieremias: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Pro eo, quòd obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa, quæ præcepit vobis; propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Vbi præter perennem posteritatem, promittitur etiam in ea non defuturum virum, qui in conspectu Domini perpetuò stet; hoc est iustè, & laudabiliter viuat. Sic ambulare coram Domino, piè, & sanctè viuere significat. Ideo Genes. 15. Abrahæ Deus dixit: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Quoniam verò, qui piè, sanctéque viuit, à Deo diligitur, ac protegitur; ideo stare coram Domino, ab eo diligi, & protegi significat: sicut è contrario abscondi à facie Domini, est ab eo odio haberi, & destitui. Hinc Cain Deo dixit Genes. 4. 14. *A facie tua abscondar*; hoc est iuxtà Chrysostomum, à tutela, & fauore tuo destituar. Similiter Iob Deo dixit, 13. 24. *Cur faciẽ tuam abscondis; & arbitraris me inimicum tuum?* Præterea stare coram Domino, significat ei ministrare, diuinoque cultui inseruire. Hinc Chaldæus vertit: *Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, ministrans coram me.* Similiter 1. Reg. c. 1. 22. de Samuële diuino cultui dicato eius mater Anna dixit: *Non vadam donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter.* Rechabitæ igitur in paternæ obedientiæ præmium scribæ, hoc est diuinæ legis periti, templique ministri constituti sunt. Ministerium autẽ Rechabitarum fuit sacros in templo psalmos canere, diuinasque laudes cantu resonare; quod ante templum conditum etiam faciebant. Ideo 1. Paralipomenon cap. 2. 55. de iis dicitur: *Cognationes scribarum habitantium in Iabes Canentes, atque Resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore patris domus Rechab.* Ideo etiam Psalmus septuagesimus Rechabitis tamquã cantoribus peculiariter inscribitur. Quoniam verò Dauidici Psalmi Christi Domini, iustorumque de diabolo reportandam victoriam vaticinantur; satis congruè Rechabitis in obedientiæ præmium Psalmos canere datum est. Nam, vt dicitur Prou. 21. 28. *Vir obediens loquitur victoriam.* Et S. Augustinus in Psalmum septuagesimum Rechabitis inscriptum, ait: *Sola obedientia tenet palmam: sola inobedientia inuenit pœnam.* Maxima autem Rechabitarum patri obedientium laus est, quòd eos, vnà cum aliis sanctissimis viris, veluti exemplaria ad imitandum solitariis Religiosis proponit S. Hieronymus Ep. 13. ad S. Paulinum dicens: *Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones; Philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem. Nos habeamus propositi nostri principes Paulos, Anthonios, Iulianos, Hilariones, Macarios. Noster princeps Elias, noster Eliseus; nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus; & faciebant sibi tabernacula propè fluenta Iordanis. De his sunt filij Rechab; qui vinum, & siceram non bibebant; qui morabantur in tentorijs; qui Dei per Ieremiam voce laudantur; & promittitur eis, quòd non deficiat de stirpe eorum vir stans coram Domino.*

Isaac & Rechabitarum obedientia eximia erga parentes.

Chrysost. hom. 47. in Genes. 2.

Ier. 35.

Stare coram Deo quid significet.

Rechabitarũ erga parentes obediẽtia quod premium habuerit.

4. Reg. 6. Ier. 35.

Obedientia Christi Domini erga genitricem, & nutricium Iosephum.

Bernar. ser. 19 in Cantica.

A 29. Sed instar omnium, eximium erga parentes obedientiæ exemplar Christum Dominum habeamus; de quo dicitur Lucæ c. 2. 51. *Descendit cum eis; & venit Nazareth; & erat subditus illis*, nempe Virgini matri, & Iosepho nutricio. Vbi Bernardus ait: *Cum remansisset in Ierusalem, & dixisset, in his, quæ Patris sui erant, oportere se esse; non acquiescentibus parentibus eius, sequens in Nazareth non despexit, Magister discipulos, Deus homines; Verbum, & Sapientia fabrum, & feminam.* S. Basilius in Constit. monasticis c. 4. de Christo Domino ait: *In prima ætate subditus parentibus omnem laborem corporalem mansuete, & obedienter sustinuit. Cum enim homines illi essent iusti quidem, & pij; verùm pauperes, & rebus necessariis non abundantes, meritò laboribus corporis assidue dediti erant, per hos necessarias res sibi ipsis acquirentes. Iesus autem his subditus, omnium etiam simul perferendo labores, obedientiam declarabat. Itaque discamus filij subiecti esse parentibus.* B Ita Iosephi fabrilibus laboribus, tamquam obsequens filius, opem Christus Dominus tulit: vt inde faber ipse dictus fuerit, Marci 6. 3. *Nonne hic est faber?* Cumque Ioseph iuxtà sanctum Chrysostomum, & S. Thomam, faber lignarius fuerit, Christus Dominus talem fabrilem artem exercens; *Erat iuga boum conficiens*, ait S. Iustinus: scilicet, vt hinc nobis obedientiæ iugo colla submittenda esse indicaret. Præterea, vt matri etiam obsequentem se Dominus exhiberet, materni etiam laboris particeps esse voluit. Quod piè meditatus S. Bonauentura ait: *Legitur de Domina, quòd colo, & acu quærebat sibi, & filio necessaria: fuebat ergo, & filabat munda Domina, & paupertatis amatrix. Sed numquid ibat ipsa per domos petendo pannum, & alia, in quibus operaretur? Sed cum Iesus cœpit esse quinquennis, numquid & ipse portabat ambasiatas matris petendo pro ipsa ea, in quibus operari valeret? Non enim habebat alium seruiferum. Sed numquid reportabat opera facta petens ex parte matris solutionem, & pretium? Nonne in talibus erubescebat puer Iesus, filius Dei altissimi; & etiam mater ipsius mittens? Sed quid, si aliquoties dum opus reddidisset, & pretium peteret, mulier aliqua superba, & rixosa, & loquax iniuriosè respondit, opus factum accepit, eum sine pretio expulit, & sic vacuus domum rediit? ô quot & quanta sunt iniuria aduenis, quas Dominus vitare noluit, sed suscipere?* Boni concionatoris sermo harmoniam quamdam habere debet; quæ ex consonantia inter os, & cor, inter verba, & opera ipsius concionatoris proueniat. Quare musicæ nomine diuini verbi prædicationem intelligendam esse docet Hugo Cardin. cum Ecclesiastici 32. Spiritus sanctus præcipit: *Non impedias musicam.* Sed ipsum Dei Verbum, cum sub humana carne ad populum vtilissimam concionem haberet; eaque repentino mulieris clamore interpellaret, ne Lucæ 11. quæritur cur suauissimæ musicæ interpellatrix mulier obiurgata non fuerit; sed ei potius Dominus pacatè responderit? Respondet Costerus meditatione 27. à mulieris obiurgatione Dominum abstinuisse; quia eius mater, exclamantis mulieris verbis laudabatur. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Vt hinc omnes doceremur quanti parentum honor sit faciendus.

Iuga boum fabrili arte Dominus conficiebat.

S. Iustinus Dialog. contra Triphonem.

S. Bonauent. in meditationib. vitæ Christi c. 12.

Christus Dominus cur interpellantem diuina verba mulierem non reprehenderit?

30. Sed quamuis tot sacrarum litterarum testimonijs, & exemplis honor, & obedientia erga parentes præcipiatur, & commendetur: & quamuis Apostolus ad Colossenses 3. 20. dicat: *Filij obedite parentibus per omnia*: omnia tamen intelligenda sunt, quæ diuinæ legi consona sunt, non contraria; alioquin ijs nullatenus est obediendum. Ad quod significandum Apostolus dixit ad Ephes. 6. *Filij obedite parentibus vestris in Domino.* Vbi quærit Hieronymus, cur additum sit, *in Domino?* Et respondet: *Vt parentibus nostris obtemperemus in Domino, implentes ea, quæ non sunt contraria Domini voluntati.* Idem docet Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 7. Cum enim diuinæ voluntati contraria parentes præcipiunt, sunt potius odio habendi; ab eorum scilicet mandatis abhorrendo: quod Dominus Lucæ 14. docuit dicens: *Si quis non odit patrem suum, & matrem; non potest meus esse discipulus.* Et Matth. 10. 37. *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Nam, vt benè S. Thom. adnotauit opusc. 7. *Deus verior pater est, cui potius est obediendum. Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te?* dicitur Deut. 32. Ideo S. Hermingildus potius necem ab impio patre subire voluit, quàm contra verã Dei legem eius impietati obtemperare, de quo S. Gregorius lib. 3. Dialogor. c. 31. Ideo Deut. 33. 9. dicitur. *Qui dixit patri suo, & matri suæ; Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro vos: & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.* Quo textu S. Augustinus conuincit Manichæos falsò dicentes Euangelium contrarium esse veteri testamento, & antiquo Dei præcepto de honorandis parentibus. *Manifestum est*, concludit Augustinus, *honorem parentum in gradu suo esse seruandum, & eos tamen in diuini amoris comparatione, præsertim si impedimento sunt, nulla dubitatione oportere contemni.* Similiter S. Chrysost. ait: *In omnibus obtemperandum parentibus est; præterquàm in his, quæ pietati officiunt. Ita cùm sanctum sit, omnem honorem parentibus afferre; cùm plusquàm oporteat quærunt, veritati reluctantes, resiliendum est. Sic Lucæ c. 14. à Domino dicitur: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & liberos, & fratres, adhuc & animam suam, non potest meus esse discipulus. Non simpliciter iussit te coniunctos tibi homines insequi: id enim iniquum omninò, atque pestiferum est. Sed quando plus me petit aliquis diligi, odio ipsum habeas, ait. Hoc enim tam diligenti, quam ei, qui diligitur, perniciosissimum est.* Exodi 32. 25. contra idololatras Israelitas Mosen dixisse legitur: *Si quis Domini est, iungatur mihi. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium suum super femur suum; ite, & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum; & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Fecerunt filij Leui iuxtà sermonem Moysi; cecideruntque in die illa, quasi viginti tria millia hominum. Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino.* Vbi benè Ambrosius ait: *Quod occidi fecit à proximis proximos, filios à parentibus, à fratribus fratres, præceptum euidens, quia præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati. Ea est enim vera pietas, quæ præponit diuina humanis, perpetua temporalibus. Neque verò aliquid durum videtur pro vindicta iniuria cælestis. Denique sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio Deus. Nesciunt enim suis parcere, qui nihil suum norunt; quoniam sanctis omnia Deus est.* Vide præterea Hieronymum Epist. 1. Iniqua præcipientibus parentibus obtemperandum non esse, ipso naturæ lumine Ethnici cognouerunt. Agesilaus iubenti patri, vt in causa quadam sententiam legibus non consonam pronunciaret, respondit:

Obediendũ parentibus sed cũ consona diuinæ legi præcipiunt.

August. lib. contra Adimantum c. 6.

Chrysost. Homil. 36. in Matth.

Lucæ 14.

Ambrosius Ep. 50 ad Romulum

Agesilaus, & Aristotus parentibus praua præcipientibus laudabiliter non obtemperarunt.

Plutarchus de vitiosa verecundia. Plutarchus in apoph. Laconum.

Abs te, pater, à puero didici parere legibus. Quamobrem nunc quoque tibi obtempero, cauens ne quid faciam præter leges. Similiter Ærotatus parentibus petentibus, vt iniqua in te operam ipsis nauaret, cum aliquandiù verbis repugnasset, grauius vrgentibus parentibus respondit: *Quamdiù vobiscum vixi, nullam habui iustitiæ notitiam: sed postquam me patriæ, eiusque legibus tradidistis, & ad iustitiam, honestatemque pro viribus, facultatibusque vestris erudistis, conabor his potiùs, quàm vobis obsequi; ac quoniam vultis me optima agere; optimum autem est tum priuato, tùm multò magis principi id, quod est iustum; agam quæ vultis; quæ verò dicitis, detrectabo.*

Parentum in benè educandis filiis obligatio.

31. Vt filij parentibus debitum honorem, & obedientiam exhibeant; antea parentes in filiis benè educandis verbo, & exemplo prælucere debent; & erga eos ita se amanter, & beneficè gerere, vt hinc filii grati animi incitamento discant *mutuam vicem reddere parentibus; quod acceptum est coram Deo,* vt dicitur epist. 1. ad Timoth. cap. 5. Quare Apostolus ad Ephes. 6. cum dixisset: *Filij obedite parentibus vestris in Domino,* veluti correlatiuum mandatum subdit; *Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros; sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.* Seu iuxtà Hieronymum, *In admonitione Domini:* monendo scilicet sæpè, & efficaciter filios, quid iuxtà Dei legem agere debeant. Genes. 6. iuxtà Chrysost. & Augustinum, Filij Seth vocantur filij Dei; vt hinc doceamur à iustis, qualis Seth fuit, ita filios educari, vt filij Dei videantur, Deique filij meritò nominari possint. Educare, & erudire ita parentes filios debent; *Vt ex membris primi hominis transferant in membra Christi,* ait August. lib. 1. de nuptiis cap. 4.

Chrysost. hom. 22. in Genes. Seth ita filios educauit, vt Dei filii vocati fuerint. August. 15 de Ciuit. c. 23.

32. Parentes, qui filios obedientiam, & honorem Deo, Sanctisque debitum non docent, meritò à filiis non honorari, sed iniuriosè contemni Deus permittit. Tales parentes filios non educare, sed enecare dicendi sunt. 4 Reg. cap. 2 de Elisæo dicitur: *Cum ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei. Qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: Egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Cur non alio mortis genere puniti, sed vrsis potiùs lacerandi tales pueri dati sunt? Vrsi teste Plinio lib 8. cap. 36 & lib. 10. cap. 63. informes suos fœtus lambendo formant, & figurant. Vt igitur Deus indicaret parentum Vrsos non imitantium negligentiam, in suis filiis iuxtà bonos mores efformandis, ipsos filios malè educatos ab Vrsis deuorari voluit: Et hinc peruersi filii conqueri potuerunt: *Perdidit nos aliena perfidia; parentes sensimus homicidas,* vt ait Cyprianus serm. 5. de lapsis. *Deus puerorum clade parentes flagellauit; ac simul posteros monuit, vt in verè Dei cultu modestia, & probitate filios suos educent, ne similiter castigentur,* ait S. Iustinus quæst. 80. Primo Reg. cap. 4. Heli sacerdos, quòd filios malè educasset, cum ius mortem, & damnationis æternum incurrit: *Quia falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum Iudicem, semetipsum cum filijs crudeli damnatione percussit:* ait S. Gregor. 3. par. Pastor. cap. 6. *Heli propter duos dumtaxat filios, quos non ea, quâ digni erant correctione corripuit, cum eis simul, & cùm tot hominum multitudine periit,* ait B. Petrus Damiani lib. 1. epist. 6. Multitudo autem Israëlitarum, quæ periit, fuit *triginta millia peditum.* Similiter S. Eucherius ait: *Heli sacerdos pro filiorum iniquitatis*

Filii à parentibus malè educati cur ab vrsis deuorati?

Parentes filios malè educantes sunt parricidæ.

Heli sacerdos filios malè educans cum ijs seuerè punitur.

S. Eucherius vel auctor Anglus 1. Reg. c. 4 n. 11.

A *damnatus est, quòd eos peccantes minus seuera animaduersione plectebat. Equidem coercuit, equidem corripuit; sed lenitate, & mansuetudine patris, non seueritate, & auctoritate Pontificis.* Ideo parentes benè monet Chrysostomus hom. 49. in Genes. *Vos virtutis curam geratis, & continentiam filios vestros doceatis. Consuetudo enim malitiæ processu temporis inualescens tantum facit malum, vt postea non possit aliqua vinci admonitione. Et cum semel à malitia fuerint occupati, quasi in captiuitatem essent adducti, quoquò diabolus iusserit, eunt. Ille enim eis imperat, & perniciosa illa dat mandata, quæ iuuenes libenter perficiunt, præsentem tantùm voluptatem spectantes, & futurum dolorem non cogitantes. Ideo oro, vt prabeatur manus pueris nostris, ne etiam pro his, quæ illi peccarunt, pœnas*
B *sustineamus. An nescitis quid sene Heli acciderit, cum non debitè emendaret filiorum delicta? Sicut medicus, si morbum sectione indigentem, sectione, aut emplastro curare noluerit, eò morbum incurabilem efficiet, cum congruam non adhibeat medicinam: Ita senex ille cum deberet filios suos pro qualitate peccatorum emendare, nimia vsus lenitate, illos arguit. Proinde oro, exemplo hoc timeamus, & habentes filios prouideamus eis de honesta educatione.* Ideo benè Salomon monet Prouerb. cap. 22. 15. *Stultitia colligata est in corde pueri; & virga disciplinæ fugabit eam.* & cap. 13 24. *Qui parcit virgæ, odit filium suum.* Parentes enim, qui filiorum correptionem omittunt, & erga eos nimia indul-
C genter se gerunt, Simias imitari videntur, de quibus Plinius lib. 8. cap. 54. ait: *Simiarum generi præcipua erga fœtum affectio. Gestant catulos, quos magna ex parte complectendo necant.*

Parentes nimis erga filios indulgentes, simias imitantur.

33. Porrò sicut in parentibus erga filios nimia lenitas vitiosa est, ita etiam asperitas nimia. Quare idem, quod ad Ephes. monitum repetens Apost. ad Coloss. 3. ait: *Filij obedite parentibus vestris per omnia. Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.* Seu ex Græco: *Ne despondeant animum:* scilicet cum viderint iracundia parentibus satisfacere se non posse, animum despondeant, spemque habendi cum parentibus concordiam abiiciant; &
D ita paternum priùs, deinde diuinæ legis iugum excutiant. Subdit ibidem Apostolus: *Qui iniuriam facit, recipiet id, quòd iniquè gessit.* Huius eximium exemplum natura protulit. Nam vt ait Basilius in Hexameron hom. 8. *Iniquissima volucris aquila in educanda sua prole dicitur esse: duos enim mox vt exclusit pullos, horum alterum alarum verbere cæsum nido deturbat in terram: alterum autem, & eum solùm exceptum vt proprium adiungit sibi familiariter. Quin hunc quoque, quem ipsa genuit ob nutricationis difficultatem à se ablegat. Eiusmodi parentes ij sunt in liberos praui, & inclementes; qui prætextu à paupertate quæsito suos infantes exponunt; aut certè iniquissimos se declarant*
E *patrimonio in filios partiendo.* Eamdem suos in pullos aquilæ sæuitiem refert Aristoteles 2. de histor. animalium cap. 31. eamdem etiam in prolem sæuitiem coruos exercere refert Chrysostomus hom. de Elia dicens: *Odit coruus prolem suam, & natam non educat.* Idem docet Aristoteles lib. 6. de histor. animal. cap. 6. & lib. 9 c. 31. Plinius etiam lib 10. cap. 12. ait: *Corui pellunt nidis pullos, ac volare cogunt, robustos quoque factos suos fugant longiùs.* Hinc est, quòd coruorum pulli à parentibus destituti diuina à Deo naturæ auctore nutriri dicantur. Psal. 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Huic coruorum sæuitiæ eorum filii par

Aquilæ, & corui suam in prolem sæuities.

Parentibus in filios asperitas nimia vitanda.

reddunt. Nam teste Æliano lib. 2. cap. 49. *Expulsi à parentibus pulli, ea, quæ sunt ad viuendum necessaria, inquirunt; genitaresque suos iam senio confectos, & ad prædandum inutiles minimè alunt;* & quòd peius est, eos deuorant, vt supra etiam diximus, & apud Philetem Græcum legitur. Proptetea corui parricidæ, & culeo digni dicuntur, iuxtà Aldobrandum. Eadem etiam sæuities aquilarum filiis tribuitur in parentes antea ipsis filiis crudeles, vt suprà diximus. Rectè ergò Apostolus cùm monuisset parentes in filios, & filios in parentes benè se gerere debere, addidit: *Qui iniuriam facit, recipiet id, quod iniquè gessit.* Sicut è contrariò, qui pietatem exercet, recipiet id, quod piè gessit. Quare si Ciconiæ, vt suprà vidimus, adeo suam prolem obsequiosam experiuntur, mirum esse non debet; cùm anteà ipsæ in filios, eximia pietatis officia exerceant. Hoc autem comprobat, quod de ciconiis scribit Gregor. Bruin in Delphio. *Anno Domini 1586. Conflagrante tota ferè Delphia Batauorum oppida, parentes filios adhuc ad volandum impatentes, ab incendio protegentes, alis contexerunt, rostro detulerunt, ac pedibus, vt eriperent: & ne affectum intermitterent paternum, nunquam deseruisse, quin potiùs mortem cum ipsis sustinuisse propalam visa sunt.*

Maiolus colloquio 6.

Ciconiæ suos vt pullos ob incẽdio liberarent, vnà cũ ipsis conflagrarent.

34. Ciconias non imitantur parentes, qui filios malè educando, eos non ab igne eripiunt, sed in æternum incendium miserabiliter coniiciunt. S. Gregor. 4. Dialogor. cap. 18. narrat paruulum quemdam blasphemare solitum, è patris gremio à dæmonibus fuisse abreptum: *Quatenus reatum suum pater eius agnosceret, qui paruuli filij animam negligens, non paruulum peccatorem gehennæ ignibus nutriuisset*, subdit Gregorius. Quomodo benè instituendi sint filii Anna Samuelis piissima mater ostendit. *Natus Samuel fuit apud matrem tempore lactis; mox, vt eum ablactauit, dedit in templum; vt ibi cresceret, ibi roboraretur spiritu, ibi Deo seruiret*, ait Augustinus in Psal. 98. *Prima statim pueritia à mamma matris venit ad mammam spiritualem*, ait Chrysostomus hom. de Samuele. Idem Chrysost. hom. 21. in epist. ad Ephes. de Anna suum primogenitum Deo offerente ait: *Primitias obtulit, aluus eius facta est fœcunda, & alias etiam fratres illi acquisiuit.* S. Ambrosius exhortatione ad Virgines laudans Iulianam nobilissimam Romæ matronam, quæ Deo suum vnigenitum Annam imitata dedicauerat, eam sic filium alloquentem inducit: *Tu fili, impetratus meus, & votiuus meus, agnosce à quo donatus sis mihi. Ille tua ora plasmauit; ille tua membra distinxit; ille mea orata suscepit; cuius templo, cuius obsequio te, antequam nascereris, sacraui. Non parentibus, non tibi, sed Deo natus es; cuius antequam de vulua matris exires, esse cœpisti. Et omnes quidem illius sumus; sed tamen tu specialiter promissus Domino redderis; ego quasi Anna promisi, vt omnibus vitæ tuæ diebus, ac noctibus à conspectu Domini non recedas: tu exequere.* S. Bernardus epist. 110. parentes alloquens ait: *Si filium vestrum Deus facit & suum, quid vos perditis? Aut ipse quid perdit? fit de diuite ditior, de nobili generosior, clarior de illustri; & quod his omnibus maius est, sanctus de peccatore: sed vos non perditis eum; quia multos per eum acquiritis vobis filios. Quotquot sumus in Claraualle, ipsum in fratrem, vos in parentes recipimus.* S. Hieronymus ad Lætam ep. 7. de institutione filiæ sic egregiè scribit: *Samuel nutritur in templo, Ioannes in solitudine praeparatur: ille sacro crine venerabilis est; vinum, & siceram non bibit; adhuc paruulus cum Domino sermocinatur. Hic fugit vrbes; zona pellicea cingitur; locustis alitur, ac melle syluestri; & in typum pœnitentiæ prædicandæ tortuosissimi animalis vestitur exuuiis. Sic erudienda est anima, quæ futura est templum Dei. Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur. Iurare non discat; mentiri sacrilegium putet; nesciat sæculum; viuat Angelice.*

Puer malè educatus e patris gremio à dæmonibus rapitur.

Matrum in filiis benè educandis exempla.

35. Tobias piissimus pater egregium educandi filios specimen dedit: de eo enim dicitur: *Genuit filium, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. In hora autem mortis suæ vocauit ad se Tobiam filium suum, & septem iuuenes filios eius, nepotes suos, dixitque eis: Audite filij mei patrem vestrum: seruite Domino in veritate, & inquirite, vt faciatis, quæ placita sunt ei: & filijs vestris mandate, vt faciant iustitias, & eleemosynas; vt sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute sua.* Quæ pia genitoris monita cum Tobias filius benè seruasset, de eo dicitur: *Vidit quintam generationem, filios filiorum suorum. Et completis annis nonaginta nouem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum. Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius in bona vita, & in sancta conuersatione permansit; ita vt accepti essent tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.*

Tob. cap. 1.

Cap. vltimo. Tobias optimus filii educatur.

Cap. vltimo.

36. Cum ad diuinam iram placandam duo filij Resphæ vxoris Saulis, crucis patibulo affixi essent; De ea dicitur 2. Reg. 21. 10. *Tollens Respha cilicium substrauit sibi supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo, & non dimisit aues lacerare eos per diem, neque bestias per noctem.* Tradunt Hebræi hæc duorum filiorum corpora mansisse in cruce sex ferè mensibus, nempe à Martio ad Septembrem; quo mense in Palæstina pluuiæ æstate cessantes, incipere solent. Si tanta sollicitudine sub dio pernox, & perdia pia hæc mater perseuerauit, vt exanimes filios intactos à rapacibus volucribus seruaret: quanta sollicitudine parentibus curandum est, ne filiorum animæ immundorum spirituum prædæ sint.

Resphæ erga filiorum suspensa cadauera pietas.

37. Benè instituendi filios specimen Dauid dedit, cum Psal. 33. 12. dixit: *Venite, filij, audite me: timorem Domini docebo vos.* De agnis scribit Arist. lib. 6. de hist. anim. cap. 19. *Candidi, nigriuè efficiuntur fœtus, si sub lingua arietis vena nigra, aut candida habeatur.* Si ab arietis lingua agnorum colores pendent, multò magis in hominibus filiorum mores à patria lingua eos instituente proueniunt: humana enim proles vitiosa, vel virtute prædita erit; si patria lingua vitiorum nigredinem, vel virtutis candorem loquendo referet. Porrò citato Psalmi loco legit Aquila: *Venite filij, respicite me.* Parentes enim ita exemplo filios prælucere debent, vt filij non solùm parentum verba audientes, sed vitæ formam respicientes, ad benè viuendum incitentur; alioquin parentes monitis nihil proficient. *Parentes vitium, filiorum exitium* vocat Chrysost. serm. 111. Elegans est Apologus Aniani. *Cancrum retrogradum monet mater, antrorsum vt eat: Filius respondet: Mater, præi, sequar.* Suauissimè canit luscinia, sed cantus suauitate parentis imitatur exemplum: *Luscinia modulos suos pullos docere; versusque, quos imitarentur, tradere visa est*, ait Arist. 4. de animalibus cap. 9. Sua de san-

Agni nigri, vel albi nascuntur, si arietes generantes linguæ nigredinem, vel candorẽ habeant.

Parentũ bonis, vel malis, filiorum mores conformantur.

In Aniani, seu Æsopi fabulis.

Cancri, eiusque matris apologus.

Luscinia suos pullos suauiter canere docet.

S. Basilius patrem educatorẽ optimũ habuit.

cta Matre testatur August. lib. 1. Confess. *Præcepta vitæ, quæ in animo plantauerat verbo, rigabat lacrymis, alebat exemplis.* De S. Basilio ait Nazianzenus orat. 30. *Illi contigit domesticum habere virtutis exemplar; in quod oculos coniiciens iam inde ab ineunte ætate optimus erat. Patrem generoso impetu è propinquo affectabatur; nec à summis virtutibus illius longo interuallo distabat.* Porrò monita, quæ citato psalmo Dauid dedit, filiisque à pio parente sunt danda, illa sunt: *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo, & fac bonum; inquire pacem, & persequere eam.* De quibus vide ibi Patres, & interpretes.

Dauidis monita Salomoni filio data.

38. Præterea monita ipsi à Dauide patre data, refert Salomon Prou. cap. 4. *Ego filius fui patris mei tenellus, & vnigenitus coram matre mea; & docebat me, atque dicebat: Posside sapientiam, posside prudentiam. Ne dimittas eam, & custodiet te: dilige eam, & conseruabit te.* Non possessionem auri, & argenti; non possidendum regnum; sed Sapientiæ possessionem Dauid filio commendauit. Et quoniam *Timor Domini principium Sapientiæ est*: præ omnibus timorem Domini, eiusque cultum, & venerationem cordi esse debere Dauid docuit. Rursus à teneris annis filij ad virtutem instituendi sunt. *Dum tener est natus, generosos instrue mores*, cecinit Phocylides; ideo, cum adhuc tenellus esset, se à patre bene institutum fuisse Salomon dicit. *Cereus in vitium flecti puer est*, vt Poëta dicit, si malè instituatur: sin benè, cereus in virtutem erit. Ideo benè monet Basilius. *Animus dum tener est adhuc est tu cera, quæ impressas in se formas quascumque facillimè recipit, mollissimè cedit, confestim ab ipso initio omni rerum bonarum imbui exercitatione debet.* Similiter Plutarchus lib. de institutione liberorum ait: *Sicut infantium membra, simul ac nati sunt, formari, componique debent; vt recta, minimeque obliqua fiant; ita puerorum mores principiò apte, concinneque fingere conuenit. Illa enim nouella ætas ad fingendum facilis, & tenera est; & illorum animus, dum molles adhuc extant, disciplinæ melius instillantur. Difficilius autem, quæ dura sunt, molliuntur. Sicut enim sigilla mollibus imprimuntur ceris; ita & doctrina, dum puerilis animus est, insculpuntur. Ego filius fui patris mei tenellus: filius fui patris mei delicatus*, legit Chaldæus: hoc est, filius fui in deliciis enutritus. Quoniam nimiæ deliciæ regios pueros à virtute auertere solent; hoc in se non accidisse testatur Salomon; cum prudens eius pater non ita filij deliciis indulserit; vt virtutis studium omitti permiserit. *Filius fui, vnigenitus coram matre mea*: Vbi siue vnigenitus pro vnico filio intelligatur; siue pro primogenito accipiatur; sicut accipitur Genes. 22. vbi de Isaac, qui primogenituræ ius habebat, expulso iam Ismaële, dicitur: *Tolle filium tuum vnigenitum*: Vtraque acceptio auget benè educandi curam in Salomone adhibitam. Quandoquidem erga vnigenitos, vel primogenitos indulgentiores parentes esse solent; iisque ne nimis coërceantur, indulgere: cum contrarium sit faciendum. Nam vnigeniti magis bonis moribus imbuendi sunt; ne vitiis corrupti in peccatorum pœnam citò vita priuentur, orbusque pater superstes remaneat. Præterea primogeniti peculiariter bonis moribus instituendi sunt; vt minoribus fratribus exemplo præluceant. Sic à piissima matre Blancha tamquam sanctæ vitæ iunioribus fratribus exemplar institutus est S. Ludouicus Galliæ Rex: cui piissima parens sæpè dicere consueuit:

Prou. c. 22. 7. Filij a teneris annis sunt benè instituendi. Horatius. Basilius in regulis fusius disput. interrogat. 15.

Vnigenitus pro primogenito sumitur.

Primogeniti præcipuè sunt bene instituendi.

A *Mallem te, fili mi, mortuum cernere, quàm Creatorem tuum mortali crimine offendentem. Quæ verba vsque adeo illius animo hæsere, vt diuina ipsum gratia protegente, nunquam huiusmodi crimen admiserit.* Huiusmodi monitis instituenda est tenera filiorum ætas.

S. Ludouicus nunquam mortaliter peccauit ob frequentia Blanchæ matris monita. Surius in S. Ludouici vita.

39. Ideo Ecclesiastici 7. 25. dicitur: *Filij tibi sunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum.* Ex Græco legitur: *Flecte illos à pueritia illorum.* Filij enim à pueritia ad obediendum flexibiles reddendi sunt; cumque corruptæ naturæ propensione in vitia, noxiasque affectiones tendere videntur, inde eos cursum reflectere sunt cogendi. Quod si à prima ætate non fiat, eueniet vt pueritiæ, & adolescentiæ vitia non correcta in senectutem vsque perducant. Nam, vt Salomon B ait: *Prouerbium est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Quam enim viam siue bonam, siue malam adolescens inierit, eâdem vsque ad senectutem incedet. Quod si adolescens prauam viam inierit, *ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient*, vt dicitur Iob 20. 11. Per ossa duras prauitatum consuetudines intelligit Gregorius: *Quæ ossa cum eo in puluere dormient, quia consequenter in illo iniquæ consuetudines perdurant; quæ hunc ad mortis puluerem pertrahant, & non nisi cum eius vita finiantur.* Arbores cum teneræ virgæ adhuc sunt, vt rectæ assurgant curandum est; cum autem obduruerint, obliquitatem, in quam deflexerint, non relinquent. Idem de homine, qui arbor inuersa dicitur, est dicendum. *Rami,* C *quando correxeris eos, rectificantur: trabs autem non lenescit, quando correxeris eam.* Arabico prouerbio dicitur Cant. 2. n. 66. Ideo monuit Plato in dialogo Euthyphronis: *Consentaneum est primam de iuuenibus curam suscipere; vt quàm optimi euadant: quemadmodum decet, agricolam nouellarum plantarum primam curam agere.* Idem Plato lib. 4. de Republica: *Magistratus summi est prospicere, vt pueri, & iuuenes honestè, & sanctè à prima ætate, & infantia instituantur.* Eadem arborum similitudine vtitur S. Hieronymus epist. ad Demetriadem: *Optimè fit ad institutionem morum; pueri quippe apti sunt: habent enim in se lentum quoddam, & molle, quo formari queant, atque ad* D *arbitrium volentis trahi; & in cunctis ferè rebus citiùs assuescit, quod tenerum est. Nouellas adhuc, & vix firmæ radicis arbusculas, dum ad omnem ductum sequaces sunt, in quamlibet partem flecti facile est. Ipsa quoque litterarum studia teneris molibus inseruntur ingenijs. Hoc etiam plurimum in viuendi rationem valet; dum adhuc mollis est ætas, & animus duci facilis, exercenda boni consuetudine, & iugi meditatione firmanda est.* Idem sub similitudine lanæ conchyliorum sanguine tinctæ, & recentis vasis, in quem liquor infunditur, docet Hieronymus epist. 7. dicens: *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum candorem reuocet? Re-* E *cens testa diu & saporem retinet, & odorem, quo primum imbuta est. Græca narrat historia Alexandrum potentissimum Regem, orbisque domitorem, & in moribus, & incessu Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitijs, quibus paruulus adhuc fuerat infectus*, ait idem Hieronymus in Prouerb. cap. 22.

Filii à pueritia malè educati in senectutem vitia protrahunt. Prou. c. 22. 6.

Alexander Macedo pædagogi vitia contraxit.

40. Cum Dauid pluribus Psalmis inscriptionem illam proposuerit: *In finem*: quærit Chrysostomus, cur eâdem inscriptione non vsus sit in Psalmo 14. Et respondet: *Psalmus iste, quoniam docet de iustitia, & cæteris virtutibus, non*

Psalmus decimus quartus cur non inscribitur: In finem?

debet in finem vitæ suadere hæc acquirere; sed ab initio, ab ipsis incunabulis, & à teneris vnguiculis cum eis versari. Nemo enim puero suadens, & eum admonens dicit: Sis temperans ad finem; sis prudens, aut iustus ad finem; sed ab initio eum instituit ad vitam modestam; & ab ineunte ætate ei iacit fundamentum, Dei metum. Omnis quoque vir orat, vt filius eius non in finem ditetur; nec, vt quando fuerit senex, prudens euadat: sed vt diuitiæ, & prudentia, & auctoritas cum eo ab initio, & ab ineunte ætate versantes, ei comites sint vsque ad senectutem. Propterea dicebat B. Ieremias: Bonum est viro, quando iugum tulerit ab adolescentia sua. Si enim nullus nostrûm vult possidere seruum senem; nec qui habet delectum exercitus, senes refert in numerum; multò magis regnans virtus mauult adolescentiam, quàm senectutem. Prou. 13. 24. Vbi dicitur: *Qui diligit filium, instanter erudit.* Ex Hebræo legitur: *Diluculo, seu mane.* Et sensus est, ipso mane, seu ætatis diluculo, nempe in pueritia, cum primus rationis radius illucescit, à bono parente filium esse erudiendum.

Ierem. Thr. 3.

41. S. Ambros. in Psalm. 118. ser. 19. explicans allata Ieremiæ verba, *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit,* ait: *Qui à iuuentute iugum portauerit; & habenis maturi moderaminis teneriora volens colla subdiderit; sedebit singulariter remotus à strepitu interpellantium passionum, & quietus silebit; cui iam non necesse est iurgari cum corpore, decertare cum varijs cupiditatibus; quia tulit iugum verbi anima, quæ quærit Deum; quæ captiuas sibi fecit omnes delicias iuuentutis.* Bernardus Dorhot in speculo iuuentutis plura colligit eximia exempla eorum, qui à pueritia benè fuerunt educati. *Insignis matrona filiolum quinquennem Martyrum sanguine perungebat, eum ad martyrij gloriam frequenter accendens; tandem sub tenera adhuc ætate, secum martyrij palmam alacriter consequi vidit sub Dunaano Tyranno,* vt refert Baronius tomo 7. anno Christi 522. pagina 93.

Thr. 3. 27.

Puer quinquennis Martyrum sanguine à matre perunctus, adhuc puer martyrium subiit.

42. Balearium insularum incolæ fundæ ictu ad collimandum insignes sunt. Hanc autem collimandi peritiam matrum industria à pueritia discunt: de iis enim Diodorus testatur: *Ita rectè lapides propellunt, vt rarò effugiat ictum appetitus locus. Quod eis continuò à pueritia vsus præbet, à matribus ad id certamen coactis: imponunt enim supra erectum lignum panem, signum, quod ictu petant; neque ante cibum capiunt; quam panem lapide ictum pro cibo sumunt.* Similiter à bonis pueri parentibus & alimenti, & blandimenti præmio proposito, suis vt operationibus ad virtutis scopum colliment, incitandi sunt. Alioquin *quod in pueritia, & in iuuentute non discitur, in matura ætate nescitur,* vt Theodoricus Rex scripsit apud Cassiodorum lib. 1. ep. 24. Psitacus teste Apuleio lib. 2. Floridorum, primo vitæ biennio facilè addiscit quidquid suggeritur: senio sic obstupescit, vt quantùm flagelletur, numquam doceatur.

Balearium insularum pueri quomodo ad collineandũ bene instituantur.

43. De equis ad bellicam disciplinam efformandis Poëta cecinit:

Virgilius Georgic. l. 3.

Primus equi labor est animos, atque arma videre
Bellantum, lituosque pati, tractuque gementem
Ferre rotam, & stabulo frænos audire sonantes.
Tum magis, atque magis blandis gaudere Magistri
Laudibus, & plausæ sonitum ceruicis amare,
Atque hæc iam primo depulsus ab vbere matris
Audiat, inque vicem det mollibus ora lupatis.

Elaborant gressus ad numeros quosdam glomerare pulli equini. Equi in theatris decubitus, tripudia, & stationes periculosas, motionesque exactè effingunt, ait Plutarchus lib. de ratione brutorum. Quod si principes viri, & equites in equis à prima ætate benè efformandis tanto studio tenentur; quanto maiori cura in filiis à pueritia benè instituendis affici debent; vt ij à teneris annis acriter contra vitia dimicare discant? Themistocles adolescens ferox, & mutabilis antea, cum postea mores mutasset, mirantibus ciuibus dixit: *Asperos, & indomitos pullos, in optimos equos euadere, si quis illis adhibeat disciplinam, rectamque institutionem*, vt in Laconicis refert Plutarchus. *Equus indomitus euadit durus; & filius remissus,* hoc est suæ voluntati sine disciplinæ fræno relictus, *euadit præceps*: præceps scilicet in malum, dicitur Ecclesiastici 30. 8. Bonæ ergo disciplinæ fræno à teneris annis ad benè operandum instituendi sunt filij. Nam, vt benè Vegetius de re militari lib. 1. cap. 4. ait: *Incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat: non enim tantùm celerius, sed etiam perfectius imbibuntur; quæ discuntur à pueris.*

Equis nos magis, quã filiis bene efformãdis principes viri student.

44. Filius, vt supra diximus Hebraïcè dicitur בֵּן ben, hoc est ædificium, à radice בָּנָה banâ, id est ædificauit. Hoc ædificium baptismali gratia in Dei templum consecratur. Curandum est igitur parentibus, ne animatum huiusmodi templum vitiis profanetur; ne virtutibus malè fultum collabatur. Ideo Chrysostomus ait: *Annon absurdum est nos domum ruinam minantem fulcire, pecunias impendentes, fabros accersentes, denique nihil nos non facientes; domum autem Dei (nam Dei domus esse debet adolescentis anima) ne vulgari quidem dignari cura? Vide ne idem audias, quod olim audiêre Iudæi. Nam illi postquam à captiuitate templum materiale conspicientes neglectum, priuatas ædes suas exornarunt; adeo Deum exasperarunt, vt mitteret eis prophetam, qui famem minaretur, magnamque rerum necessariarum penuriam; & hanc comminationis causam eloqueretur: Vos quidem in domibus vestris, vndique habetis mansiones; domus autem mea deserta est. Quod si illius templi neglectus tantam excitauit iram Numinis; multò magis huius templi neglectus ad iracundiam prouocabit Dominum. Siquidem hoc templum tanto est illo honoratius, quantò plura habet sanctimoniæ Symbola. Caue igitur committas, vt templum Dei fiat spelunca latronum. Sed quomodo fiet spelunca latronum? Cum patimur illiberales, ac seruiles concupiscentias intrare, sedemque figere in adolescentulorum animis. Tales enim cogitationes grauiores, ac perniciosiores sunt latronibus, quæ puerorum ingenuitatem vertunt in seruitutem.*

Filii tanquã Dei templũ ne prauis moribus profanẽtur, curandũ est.

Chrys. homil. 21. in 1. ad Samuele.

Aggæi 1.

Lucæ 19.

45. Ne huiusmodi latrones in Dei templum, hoc est in pueri animum ingrediantur; iustâ, valdeque proficuâ seueritatis virgâ arcendi sunt, eâdemque, si ingressi fuerint, sunt expellendi. Ideo bonus parens monetur Prouerb. 22. 15. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam*: & Prouerb. 23. 13. *Noli subtrahere à puero disciplinam: Si enim percusseris eum virga, non morietur.* Hoc est, corripiendo virgæ ictu filium, timere non debes, ne ei languorem inducas, adeoque mortem acceleres: cum potius filiorum vitia, vt præproperæ eorum mortis causa timenda sint. Vitia enim non solùm in demeriti pœnam; sed etiam Physicè per nimiam crapulam, & lasciviam, vitam breuiorem reddunt. Hinc secundus sensus est: *Si percusseris eum virga,*

virga, & sic eum benè viuere coges, *non morietur*; morte scilicet temporali acerba; insuper nec morte æterna. Ad quod significandum subditur; *Tu virga percuties eum, & animam eius ab inferno liberabis.* Ab inferno, nempe tum à sepulchro, quod alioquin præpropera morte subiret: tum etiam ab inferno, hoc est à gehennæ incendio; ad quòd, si prauos mores non correxisset, damnatus esset. Præproperam, & violentam, immò etiam infamem mortem ex nimia parentum indulgétia malè educatos filios subire testatus est non vnus, qui ad suspendium damnatus verè dicere potuit: *Non me prætor, sed pater ad suspendium damnat.* Quod multò peius est, quot nunc malè educati filij, & parentes filios malè educantes, æternis ignibus cruciati inuicem maledictis insectantur; eo quòd suæ damnationis parens filium, & filius parentem potissimam causam agnoscat. Inter hos nunc cruciatur Iustina, quæ filio Valentiniano Imperatori Arianam hæresim instillauit: & Drahomira impia mater, quæ Boleslaum Bohemiæ tyrannum pessimè educauit.

Parens delinquentem filium seuerè corripiens à duplici morte liberat.

Iustina, & Drahomira filios malè instituentes damnatæ.

46. Allatæ Salomonis sententiæ consonat Eccles. c. 30. 1. *Qui diligit filiũ suum, assiduat illi flagella; vt lætetur in nouissimo suo; & non palpet proximorum ostia.* Præmium enim bonæ filiorũ educationis, eorumque correptionis est, vt tam filij, quàm parentes extremo vitæ tempore lætentur: parentes quidem quòd ex hac vita transituri filios benè institutos relinquant; filij, quòd à parentibus bene instituti, sub vitæ finem benè ante actæ vitæ conscij, inde lætitiam habeant.

Filiorũ bonæ educationis primus fruct⁹.

47. Bonæ educationis fructus secundus est, vt filius benè institutus *non palpet proximorum ostia.* Malè enim in otio educatos filius, dissipato patrimonio luxuriosè viuendo, cogitur mendicantium cæcorũ more aliena ostia palpare, & pulsare, cibum ignominiosè petendo. Ne in hanc mendicitatis miseriam filij incidant, parentibus accipitrum exemplũ proponit Ambros. l. 5 Hexamer. c. 18. Cum enim pulli volare incipiunt, *Nidis eijciunt, ac si morentur, propulsant pennis, atque præcipitant, verberant alis; cogunt audere, quod trepidant; nec vllum postea deferunt biemunis alimonia. Cauent ne in tenera ætate pigrescant; ne soluantur delicijs; ne marcescant otio; ne discant cibum magis expectare, quã quærere: intermittunt nutriendi officia, vt in vsus rapiendi audere compellant.* Domestici catuli emendicare coguntur reliquias, & micas, quæ cadũt de mensa dominorum suorum: Canes verò venatici laboriosa venationis disciplina exerciti, non solũ sibi, sed suis etiam heris delicatam escam acquirunt. Ideo Lycurgus ad benè instituendos filios per assiduam disciplinam, non autem per nimiam indulgentiam, vt Lacedæmones excitaret, *Catulos duos ex eodem susceptos patre, & matre eduxit; atque vnum domi relictum gulæ assuefecit; alterum secum trahens ad venationem exercuit. Inde produxit tot in concionem, positisque spinis piscium, & gulæ irritamentis emisit simul leporem. Hic cum vterque consueta peteret, & cepisset alter leporem: Cernitis, inquit, ciues boni, licèt eâdem stirpe sint; vita tamen disciplinâ longè inter se euasisse diuersos.*

Bonæ educationis filiorum fructus secundus.

Accipitrum erga prolẽ bona seueritas.

Lycurgi ad bene filios educandos exemplum.

Plutarch. in Apophtegm. Laconic.

48. Tertius bonæ filiorum educationis fructus ob Ecclesiastico dicitur: *Qui docet filium suũ, laudabitur in illo; & in medio domesticorũ in illo gloriabitur.* Nam, vt S. Maximus ex sacra scriptura ait: *Gloria patris est filius sapiens: Filius sapiens lætificat patrem.* & Prou. 23. 15. Pij patris ad filium verba sunt: *Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum.* Ideo Apostolus Paulus filiis, quos Deo spiritualiter genuerat, ait: *Gaudiũ meum, & corona mea*, ad Philipp. 4. & 1. ad Thessal. c. 2. 19. *Quæ est nostra spes, aut gaudiũ, & corona gloriæ; nonne vos ante Dominũ nostrum Iesum Christũ?* Ideo Prou. 17. 6. dicitur: *Corona senũ filij filiorum, & gloria filiorũ patres eorũ.* Vbi corona pro præmio, & insigni ornamento ponitur; & sensus est; sicut filij, & nepotes suorũ parentum nobilitate, & honore gloriantur, ita vicissim parentes suorũ laborum præmium, suæque senectutis ornamentum filios, & nepotes benè viuentes habent. *Cornelia Gracchorum mater, cum Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua, pulcherrima sæculi illius et ostenderet, traxit eam sermone quousque è schola redirent liberi; & Hæc, inquit, ornamenta mea sunt; Dominum rerum collabi solet; bona mentis vsurpatio nullum tristioris fortunæ recipit incursum.* De parentum gloria à filiis proueniente vide Senecam lib. 3. de beneficiis cap. 31. & 32.

Filiorũ benè educationis tertius fructus.

Prou. 10.

S. Maximus hom. 59.

Filij benè educati parentum gaudium, & ornamentum.

Valer. Max. lib. 4. cap. 4.

49. Quartus fructus est: *Qui docet filium suum, in zelum mittet inimicum.* Sic enim inimico vel tortor erit, vel beneficus: tortor, si inimicus inuidiæ stimulis cruciabitur; beneficus, si ad laudabilem æmulationem prouocabitur; vt ipse etiam similiter suum filium benè instituat. Hoc secundum Christiano homini est optandum.

Eccli. 30.

Filiorũ bonæ educationis fructus quartus.

50. Quintus fructus est: *Mortuus est pater eius, & quasi non mortuus; similem enim reliquit sibi post se.* Cum enim filius benè educatus pij parentis laudabiles mores imitetur; illius imaginem referre videtur; ideoque pater in filio tamquam viua in imagine viuere, ac superstes esse, dicitur. 2. ob filios benè educatos, & ob ijs familiæ bonam famam, honoremque conseruatum, dicitur patris vita in hominum memoria conseruari. Si enim Ennius poëta ob relictum post se carminis monumentum dicere potuit:

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? Volito viuus per ora virum.

Id multò magis ob benè institutam familiam pio parenti dicere licet. Ideo Eccles. c. 44. 8. post celebratos pios parentes, addidit: *Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum:* scilicet tum ipsorum filiorum, tum eorum parentum. Subdit præterea: *Filij eorum, propter illos vsque in æternum manent: semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur. Corpora eorum in pace sepulta sunt; & nomen eorum viuit in generationem, & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia.* Quoniam verò *omnibus hominibus filij sunt anima*, vt ait Euripides: de huiusmodi anima, non solùm de sua propria pius parẽs mortalem vitam relinquens benè dicere potest: *Anima mea Deo viuet, & semen meum seruiet ipsi.*

Eccli. 30.

Filiorum bonæ educationis fructus quintus.

Parentes in filiis bene educatis memori gloria superstites viuunt.

Euripides apud Philostra. in vita Apollonij lib. 2 c. 7.

Ps. 21. 31.

51. E contrario de improbis parentibus ibidem dicitur: *Sunt, quorum non est memoria: perierunt quasi non fuerint: & nati sunt, quasi non nati; & filij ipsorum cum ipsis.* Additur præterea citato c. 30. Cur pius parens mortem lætus suscipiat: *In obitu suo non est contristatus, nec confusus coram inimicis. Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.* Huius ratio est, quia pius parens cum viueret, filios ad se aduocans sæpè dixit: *Venite, filij, audite me; timorem Domini docebo vos:* hinc filij in Domini timore benè instituti; & inde eximia fortitudine roborati inimicorum insidias non formidabunt: *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit*, dicitur Eccles. 34. 16. Rursus, quia Isaias 33. 6 de iusto Deum timente ait: *Timor Domini ipse est thesaurus eius:* ex hoc thesauro opes exhauriet iustus, quibus amicis vberem gratiam reddat.

Filij parentum anima.

Eccli. 44.

Bonæ filiorum educationis fructus sextus.

Ps. 33. 12.

52. Post fructus bonæ educationis enumeratos,

subdit per Ironicam permissionem Ecclesiasticus: *Lacta filium tuum*, hoc est veluti tenera nutrix ei assiduè blandiaris; *& pauentem te faciet: lude cum eo, & contristabit te.* Nam vt benè Arabico prouerbio dicitur: *Collusio, siue iocus, aufert reuerentiam.* Reuerentia autem erga patrem sublatâ filius inobediens, & imperiosior patri redditur; & hinc fit, vt filius sæpè patrem contristet; & quòd peius est, vt inuerso ordine filium pater reuereatur. Propterea monetur pater: *Non corrideas illi; ne doleas; & in nouissimo obstupescent dentes tui.* Similitudo sumitur ab eo, qui acerbis fructibus delectatur, quorum comestione dentes redduntur stupidi; & ex stupore cibos alios mandendo, dolorem incurrunt. Sic qui in acerba filij ætate ei blandiendo, nimisque indulgendo se oblectat; postea, cum vlterius filii ętas procedit, ex ea non oblectationem percipiet, sed dolorem. Propterea monet Ecclesiasticus, ne pater filio corrideat. De suo risu vultusque exhilaratione coram liberis, reliquâque familiâ dixit Iob. c. 19. 24. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Risus enim cum vultus exhilaratione adeo parcus, & moderatus erat, vt inde adstantes non crederent sibi aliquid vltra consuetam reuerentiam permitti: & ideo subdit: *Et lux vultus mei non cadebat in terram:* hoc est iuxtà Vatablum: *Non spernebant meam authoritatem, sed ridentem etiam reuerebantur:* Vbi benè Gregorius ait: *Talis debet esse dispensatio regiminis; vt is, qui præest, ante se circa subditos mensura moderetur; quatenus & arridens timeri debeat; & iratus amari; vt eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata seueritas odiosum. Sæpè enim subiectos frangimus, dum plus iusto vigorem iustitiæ tenemus. Et sæpè à disciplina metu resoluimus subditos; si nostro regimini hilaritatis frena relaxamus: quia dum nos, quasi licenter lætos aspiciunt, audacter ipsi ad illicita resoluuntur.* Ideo Gregor. 2. par. Pastoralis cap. 6. ait: *Curandum est; vt rectorem subditis matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina. Atque inter hæc sollicita circumspectione prouidendum, ne aut districtio rigida aut pietas sit remissa. Quod benè tabernaculi arca significat; in qua cum tabulis virga simul, & manna est: quia cum Scriptura sacra scientia in boni rectoris pectore si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis. Hinc David ait: Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt: virga enim percutimur, baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ, quæ feriat, sit & consolatio baculi, quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans: sit Zelus, sed non immoderatè sæuiens: sit pietas, sed non plusquam expediat, parcens: vt dum se in arce regiminis iustitia, clementiaque permiscet, is, qui præest, corda subditorum terrendo demulceat, & tamen ad terroris reuerentiam demulcendo constringat.* Similiter Seneca ait: *Plurimum proderit pueros statim salubriter instituere: difficile autem est regimen; quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundamus. Sic itaque inter vtrumque regendum est, vt modo frænis vtamur, modò stimulis.*

Parētes filiis nimis blandiendo, eos inobediētes reddunt. *Centuria* 2. *n.* 4.

Ps. 22. 4. Virga, & manna in arca regimen ex seueritate, & dulcedine mistum significat.

Seneca lib. 2. *de ira.*

53. Ad filium benè educandum subdit Ecclesiasticus: *Non des illi potestatem*, seu ex Græco, *libertatem*; *& ne despicias cogitatus illius*; hoc est, vigilanter eius cogitationes, & affectus consideres; eosque si praui sint, ne corrigere omittas. *Curua ceruicem eius in iuuentute; & tunde latera eius, dum infans*; hoc est, vt alii legunt, *dum paruus est: ne forte induret, & non credat tibi*, hoc est tuis monitis practicam fidem non præstet: *& erit tibi dolor animæ*: Corporis enim dolor, cui in filio pepercisti, in tui cordis, animæque dolorem conuertetur. Quid patri salutare hoc Ecclesiastici monitum non seruanti, sed nuxiam libertatem filio danti acciderit, legitur apud Aug. tom. 10. ser. 33. ad fratres in Eremo. *Hipponensis ciuis Cyrillus filium habebat vnicum; & quia vnicus erat, eum superfluè diligebat, & suprà Deum. Ideo superfluo amore inebriatus, filium corrigere negligebat; dans ei etiam potestatem faciendi omnia, quæ placita essent illi. O dolosa libertas! ô grandis filiorum perditio! ô paternus amor mortiferus! Ecce filios se dicunt diligere, quos ingulari procurant. Dicunt eos amare, quibus suspendia parant. Ecce pater, & filius ambo in foueam cadunt. Quare Pater cum filio cadit in foueam; nisi quia pater cæcus est, quia malus, & quia salutem suam, & filiorum videtur negligere? Qua, & quomodo pater hæc neglexerit, nisi quando filio libertatem donauit; quando eum corrigere neglexit; quando virgæ pepercit? quando ei semper serenam faciem demonstrauit. Cyrillus filium habebat, quem corrigere negligebat; & luxuriosè viuendo consumpsit partem bonorum suorum: ebrietatem perpessus, matrem prægnantem nequiter oppressit; sororem violare voluit; patrem occidit; & duas sorores vulnerauit ad mortem.*

Filius ex nimia patris indulgentia parricida, & erga sorores incestuosus.

54 Duo præcipuè vitia corrigenda esse Ecclesiasticus monet, scilicet superbam peruicaciam, & ignauam otiositatem. Ad superbam peruicaciam corrigendā, similitudine à iuuencis ducta, quorum ceruix iugo subditur, ait: *Curua ceruicem eius.* Rursus ad ignauiæ, & otiositatis correctionem, similitudine ducta ab equis, qui calcaribus lateri admotis ad cursum incitantur, additur: *Tunde latera eius*: scilicet, ne otiosè viuere assuescat; sed honesti laboris, virtutisque studium à tenera adhuc ætate currere incipiat. Ad ignauiam à filiis depellendam exemplo ceruæ esse possunt, de quibus Plinius lib. 8. c. 32. ait: *Editos partus exercent cursu, & fugam meditari docent: ad prærupta ducunt, saltumque demonstrant.* Similiter ad honesti laboris cursum incondum de filio patri dicitur: *Tunde latera eius.* Alioquin *erit tibi dolor animæ.*

Parentes filiorū superbam peruicaciam & ignauam otiositatem corrigant.

Ceruę filios ad cursum, saltumque per prærupta exercēt.

55. Ideo monet etiam Salomon Prou. 29. 15. *Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam.* seu iuxtà Septuaginta, *Confundit parentes suos*: Magnam enim ignominiam parentibus affert filius malè educatus. Sicut è contrario: *Vir, qui amat sapientiam, lætificat matrem suam. Filius sapiens lætificat patrem: filius verò stultus mœstitia est matri suæ. Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ.* Numerorum 17. 7. dicitur: *Moyses regressus inuenit germinasse virgam Aaron: & turgentibus gemmis eruperant flores; qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Similiter correptionis virga, qua parens teneræ ætatis filium corripit, & ad bonos mores dirigit; ætatis progressu pulcherrimos flores, virtutisque fructus suauissimos germinat: ideo benè dicitur: *Erudi filium tuum, & dabit delicias animæ tuæ.* Subdit vltimo loco Ecclesiasticus: *Doce*, seu, vt alii legunt, *castiga filium tuum; & operare in illo; ne in turpitudinem illius offendas*: ne scilicet ex prauis filii moribus in ignominiam maximam, ac dedecus tu pater incurras.

Prou. 29. 3. Prou. 10. 1. Prou. 29. 17.

Virga Aaronis in flores, & fructus germinauit. E correptionis virga virtutum flores, fructusque nascuntur.

Prou. 29. 17. Eccli. 31.

56. Ptolomæus Philadelphus Ægypti rex septuaginta duobus interpretibus singulis singulas morales quæstiones proponens, à quadragesimo primo quæsiuit: *Quæ sit maxima negligentia?* cui ille respondit: *Si quis filiorum negligens fuerit, eosque nulla in re erudiat.* Quod responsum compro-

Parentum in bene educandis filiis negligentia quam ipsi patri, totique familiæ sit noxia.

Ar. stim in hist. 51. inter pres. tom. 7. Bibliot. P. P.

barc videtur Apostolus 1. ad Timot. c. 5. dicens: *Si quis suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit; & est infideli deterior.* Est igitur filiorum benè educandi curam negligere, negligentia maxima; quia non vni solùm, sed toti familiæ, filiis, & nepotibus noxia maximè est. Nam, vt dicitur Psal. 106. 41. *Deus posuit sicut oues familias. Ouis autem ouem sequitur; & filius patrem imitando consectatur*, vt ex Hebræis sumpto prouerbio dicitur. Praui igitur mores veluti contagium quoddam, à parentibus in filios, posterosque transmittuntur. Quidam accusatus, quòd patrem verberasset, suam impietatem defendit dicens: *Et ille patrem suum verberauit; & hic meus filius, cum adoleuerit, me verberabit: adeo nobis hoc gentilitium est.* Hanc verè Verberonum familiam appellasses. Apud Megarenses non vt oues, familiæ positæ erant: nam Megarenses multò magis circa pecoris, quam circa filiorum curam solliciti erant: ita vt Diogenes dixerit: *Malim esse Megarensium aries, quam filius*, vt Ælianus lib. 12. variæ histor. refert. De parente, qui filios ab incurrentibus in puerilem ætatem vitiis eripere non satagit, dici potest, quod de Israëlitica tribu dicitur Oseæ 7. 11. *Factus est Ephraim, quasi columba seducta non habens cor. Sicut columba amens, seu insipiens*, legunt Septuaginta. Quæ sit amentia insipientis columbæ, docet ibi Hieronymus: C *Aues cætera pullos suos etiam cum periculo vitæ suæ protegere festinant; & cum ad nidum suum accipitrem, colubrum, coruum, siue cornicem accedere viderint, huc, illucque volitant, & immittunt se, morsu & vnguibus lacerant; & dolorem parentis querula voce testantur. Sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit.*

Columbæ socors erga pullos ignauia.

57. Sed vt ad Salomonis sententiam redeamus: *Virga, atque correptio tribuit sapientiam.* Ad quam sententiam illustrandam, reuocemus in memoriam, quod de hirondine scribit S. Ambrosius lib. 5. in Hexameron cap. 17. vbi ait: *Accipiamus materna sedulitatis in filios grande documentum. Hirundo, si qua pulli eius fuerint cæcitate suffusi, habet quoddam medendi genus, quo possit eorum lumina intercepto vsu reformare.* Quòd medendi genus explicans Tertullianus ait: *Hirundo excæcatos pullos nouit oculare cursu de sua Chelidonia.* Similiter pius parens, si filius in vitiosæ vitæ cæcitatem incurrerit, ad eum oculandum correptionis virgam adhibere debet. *Virgam vigilantem*, seu, vt alij legunt, *Virgam oculatam*, vidit Ieremias. Talis est virga correptionis, quæ ita oculata est, vt oculos etiam percutiendo imprimat; correptumque ad resipiscendum oculatum reddat. Benè ergo pronunciauit Salomon: *Virga, atque correptio tribuit sapientiam.* Osor filij profectò pater iudicaretur, si cæcum filium, cum illuminare potest, id omitteret. Propterea Salomon ait: *Qui parcit virgæ, odit filium suum.*

Prou. 29. 15.

Maternæ sedulitatis erga filios exemplū ex hirundine.

Hirundo excæcatis pullis visum reddit.

Tertull. lib. de Pœnitentia sub finē.

Ier. c. 1. 11.

Virga correptionis cæcum corripiendo illuminat.

Prou. 13. 24.

58. Sed quoniam fœmineus sexus fragilior est, ad filias benè educandas, peculiare monitum tradit Ecclesiast. c. 7. 25. dicens: *Filiæ tibi sunt? serua corpus illarum; & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* Præterea de filiarum institutione accuratè scripsit S. Hieronymus geminam epistolam, alteram ad Lætam, alteram ad Gaudentium.

Filiæ præcipuè parentū seueritate bene educandæ.

59. Ad filios benè instituendos plura monita habentur apud S. Paulinum ep. ad Aprum, apud Plutarchum lib. de educatione liberorum; apud eumdem in vita Lycurgi; apud Xenophontem in Pædia Cyri: apud Senecam lib. 2. de ira cap. 22. apud Alexandrum ab Alexandro lib. 2. Genialium c. 25. Porrò laude benè educandi filios Theodo- A sius Imperator commendatur à Nicephoro lib. 12. cap. 23. & ipse Theodosius, vt à Polcheria sorore benè institutus fuerit, refertur eodem lib. 12. c. 23. Eadem laus Carolo Magno tribuitur ab Æmilio lib. 2 c. 10. Sed ex parentibus omnibus, qui benè filios instituerint, quatuor seligamus: ex lege Mosaïca Dauidem; ex Euangelica lege Constantinum & Basilium Imperatores; & S. Ludouicum Galliæ Regem.

Theodosius Imperator & Carolus Magnus optimi filiorum educatores.

60. Dauid moriturus Salomoni filio dixit: *Ego ingredior viam vniuersæ terræ: confortare, & esto vir: & obserua custodias Domini Dei tui*: hoc est præcepta, quæ custodienda, & seruanda Domi- B nus præcepit: *vt ambules in vijs eius; & custodias cæremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & testimonia; sicut scriptum est in lege Moysi: vt intelligas vniuersa, quæ facis, & quocunque te verteris*: hoc est, vt intelligenter, & prudenter agas quæcunque ages.

Dauidis monita filio data.

3. Reg. c. 2.

61. Constantinus Imperator post distributas filiis Imperij partes, teste Nicephoro: *Cum vellet hanc eis fortunam feliciter cedere, & ex animarum salute esse; pietatis in eis semina sparsit, tum suis diuinis præceptionibus, tum magistrorum diligentia, quos omnibus virtutibus insignes eis præfecerat. Igitur dum iam Cæsares essent, sed ætate adhuc tenera, dabantur eis, quorum & ope, & opera publicas* C *res administrabant. Sed ad virilitatem maturescentibus, paterna institutio satis erat; qua præsentes eos ad paterna studia extimulauit, & ad imitandam pietatem eius instituit: absentes autem regijs litteris compellens, salutaria præcepta tradidit. In quibus illud maximum, & præcipuum fuit, vt Dei, qui rerum omnium Dominus est, cognitionem, & sanctam erga illum religionem omnibus opibus, atque adeo ipsi regno anteponerent. In primis hortabatur, vt summa cura afficerentur erga Ecclesiam Dei præcipiebatque, vt planè, & sine fuco Christiani essent. Illud quoque paterna cura, sollicitudoque prouidit; vt cum filijs suis contubernales adhiberentur hi, qui vera religione, pietateque pollerent, tum vt* D *magistratuum primores, quorum fidei rerum publicarum potestas delegata foret, eiusmodi generis essent omnes.*

Constantini in bona filiorum educatione sollicitudo.

Nicephorus in vita Constantini l. 4. c. 51. & 52.

62. Basilius Imperator Constantinopol. vnà cum hæreditate filio suo Leoni egregia monita scripta reliquit, sexaginta sex capitibus comprehensa, quæ habentur tom. 9. Bibliot. P. P. par. 2. initio: de iis meminit Baron. tom. 10. anno Christi 886.

Basilius Imperator Sexaginta sex monita filio scripta reliquit.

63. Denique S. Ludouici monita Philippo filio data hæc referuntur à Surio in eius vita.

S. Ludouici egregia monita Philippo filio data.

Fili mi, ante omnia diligenter in eam curam incumbe, vt diligas Deum: nemo enim potest esse saluus, nisi Deum amet.

Charitas.

Caue, ne vnquam admittas peccatum mortiferum: sed omnia potius ferre velis genera tormen- E *torum, quàm aliquam talem perpetrare culpam.*

Odium peccati.

Cum aduersa accidunt, feras æquo animo; & cogites te commeruisse: atque ita lucrum tibi inde accedet.

Patientia.

Cum rebus prosperis fueris, humiliter agas gratias Deo; ne inde animo elatus, efficiaris deterior, vnde te oportuit fieri meliorem.

Humilitas.

Crebrò confitearis peccata tua; deligasque tibi sapientes confessarios, qui te possint instituere, & docere, quid agere, quid vitare te oporteat: & coram illis ita te compares, vt audeant sincerè te reprehendere, & vitia tua indicare tibi.

Confessio.

Officium diuinum deuotè ausculres: facessant ibi fabulæ, & nugæ, nec oculi huc, atque illuc circumferantur: sed ores Deum ore, & etiam meditando

Precandi studium.

corde; idque præcipuè sub sacrificio post peractam consecrationem.

Misericordia.

Animo sis pio, & humano erga pauperes, & calamitosos homines, illisque pro viribus opituleris.

Si quid angat animum, id mox explices confessario tuo, aut alicui viro bono: ita fiet, vt faciliùs id feras.

Qui adsciscendi, qui vitandi sint.

Da operam, vt quorum vteris consuetudine, & familiaritate, ij sint homines probi, & integri, siue religiosi illi sint, siue seculares; & cum illis libenter misce colloquia: porrò nequam, & improborum virorum commercia deuita.

Conciones, & indulgentiæ.

Sermones, qui fiunt de Deo, publicè, & priuatim lubens audias; preces quoque, & condonationes, siue indulgentias studiosè expetas.

Amato bonum, odito malum omne.

B

Obtrectationis fugienda.

Vbicumque fueris, nemo ausus sit quidquam eiusmodi te præsente eloqui, quod alliciat ad mortiferum peccatum, aut alterius famæ deroget: nec tu vnquam de vllo malè loquaris obtrectandi animo.

Non patiaris quemquam, te audiente, peruersè de Deo, aut sanctis eius loqui, nec id finas impunè abire.

Gratitudo.

Crebrò gratias agas Deo pro bonis omnibus ab illo tibi collatis: vt dignus fias potioribus eius beneficijs affici, & augeri.

Iustitia.

In administranda iustitia sis rectus, & seuerus; & ita, vt leges præscribunt, eam exerceas erga subditos, neque ad dexteram, neque ad sinistram deflectens; pauperumque querimonias non tegeas, donec veritas innotescat.

C

Si quis habeat aduersùm te querelam, aut controuersiam, semper ab illo stes contra teipsum, donec rem certam comperias. Ita enim fiet, vt consiliarij tui fidentiùs iustam ferant sententiam.

Restitutio.

Si quid possideas rei alienæ, etiamsi id acceperis à maioribus tuis, incunctanter restituas iusto possessori, vbi certò id tibi constiterit. Sin autem dubia res est, cura, vt viri sapientes accuratè, & sine mora inquirant. Id enim vel maximè studere debes, vt qui sunt in ditione tua, pace, & iustitia fruantur; in primis homines religiosi, & qui in Clero sunt.

Parentibus tuis debes amorem, reuerentiam, & obedientiam. Beneficia Ecclesiastica non conferas nisi benè dignis, & qui nulla eiusmodi beneficia habeant, idque ex consilio bonorum virorum.

D

Bellum, præsertim aduersus quemlibet Christianum, sine multo consilio vide ne suscipias. Si necessitas cogat suscipere, Ecclesias, & insontes nullo patiaris damno affici.

Pax.

Si qua exstat, vel tibi, vel subditis tuis contentio, vel bellum, quoad poteris, componere, & sedare conare.

Magistratuum delectus.

Vide, vt bonos habeas prætores, & magistratus, & de illis soletter inquiras, vt se gerant.

Reuerentia ergo Rom. Pontificem.

Semper sis addictus, & deuotus Romanæ Ecclesiæ; eius Pontifici haud secus, atque spirituali patri, te morigerum præbeas.

E

Da operam, vt impensa tua moderata sint, & rationi consentanea.

Sub finem hortor, & adiuro te, fili mi, si me contigerit ante te migrare ex hac vita, vt toto Regno Franciæ pro anima mea cures offerri Deo preces, & Missæ sacrificia.

Ad extremum, fili charissime, quicquid boni potest bonus, & pius parens precari filio suo, id ego precor tibi. Sacrosancta Trinitas, & sancti omnes seruent te ab omni malo, præstetque tibi Deus gratiam rectè semper agendi, & ipsius faciendi voluntatem; ita vt ille per te honoretur, & nos possimus post hanc vitam pariter esse cum illo, eumque contemplari, &

A *laudare per infinita secula seculorum. Amen.*

Parentum pietatis exempla ad filios bene instituendos efficacissima.

64 Sed præ monitis omnibus, pietatis, sanctæque vitæ exempla à parentibus diuinam legem exactè seruantibus, filiis relicta efficaciora sunt, vt filij pariter eâdem pietatis, & sanctitatis viam ineant. Propterea vt suam familiam ad sanctè viuendum pius parens Tobias excitaret, illis aiebat: *Filij Sanctorum sumus.* (Tob cap. 2.) *Nobilis homo dum attendit progenitores suos, vitat ignauiam,* ait Hugo. Vt ad Abrahamum sanctissimum eorum Patriarcham respicerent, Israëlitæ monentur Isaiæ c. 51. (Hugo in Isai. 51.) *Attendite ad petram, vnde excisi estis.* Sicut è pumiceo monte pumices tantùm eruuntur, lapides leues, & ad ædificium inutiles; contra verò è siliceа rupe, silices excinduntur, lapides, vnde ignis accenditur: sic si parentes, non se tamquam leues, & inutiles pumices, sed diuini ignis zelum præferentes, se veluti silices præstiterint; vt tales etiam paterno exemplo filij sint, excitantur. Ad petram, vnde excisus est, nempe ad pios suos parentes, Magnus Basilius respiciens, teste Nazianzeno, *Duorum lapidum naturas imitabatur laudabilium. Factus est enim percutientibus adamas, dissidentibus magnes.* Cum persequentium ictus patienter, generoséque tolerabat, adamas videbatur. Cum infensos inter se, ad Christianæ charitatis vinculum trahebat, spiritualem referebat magnetem.

S. Basilius inter se dissidentibus magnes, sibi infensis adamas fuit. Nazianz. in orat. funebri, S. Basilij.

Maiorũ pia exempla posteros ad pietatem excitare debent.

65. Vt filij ad parentum pietatem imitandam excitentur, dicitur Ieremiæ c. 6. 16. *Hæc dicit Dominus: State super vias; & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea; & inuenietis refrigerium animabus vestris. Vestras conuersationes considerate, & conuersationes antecessorum, si parentes vestri sic fecerunt,* ait Hugo. Celeberrimus, ac fortissimus dux Mathathias vltima verba, quæ sub mortem filiis dixit, fuerunt: *Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis; & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum:* (1. Mach. 2. 51.) Non gloriam tenuem tantùm præsentis vitæ; sed magnã, & æternam in cœlo præparatam.

Patrem & matrẽ cum honorari iubet præceptum, præceptum ad auum & auiam, cæterosque maiores extenditur.

66. Ad extremum circa Domini præceptum: *Honora patrem, & matrem.* Notandum est hoc præceptum non solùm proximè ad patrem, & matrem pertinere; sed extendi etiam ad ascendentes, vt auum, proauum, auiam, & proauiam; socrum, & socerum. Genesis enim 28. 13. Deus Patriarchæ Iacob dixit: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac.* Vbi patris nomen non Isaac genitori, sed Abraham ipsius Iacob auo Deus tribuit: & Tobiæ 10. 13. Parentes monuerunt Saram, vt soceros honoraret. Præterea S. Thomas opusc. 7. de Decalogo benè docet, non solùm dici aliquem patrem ratione carnalis generationis, sed quibusdam aliis rationibus aliquos dici patres, & cuilibet eorum deberi reuerentiam. Dicuntur enim patres Apostoli, & alij sancti per doctrinã, & exemplum fidei. Ideo Apost. 1. ad Cor. 4 ait: *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Ideo Eccles. 44. dicitur: *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros.* Laudemus scilicet, non tantùm ore, sed imitatione etiam, iuxta Apostol. ad Hebr. 13. *Mementote præpositorum vestrorum, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* Dicũtur autem Prælati patres, suorq; Dei ministri. Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit:* & ideo debemus eos honorare obediendo. Ad Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.* Item vt patres venerari debemus Reges, Principes, & Dominos. Quare 4. Reg. 5. Serui Naamanum militiæ principem patrem appellarunt: *Pater si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras.* Prouerb. 14. dicitur:

Patris nomine auus appellatur.

Patris nomẽ ad solũ genitorem, sed pluribus aliis tribuitur.

Time, hoc est, venerare *Dominum*, *& Regem*. S. Hieronymus ait ideo dixisse Apostolum ad Ephes. 6. *Filij obedite parentibus vestris in Domino: vt his parentibus, qui nos in Domino genuêre, qualis fuit Paulus, & Apostoli, obediamus, & ea faciamus, quæ præceperunt.* Ideo Basilius imperatoe lib. 66. exhortationum ad Leonem filium c. 6. ait; *Si quos natura tibi dedit parentes, debes venerari: multò magis eos, qui te in Spiritu Dei per bonas disciplinas genuerunt.* (ognouit id etiam *Aristoteles relatus à Laertio lib. 5. dicens: Parentes, qui filios erudiunt suos, multò honorabiliores sunt his, qui solùm genuerunt: isti enim viuendi; illi benè, beatéque viuendi auctores sunt.*

Tom. 5. Biblioe. P.P.

Obedientia erga superiores Deū nostris precibus obedientē reddit.

Augus. ser. 71. ad Fatres in Eremo.

67. Sed quoniam, vt supra diximus honor etga parentes, & Prælatos præcipuè per obedientiam est exhibendus; huius obedientiæ præmium illud legitur apud Augustinum ser. 71. ad fratres in Eremo: *Sciendum, fratres, quòd quanto modo erimus ipsi obedientes superioribus nostris; tantò erit Deus obediens orationibus nostris.* Vide apud S. Hieronymum tom. 4. Epistolam 12. De honorandis parentibus.

Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam. Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

68. HÆc Pharisæorum traditio explicatu difficilis, interpretationes plurimas, atque inter se valdè diuersas habet. Germana autem interpretatio talis esse debet, vt in huiusmodi traditione tria simul intelligantur. Primò filiorum in parentes impietas. Secundò Pharisæorum auaritia, qua in suam vtilitatem bona parentibus debita deriuabant. Tertiò eorumdem Pharisæorum Hypocrisis, cum sub pietatis specie huiusmodi traditionē promulgarent. Docebant igitur Pharisæi satis filios parentum indigentiæ subuenire, si tum pro se, tum etiam parentum nomine Deo munera in sacrificium offerrent; etiam si nihil aliud præterea indigentibus parentibus largirentur. Ex muneribus autem in sacrificium oblatis, & spirituale, & corporale emolumentum in parentes redundare dicebant; spirituale quidem, quòd pro iis sacrificium apud Deum satisfactorium, & impetratorium foret; corporale, quia Deus, cui munera offerebantur, suppleturus erat id, in quo filii deficiebant. Traditionis igitur verborum sensus est: Suæ obligationi satisfaciet quicumque patri, vel matri alimoniis indigenti dixerit: Quodlibet munus, quod à me in sacrificium offeretur, in tuam vtilitatem erit. Hoc posito suæ auaritiæ Pharisæi satisfaciebant; cum enim debita parentibus bona, in pias ad templi cultum oblationes, vel in sacrificia deriuarent, inde templo oblata, vel saltem non modicam sacrificii partem sibi accipiebant. Nam sicut patet Exodi 29. & Leuitici 3. & 7. Si quis pacificā hostiam Deo offerret, ea in partes tres diuidebatur; quarum Deo adeps; sacerdoti armus, & pectusculum; offerentibus verò reliqua pars distribuebatur. Ex quo insuper patet Pharisæorum hypocrisis, qui non apertè filios à parentum cura extrahere videbantur; cum non in suam, sed in ipsorum parentum vtilitatem, oblationem, & sacrificiorum frequentiam suadere se dicerent.

Patri indigenti debitū subsidium denegās, velut homicida habēdus.

69. Ad damnandam fraudulentam hanc Pharisæorum traditionem dicitur Prov. 28. 24. *Qui subtrahit aliquid à patre, & matre; & dicit hoc non esse peccatum, particeps est homicidæ.* Denegando enim egenis parentibus debitum alimoniæ subsidium, eis mortem accelerat; adeoque velut parricida habendus est. Dices, citata verba intelligenda esse potius de filio, qui eum adhuc sub patria potestate sit, paternas opes furtim sibi subripit; hic enim *particeps est homicidæ*; habendus est scilicet veluti prædonis socius, & grassatori similis. Nomine enim homicidæ prædones, & grassatores intelliguntur, vt Iob. 24. *Mane consurgit homicida, & interficit egenum; per noctem verò erit quasi fur.* Fauet Vatabli lectio: *Qui subtrahit aliquid à patre, & matre, socius est grassatoris.* Hæc autem secunda interpretatio magis genuina videtur; quia Salomonis tempore Pharisaica illa traditio nondum cœperat; cum Pharisæi, qui eam innexerant, vel promouerant, paulò ante Christi aduentum initium habuerint, vt docet Hieronymus in Isaiam cap. 8. Respondeo, cum sacra scriptura iisdem verbis multiplicem litteralem sensum habere possit, vtramque interpretationem bene ex allatis verbis elici. Quamuis autem Pharisaïca illa traditio Salomonis tempore inuecta non esset; nihilominus Spiritus sanctus primarius sententiæ illius auctor, quod postea futurum erat præuidens, illud reprobare verbis illis multò antea voluit.

Scripturæ eadē sententia plures sensus litterales habere potest.

Hypocritæ benè prophetauit de vobis Isaias, dicens.

70. DIfficilem hunc locum reddit, quòd Isaias cap. 29. 13. non de futuris Scribis, & Pharisæis, sed de vniuerso populo Iudæorum, qui tunc erat, loqui videatur; vt apertè patet legenti. Respondet Leo Castro citans sanctum Hieronymum docentem, Apostolum Matthæum abusum fuisse citato Isaiæ testimonio. Quamuis S. Hieronymus ibi non Apostolum Matthæum, sed Dominum in Euangelio Matthæi contra Pharisæos abusum fuisse hoc Isaiæ testimonio affirmet. Quoniam verò Dominum scripturæ testimonio abuti malè sonare videtur; dicendum est apud S. Hieronymum eo in loco idem esse abuti, ac per Catachresim vti, qui tropus *Abusio* dicitur. Ea huiusmodi autem tropo pro verbo proprio propinquum vsurpare licet. Sicut igitur ex Catachresi interfectorem matris parricidam appellamus, cum matri pater sit proximus: ita similiter eadem verba, quæ ad arguendos Iudæos, tunc temporis prævaricantes ab Isaia sunt vsurpata; contra Pharisæos postea simili modo prævaricantes iterùm vsurpantur. Nam sicut à patre ad matrem Catachresis aditum facit; ita à maioribus ad posteros eodem morbo laborantes ex Catachresi verba eadem transferri possunt. Porrò sanctum Hieronymum sequutus Maldonatus de Isaiæ verbis hîc ait: *Non sunt propriè vaticinantis verba, sed accusantis.* Quod quidem si tantùm externus verborum contextus consideretur, potest admitti; expressè enim verba illa videntur ad præsentes dirigi. Nihilominus cùm Dominus apertè dicat, *Benè prophetauit de vobis Isaias*, negari non potest verè, ac propriè non solùm ad præsētes Iudæos Historicè, sed etiam prophericè ad futuros Pharisæos verba illa fuisse directa; ita, vt non solùm accusantis, sed etiam vaticinantis verba censeantur. Neque hoc in sacris litteris nouum est, scilicet verba eadem ad historiam, & prophetiam pertinere

Catachresis, hoc est Abusio quomodo in scriptura vsurpata.

Scripturæ eadē verba histor. circa præsens, prophetica circa futura esse possunt. Origenes

Hom. 3. in diuers.

nere. Nam verba illa Ieremiæ 31. *Vox in excelsò audita est lamentationis, luctus; & fletus; Rachel plorantis filios suos*, &c. Simul historica, & prophetica sunt; historica, quia vel iuxtà Origenem sermo est de cæde Beniaminitarum ob vim illatam vxori Leuitæ, Iudicum 20. vel quia iuxtà sanctos Hieronymum, Thomam, & alios sermo est de captiuitate Babylonica duarum tribuum ad Rachelem spectantium. Rursus verba eadem prophetica sunt; quandoquidem per ea Innocentium puerorum strages ab Herode imperata prædicitur iuxtà Matthæum 20. qui post narratam Innocentium cædem ait: *Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus*, &c.

Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me.

71. SImiliter Ier. 2. Deo dicitur: *Prope es tu ori eorum; & longè à renibus eorum*, hoc est ab eorum affectibus. Syluestres feræ obscuras speluncas incolunt, vt in iis ab inimica solis luce se abdant. De Leonibus enim ait Psalmista: *Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Similiter vitiorum turba in iis cordibus residet, quæ à diuino iustitiæ sole longè distant. Quare cum Dominus de Pharisæorum corde dixit: *Cor autem eorum longè est à me*, huiusmodi verbis rationem reddidit, cur in parentes impietas, auaritia, hypocrisis, aliaque vitiorum monstra Pharisæorum corde fouerentur. Sanctus Gregorius in illud Iob. 35. *Ingredietur bestia latibulum, & in antro suo morabitur*; de diabolo per vitia peccatorum corda occupante interpretatur dicens: *Quis alius nomine bestiæ, nisi antiquus hostis accipitur, qui deceptionem primi hominis saeuus impetiit, & integritatem vitæ illius malè suadendo laniauit? Contra quem propheta vocibus de sancta Electorum Ecclesia in antiquum statum restauranda promittitur: Et mala bestia non transibit per eam:* Subdit deinde: *Diabolus omnium reproborum corda possidet, eáque per occultam malitiam quasi proprium antrum tenet.* E contrario iuxtà Hieronymi verba: *Orto nobis sole iustitiæ, fugantur tenebræ: & statim interficimus omnes cogitationes, quæ ad peccata nos prouocant; & de ciuitate cordis nostri illos disperdimus peccatores, de quibus Saluator loquitur: De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia, & reliqua.*

Psal. 103.

Vitia in corde à Deo remoto, velut Syluestres belluæ in speluncis procul à sole residens.

Bestiæ nomine diabolus appellatur.

Isai. 35.

in Isai. c. 5. Peccatoris cor antrum diaboli. Deus iustitiæ sol prauarũ cogitationũ tenebras fugat.

Sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.

72. CVm creatum nullum opus sine causa sit, cur Pharisaicus cultus sine causa esse dicitur? Primò sine causa dicitur esse, hoc est, sine debito fine; adeoque sine fructu, sine merito, absque diuinæ gratiæ consecutione: cui interpretationi fauent Septuaginta, qui pro verbis illis: *Sine causa colunt me*, legunt: *Frustrà colunt me.* Secundò sicut fortuiti, & casu contingẽtes effectus sine causa esse dicuntur, non quòd re vera causam nullã habeant; sed quia humanã curã directiuã ipsius fortuitæ actionis caruerunt: similiter Pharisaicus cultus sine causa fuisse dicitur, quia ab interiori cordis in Deum directione non proueniebat. Hanc autem cordis directionem præcipuè à suis cultoribus Deus exposcit:

Pharisaicus erga Deum cultus cur sine causa dicatur.

A Prouerbiorum enim 23. ait: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* Vbi Chaldæus habet: *Pone, fili mi, cor tuum ad me*; hoc est, erga me cor tuum dirige. Si enim aliò, quàm ad Deum cor dirigatur, externum cultum, vt omninò irritum, meritò aspernabitur Deus.

Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite: Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

73. DE spirituali animæ inquinamento hic loquitur Dominus. Ne sordes animam inquinantes humano ex ore prodeant, B mundissimum Christi corpus, quod ore sumimus, efficaciter præstare debet. Propterea benè aduertit Chrysostomus homil. 6. in Epist. ad Timoth. *Nihil amarum, nihil durum ea lingua proferat, quæ diuinis rebus assueta est; nihil ex illo ore procedat crudele, quod Dominico corpore sæpius saginatur. Mundam seruemus linguam, non per eam maledicta, non verba atrocia proferamus.*

Eucharisticibus os mundũ reddere debet. Chrysostomus tom. 4.

Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis, quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt?

74. CVm Dominus satis iustè subsidium parentibus subtractum sub ficta in templum pietatis specie damnasset, cumque C esum, aut tactum immundi cibi nequaquam probasset; sed tantùm frequentem illam Pharisæorum inter comedendum manuum ablutionem relatam Matth. 7. vt superstitiosam improbasset; hinc non facilè crediderim Pharisæos suæ auaritiæ, & hypocrisis benè conscios verè scandalizatos esse; sed tantùm per indignationem cùm à Domino discederent, se veluti scandalizatos ostendisse.

Pharisæi Domini verbis fictè se scandalizatos ostendebant.

At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.

D 75. PLanta, seu plantatio metaphoricè hic statutum, & traditionem significat: *Quia omnis illa traditio Iudæorum, non à Deo Patre erat, sed superstitio hominum; pro cuius fauore etiam legis præcepta transgrediebantur, ideo hanc doctrinam eradicandam Dominus comminatur*, ait S. Paschasius. Eadem interpretatio est Chrysostomi, Hilarii, & Theophylacti. Huic Euangelicæ sententiæ consonat illa Sap. 4. *Spuria vitulamina*, seu, vt legit S. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 12. S. Bonauentura, & alii: *Adulterina plantationes non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt.* E Ideo hæresum sectas non diu stabiles, & inuariatas persistere nouimus.

Hæresũ sectæ stabilitatem non habent.

Sinite illos: Cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.

76. VItia spiritualem cæcitatem inducunt. Prouenit primò cæcitas ex obstinata incredulitate. De qua cæcitate à Deo promissa dicitur Isaiæ 6. 10. *Excæca cor populi huius.* Secundò ex obedientia cæcitas prouenit, sicut ex obedientia erga diuina mandata prouenit illuminatio. Ideo psal. 18. dicitur: Præ-

Vitia spiritualem cæcitatem inducunt.

ceptum Domini lucidum illuminans oculos. Tertiò culpabilis ignorantia cæcitas eſt. Ideo de Iſraëlitico populo, qui antea vera fide illuminatus debito cultu Deo ſeruierat; & deinde in culpabilem Dei ignorantiam idololatrando inciderat, dicitur Iſaiæ 42. *Quis cæcus, niſi ſeruus meus?* Quartò cæcitas oritur ex auaritia. Ideo monemur Exodi 11. 8. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes.* Et Eccleſiaſtici 20. 31. *Dona excæcant oculos iudicum.* Phariſæi ergo obſtinatè increduli; diuinæ legi inobedientes; culpabiliter diuinam veritatem à Redemptore prolatam ignorare volentes; ſibique ex auaritia fidelium oblationes procurantes, quadruplici cæcitate laborabant. Ideo benè eos cæcos Dominus appellauit. Sed contra eſt, quod ipſe Dominus Phariſæis dixit Ioannis 9. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis: Quia videmus. Peccatum veſtrum manet.* Reſpondetur ex Auguſtino in Ioann. tract. 44. allatæ ſententiæ ſenſum eſſe: Cum vos Phariſæi cæci ſitis; *ſi vos cæcos aduerteretis; ſi vos cæcos diceretis; & ad medicum curreretis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis: Quia videmus. Peccatum veſtrum manet. Quare? Quia dicendo, videmus, medicum non quæritis, & in cæcitate veſtra remanetis. Ego veni, vt qui non vident, videant. Qui ſe non videre confitentur, & medicum quærunt, vt videant. Et qui vident, cæci fiant. Qui ſe putant videre, & medicum non quærunt, in ſua cæcitate permaneant.* 2. Allatæ ſententiæ ſenſus eſt: Si inuincibiliter, adeoque inculpabiliter cæci eſſetis, hoc eſt planè ignari diuinæ legis, & eorum, quæ de me Prophetæ teſtimonia protulerunt; non haberetis peccatum reſpuendo meam doctrinam. Nunc verò *quia dicitis, videmus*; diuinæ ſcilicet ſcripturæ teſtimonia quia ſcire vos profitemini; ideo peccatum veſtrum manet; cum in incredulitate culpabiliter, & pertinaciter permaneatis.

Quadruplex Phariſæorum cæcitas. Phariſæi cur ſimul cæci, & non cæci dicuntur.

Reſpondens autem Petrus dixit ei: Ediſſere nobis parabolam iſtam.

77. CVm parabolæ nomine intelligi ſoleat obſcura quædam narratio, & ſub ſimilitudinibus adumbrata; cumque hîc nulla huiuſmodi narratio appareat; quare Petrus parabolam Domini verba vocauerit, quæritur? Reſpondet Maldonatus Petrum non exiſtimaſſe propriè eſſe parabolam, ſed potuiſſe propter obſcuritatem, quam ſermo Chriſti cum parabolis commonem habebat, parabolam appellare. Dicendum mihi videtur Petrum propriè eſſe locutum: parabola enim apud Hebræos tum narrationem aliquam minus claram ſub ſimilitudine aliqua adumbratam; tum apophtegma, hoc eſt breuem aliquam, & acutam ſententiam ſignificat; iuxtà quam poſteriorem ſignificationem ſua prouerbia, ac ſententias parabolas Salomon libri initio nominauit. Porrò vtraque parabolę ſignificatio Eccleſiaſtici 39. reperitur; cum enim de Sapiente dicitur, *In abſconditis parabolarum conuerſabitur*; prior ſignificatio intelligitur: cum autem dicitur, *In verſutias*, hoc eſt in argutias *parabolarum ſimul introibit*, ſignificatio poſterior vſurpatur. Breuis igitur, & acuta ſententia non immeritò viſa eſt Petro illa Domini: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; ſed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem.* Acutè enim, & præter vſitatum ſenſum dicuntur ſordes non immiſſæ, ſed foras extractæ hominem coinquinare.

Parabola narrationē minus clarā ſub ſimilitudine adū bratam; vel apophtegma, hoc eſt breuem aliquā & acutam ſententiam ſignificat.

At ille dixit: Adhuc, & vos ſine intellectu eſtis? Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur?

78. OMnia Euangeliorum loca, inquit hic Hieronymus, *apud Hæreticos, & peruerſos plena ſunt ſcandalis: ex hac ſententiola quidam calumniantur, quod Dominus Phyſicæ diſputationis ignarus, putet omnes cibos in ventrem ire, & in ſeceſſum digeri.* Reſpondet idem Hieronymus: *Quamuis liquens eſca in corpus fundatur; tamen cum in venis, & artubus concocta fuerit, & digeſta, per occultos meatus corporis, quos Græci πόρους vocant, ad inferiora dilabitur, & in ſeceſſum vadit.* Hieronymo conſonat Beda docens ſeceſſum hic appellari omnem euacuationem per quoſcumque meatus corporis fiat. Sed huic interpretationi obſtat, quòd Dominus omne quod in os intrat, in ventrem ire affirmat; pori autem, aliique corporis meatus, venter non ſunt. Præterea adhuc iuxtà Hieronymum poſita per poros purgatione, certum eſt plures cibi partes in animalis ſubſtantiam conuerti, ibique remanere; alioquin animalis corpus non augeretur. Quare Auguſtinus benè de alimentis diſtinguit: *Alimenta carnis corrupta*, idest amittentia formam ſuam, *in membrorum fabricam migrant; ita vt, quæ apta ſunt aſſumantur; quæ non apta per congruos meatus abijciantur.*

Hieronymi, & Bedæ, & Maldonati interpretatio de cibo in ſeceſſum emiſſo non ſatisfacit.

Auguſt. de vera Relig.

79. Reſpondet 2. Maldonatus, *loqui Chriſtum non Philoſophicè, non ſubtiliter, ſed populariter; nam quia minimum remanet, ita loquitur, quaſi nihil ſignificet remanere. Quamquam ſi volumus argumentari, nihil probabimus remanere; quia quod remanet, non iam cibus, ſed ſubſtantia humani corporis eſt.* Sed cenſeo, etiam iuxtà Philoſophicam trutinam, generalem illam Domini propoſitionem veram reperiri. Quod autem cibus, non vt cibus, ſed vt hominis ſubſtantia remaneat, non tollit, quo minus aliquid in os animalia ingrediens foras non euacuetur.

Maldonati interpretatio adprobatur.

80. Reſpondetur igitur eodem modo allatam Domini propoſitionem intelligendam eſſe, ac intelligitur illa alia ſimiliter generalis. 1. ad Timoth. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas*, idest auaritia, iuxtà Chryſoſtomum, & Ambroſium. Vtrobique autem generalitas, quam affert vox illa, *Omnis*, complectitur omnia genera quorumcumque indiuiduorum, non autem omnia indiuidua cuiuſcunque generis. Quare cum dicitur: *Radix omnium malorum eſt auaritia*, falſus ſenſus eſt, ſi dicatur nullum eſſe indiuiduum peccatum, quod ab auaritia non proueniat: ſaltem ſingularia omnia prodigalitatis peccata ab auaritia non emanant. Verus autem ſenſus eſt, ſi dicatur nullum peccati genus eſſe, quod ab auaritia non oriatur: aliquando enim ipſius prodigalitatis auaritia cauſa eſt: è radice enim paternæ auaritiæ ſæpè filii prodigalitas oritur, tamquam à culpa pœna; vt auarus pater per prodigum filium crucietur: præterquamquod aliquando etiam prodigè epulatur auarus, vt vnico actu frequens auaritię nota deleatur. Similiter cum dicitur: *Omne quod in os intrat euacuatur*; illud, *Omne*, non pro omni indiuidua cibi parte, ſed pro omni ciborum genere ponitur; nullum enim cibi genus eſt, quod partes aliquas purgabiles non habeat; ſecundùm quas in hominis ſubſtantiam non tranſit, ſed foras emittitur. Ad quem propoſitionis ſenſum apertè ſignificandum,

Omnia interdum, non omnia indiuidua cuiuſcunque generis, ſed omnia genera quorumcunque indiuiduorū ſignificat.

eadem Domini senteotia Marci 7. sic explicatur: *Omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare, quia non intrat in cor eius, sed in ventrem vadit, & in secessum exit purgans omnes escas.* Vbi omnes escæ purgari dicuntur, quatenus earum partes alimento ineptæ extra mittutur.

Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt; & ea coinquinant hominem.

Cor cur interdum pro intellectu, & voluntate sumatur.

81. COr pro intellectu, & voluntate sumitur. Gen. 6.5. *Videns Deus, quod cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum.* Iudicum 5.9. *Cor meum diligit principes Israel.* Ratio huius est, quia rationales potentiæ in suis actibus, siue ad concupiscibilem, siue ad irascibilem pertinentibus à corde sobministrante vitales & animales Spiritus dependet.

Os cum lingua hominē Peccati sordibus inquinat.

82. Ad significandum ea, quæ procedunt ex ore, hominem peccati sodibos inquinare, Isaiæ 6.7. de calculo ignito, hoc est de Spiritus sancti gratia iuxtà Ambrosium, dicitur: *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua.* Vbi mundato ore, statim iniquitas animum inquinans tollenda dicitur. Ad idem significandum à B. Iacobo Apost. c. 3. de lingua oris instrumento dicitur: *Lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis; lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus; & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna.* Quòd peccatoris lingua ignis sit, de peccatore dicitur Ecclesiastici 20. 15. *Apertio oris illius inflammatio est*; inflammatio non lucida, sed maximè fumigans, cum se, aliosque loquendo peccator denigret.

Lingua dicitur mundus iniquitatis; quia intra oris ambitū velutintra pessimū microcosmum à lingua vitia omnem formantur hic, & num 84. Peccatoris lingua eidē maximè nocia.

83. Dicitur 2. *Lingua vniuersitas iniquitatis:* seu ex Græco textu κόσμος, hoc est *mundus iniquitatis.* Sicut enim intra mundi globum creata omnia Deus condidit; ita vitia omnia intra oris ambitum, veluti intra pessimum microcosmum artifex lingua format. Quia, vt benè Thomas Anglicus docet: *Per linguam peccat homo contra Deum blasphemando; contra proximum detrahendo, & conuiciando; contra seipsum iactando.* Quaioois præter iactantiam, peccata omnia, quæ contra Deum, & proximum fiunt; contra ipsum peccatorem recidunt. Quare benè Ambrosius in Psalmi 35. verba: *Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso*, ait: *Quidquid loquitur iniustus, iniquitas est; quæ in suum refertur auctorem; sicut vipera partus, qui primè suam scindit parentem, vt frequens sermo est. Sibi ergo delinquit; sibi generat vulnera, seipse confodit. Nam sicut spina nascuntur in manu ebriosi, vt scriptura asserit Prouerb. 26. 9. ita in iniusto sermone nascuntur, quæ compungant loquentem. Loquitur iniustus, & interior eius conscientia vulneratur; quia in omni sermone, quem loquitur, non est fraudis immunis. Cuius grauior est pœna, quàm propria; cùm pro omni sermone det pœnas? Serpens alijs infundit venenum; iniustus sibi. In eum enim refundit quidquid effuderit.*

Linguæ variæ vitia.

84 Vt vniuersitas iniquitatis in ore, & lingua esse cognoscatur, memoriæ alphabeti litteris suggeretur. Sunt enim linguæ vitia assentatio, adulatio, blasphemia, contumelia, calumnia, detractio, excusatio in peccatis, fraus, gloriatia inanis, hypocrisis, heresis, irrisio, laus in ore proprio, mendacium, mordacitas, nugacitas otiosa, vel etiam obscæna verba, peieratio, querimonia iniusta, rixatio, susurratio, secreti reuelatio, temeritas inconsideratæ locutionis, vituperatio iniqua, zelus non secundùm scientiam. Qua in enumeratione littera tantùm, quæ decussatim crucem refert, desideratur: vt sancta crux ad benè obserandum oris ostium contra vitia clauis esse significetur. Lingua à lingendo, siue à ligando deriuatur; de ea benè Bernardus ait 1. serm. de interiori domo c. 50. *Lingua dicitur, quia lingit adulando; mordet detrahendo; occidit mentiendo. Ligat, & ligari non potest: labilis est, & teneri non potest; sed labitur, & fallitur. Labitur vt anguilla; penetrat vt sagitta; tollit amicos; multiplicat inimicos; mouet rixas, seminat discordias. Vno ictu multos percutit, & interficit. Blanda est, & subdola; lata, & parata ad exhauriendabona, & miscenda mala. Qui custodit linguam suam, custodit animam suam, quoniam mors, & vita in potestate linguæ est.*

Crux clauis ad benè obserandū.

Pro. 18.

85. Dicitur præterea lingua maculare totum corpus; idque iuxtà Domini sententiam: *Quæ procedunt de ore, coinquinant hominem.* Nam, vt benè Chrysostomus hom. 21. ad populum ait: *Corpore maculato, mentem quoque corrumpi necesse est: Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* A lasciuis quidem colloquiis corporis inquinamenta prouenivot. De sordibus ex lingua hominem spiritualiter inquinaotibus Betuardus sermone de custodia manus, linguæ, & cordis ait: *Quis enumeret quantas modicum linguæ membrum contrahat sordes; quàm multiplex in labiis incircumcisis immunditia coaguletur; quàm sit grauis pernicies oris incircumspecti? Est enim lingua dissoluta in sermonibus otiosis, est lingua impudica; est & magniloqua: quarum prima lasciuia, sequens arrogantia famulatur. Est etiam lingua dolosa; item lingua maledica: quarum altera in falsiloquam, & adulatoriam subdiuiditur: altera verò nunc in facie contumelias irrogat; nunc detrahit in occulto. Tenerum membrum lingua; attamen nec teneri potest: substantiá quidem infirmum, atque exiguum; sed vsu magnum, & validum inuenitur. Modicum membrum est; sed nisi caueas, magnum malum. Tenuis est, & lata; aptissimum euacuandis cordibus instrumentum. Forte nimis videamur in sigillatione verborum. Sed mementote, quoniam lingua est, quæ contra vitia linguæ loquitur; vt in eo, vel maximè haberi debeat excusata; quòd nec sibi parcat, & aduersus propria quoque sui ipsius pericula muniat audientes.* Plura circa allatam Iacobi sententiam, & oris, linguæque vitia habentur Fer. 3. Dom. Passionis.

1 ad Cor.

15. 33.

Linguæ varia vitia.

86. Addatur vltimò Ecclesiastici pronunciatum c. 28. 22. *Multi ceciderunt in ore gladij; sed non sic, quasi qui interierunt per linguam suam.* Et sensus est iuxtà Syriacam lectionem plures lingua, quàm gladio interire: *Multi occisi sunt gladio; sed non quot occisi sunt à lingua.* Eiusdem tamen sententiæ sensus etiam est, non eodem modo gladio, & lingua percussos interire; cum illi corporalem, isti vero spiritualem mortem incurrant: & propterea dicitur: *Non sic quasi, qui interierunt per linguam suam.*

Lingua gladio nocentior.

De corde exeunt cogitationes malæ.

87. QVòd malæ cogitationes è corde exeuntes coinquinent hominem, habetur Ezech. c. 14. Vbi enim ex vulgata lectione dicitur: *Viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis*: Ex Hebræo legitur: *Viri isti posuerunt cogitationes suas in cordibus suis.*

Cogitationes vocantur immunditiæ.

Homicidia,

Homicidia, Adulteria.

Homicidiũ quàm graue peccatum.

88. DAuid cum in adulterij, & homicidij peccatum incidisset; inde se maximè inquinatum bene noscens, Deum precabatur Psal. 50. vt ampliore, seu largiore gratiæ lauacro à contractis sordibus mundaretur: *Amplius laua me ab iniquitate mea; & à peccato meo munda me.* Seu, vt legit Hieronymus: *Multùm laua me.* Homicidium enim, & adulterium peccata grauissima sunt. Nam homicida vel iustum, vel peccatorem interimit. Si iustum, quàm grauis iniuria Deo fit, dum Dei amicus perimitur; eique vita præciditur, quà plura merita aquirere, adeoque ad sublimiorem beatitudinis gradum ascendere poterat; quo ex violenta morte priuatur. Quis iacturam tantam restaurare poterit? Rursus si peccator occidatur; hinc ei non solùm temporalis, sed æterna mors infertur. Quo peccato homicida Deo valde iniurius est: cum Deum blasphemantium tota æternitate in gehenna numerum augeat. Porrò adulterium homicidio deterius esse Chrysostomus asserit. Quia homicida corporalem vitam aufert; adulter verò spiritualem. Adde ex adulterio sępè homicidium prouenire, vt patet in Dauid. Benè enim adultero Chrysostomus ibidem ait: *Nec satis habes mulierem adulterasse; nisi eamdem viri cæde obstrinxeris. Fœminam, quæ est ad liberos procreandos tradita, ad necem reddis paratiorem, quando illa, vt concupita magis, vel amatoribus vsui sit, vel argenti plusculum exugat, neque imperata facere abnuit, ingens sanè in caput tuum ingesturus incendium. Nam si illud factum abscribatur; eius tamen teipsum auctorem prabes.* Asserit prætere a ibidem Chrysostomus adulterium quodammodo idololatriâ peius esse. Nam adultera iuxtà Domini verba Matth. 5. 32. Iustè dimittitur; idololatra verò, & infidelis dimittenda non est, iuxtà Apostolum 1. ad Cor. 7. 12. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Hinc Chrysost. hom. 62. in Ioan. ait: *Adulterium adeo apud Deum scelestum videtur; vt* (dummodo fidei periculum non sit) *si vxor ab idololatra viro, ipso nolente, discedat, puniatur; si ab adultero, minimè.* Adde ex adulterio idololatriam etiam prouenire. *Hinc idolorum seruitus emanat; tum pleraque, vt magis adamentur, & carmina machinentur, & vina sacrificijs fundant, & amatoria medicamenta, & alia nonnulla componant. Mox etiam veneficia non in adulteratam, sed in affectum eiusque coniugem intentant adulteri. Accedunt præterea insidiæ plurimæ, dæmonum inuocationes desumptaque ex mortuis vaticinia,* ait Chrysostomus homilia, ne carnis concupiscentiam sectemur. Vt autem allata Domini sententia verissima videatur, *Hæc sunt, quæ coinquinant hominem, adulterium cœnosum canale, & lutulentum,* appellat ibi Chrysostomus, & addit: *Quod cœnum sit incesta, & prostituta fœmina corpus, te præter, rogabo neminem; qui eo quòd fueris obuolutus, quantùm te etiam respudeat; quantùm post delictum, immundum te, & sordidatum ducas, non ignoras.*

Adulterium homicidio deterius.

Chrisost. c. 5. hom. carnis concupiscentiam nesectemur.

Adulter idololatra quodãmodo peior.

Adulterium dicitur canale lutulẽtum.

Lascinia adulterum reddit excordem, & dementem.

89. *Qui adulter est, propter cordis inopiam, perdet animam suam*; hoc est corporalem vitam, & spiritualem animæ, dicitur Prou. 6. 32. Vbi cordis nomine mens, & rationalis facultas intelligitur. Ipsi se impudici amatores excordes, adeoque dementes esse fatentur: ita vt benè poëta cecinerit: *Tenui limite distat furor amentis, feruor amantis.* Ideo Dauid adulter pœnitens aiebat Psal. 37. *Cor meum conturbatum est: Cor meum dereliquit me*: legens Gregorius ait: *Cor nostrum nos derelinquit, quando à concupiscentijs carnalibus vincimur. Hoc perditum inuenerat, qui dicebat: Inuenit seruus tuus cor suum. Cor nostrum inuenimus, quando à terrenis auellimus.* Citato Psal. ex Hebræo legitur: *Cor meum circumuagatur.* Quare Gregorius 26. mor. c. 23. explicans monitũ illud Isaiæ 46. 8. *Redite præuaricatores ad cor,* ait: *Quid vicinius nobis est corde nostro? Et tamen cum per prauas cogitationes spargitur, à nobis cor nostrum longius euagatur. Longè ergo propheta præuaricatorem misit; cum eum ad cor suum redire compellit: quia quò se exterius fundit; eò ad se, vnde possit redire, vix inuenit.*

Psal. 37. in Psal. Reg. c. 9.

2. Reg. 7. 27.

90. Adulteri verè *genimina viperarum* dici possunt. Vipera enim in alieno elemento coniugem quærens; ibique eum muræna congrediens, adulterij turpitudinem referre videtur. Ideo Ambrosius lib. 5. in Hexameron c. 7. ait: *Noli quærere viri, alienum thorum. Graue est adulterium, & naturæ iniuria. Deus virum, & vxorem iussit esse in vno corpore, & in vno Spiritu. Quod vnum separas corpus, & vnum diuidis Spiritum, naturæ adulterium est. Sed hoc docet muræna, & vipera, non iure generis, sed ardore libidinis, expetitus amplexus. Discite, ô viri; qui alienam permolere quæris vxorem cuius serpentis sibi adsciscere cupiat contubernium; cui etiam comparandus ipse serpentis sit. Adulter enim vipera est.* Quibus animi angoribus adulteri crucientur, benè explicat Chrysostomus hom. 3. de verbis Isaiæ. Et hom. 1. de Lazaro. Quo supplicio apud Gentes diuersas multare adulteras consuetum fuerit, refert Cornelius in Gen. c. 38. 24.

Matth. 23. 33.

Adulter cur viperæ similis.

Adulteri cruciatus, & supplicia.

91. Vltimò Chrysost. hom. 12. in Matth. iuxtà Domini verba Matth. 5. ait: *Qui concupiscit mulierem alienam, iam mœchatus est in corde suo. Et si non habuerit eam, etiam adulter est apud Deum; quia magis aspicit voluntatem, quàm opus. Quoniam opus ei adulterij committendi defuit, non voluntas.* Similiter de homicidio est dicendum. Etiam si sanguinarij dextera ad effundendum sanguinem non perueniat, adhuc is homicidium peruerso corde machinatus, dicitur occidere, & homicida. Iudicum c. 9. de Abimelech dicitur: *Occidit fratres suos septuaginta super lapidem vnum,* & tamen huic numero defuit Ioathan natu minimus; & ipse Abimelech occisor: ergo occisi fuerunt tantùm sexaginta octo; cum omnes filii Gedeonis eorum patris fuerint septuaginta, vt in fine capitis octaui habetur. Respondetur primò ex Augustino q. 47. in Exodum: *Scriptura solet tempora ita nuncupare; vt quod de summa perfectioris numeri paulùm excrescit, aut infra est, non computetur.* Quod de temporum numero ait Augustinus, ad numerum quemlibet aptari potest. Respondetur 2. in cæde illa numero septuagenario nihil defuisse, cum ipse Abimelech occidendo alios, se spiritualiter interfecerit; immo etiam corporaliter. Nam iuxtà Domini verba Matth. 26. 52. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et Gen. 9. 6. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Quod quidem exitus comprobauit; cum ipse Abimelech interfectus fuerit à muliere, vt habetur 2. Reg. 11. Rursus ipse Abimelech fratris etiam Ioathæ homicida fuit, non ense, sed corde. Sic Augustinus in Psal 63. Iudæis machinanti-

Adulter, & homicida aliquis esse potest, etiã si effectus non sequatur.

Quod de summa perfectionis numeri paulum excrescit, aut infra est, non cõputatur.

Ioan 18. 31. bus Christi mortem, & dicentibus: *Nobis non licet occidere quemquam*, ait: *Vos, ô Iudæi, occidistis: vnde occidistis? gladio linguæ. Acuistis enim linguas vestras: & quando percussistis, nisi quando clamastis: Crucifige, crucifige?*

Fornicationes.

Fornicatio, adulterium, incestum, & idololatriã etiam significat.

92. FOrnicatio in sacra scriptura non solùm cum soluta copulam; sed etiam adulterium cum coniugata, & incestum cum habente vinculum cognationis, vel consanguinitatis significat. Hinc Dominus Matth. 32. dixit: *Omnis, qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis*, hoc est adulterii, *causa, facit eam mœchari.* Et 1. ad Cor. 5. Apostolus ait: *Auditur inter vos fornicatio; ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.* Significat præterea idololatriam, vt Oseæ 4. 13. *Fornicati sunt à Deo suo. Super capita montium sacrificabant; & super colles accendebant thimiama.* Qui significatus frequens est in scriptura.

Furta.

93. QVòd furta coinquinent hominem, egregiè patet Iosue c. 7. vbi cũ vnus Achan ex hostium spoliis furtim *pallium coccineum, & ducentos siclos argenti, regulamque*, seu laminam *auream quinquaginta siclorum abstulisset*; de vniuerso populo Dominus Iosue duci dixit: *Non poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate. Non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere.* Quæ contaminatio cum veluti contagium quoddam in tabernaculum, in familiam, & supellectilem vniuersam ipsius furis Achan intulisset; omnia ex contagio fœda, vnà cum furto igne consumenda fuerunt. *Tollens Iosue Achan, argentumque, & pallium, & auream regulam; filios quoque, & filias eius; boues, & asinos, & oues, ipsumque tabernaculum, & cunctam suppellectilem (& omnis Israel cum eo) duxerunt ad vallem, lapidauitque eum omnis Israel; & cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt.* Similiter, quia furta fœdissimè hominem coinquinant, in vltima cœna Dominus Apostolis dixit Ioan 13. *Vos mundi estis, sed non omnes.* Quibus verbis abominabilem ex furtis immunditiem à Iuda contractam significauit. Iudas enim, vt dicitur Ioan. 12. 6. *Fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.* Furtum detestandum esse natura ipsa docuit: mirum enim est, quod Plinius lib. 19. c. 7. refert; apes scilicet furto sublatas pessimè mellificare: ita vt mellis suauitatem furibus denegare vindex natura videatur.

Furtum est veluti contagium quoddam.

Apes furtim sublatæ pessimè mellificant.

Falsa testimonia.

94. IN falsitatis detestationem; in veritatis, & simplicitatis commendationem; sponsæ, hoc est piæ animæ, Deoque dilectæ, dentes, quibus loquela efformatur, simplicissimis, ac mundissimis animalibus similes esse dicuntur Cant. 6. *Dentes tui sicut grex ouium, quæ ascenderunt de lauacro.* Ebori autem, hoc est Elephanti dentibus, licèt candidissimis, sponsæ dentes non comparantur. Elephas enim, vt lib. 2. refert Pierius, cor duplex habere dicitur: loquela autem ex duplici corde prouenire non debet; ita vt vno corde ad sentiendum intus, alter foris ad loquendum vti quispiam videatur. De huiusmodi autem falsiloquis loquitur Dominus Psalm. 11.

Sponsæ dentes cur potius mundis ouibus, quàm ebori cõparentur. Elephas duplex cor habet.

A *Labia dolosa, in corde, & corde locuti sunt.*

95. Homerus Iliad 5. fraudulentum, qui aliud abscondit in corde, & aliud ore sonat, Orci ianuæ comparat: quæ quidem comparatio veritati apprime congruit etiam secundùm sacras litteras: Diaboli enim os mendax, quo primos parentes decepit, & contra id quod Deus pronuntiauerat, testimonium falsum protulit dicens: *Nequaquam moriemini*, & *Eritis sicut Dij*: Tale os, inferni porta fuit; qua patefacta, ex humano genere plurimi in æternam perniciem corruerunt. Infernus aperuisse os suum dicitur Isai 5. at peccatoris os cum aperitur, inferno peius est, cum infernus scelestos tantùm cruciet; peccatoris verò os etiam iustos, obtrectando, maledicendo, falsa testimonia proferendo, torqueat. Psal. 77. vbi de peccatoribus dicitur: *Defecerunt in vanitate dies eorum*, ex Hebræo legitur: *Defecerunt in flatu oris dies eorum.* Quod quidem primò in sensu assimilatiuo potest intelligi, quasi dicatur: Instar flatus oris dies eorum euanuerunt.

Fraudulenti peccatoris os, est velut inferni ianua, & ipso inferno peius. Gen. 3.

C 2. quia ex Hebræo per aduerbium *In*, sæpè significatur instrumentum, & causa vt Psal. 73. *In securi, & ascia deiecerunt eam*; hoc est, per securim, & asciam eius deiectio, seu destructio facta est: hinc est, vt citata verba Psalmi 77. *Defecerunt in flatu oris dies eorum*, in sensu etiam causali possint intelligi; & sensus est: Ea flatu oris, nempe ex verbis contra proximum maledicis, & mendacibus factum est, vt dies eorum morte præpropera euanuerint: benè enim mendacis oris fœtor proximam vitæ indicat corruptionem. Hæc autem posterior interpretatio confirmatur, quia in eodem Psal. de iisdem peccatoribus dicitur, in Deum ipsum falsum testimonium protulisse: *Malè loquuti sunt de Deo.*

Fraudulentis, & mendacis peccatoris mors acceleratur.

96. Pentecostes die supra Apostolorum verticem dispertitæ linguæ visæ sunt: *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis.* Ea igneis illis D linguis singulas dispertitas, hoc est diuisas, ac dissectas apparuisse docet Cyprianus. Cur autem à Spiritu sancto communicatæ linguæ dissectæ fuerint, ab interpretibus plures redduntur rationes. Sed ad rem nostram illa est; quòd cum lingua dupliciter diuidi possit, scilicet ad verum, & falsum enunciandum; hinc est, vt Spiritus sanctus, qui *Spiritus veritatis est*, linguas diuisas Apostolis communicauerit; scilicet quæ veritatem semper, nunquam falsitatem essent locuturæ. Quare Bernardus ser. de custodia linguæ, linguam non abscindendam esse, sed diuidendam; seu circumcidendam esse docet, *iuxta scripturam*, inquit, *mors, & vita in manibus linguæ: alioquin si sola esset vita, nec circumcisio quidem esset adhibenda: si sola mors, etiam abscissio deberetur.*

Act. 2. lib. ... 101. Pentecostes die cur dispertitæ, hoc est dissectæ linguæ supra Apostolos apparuerunt. Ioan. 14 Prou. 18.

Blasphemia.

E

97. QVàm graue scelus blasphemia sit; siue sacrilegis verbis in Dei nomen, eiusque sanctos; siuè maledictis, & imprecationibus in homines quoscumque dicatur, inde maximè patet, quòd in B. Iudæ Apostoli Epistola legitur: *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ*, hoc est iusto maledicto in eum inuehi. Quare Hieronymus explicans Apostoli verba Epist. ad Titum cap. 3. Admone illos neminem blasphemare, notat: *Non ait, neminem hominum blasphemare: sed absolutè neminem; non Angelum, non aliquam creaturam Dei. Omnia quippè, quæ à Deo facta sunt, valdè*

Blasphemanda nulla creatura est.

bona sunt. Quando Michaël Archangelus cum diabolo disputabat de Moysi corpore non fuit ausus inferre iudicium blasphemiæ: quantò magis nos ab omni maledicto puri esse debemus? Merebatur diabolus maledictum; sed per Archangeli os blasphemia exire non debuit. Si vitanda contra diabolum blasphemia Archangelo visa est; quàm abominabilis censenda est in homines, in cælites, vel in Deum summum bonum blasphemia? S. Augustinus in Matth. c. 26. 65. ait: *Non minus peccant, qui blasphemant Christum regnantem in cælis; quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris.* Immo horum ex aliquo capite videtur peccatum minus; cum minor iniuria censeatur in Regem sub seruili habitu latentem; quàm in eumdem in regio solio assidentem. Quàm iusto supplicio blasphemæ linguæ corrodentes vermes vltores sunt. Ea perta est hoc Nestorii lingua vermibus corrosa qui in B. Virginem blasphemus, eam Deiparam esse negauit.

Blasphemantes Christū, Crucifixoribus peiores.

89. Blasphemia numquam irrita est. Quamuis enim contra cælites, qui nullatenus lędi possunt, irrita videatur; contra blasphemum ipsum numquam suo effectu caret. Nam benè Chrysost. hom. 3. contra Anomæos: *Verissima Ecclesiastici sententia est: Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet. Sicut enim qui lapidem illuc iaculatur, corpus caleste non attingere, ne dum lacerare potest; plagam autem suo capite excipit; cum lapis eodem, vnde iaculatus est, redeat; ita, qui beatam illam blasphemat substantiam, sicut numquam offendere eam potest; sic ferrum aduersus animam suam acuit.* Beatus Ephrem parænesi 43. ait: *Desine, ô homo, blasphemare; ne fortè idem sermo, quem contemnis, fiat flamma in ore tuo, & tuam linguam comburat. Non metuis, ne fortè ignis de cælo descendat, & deuoret te; dum tu sic os aduersus omnipotentem aperis; neque vereris, ne forte terra sub te repente disrumpatur, & te absorbeat.* Hieronymus in Isaiam c. 18, ait *Nihil horribilius blasphemia, quæ ponit in cælum os suum. Omne peccatum comparatum blasphemiæ, leuius est.* Cætera enim peccata, vt adulterium, aut homicidium in rebus à Deo creatis Deum offendunt: at blasphemus Deum ipsum directè offendere audet. Rursus peccatis aliis iniuria infertur Deo præter intentionem, vellet enim adulter, aut homicida non offendere Deum: at blasphemus Deum ipsum contumelia afficere non veretur. Dices, etiam periurium Dei nomine inuocato directè Dei offensa est. Respondet Augustinus contra mendacium c. 19. *Peius est blasphemare, quàm peierare; quoniam peierando, falsæ rei adhibetur testis Deus: blasphemando autem de ipso Deo falsa dicuntur;* Eaque per contumeliam efferuntur. Præterea si non in Deum, sed in alios maledicta iaciuntur, etiam Deus directè offenditur; cum Deus ad iniquam blasphemiam eæquendam aduocetur.

Blasphemus in sanctos, in se ipsum blasphemus est.

Eccles. tibi c. 27. 28.

Blasphemię peccatum peccatis alius grauius.

99. Quamuis benè B. Apostolus Iacobus dixerit: *Lingua ignis est*; adhuc tamen igni blasphema lingua comparata, voracissimum illud elementum superare videtur. Quandoquidem ignis sua in sphęrą cælo omnino proximus, nihil in cælum sua voracitate audeat at blasphema lingua nec cælo, cælitibusque, nec cæli conditori parcit: de blasphemis enim dicitur: *Posuerunt in cælum os suum.*

Blasphemus igne voracior.

100. Adeo abominabilis blasphemia est; vt ipse diabolus blasphemiæ verbum perhorrescere videatur. Nam, cum Iobi vxor suis verbis patientissimum coniugem ad deprecationem incita-

Blasphemia ipsi diabolo abominabilis est.

A ret, S. Chrysostomus existimat verisimile esse eam non fuisse veram Iobi vxorem, sed tantùm diabolum eius imaginem repræsentantem. Quamuis autem ad desperandum, & blasphemandum Iobum diabolus incitaret; à blasphemię tamen, & maledicendi verbo abstinuit, per antiphrasim dicens: *Benedic Deo, & morere.*

101. Cum Sennacherib Assyriorum rex, eiusque dux Rabsaces Deum, vt seductorem, & impotentem Israëlitarum populum liberare blasphemasset dicens: *Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam*, Isaiæ ore Deus respondit: *Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? Contra quem exaltasti vocem tuam; Et eleuasti in excelsum oculos tuos? Contra sanctum Israel? Hæc dicit Dominus* B *de Rege Assyriorum. Non ingredietur vrbem hanc. Per viam, qua venit, reuertetur. Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et reuersus Sennacherib mansit in Niniue; cumque adoraret in templo Deum suum, filij eius percusserunt eum gladio.* Sic summam Dei potentiam, quam impia ora blasphemando negauerant, tantæ multitudinis, & ipsius regis hiantia vulnera fateri coacta sunt.

4. Reg. 19. Blasphemia Sennacherib, & Rabsacis quàm seuerè punita.

102. SS. Patres non solùm ore, sed etiam opere à peccatoribus Deum blasphemari dicunt. S. Ephrem explicans illud Isaiæ 52. 5. *Iugiter tota die nomen meum blasphematur*, ait: *Quemadmodum operibus bonis Deus glorificatur, ita malis actionibus blasphematur. Nam cum infideles intuen-* C *tur Christianos, quòd instar Ethnicorum ipsi quoque in crapula, & ebrietate vitam degant ludentes, atque saltantes cum citharis, & tympanis, non amplius dictitant, quod insensati sint Christiani, dum legem Christi transgrediuntur, verùm blasphemantes asserunt eos, sicut traditum à Christo acceperunt, ita facere.* Similiter S. Augustinus in Psal. 146. ait: *Cùm Deus laudatur de bono opere suo, opere tuo laudas Deum: & cum blasphematur Deus de malo opere tuo, opere tuo blasphemas Deum: corde ne sileas, vita ne taceas. Quia hoc docet Apostolus: Siue manducatis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Si ergo benè agis; & quòd manducas, & bibis, & ad refectionem corporis sumis, gratias agens ei, qui tibi præbuit mortali, &* D *fragili ista supplementorum solatia; cibus tuus, & potus tuus laudat Deum. Si verò modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentia te ingurgites; quantalibet laudet lingua tua sonet, vita blasphemat.*

Blasphemia non est solùm ore, sed opere.

Ephrem in interrog. tom. 1.

1. ad Cor. 10.

103. Cum ergo *De corde exeant cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ*, benè exclamat Chrysologus: *Quæ spatia terrarum, quæ magnitudo vrbium, quæ latitudo regionum tantos hostes ferre, tot inimicos capere, tantas sustinere prauales* E *nationes; quot vitia, quot delicta, quot crimina rapiunt humanos sensus, hominum corda patiuntur? Ad vnam columbam tot milui, tot aquilæ, vultures tot voraces, tantarum currit congeries auium sordidarum!*

Chrysol. ser. 171.

Hæc sunt, quæ coinquinant hominem: non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

104. AVdiant hoc comatuli, & cincinnatuli iuuenes; qui toti sunt in facie, ac manibus odorifera aqua abluendis: cumque adscititio odore se perfundant, cordis fœtorem pœnitentiæ lacrymis abstergere negligunt. Hi a Do-

minus ait Isaiæ 1. 16. *Lauamini, mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere peruersè; discite benefacere.* Quæ verba teste Ruffino fornicarius quidam cum in Ecclesia audisset, contritus impudicam vitam in castam commutauit. Hunc S. Paulus S. Antonij discipulus cùm in templum ingredientem nigrum vidisset, & à dæmonibus fræno in os iniecto trahi; eiusque custodem Angelum, tristem, & longo interiecto spatio sequentem; postea eumdem fornicarium nitida facie, candidoque corpore vidit; ac dæmones eum sequentes quidem, sed procul; contra verò custodem Angelum iam hilarem propè sequentem.

Fornicarii pœnitentis mutatio.
Ruffinus in vitis PP. l. 3. n. 167.

105. Præterea cùm homicidis dicatur Isaiæ c. 1. & c. 59. *Manus vestræ sanguine plenæ sunt. Manus vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate.* Similiter de iniquis iudicibus dicatur Psal. 25. *In quorum manibus iniquitates sunt; dextera eorum repleta est muneribus*: talibus sordibus pollutas manus hominem etiam coinquinare certum est; talesque sordes spirituali lauacro sunt abluendæ; de quo lauacro dicitur: *Lauamini, mundi estote.* Quare cum Apost. 1. ad Tim. c. 2. monet orandum esse eleuando ad Deum puras manus, Chrysostomus ait: *Puras, idest mundas manus, non aqua lotas; sed cupiditate, rapina, cædibus mundas.* Huiusmodi mundis manibus prosternendi sunt, & procul arcendi dæmones spirituales hostes. Ideo Augustinus serm 93. de tempore, per manus opera significari docens ait: *In manibus opera debemus accipere: si ergo talia sunt opera, vt ea possis in altum in conspectu Domini leuare; potes etiam & tu in te ipso aduersarios tuos excludere. Hoc ergo si volumus vincere, manus nostræ, idest actus nostri, & conuersatio nostra non sit in terris, sed in cælo.*

Orantium manus quomodo mundæ esse debent.

Manus opera significant.

106. Quomodo suggerente diabolo varia vitia ex humano corde prodeuntia coinquinent hominem, benè explicat Gregorius lib. 13. moral. c 6. vel 9. *Sæpè dum gula restringitur, vt libido subigatur, inanis gloria aculeis mentem pulsat. Si autem corpus abstinentiæ afflictione non atteritur, contra mentem libidinis flamma se excitat. Sæpè dum seruare parsimoniam nitimur, ad tenaciam labimur: Et sæpe dum possessa effusè tribuimus, ad auaritiam ducimur; quia rursum colligere quærimus quod tribuamus.* Similiter in Ezechielem lib. 1. hom. 12. *Sæpè nonnulla vitia ad mentem non simul veniunt; sed supponuntur, vt vnum alteri in tentatione succedat. Et aliud contra faciem venit; aliud verò in tentationem se ex latere subiicit; quatenus dum alteri resistitur, ab altero mens decepta capiatur. Ipsa enim, quæ superius diximus vitia, plerumque se alia pro alijs furtiuè supponunt; sicut nonnumquam dum iram vincere in nobismetipsis conamur, plusquam necesse est, lenitas mentem occupat; vt asperitatem peccantibus, quàm oportet, minimus proponat. Sæpè verò dum nobis inesse incauta lenitas displicet, zelus se in furorem trahit; atque extra patientiæ limitem animum captiuum rapit.* Interdum verò vitia non ex contrariis affectibus proueniunt, sed ex prauo corde simul concatenata prodeunt. *Sunt quædam vitia quasi per quandam sibi cognationem propinqua; sicut dissolutio spiritus, appetitus gulæ, & immunditia luxuriæ: sicut multiloquium, fallacia, atque periurium. Ex dissolutione quippe spiritus mens ad ingluuiem ventris rapitur: & dum cibis venter extenditur, ad luxuriam caro trahitur superbiendo captiua. Et rursum ex multiloquio fallacia generatur: quia valde difficile est, vt qui multa loquitur, non etiam mentiatur: & sæpe mendacium etiam periurio tegitur, vt ante humana iudicia veletur. Superbia quoque esse sine inuidia, atque inani gloria nullatenus potest. Superbus etenim quisque honorem, quem ipse ambit, alijs inuidet: & cum hunc fortasse obtinuerit, in elationem gloriæ temporalis attollitur; atque quod alios conspici minime percipere potuisse, hoc se per inanem gloriam gaudet præ cæteris habere*, ait ibidem Greg. Præterea, quod valde perniciosum est, sæpe è peccatoris corde vitia veloti personata sub honesta imagine prodeunt: *Sese vitia sub virtutum specie abscondunt. Immoderata ira iustitia videri, & disciplina remissæ mansuetudo videri vult; & tenacitas se parsimoniam nominat; & inordinata rerum effusio se beneuolentiam appellat*, ibidem Greg. ait. Quoniam verò *ad excusandas excusationes in peccatis* vitiorum lapsus peccator non suo cordi assentienti, sed suggerenti diabolo tribuere solet; ad hoc coarguendum, Iob c. 16. de diabolo dicitur: *Conuulnerauit lumbos meos.* Vbi benè Gregorius ait: *Notandum est, quod non ait vulnerauit, sed conuulnerauit. Antiquus hostis, quia nos ad culpam sine nostra voluntate non rapit, nequaquam lumbos nostros vulnerare, sed conuulnerare dicitur: quia hoc, quod nobis ille male suggerit, nos sequentes ex voluntate propria implemus; & quasi cum ipso nos pariter vulneramus; quia ad perpetrandum malum ex libero simul arbitrio ducimur.*

Peccatorū suggestio quam varia modo in humano corde insurgat.

Peccatum aliud sibi consimile trahit.

Peccata ab humano corde sæpe personata procedunt.
Psal. 140.
Peccatorū lapsus non sibi, sed diabolo tribuit peccator.
Greg. 13. Mor. c. 6. vel 9.



FERIA QVINTA

POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Surgens Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis? *Lucæ 4.*

Euangelij nexus, & ordo.

Tempora omnia in Dei obsequio, proximique beneficium peragenda. Cap. 1 vers. 35.

1. DIES tempora omnia, & matutinum, & meridianum, & vespertinum, vel in Dei obsequium, vel in proximi beneficium transigenda esse hac Euangelica historia Dominus docet. Matutinum tempus orando à Domino peragitur: *Facta autem die egressus ibat in desertum locum; ibique orabat*, vt Marcus addidit. Meridiano tempore, cum cibi sumendi causa in domum Simonis secessisset, vt ait Victor Antiochenus, Febrim Dominus è Simonis socru expellit: *Surgens de Synagoga imperauit Febri; & dimisit illam.* Vespertino tempore languentes, & dæmoniacos curat: *Cum Sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos, varijs languoribus, ducebant illos ad eum: & ille singulis manus imponens, curabat eos: exibant autem à multis dæmonia:* Benè igitur senioris Tobiæ monitum Dominus seruat: *Omni tempore benedic Deum*: grata autem Deo benedictio, & laus est pia operatio, ex qua Dei gloria semper elucet.

Tobiæ c. 4. 20.

Bonis singulis operibus sua merces respondet.

2. Porrò singulis Domini operibus suus honor, mercesque respondet. Dum solitudinem, desertumque locum ad orandum petit, à turbis vehementi desiderio Dominus quæritur: *Turbæ requirebant eum, & venerunt vsque ad ipsum, & detinebant illum ne discederet ab eis*: Dum energumenos liberat, ab ipsis dæmonibus, vt Dei filius celebratur: *Exibant dæmonia clamantia, quia tu es filius Dei.* Denique Simonis socrui valetudine restituta, ab ea Domino, atque Apostolis ad grati animi rependendas vices ministratur: *Continuò surgens ministrabat illis.* Cuius certè sanctæ mulieris exemplo ad ingrati animi vitium fugiendum, & ad gratiam diuinis beneficiis referendam, excitari debemus.

Hom. 17. in Euang. Deus est obsecrandus, proximus iuuandus, dæmon fugandus.

3. Rursus, quia, vt S. Gregorius ait: *Saluator noster aliquando nos sermonibus, aliquando verò operibus admonet*: in hoc Euangelio Christi Domini exemplo, qua ratione nos erga Deum, erga homines, erga dæmones gerere debeamus, instruimur. Redemptor enim noster exemplum nobis præbuit Deum obsecrandi: *Cum egressus ibat in desertum locum ibique orabat*: proximos iuuandi, *cum imperauit febri, & dimisit illam*: dæmones fugandi, *cum exibant à multis dæmonia clamantia.* Christum igitur imitantes, Deum obsecrare, homines iuuare, dæmones effugare debemus.

Introiuit in domum Simonis.

Petrus & Andreas an Apostolatus tempore domum possiderint, hic, & sequentibus.

4. MArcus addit, *Et Andreæ.* Controuertitur hîc, an domus hæc etiam hoc ipso tempore, quo Christi discipuli erant, ex vera possessione Petri, & Andreæ fuerit? An verò solummodo ante tale tempus fuerit ab eis possessa; postea verò non ex præsenti, sed ex præterita possessione eorumdem Apostolorum domus esse dicatur. Ad affirmandam primam sententiam videtur esse præsens Euangelij textus, vbi expressè Petri, & Andreæ domus illa esse dicitur. Pro 2. sententia, sunt verba illa Matth. 19. vbi Petrus de se, sociisque veraciter testatur: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

5. Respondet Maldonatus domum illam dici Petri, & Andreæ, eò quòd ab eorum patre possideretur; quandoquidem domus parentum, filiorum etiam domus esse dicitur. Quæ quidem interpretatio placeret; nisi, vt infra videbitur, daretur alia via, qua sine vlla difficultate domus illa directè, vt sonant verba, dici potuit Petri, & Andreæ. Præterea ex allata interpretatione supponere cogimur, licèt aliunde probari non possit, patrem Andreæ, & Petri tunc temporis vixisse; de quo quidem non est mentio, sicut de Zebedæo patre Ioannis, & Iacobi.

6. Respondet 2. Toletus, domum illam socrus ipsius Petri, non propriè Petri, & Andreæ fuisse. Sed si tantùm ad Petri socrum domus illius possessio spectasset; atque adeo etiam Petri domus dici potuisset: non videtur dici potuisse Andreæ, cum ea, quæ Petri socrus possideret, valdè remotè ad Andream spectarent.

7. Respondet 3. Toletus Petrum, & Andream reliquisse omnia, quoad proprietatem, retinuisse verò quoad vsum; atque adeo cum vsufructuarii forent, domus illa ipsorum dicebatur: Retinuisse verò vsum suorum bonorum probat, quia Ioannis vltimo post Domini resurrectionem eos retibus vsos esse dicitur, quamuis Matth. 4. de iisdem Apostolis dicatur: *Illi continuò relictis retibus secuti sunt eum.* Sed hæc interpretatio non placet. quia cum Apostoli propter Euangelicam perfectionem omnia reliquerunt, neque proprietatem, neque vsum retinuerunt. Nam Matth. 19. cum Dominus dixisset adolescenti cuidam: *Si vis perfectus esse, vade, & vende vniuersa, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Petrus sumpta occasione dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* Cum hoc igitur contextu retinuisse Apo-

stolos suorum bonorum vsum congruere non potest. Præterea Apostoli retinendo bonorum vsum ipso Apostolatus tempore exemplum perfectæ paupertatis, quam religiosi profitentur, non præbuissent; nec veri imitatores Christi Domini fuissent; qui de seipso testatur Lucæ 9. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Porrò ante, vel post Domini resurrectionem vsi quidem sunt Apostoli retibus, non tamen suis, sed consanguineorum, vel amicorum. Quod sanè inde colligi potest; nam Ioannis vltimo legimus cum Apostolis Nathanaëlem fuisse, & duos alios discipulos; qui quidem ex duodecim Apostolis non erant; & propterea non nominantur, vt ibi notat Toletus: *Erant simul Simon Petrus, & Thomas, & Nathanael, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo.* Confirmatur, nam ibidem dicitur: *Exierunt, & ascenderunt in nauim. In nauim non propriam, quam iam reliquerant Christum sequentes; sed alicuius amici, & familiaris,* ait Euthymius.

8. Respondendum igitur ad propositam difficultatem facilius videtur, si cum Chrysostomo hom. 14. in Matth. cum Augustino tract. in Ioan. 7. Theophylacte, & aliis distinguamus duplicem discipulorum vocationem; alteram, qua ad familiarem Christi notitiam vocati sunt; quæ habetur Ioannis primo; alteram, qua ad Apostolatum, & ad relinquenda omnia sunt vocati: & hæc indicatur Luc. 5. *Ait ad Simonem Iesus: Noli timere; ex hoc iam homines eris capiens: & subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.* Ante hanc autem vocationem Petrum reliquisse omnia dici non potest: Nam sicut eodem capite verè nauiculam habuisse dicitur: *Ascendens in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum;* Sic etiam dici potest capite præcedente domum habuisse: non enim Scripturæ verba à prima, quam indicant significatione sine necessitate sunt detorquenda. Contra hoc esse potest, quod Matthæus perfectam Apostolorum vocationem referre videtur illis verbis: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum: at illi continuò relictis retibus secuti sunt eum;* quæ verba habentur cap. 4. ingressus verò in domum Petri ab eodem Euangelista cap. 8. refertur. Sed vt benè notat Toletus, Matthæus ordinem temporis non seruauit; cum postposuerit quod prius factum erat; vt ab Euangelistis alibi etiam fieri solet. Marcus verò, & Lucas circa curationem socrûs Simonis verum miraculi tempus seruauerunt, cum vterque initio Dominicæ prædicationis illud tribuant.

9. Difficultas hac in re soluenda remanet; quo pacto Apostoli post s. Domini vocationem ad perfectam paupertatem stabilia bona relinquere, & in perpetuum alienare potuerint? Ratio dubitandi est, quia Iudæis non licebat stabilia bona, quæ possidebant omninò in alienum dominium transferre; sed quinquagesimo quoque anno, qui annus iubilæi dicebatur, ad primum Dominum possessio reuerti debebat: *Anno Iubilæi redient omnes ad possessiones suas: quantò plures anni remanserint, post Iubilæum, tantò crescet & pretium,* dicitur Leuit. 25. Quare ne hæreditaria bona alienarentur, præcipitur Numer. 36. *Omnes viri ducent vxores de tribu, & cognatione sua; & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient; vt hæreditas permaneat in familijs.*

Apostoli quomodo stabilia bona alienare potuerint, cum id Leuitici c. 13. vetitum videatur. Hic & n. sequēti.

10. Respondetur potuisse Apostolos etiam iuxta Mosaïcam legem ea bonis stabilibus, quæ possidebant, alia vendere, & pauperibus erogare iuxta Domini consilium Matth. 19. *Vende vniuersa, quæ habes, & da pauperibus;* alia autem proximo successori relinquere; sic enim nemini fiebat iniuria, & id voluntaria liberalitate contingebat, quod mortis necessitate erat euenturum. Porrò speciatim domus à Petro, & Andrea intra Capharnaum, vel intra Bethsaidam possessa, vendi poterat, eiusque pretium pauperibus erogari: domus enim erat non rustica, sed intra vrbis mœnia. Leuit. autem cap. 25. dicitur: *Qui vendiderit domum intra vrbis muros, habebit licentiam redimendi donec vnus impleatur annus: si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam, & posteri eius in perpetuum; & redimi non poterit etiam in Iubilæo.* Secus verò prædia, domusque rusticæ vendi in perpetuum non poterant; sed si ea relinquere quispiam vellet, proximo successori erant relinquenda: citato enim Leuit. cap. dicitur: *Sin autem in villa fuerit domus, quæ muros non habet; agrorum iure vendetur, si ante redempta non fuerit, in Iubilæo reuertetur ad Dominum.*

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.

11. CVm prius magnis febribus laborasse Petri socrus dicatur; cur postea vnica tantum febri liberata dicitur: *Imperauit febri, & dimisit illam?* Primo loco magnis febribus vehementes, & longiores febris periodi significari possunt. Secundo loco febris ipsam humorum intemperiem significat, ex qua singulæ illæ febris periodi proueniebant.

Et rogauerunt illum pro ea.

12. IOannes Apost. Apoc. cap. 5. 8. vidit *phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum:* Ex huiusmodi ergo mysticis phialis multò melius, quàm à pharmacopolæ vasibus, & liquoribus ad febrim depellendam medela exhibetur: Ideo Petrus, & Andreas vnà cum reliquis adstantibus ad pias preces confugientes, vt à febricitante muliere morbum expellerent, Dominum *rogauerunt pro ea.*

Phialæ orationum pro medicis vasibus magis salutares.

Et stans super illam, imperauit febri, & dimisit illam.

13. SVper hîc *prope*, seu *iuxtà* significat, vt alibi in Scriptura. Psal. 136. *Super flumina Babylonis, illic sedimus.* Psal. 25. *Domini est terra, & orbis terrarum; quia ipse super maria fundauit eum; & super flumina præparauit eum.* Psal. 135. *Firmauit terram super aquas.* Vtrobique particulam *super* significare *iuxta*, seu *propè*, plures interpretes asserunt: eodem significatu dicitur Exod. 16. *Quando sedebamus super ollas carnium.* Præterea dicitur hîc Dominus *stans super illam*; quia vt decumbentem mulierem è cubili Dominus eleuaret, se aliquantulum inclinauit. Dicitur enim Marci cap. 1. 31. *Et accedens eleuauit eam, apprehensa manu eius; & continuò dimisit eam febris.* Ægroti manu apprehensa, medici febrim quidem cognoscunt, non autem eam expellunt. Secus cœlestis medicus febricitantis apprehensa manu statim expulit febrim. Romani teste August. 3. de Ciuit. c. 12. Deam febrim venerabantur; vt inanis huius Deæ irritus cultus reijceretur, febris veri Dei Imperio obsequi coacta est.

Super interdum significat prope vel iuxta.

Febrim Deã Romani venerabantur.

Et continuò surgens ministrabat illis.

64. HInc grati animi virtus nobis imitanda proponitur; erga quam frequentissimè deficit hominum genus. *Erubesce Sidon, ait mare*, dicitur Isaiæ 23. Ab interpretibus multæ afferuntur rationes, quare mare peccatoribus sub Sidonis nomine significatis erubescentiam iniicere possit. Sed ad rem nostram est, quia cum mare in fluuios largissimè aquas effundat, ipsos fluuios erga se non ingratos experitur; quia ad mare aquas flumina deuoluunt, vnde eas acceperunt. Ecclesiastæ primo; *Omnia flumina intrant in mare; ad locum, vnde exeunt flumina reuertuntur.* Contra verò cum inexhaustum mare diuinæ liberalitatis innumera beneficia nobis prodigit; non eò, vnde accepimus beneficia deuoluimus; iisque non in Dei obsequium, & gratiarum actionem vtimur. Atque hinc est, vt erubescentiam nobis ingratis iniicere mare meritò possit, *Erubesce Sidon, ait mare*: cum scilicet mare gratos magis fluuios, quam Deus homines experiatur. Quare si quis erubescentiam hanc vitare velit, sanctos viros imitetur; de quibus Hugo Cardinalis explicans citatum Ecclesiastæ locum sic ait: *Locus, vnde exeunt flumina doctrinarum, & gratiarum, Deus est: ad hunc locum reuertuntur flumina; cum prædicatores, & doctores de profectu doctrinæ, vel prædicationis suæ gratias Deo agunt; & ei totum attribuunt, sibi nihil, dicentes; Serui inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Similiter Bernardus serm. 13. in Cantica ait: *Quod si copia aquarum secretis, subterraneisque recursibus æquora repetunt; vt inde rursus ad visus, vsusque nostros iugi, & infatigabili erumpant obsequio: cur non etiam spirituales riui, vt arua mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude, & sine intermissione, reddantur? Ad locum, vnde exeunt, reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant. Qualiter, inquis? Qualiter dicit Apostolus: In omnibus gratias agentes. Quidquid sapientia, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, & Dei sapientiæ deputa Christo.*

Flumina in mare redeũtia gratitudinem docent.

Luc. 17.

1 ad Thess. c. 5.

65. Rursus si sententiam sequamur Ambrosij explicantis citatum Isaiæ locum: *Erubesce Sidon, ait mare*: viso mari, & mercatoribus illud nauigantibus ingrati humani animi imaginem videre homo potest; atque adeo inde erubescentiæ causam habere debet. Quod enim mercatoribus cum mari accidit; id Deo cum humano genere videtur accidere. *Mercatores*, inquit Ambrosius, *in aqua labores suos seminant, vt pericula metant.* Similiter cœlestis mercator Christus in humano genere, veluti in maris aqua fluctuante suos labores seminauit; & inde ingratorum peccata frequentissimè metere videtur. Contra ingratitudinis vitium egregiè disserit Bernardus ser. 27 de diuersis.

De Helia, & ieiunio c. 19.

Mare ingratitudinis symbolum.

66. Reg. 2. cap. 9. à Dauide dictum esse legimus: *Numquid superest aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei? Cum autem venisset Miphiboseth filius Ionathæ, filij Saul ad David, ait ei David: Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Ionatham patrem tuum.* Vbi quæritur, quare Dauidis beneficentia erga Saulis nepotem, & Ionathæ filium, Dei misericordia dicatur; *Vt faciam cum eo misericordiam Dei.* Respondetur Dauidem suam beneficentiam erga stirpem Saulis, qui eum ad mortem persecutus erat, Dei misericordiam appellasse; quia Dei proprium est peccatoribus suis inimicis

Dauidis beneficentia erga Saulis familiã cur Dei misericordia dicatur?

A ignoscere, iisque suæ gratia illuminatis largissima beneficia elargiri. Rursus quatenus Dauid ad benefaciendum Miphibosetho mouebatur, vt erga Ionatham eius patrem ipsi Dauidi olim amicum, & beneficum gratas vices rependeret, talis Dauidis beneficentia, Dei misericordia dicebatur. Gratitudo enim Deo maximè cordi est; Deique est proprium nullum sibi obsequium exhibitum immuneratum relinquere: ita vt ipsis peccatoribus bonum aliquod opus facientibus, cum alioquin cœlestia bona demereantur, temporalia bona elargiatur. Benè ergo de Dauide Dominus dixit Act. 13. 22. *Inueni David virum secundum cor meum.* Præcipuè enim ob grati animi virtutem, secundum cor Dei Dauid fuit. Nam,
B vt Iosephus testatur, *David eorum, qui benè sibi vnquam ipsi fecissent, memor erat maximè.* Et, vt Theodoretus ait: *Qui in hostes benignus erat, amicorum numquam obliuiscebatur.* Teste Plinio lib. 8. cap. 16. Samius quidam nomine Elpis in Africam naue delatus, iuxtà littus viso leone territus in arborem ascendit. Cum autem procubuisset ad arborem leo, & veluti mutis precibus opem implorare videretur; eo quòd ossiculum infixum dentibus eum inedia cruciaret; Samius metu cessante ex arbore descendens è leonis ore os euellit. Hinc beneficii memor leo, quamdiù nauis in littore stetit, in eam venaticas prædas deferendo gratiam retulit. Præterea teste Palladio S. Macarius Alexandrinus cum hyenæ catulo
C cæco diuinitus visum dedisset; hyena vt collato in filium beneficio gratam se exhiberet, sequenti die ouinam pellem, qua se Macarius tegeret, detulit. Sed quid hyenæ ad Bartholomæi exemplum? Sanctissimus Apostolus à Domino Euangelica fide illuminatus, propriam sibi pellam detractam Christo Domino obtulit grati animi argumentum.

Gratitudo virtus est diuina.

Leonis erga beneficum gratitudo.

67. S. Basilius de S. Gordio martyre ait: *Vt ex arboribus frugiferis quicunque fructus efferuntur in terram, qua aluntur, recedere deponique solent: ita cum hic ex patria nostra visceribus exierit, & summam sit gloriam consecutus; illi ipsi patriæ, quæ illum protulit, atque aluit, suos tribuit pietatis fructus percipiendos.*
D Similiter quicunque à diuina beneficentia fructus in nobis prouenient, ad Dei gloriam meritoriis operibus, gratoq; animo amplificandam redire debent; *vt fructum plurimum afferamus, & fructus noster maneat.* Cum autem ob accepta beneficia ad gratum animum exhibendum, infinitæ Dei bonitati exultantes plaudimus, meritoria opera præcedere debent, quæ deinde grati animi verba comitentur. Ideo David Psal. 46. vt se Deo gratum exhiberet, gentes omnes secum ad Deum laudandum, diuinæq; beneficentiæ plaudendum inuitat: ita tamen, vt non solùm vox, sed etiam bene operantes manus adhibeantur. *Omnes gentes plaudite manibus;*
E *iubilate Deo in voce exultationis.* Oseæ 10. iustis dicitur: *Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ, & metite beneficentiam*, legit Vatablus. Post semen Sãctorum operum statim misericordiæ, diuinorumque beneficiorum messis consequitur. In corporalium frugum messe, cum ea ex imperfecta terræ fœcunditate dependeat, tempus est expectandum. Sed in vberrima diuinorum beneficiorum messe, cum conferenda beneficia ex liberalissimo Dei ore pendeant, ea statim ac dixit, facta sunt. Propterea dicitur: *Metite in ore misericordiæ.* Similiter, vt nos Deo gratas vices rependamus; sint nobis diuina beneficia veluti semen, post quod statim grati animi

germina, & fructus maturescant. Præterea cum diuina nos beneficentia exaltat, vt Deo nos gratos exhibeamus, ei vicissim per humilitatis actus subdere nos debemus. Id suo exemplo Christus Dominus ostendit; quem recens natum ab orientalibus regibus adorari æternus Pater voluit: recurrentibus autem annis eodem die, quo à Regibus adoratus Dominus fuit, ex humilitate Deo gratissima se à Ioanne baptizandum præbuit: idque veluti cum fœnoris augmento. Adoratio enim in Bethleem stabulo procul ab hominum conspectu fuit; baptismus autem coram frequentissimo populo ad Ioannem accurrente. Adorandus *Bethleem præelegit natiuitati, Ierosolymam passioni*, & humiliationi, iuxta S. Leonem ser. 1. de Epiph. Præterea quomodo nos Deo gratos exhibere debeamus, lege Chrysost. tom. 5. sermone de gratiis Deo reddendis, non solum verbis, sed etiam operibus.

Cum autem Sol occidisset; omnes, qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

18. POst Solis occasum curasse infirmos Dominus dicitur, scilicet, vt occidente materiali sole; diuini solis efficaciam homines experirentur, de quo dicitur Malachiæ 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ; & sanitas in pennis eius.* Vbi ad significandam celeritatem, qua Dominus beneficentiam exercebat, sanitatemque largiebatur, illius manus pennæ appellantur: *Sanitas in pennis eius*, ait Propheta: *singulis manus imponens curabat eos*, ait Euangelista. Primo Ecclesiæ tempore fideles in plateas afferebant infirmos, & ponebant in lectulis, & grabatis, *Vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis*, vt dicitur Actuum Apost. cap. 5. Quo in loco indicat Chrysostomus vno solummodo ex infirmis obumbrato, aliquos ab Apostolo fuisse curatos. Hinc oritur difficultas, si vno languido obumbrato per Petri vmbram omnes sanabantur; cur etiam Dominus vnica manus impositione languidos omnes non curabat; ita vt ad singulos curandos super singulos manus imposuisse dicatur? Poterat profectò facillimè vti Christus Dominus vnica manus impositione, vel vnico verbo; immo vnico voluntatis imperio simul ægris omnibus sanitatem impertiri: sed quia delectatur in homines beneficentiam exercere; ideo non confusè, sed distinctè hominibus singulis manus imponebat. Similiter, quia humano corde Deus delectatur, dicitur non confusè, sed singillatim creasse corda hominum: Psal. 32. *Qui finxit singillatim corda eorum.* Cum quispiam operatione aliqua delectatur, eam distinctè exercere, quàm confundere mauult. E contrario, cum iniucunda nobis obiiciuntur, ea potiùs confundi, quàm distingui volumus. Propterea, cum cœlestis Paterfamilias reprobos ad æterna incendia damnaret, eos simul alligari, ac veluti confundi præcepit: *Colligite Zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Similiter Isaiæ 24. *In die illa visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, & super reges terræ, qui sunt super terram; & congregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere.*

Dominus cur super languidos singulos, & non super plures simul manus imponens, eos sanabat?

Matth. 13.

19. Cum Ægyptios Deus puniret, digitum tantùm adhibuisse legitur Exod. 8. *Digitus Dei est hic*: contra ad singulos quosque homines effor-mandos, vt significaretur quantùm huiusmodi opificium Deum oblectaret, ambas manus dicitur adhibuisse, teste Iob: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.* In circuitu dixit ad significandum non partem, sed totius hominis opificium à diuinis manibus fuisse formatum. Similiter Dauid Psal. 118. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me.* Vbi Ambrosius legit: *Manus tuæ fecerunt me, & parauerunt me*: & subdit: *Non vile, non corporale arbitror, quod parauit Deus: nosce teipsum homo.* Porrò quod opificia manu parari dicitur, vtique alicui præparatur: hominis autem fabrica præparatur ipsi Deo: *Deus, qui de viuis, & electis lapidibus æternum maiestati tuæ praeparas habitaculum*, ait Ecclesia: & Petrus Apostolus: *Ipsi tamquam lapides viui superædificamini domus spiritualis, id est templum Dei sanctum*, vt subdit Augustinus. Rursus cum dicitur: *manus tuæ fecerunt me*, ibi notat Ambrosius: *Manus pluraliter dicit, non manum. At verò alibi ait: Ego manu mea solidaui cœlum: & manus mea fecit hæc. In hominis constitutione videtur non abundare, quod toti mundo, vt fieret, abundauit. Cœlum vna firmauit manus, vt scriptum est: & vtraque Dei manus hominem figurauit, vt legimus.*

C. 9. 10.

1. Ep. c. 2. Psal. 118. Deus, vtrisque manibus hominem creasse dicitur, ho[minem] verò a man[ibus].

Isai. 48. 13. Isaia 66.

20. Porrò si ad humanos languores curandos, dæmonesque eiiciendos Dominum ambas manus adhibere non pigebat; cur hominem ad sibimet opem ferendam manum adhibere piget? *Abscondit piger manum suam sub ascella; nec ad os suum applicat eam*, ait Salomon. Ambrosius explicans illa Dei verba Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, ait. *Cætera dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt; vt homo fiat, specialis quidam Dei accedit hortatus, vt tamquam laborantis Dei in huius munere creatura significetur operatio. Deus quidem expers laboris est: sed tamen Scripturæ verba, quid aliud, nisi studiosam tui ob gratiam operationem eius ostendunt? Ergo si Deus maiore quodam studio te creauit; cur ipse tui studium derelinquis? Si Deus inte laborauit, qui laborare non nouit; cur ipse fugitans sit laboris?*

Prou. 19.

Ambrosius in Psal. 118. Psal. 32. 9.

Dei in homine creando sedulitas humanam segnitiem arguit.

21. Circa allatum Euangelicum textum quæri præterea potest, cur non ante, sed post Solis occasum Iudæi suos infirmos ad Dominum adduxerint? Respondet Victor Antiochenus Marci cap. 1. id contigisse die Sabbati, ideoque ne Sabbatum violarent, Solis occasum Iudæos expectasse, vt suos afferrent infirmos. Cur tamen Solis occasum, vt febricitantis mulieris sanitatem à Domino peterent, Apostoli non expectarint, rationem idem auctor reddit dicens: *Christi discipuli, qui nonnullos iam in fide progressus habebant, vespera non expectata, Iesum, vt Petri socrum à morbo exsuscitet, rogant.* Respondendum mihi videtur variis morbis languidos sustentando, vel etiam baiulando ad Dominum afferri debuisse. Similiter dæmoniacos reluctantes non sine labore ad Dominum fuisse afferendos: quo labore ne Iudæi Sabbatum violarent, Solis occasum expectarunt. Socrus autem Simonis Domino iam præsens cum solo Domini imperio curanda esset, ad id Solis occasus expectandus non fuit.

Dominus cur post solis occasum languidos curauit.

Exibant

Exibant autem à multis dæmonia clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei.

Dæmones an Christũ, vt Dei filiũ cognouerunt? hic, & sequẽtibus.

22. AN dæmones Christum Filium Dei esse cognouerint, controuertitur. Partem affirmatiuam communiter Doctores sequuntur; quorum sententia triplex est. Prima dæmonum cognitionem de Christo, vt Dei filio suspicionem tantùm, non veram notitiam fuisse docet: huius sententiæ auctor est Hieronymus in Matth. cap. 8. Seeunda sententia huic prorsus opposita, docet dæmones tam certò Christum Dei Filium esse cognouisse, vt id per actum supernaturalem fidei ex habitu infuso cognoscere potuerint. Hæc sententia ex Durando in 3. distinct. 23. quæst. 9. ex Alensi 3. par. q 64. membro 7. & ex aliis habetur. Tertia sententia, quæ inter vtramque allatam media est, asserit dæmonum cognitionem circa Christum, vt Dei Filium, fuisse naturalem quamdam actum naturalem assensum continentem. Hæc sententia est Augustini 9. de Ciuitate cap. 21. & aliorum. Pro hac tertia Augustini sententia, quam sequimur, probandum est verè dæmones Christum vt Dei Filium cognouisse; eorum tamen cognitionem supernaturalem fidei actum non fuisse.

23. Huius sententiæ probatio accipitur ex Euangelio, vbi ter dæmones Christum, vt Dei Filium, confessos esse, adeoque vt talem cognouisse legitur. Primò hoc eodem capite supra versu 35. Secundò hîc etiam vers. 41. & Marci 1. Tertiò Matthæi cap. 8. Lucæ 8. & Marci 1. Illi tamen, qui à dæmonibus Christum, vt Dei filium verè fuisse cognitum negant, in allatis locis dæmones mentitos esse affirmant, eosque simulasse se scire, quod nesciebant. Cum autem dicitur ab Euangelista, *Non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum*, particulam, *Quia*, positam pro particula *Quòd*, intelligunt, itaut sit particula declarantis, non reddentis rationem. Sicut cum paulò ante dicitur: *Exibant à multis dæmonia clamantia, & dicentia, quia tu es Filius Dei*, per particulam *Quia*, certum est non reddi rationem, sed rem declarari. Quare cum dicitur: *Non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum*, sensus est, Dominus non sinebat dæmones loqui, verbisque ostendere, quòd scirent eum esse Christum. Sicut vetuit etiam, ne dæmon loqueretur, cum eamdem notitiam signanter ostendebat, quod habetur paulò superiùs: *Scio te, quia es Sanctus Dei*. Nihilominus, quia huiusmodi sensus distortior videtur; & quia plurimorum Patrum auctoritas, & ratio ostendit à dæmonibus Christum, vt Dei Filium cognitum fuisse; allata loca Euangelii, vt directè sonant, pro nostra affirmatiua sententia intelligenda sunt.

Dæmones quibus indiciis Christũ Dei Filium esse cognouerint?

24. Porrò huiusmodi dæmonum cognitio arguitiua fuit; indicia autem, ex quibus talis cognitio arguebatur, erant tum Christi miracula, eiusque potestas condonandi peccata; tum de Christo testimonia; tum Christi sanctitas, quæ omnia multò magis dæmonibus, quàm hominibus manifesta esse poterant. Miracula Christum, vt Dei Filium indicabant, cum ea frequentissima, ingentia, & ex imperio fierent, sicut Dei Filium decebat. De Christo prolata testimonia idem docebant: inter huiusmodi testimonia erat Iacob Prophetia Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Christo autem nato sceptrum, & regnum è Iudæ stirpe ad alienigenam, qualis Herodes erat, transiisse benè dæmones nouerant. Ad prisca de Christo prophetarum vaticinia dæmonibus non ignota, accesserat æterni Patris testimonium Matth. 3. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Percipere præterea poterant dæmones, idque ad maiorem illorum cruciatum, Elisabeth testimonium: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* *Lucæ c. 1.*
Testimonium etiam Ioannis: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* *Ioan. c. 1. 29.* Quo quidem testimonio Agnum aduenisse indicabat, quem Isaias cap. 16. flagitabat: *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ.* Clarius etiam idem Ioannes dixit: *Ego testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* *Ioan. c. 1. 34.* Denique maxima Christi sanctitas testimonia de se prolata comprobabat; nam nisi verè Filius Dei fuisset, vtique vir sanctus reprehendere debuisset Nathanaëlem dicentem: *Rabbi tu es Filius Dei, tu es rex Israël.* *Ioan. 1. 50.* Præterea vir sanctus mendaciter Iudæis non dixisset Ioan. 8. 51. *Est Pater meus, qui glorificat me; quem vos dicitis, quia Deus vester est; & non cognouistis eum.* Et Ioan. 10. 39. *Ego, & Pater vnum sumus.* Quibus ex verbis Christo Domino Iudæi dixerunt: *Tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Hæc ergo testimonia, & indicia augebantur apud dæmones, eò quòd non viderent in Christo creatam personam, seu subsistentiam; sine qua natura non nisi miraculosè conseruari potest.

Argumentã probantia dæmones Christũ, vt Dei Filium non cognouisse afferuntur, & refelluntur.

25. Contra allatam sententiam opponitur primò ex testimoniis asserentibus Christum esse Dei Filium, dæmones cognouisse tantùm Christum hominem esse eximia sanctitate, & apud Deum speciali aliqua prærogatiua præditum: quandoquidem de puris hominibus etiam dicitur Psalm. 81. *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes*; seu ex Hebræo: *Filij Altissimi omnes.* Præterea cum de seipso Christus dixit Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum sumus*: eo modò id intelligere dæmones poterant; quo modo dixit Apost. 1. ad Corinth. 6. 17. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est*: vnus scilicet cum eo charitate, voluntate, & consensu. Similiter ipse Christus de suis fidelibus dixit Ioan. 17. 16. *Vt omnes vnum sint, sicut tu, Pater, in me, & ego in te; vt & ipsi in nobis vnum sint.*

26. Opponitur secundò auctoritas Patrum: nam Hieronymus explicans Isaiæ testimonium de Christo cap. 45. *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator*, ait: *Dominus Iesus Christus intelligitur, qui Deus appellatur absconditus propter assumpti corporis sacramentum.* Similiter Cyrillus Alexandrinus lib. de Incarnat. cap 7. asserit adunationem Verbi cum carne, omni humana cognitione esse superiorem. Quod si humanam cognitionem excedit, excedit etiam Angelicam naturalem: *nam Deum incarnari supra naturam est*, vt ait Dionysius 2. de diuinis nominibus p. 2.

27. Respondetur primò, citatis loquendi modis sanctos Patres communiter significare à quocumque creato intellectu Incarnationis mysterium naturaliter non posse cognosci. Dæmones autem, quamuis arguitiuè ex allatis indiciis, & testimoniis cognouerint Christum esse Dei Filium; non tamen hinc sequitur cognouisse In-

carnationis modum. Circa hoc autem simile quid dæmonibus accidisse dici potest, quod parentibus cæci nati, qui Ioannis 4. dixerunt: *Scimus, quia cæcus natus est; quomodo autem nunc videat, nescimus.* Similiter dæmones sciebant Christum esse Dei Filium: quomodo id factum fuerat, nesciebant.

Incarnationis mysterium Angelis omnibus adhuc viatoribus est reuelatum.

28. Respondetur secundo Angelos omnes adhuc viatores mysterium Incarnationis per diuinam reuelationem, & fidem cognouisse: idque iuvatur S. Thom. prima par. quæst. 68. ar. 1. ad 4. vbi ait: *Dicendum, quòd mysterium regni Dei, quod est impletum per Christum, omnes quidem Angeli à principio, aliquo modo cognouerunt; maximè ex quo beatificati sunt visione Verbi, quam dæmones numquam habuerunt.* Vbi dicendo de beatis Angelis *maximè*, excludit dæmones à clara mysterii illius cognitione, non autem ab obscura per fidem: hanc enim omnibus communem à principio fuisse affirmat. Idem probat Suarius 3. p. tom. 1. disput. 42. sect. 1. Idem docent Malon. in 2. dist. 11. disp. 13. Lyranus, & Carthusianus in Isaiæ cap. 63. Iacobus de Valentia in Psal. 81. & 102. Ambrosius Catharinus opusculo de eximia Christi prædestinatione; & opusc. de lapsu malorum Angelorum, & alii plures. Idem sentiunt auctores omnes, qui docent Luciferum, cui mali Angeli consenserunt, peccasse, sibi appetendo, & hominibus inuidendo hypostaticam vnionem cum Verbo; quos citat, & sequitur Suarius de Angelis lib. 7. cap. 13. n. 13. Quamuis ergo Incarnationis mysterium naturale lumen excedat; posita tamen antecedente de Verbo incarnando reuelatione, & accedentibus signis, & testimoniis de Christo supra allatis, potuerunt dæmones cognoscere Christum esse Dei Filium; idque ex allatis indiciis crediderunt. Porro fidem circa Deum exprefsè dæmonibus tribuit S. Iacobus cap. 2. *Tu credis, quia vnus est Deus; benè facis; & dæmones credunt, & contremiscunt.* Hanc autem dæmonum fidem, de qua loquitur Iacobus, extendi etiam ad credendum Dei Filium esse incarnatum, docet Simeon iunior orat. 28. vbi elegantissimè Arianum negantem Christi diuinam naturam exagitat, dicens: *Saltem dæmones ipsos, quos forsitan fide digniores existimas, interroga: disce ab iis, à quibus in seruitutem redactus es, quos sequeris.*

Dæmonibus actus, & habitus fidei supernaturalis est negandus.

29. Porrò controuersum est, an huiusmodi credendi actus sint in dæmonibus naturales quidam assensus; an verò actus sint supernaturales prouenientes ex habitu infuso, quem Angeli habuerunt, cum primum in gratiæ statu sunt creati? Fidem ex habitu infuso concedunt dæmonibus Durandus in 3. dist. 23. quæst. 9. Alensis 3. p. quæst. 64. membro 7. & alii. Negant tamen communiter SS. Patres, & Theologi. Ad quod probandum affert S. Hieronymus verba illa Domini Matth. 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater, & cui voluerit Filius reuelare.* Similiter S. Augustinus Matth. 4. docet, ideo Christum nomimum noluisse lapides in panem cōuertere, *Quia diabolus non erat crediturus in eum.* Crediturus nempe non erat fide diuina proficua ad salutem. Ita explicandus est Augustinus ex alio ipsius loco 9. de Ciuit. cap. 21. vbi ex professo hanc quæstionem agitat, dicens: *Christus Dei Filius innotuit dæmonibus; non per id, quod est vita æterna, & lumen incommunicabile, quod illuminat pios, cui videndo, (alij legunt viuendo) per fidem quæ in illo est, corda mundantur; sed per quædam temporalia sua virtutis effecta.*

30. Præter Augustini, aliorumque auctoritatem, alij ratione probare conati sunt, cur supernaturalem fidei habitum infusum in dæmonibus, aliisque damnatis, qui olim fideles fuerunt, remanere negandum sit. Fundamentum ipsorum est, quia habitus fidei infusus donum est maximæ perfectionis, & ornamenti, per se ordinatum ad cœlestem gloriam consequendam: huiusmodi autem donum damnatis, æterna beatitudine perpetuò priuatis, concedere non decet. Sed contra est, quia characteres in sacramentis accepti, sunt etiam supernaturales formæ ex se magni ornamenti, & perfectionis, quæ ordinantur, vt per eas, tamquam per honorifica insignia tales fideles ab aliis distinguantur; idque siue in via, siue in patria: & tamen huiusmodi characteres remanent in damnatis, qui illos præhabuerunt, vt magis per eos crucientur; & in inferis discernantur ad eorum ignominiam, & confusionem augendam. Similiter dici potest remanere habitum fidei in damnatis illum præhabentibus, vt per talem habitum magis crucientur, credentes enim diuina mysteria, e. g. Redemptionis, magis cruciantur cognoscentes ex propria culpa ab illis emolumentum non percepisse. Fundamentum igitur ad negandum in dæmonibus, & damnatis infusum fidei habitum efficacius tale esse potest. Ex habitu supernaturali fidei infusæ intellectus assentitur primæ veritati propter ipsam primam Veritatem reuelantem, quare ex huiusmodi habitu non potest intellectus talibus articulis assentiri, talibus verò dissentire, nam eò ipso, quòd vni articulo à prima Veritate proposito dissentit, eò ipso non assentitur primæ Veritati propter ipsam primam Veritatem; & consequenter habitus fidei per huiusmodi contrarium actum destruitur. At de damnatis communiter dicitur eos pertinacissimè iudicare sibi iniuriam à Deo fieri in infligendis pœnis, & cruciatibus. Quare cum ex habitu diuinæ fidei Deus, vt summè iustus sit credendus; cumque tali articulo damnati dissentiant; consequenter infusum fidei habitum retinere non possunt. Idem igitur de damnatis dicendum est, ac de hæreticis, qui alios fidei articulos concedentes, alios negantes supernaturalem fidem omninò deperdunt, cuius loco ab iis imperfecta naturalis fides habetur.

Dæmones scientes Christũ esse humani generis Redẽptorem, cur ei mortem procurauerint? Hie. & sequentibus. Luc. 1. Luc 2.

31. Tertiò contra dæmonum cognitionem de Christo, vt Dei Filio opponi potest: Si dæmones Christum Dei Filium esse sciuissent: vtique illum vt Saluatorem humani generis cognouissent; quòd certè illis exploratum esse poterat, tum ex nomine indito Saluatoris, tum ex Prophetia Zachariæ: *Præibis ante faciem Domini ad dandam scientiam salutis in remissionem peccatorum*: tum denique ex verbis Simeonis: *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Cur igitur dæmones Domino mortem machinati sunt? Quæ certè in ipsorum perniciem vertebatur iuxtà prophetiam Isaiæ cap. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Et paulò post; *Iustificabit ipse seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.*

32. Responderi posset primo ex sententia, quam refert, & refellit S. Hieronymus Matth. 8. defendit tamen Toletus in Lucam cap. 4. nempe dæmones nouisse Christum esse Dei filium, id tamen ignorasse diabolum eorum principem, quippe qui omnium nequissimus maxima malitia excæcabatur; neque aliis immun-

dis spiritibus ob superbiam credebat. Diabolus igitur ignorans futuram suam perniciem, mortem Domino moliebatur: quare Ioannis 13. legitur: *Cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Ischariota.* Et infra: *Post buccellam intrauit in eum Satan.* Satan autem proprium principis dæmonum nomen est.

33. Respondetur secundo non esse nouum hoc, quod peccans, sciens, & volens ex vehementi passione aliquid moliatur, quod proximè in ipsius supplicium, & cruciatum redundet: vt patet in iis, qui ex vehementi rabie, vel ex præsentis mali fuga sibi mortem intulerunt; quamuis immensos Gehennæ cruciatus alioquin non ignorarint: Ex horum numero fuit Saul; qui seipsum interemit, primo Regum cap. 31. Similiter de diabolo, ac de dæmonibus dicendum est, ex vehementi rabie incitatos mortem Christo Domino procurasse; quamuis eum per mortem humani generis Redemptorem esse non ignorarint; sed à tali cogitationa ex vehementi passione eorum animus diuertebatur. Contra verò cum talis cogitatio dæmonum animo ingruebat; eos pœnitebat in Redemptorem Iudæos incitasse: Quare Matthæi 27. dicitur: Pilati vxor ad virum misisse, vt eum à Domini morte auerteret, his verbis: *Nil tibi, & Iusto illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Quo in loco somnium Pilati vxori à diabolo fuisse immissum ad Domini mortem impediendam multi autumant; vt patet ex commentariis Bedæ in eum locum, & ante Bedam ex sancto Ignatio epistula quinta ad Philippenses. Confirmatur hæc secunda responsio; quia, quamuis dæmones frequenti experimento didicissent sanctorum Martyrum morte, eorumdem, & Christianæ legis, Deique gloriam augeri; & Martyrum sanguinem semen esse Christianorum; adeoque inde inferni regno detrimentum ingens prouenire: nihilominus ex rabie, & in Christi nomen auersione in Christianos nunquam incitare tyrannos destiterunt.

34. Responderi posset tertio, ignorasse dæmones Redemptionis opus per Christi Domini mortem fore absoluendum; eosque ex animi prauitate excæcatos vaticinia de Redemptoris morte malè percepisse; ac propterea propria malitia deceptos in suam perniciem Christo Domino mortem procurasse.

Et increpans non sinebat ea loqui; quia sciebant ipsum esse Christum.

35. MVltiplex ab interpretibus ratio affertur, cur hîc silentium Dominus præceperit dæmonibus. Sed ratio alia afferri non debet, nisi ea, quæ ab ipso Euangelista affertur: *Quia sciebant eum esse Christum.* Sciebant autem naturali cognitione imperfecta, vt supra explicatum est: at prædicatio de Christo tamquam Dei Filio, ex supernaturali fide initium ducere debebat; atque adeo ab Apostolis, non à dæmonibus Christi diuinitas hominibus erat annuncianda. Christus Dominus sub solis nomine promissus erat Malachiæ 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ.* Hic Sol cum per Euangelicam prædicationem se hominibus manifestaret, veluti in

Dæmonib' Christũ esse Dei filium dicentibus, cur Dominus silentiũ præceperit? hîc & sequentibus.

A suo meridie apparebat, iuxtà illud Zachariæ: *Visitauit nos oriens ex alto:* Meridies autem diuini huius Solis fides supernaturalis erat; scilicet non imperfectè ex Orizonte, sed ex alto, claroque meridie nobis illucescens; nam de fide cum Ambrosio canit Ecclesia: *Fides sit, vt meridies.*

Lucæ 1.

36. Secundo, eum dæmones scirent Christum esse Dei Filium, atque adeo hominum Redemptorem; nisi de huc mysterio illis silentium fuisset impératum, poterant post fidem acquisitam apud homines tali notitia abuti, & veritati miscere mendacia ad homines decipiendos,
B Euangelicamque prædicationem turbandam. Cum enim de diabolo Ambrosius Lucæ 7. dicat: *Princeps sæculi huius leprosus est*: hæc spiritualis lepra in eo consistit, vt veris falsa permisceat, teste Augustino lib. 2. q. Euangel. cap. 40. *Vera falsis inordinatè permista in vna narratione, tamquam in vnius corporis colore apparentia, significant lepram, tamquam veris, falsisque colorum fucis humana corpora variantem, atque maculantem.*

Diabolus cur leprosus dicitur. hîc, & n. 38.

37. Tertio quamuis verè scirent dæmones Christum esse Dei Filium; eumque vt talem celebrarent; nihilominus illos tacere Dominus iubet, vt ad humilitatem insinuandam exemplum
C nobis præberet, laudes, & nominis celebritatem non facilè esse admittendas, non solùm cum ex ex falsitate, sed etiam cum ex veritate proueniunt. Ad hoc confirmandum examinanda sunt verba illa Isaiæ cap. 60. *Omnes de Saba venient; aurum, & thus deferentes; & laudem Domino annunciantes.* Quod vaticinium de muneribus Christo Domino oblatis ab orientalibus regibus in Bethleem stabulo intelligunt Chrysostomus hom. t. ex variis in Matthæum, Prosper tertia par. prædictione 6. Doctor Angelicus, & alii. Quo in loco quæri potest, quare, cum Sancti illi Reges tria munerum genera obtulerint: *Apertis*
D *thesauris suis obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham:* Nihilominus Isaias myrrham omisit; de thure tantùm, & auro vaticinatus? Sanctissimus infans Iesus sicut aurum, & thus, ita myrrham admisit; immo libentiùs, eum oblata myrrha futuræ ipsius passionis dulcissimam amaritiem præsignificaret: augetur igitur difficultas, cur myrrhæ mentio in Isaiæ vaticinio non legatur? Respondetur Isaiam non omisisse myrrham, sed eam ibi sub ænigmate præsignificasse, cum dixit: *Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Vbi loco myrrhæ laudem Domino fuisse annunciatam Propheta commemorat; idque ob duplicem rationem; primò quia laus illa nomini annunciata à Magis celebrantibus eum, vt legiti-
E mum, & supremum regem Iudæorum, *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Talis, inquam, laus in amarissimam persecutionem ab Herode commotam contra Redemptorem, innocentesque infantes conuersa est; atque adeo valdè congruè loco myrrhæ ab Isaia poni potuit. Secundo Christi nomini exemplo, qui opprobriis saturari voluit, docemur honorificentiam, laudesque nobis attributas existimandas esse veluti amaram myrrham; atque adeo eas non pronis auribus esse accipiendas.

Matth. 2. 11. Myrrhæ Christo à magis oblatæ cur Isaias non meminerit.

Matth. 2.

38. Denique ideo immundos spiritus Dominus silere iussit; quia ab illis, vt Dei Filius cognoscebatur; idque ad maiorem ipsorum cru-

ciatum; cruciabatur autem magis eorum superbia, quia quod verè sciebant, dicere prohibebantur. Cur tali cruciatu diabolus, eiusque Angeli digni essent, ratio desumi potest ex Ambrosio, qui vt supra diximus de diabolo ait: *Princeps sæculi huius leprosus est.* Benè autem leprosi nomen diabolo congruit, cum suæ malitiæ contagio Angelos, hominesque fœdauerit. De leproso talis habetur lex Leuit. 13. *Quicumque maculatus fuerit lepra, habebit os veste contectum.* Vbi quæritur, cur leproso os obseruandum præcipiatur, præsertim, cum patienti Iob ad suas solandas calamitates vnicum solatium relictum à Domino fuerit, nempe labia, quibus loquendo, ac lamentando suum delinire dolorem posset. *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Propositam dubitationem affert, & soluit Origenes homil. 8. in Leuit. *Quid est hoc, quod leprosus omnes corporis partes nudas habere præcipitur, & os solùm operire iubetur? Nonne palam est; & in aperto positum, quòd ei, qui in lepra peccati est, clauditur sermo, clauditur & os: vt fiducia sermonis, & docendi auctoritas excludatur? peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Clausum ergo habeat os peccator, quia qui seipsum non docuit, docere alium non potest; & ideo os suum iubetur operire, qui malè agendo loquendi perdidit libertatem.*

Ambrosius in Luc. 7.
Diabolus cur leprosus dicitur?
Iob 19.
Ps. 49.

39. Allatam Origenis sententiam comprobant Eccli. verba: *Non est speciosa laus in ore peccatoris. Margaritum est sermo Dei,* ait Hieronymus: quare sicut ex Redemptoris monito, non sunt proiiciendæ margaritæ ante porcos, ita neque à porcis margaritæ; hoc est, Dei laudes sunt accipiendæ. Quod de Iudæis, & hæreticis ait Hieronymus, idem de dæmonibus, & quibuslibet peccatoribus dicere possumus. *Eorum composita laudatio tumultus est Domino; & vt ita dicam, grunnitus suis, & clamor asinorum.*

Cap 15.
Margaritū est sermo Dei.
Ep. 18. ad Eustochiū. Mat. 13.h.7.
Composita peccatorum verba, grunnitus porcorum, & clamor asinorum.

40. Celebratio diuinarum laudum est Dei, & Sanctorum auribus veluti harmonicus concentus: propterea aiebat Ioannes, Apocal. 14. *Vocem, quam audiui, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis, & cantabant quasi canticum nouum.* A citharœdo autem in harmonia, siqua citharæ corda dissona sit, remouetur: peccatoris lingua in peccato perseuerantis veluti dissona chorda est ad diuinas laudes emodulandas: propterea ab harmonico diuinarum laudum concentu est remouenda. Quare iuxta Psalm. 148. cum creaturæ omnes ad diuinarum laudum concentum inuitentur, vnum excludi peccatorem aduertit Chrysost. dicens: *Scorpiones, serpentes, & dracones inuitantur ad laudandum eum, à quo conditi sunt, Solus peccator ab hac sacra chorea submotus est; idque iure optimo: sicuti enim musicus è cithara benè modulata chordam dissonam resecat, ne reliquarum vocum harmonia vitietur; sic & Propheta peccatorem veluti chordam dissonam, ac veluti membrum ægrum, ab vniuerso creaturæ corpore resecat.*

Hieronymus supra.
Peccatoris ad Deum laudandum indignitas.
To.3.hom. cum ad presbyterium vocaretur.

41. Piæ animæ Dei nomen celebranti dicitur Cantic. 7. *Guttur tuum sicut vinum optimum. In gutture,* inquit Gregorius, *vox est; per guttur ergo ipsa prædicatio designatur, quæ quasi vinum optimum esse dicitur, quia mentes hominum inebriat, vt præteritorum obliuiscantur, & in anteriora currentes non lassentur.* Sicut autem vinum licet optimum sit, bono nisi vase seruetur, saporem, & fragrantiam amittit; sic Dei laudes, diuinique eloquii prædicatio, si à fœtido vase, cuiusmodi peccator est, proueniant, reiiciuntur. Erit enim tum *pro suaui odore fœtor,* vt Isaias ait. Quare meritò dæmonum, peccatorumque guttur obserari, ne Deum prædicent, præcipitur: *Increpans non sinebat ea loqui.*

Sermo diuinus optimo vino similis.
Ca. 3. v. 24.

42. E contrario illis silentium non imperatur, sed eorum voces suis auribus resonare Dominus iubet, qui cum vocis dulcedine faciei decorem, hoc est mentis puritatem vnà coniungunt. Quare Cantic. 2. piæ animæ Dei sponsæ dicitur: *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Vbi Bernardus ait: *Omnis anima sic faciendo, & facies, & vox Deo grata existit; facies propter puritatem, vox propter confessionem. Etenim confessio, & pulchritudo in conspectu eius: vnde dicitur illi, qui eiusmodi existit: Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Porrò cum diabolus à Deo deficiens contra cœlestes acies pugnauit, tunc Angelicam formam veluti in draconis faciem mutauit: Apocal. 12. *Factum est prælium magnum in cœlo: Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone; & proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas.* Quare ob amissum faciei decorem vocis etiam dulcedine Satan priuatus est; indignumque se reddidit ad Dei filii nomen supra mel dulce proferendum. Idem draco, quia ad diuina eloquia, obseratum os habet, & ad hæc propter inuidiam suis etiam sectatoribus os occludit, serpens vectis appellatur Isaiæ 27. *In die illa visitabit Dominus super Leuiathan serpentem vectem.*

Dei laudibus celebrandis qui sint idonei.
Ps. 95. Cantic. 2.

Facta autem die egressus ibat in desertum locum.

43. HIs verbis contradicere videtur Marcus cap. 1. dicens: *Diluculo valdè surgens, egressus est in desertum locum.* Diuersum autem tempus indicat egredi *Facta die;* & egredi *Valdè diluculo.* Ad hanc repugnantiam tollendam quadruplex conciliatio afferri potest. Prima est, Lucam explicasse tempus, quo Dominus post egressionem è ciuitate desertum versus iter faciebat; Marcum verò tempus significasse, quo Dominus surgere, & ex hospitio egredi cœpit. Conciliatio ista confirmatur ex Dionysio Alexandrino epist. ad Basilidem; qui similiter similem aliam apparentem repugnantiam soluit. Marcus enim cap. 16. loquens de profectione mulierum ad Domini sepulcrum ait; *Valdè mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam Sole.* Idem tempus explicans Ioannes cap. 20. ait: *Cum adhuc tenebræ essent,* Si tenebræ erant, vt ait Ioannes; vel si *valdè mane* erat, vt ait ipse Marcus, cur Marcus idem subdit, *Orto iam Sole?* Quandoquidem *orto iam Sole* nec valde mane esse, neque esse tenebras dici potest. Cui difficultati respondet Dionysius, Ioannem significare voluisse tempus, quo mulieres, præcipuè Magdalena surgere, & egredi cœperunt: idem tempus significasse Marcum dicentem, *Valdè mane:* cum verò subdit: *Orto iam*

Marci, & Lucæ textus quadrupliciter conciliantur Hic, & sequentibus.

A *sole*, explicasse tempus, quo ad monumentum peruenerunt. Antequam enim mulieres congregarentur, acceperunt aromata; & antequam eorum iter muliebribus passibus absolueretur, solis ortus intercedere potuit.

Natiuitas Domini post mediā noctem.

44. Secunda conciliatio accipi potest desumendo naturalis diei initium à noctis medietate iuxta quam acceptionem Caietanus Luc. 2. autumat ideo Angelum ad pastores non dixisse: Natus est vobis hac nocte Saluator: sed *natus est vobis hodie Saluator*: quia scilicet post mediam noctem, atque adeo post inchoatum diem sequentem Dominus natus est. Quare cum de Christi natiuitate ex 18. Sap. Ecclesia dicit: *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret,* B *Omnipotens sermo tuus, Domine, de cælo à regalibus sedibus venit.* Id intelligendum est immediatè post primam medietatem noctis: non enim ibi indiuisibiliter medium noctis iter est accipiendum. Porro (vt notat Marcellus de horis Canonicis c. 45. & 48.) quamuis antiquitus mensura diei naturalis à matutino tempore vsque ad noctis finem desumeretur; & post Domini resurrectionem contrario ordine à noctis initio vsque ad solis occasum accipiatur: id quidem factum est, vt locus daretur obseruationi humanæ; poterant enim homines, cùm vigilarent prædicto tempore, diei initium, & exitum obseruare: quare talis diei inchoatio, & terminatio vsualis potiùs, quam naturalis est. C Si verò naturalis ratio attendatur, cum dies proueniat à solis accessu, cumque nox solis recessu fiat; tunc dicendum est noctis esse principium, cùm incipit è nostro hemisphærio solis recessus; similiter tunc diei initium esse debet, cum sol ad nos accedere incipit; quod quidem elapsa prima noctis medietate contingit. Et hoc fortasse indicare voluit Ambrosius in hymno cuius meminit Augustinus primi Retract. c. 21.

Præco diei iam sonat,
Noctis profundæ peruigil,
Nocturna lux viantibus,
A nocte noctem segregans.

Segregatur enim nox à nocte; eò quod prima noctis medietas ad præcedentem naturalem diem spectet; 2. verò medietas spectet ad sequentem. D Posita igitur prædicta sententia de inchoatione diei naturalis à noctis medietate, benè cum Luca Marcus concordat; naturalis enim dies nocte media incipiens, factus iam dici poterat; quando iuxtà Marcum *Diluculo valde*, vel *Mane noctu valde*, vt habet Græcus textus, è ciuitate Dominus est egressus. Præterea ex allata sententia bene intelligitur quomodo Dominus iuxtà ipsius vaticinium Matth. 12. fuerit *in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*; integra enim nox præcedens diem Dominicum, quo Dominus resurrexit iuxtà primam medietatem ad complendum diem naturalem sabbati; iuxtà verò alteram me- E dietatem ad inchoandum diem Dominicum spectabat; quare pro duplici nocte est accipienda; de quo fusius fer. 4. post Dominicam primam egimus. Denique hinc benè intelligitur quo pacto comestio ante mediam noctem ieiunium sequentis diei non destruat; destruat autem post elapsam primam medietatem. Hinc etiam intelligitur, cum institutio Eucharistiæ, & Domini natiuitas noctu contigerit; quare Eucharistiæ institutio ad diem præcedentem spectare existimetur; & propterea fer. 5. ab Ecclesia celebretur: contra vero Domini natiuitas ad diem sequentem pertinere dicatur; & propterea 25. De-

A cembris celebretur. Ratio diuersitatis huius alia non est; nisi quia Eucharistiæ Sacramentum à Domino institutum est ante mediam noctem; post noctem autem mediam Domini natiuitas fuit, vt supra diximus.

45. Tertia conciliatio esse potest, quòd idem sit dicere, *facta die*, ac est dicere, *Orto sole*: at ex Augustino, Beda, Euthymio, & Theophylacto ortus esse sol, atque adeo dies facta esse dicitur, non solùm cum sol supra terram apparet; sed etiam sub auroram, cùm solares radii accedentes, nocturnas tenebras expellere cœperunt: tali enim tempore vsualis dies fit, quo multi ad diuersos labores surgunt: dici autem potest tunc diescere, cum illucescere incipit. Porro tene- B brarum expulsio ex solis accessu non instantanea est, sed successiua, temporisque latitudinem habet. Quare inter Lucam asserentem Dominum *facta die* fuisse egressum; & inter Marcum dicentem Dominum exiisse *diluculo valde*, seu vt Græcus textus habet, *mane noctu valde*, repugnantia nulla est; potuit enim Lucas dicere factam esse diem, eò quòd noctis tenebræ expelli cœperant: rursus Marcus dicere potuit *Diluculo valde*, seu *mane noctu valde*, eo quod noctis tenebræ non omninò recesserant.

l. 3. de consensu Euāgelist. c. 14. In Matth. cap. 18.

46. Vltima conciliatio breuior, & facilior, huiusmodi esse potest. Diluculum est tempus illud, quo cœlum nocturnas tenebras diurnæ C luci habet admistas: sicut autem ex frigore, & calore fit tepor; ita è nocturnis tenebris, & diurna luce diluculum existit. Quare idem diluculi tempus, quod Latini à luce, Hebræi Schiachar à tenebrarum nigrore denominant. Porrò sicut subiectum tepidum iuxtà finem, & exigentiam diuersam, alius frigidum, alius calidum esse dixerit; ita diluculum alius diem, alius noctem appellare potest: diem appellauit Lucas respiciendo consuetam Domini vigilantiam; contra verò *valde diluculum*, vel *mane noctu valde* appellauit Marcus, respiciendo plerosque hominum, qui post clariorem solis lucem euigilant.

Diluculum vel ad diem, vel ad noctē pertinere potest.

Matutinum primum tēpus orationi tribuendū.

47. His explicatis, Domini exemplo valde di- D luculo ad orandum surgere debemus; ita vt quodammodo nobis cum sole æmulatio quædam sit, ne scilicet ille nobis prior supra nostrum hemisphærium, veluti ad Creatorem salutandum, eique suis radiis obsequendum appareat. Sunt enim sol, & homo aulici cælestis Regis: at inter aulicos dignior vehementer dolet, si indignior ad Regem salutandum prior accedat. Propterea monet Chrysostomus: *Oportet ad gratias Deo agendas solem præuenire; & ante ortum lucis Deum interpellare. Tu autem in Imperatore quidem minimè patiaris, eum, qui est inferior, ante te adorare: nunc autem sole oriente ipse dormis, & cedis primo loco creaturæ; nec omnem creaturam præuenis, nec ei* E *agis gratias.*

In Psal. 5. Solē nostris ad Deum precibus preuenire debemus.

48. Sanctorum preces, & orationes veluti odoriferum liquorem intra aureas phialas asseruatum vidit Ioannes Apostolus Apoc. 5. *Habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Quare cum corporalis mundities poscat, vt primo mane surgentes manus, & faciem abluamus; similiter ad spiritualem mundiciem mundissimo orationis liquore animam primo mane debemus abluere. *Cum surgis, manus, & faciem lauas; animam autem immundam negligis? Nescis, quòd sicut corpus aqua, ita oratione mundatur anima? Laua ergo ante*

Mane sicut aqua facies, ita oratione, & lacrymis anima est abluēda.

corpus animam; multa illi insident vitiorum maculæ; eas expellemus per orationem, ait Chrysostomus: cuius sententia verissima est, præsertim si orationi, pœnitentiæ lacrymæ adiungantur: Quare idem ait: *Spongia peccatorum tuorum lacrymæ tuæ sunt; effunde lacrymas, & poteris ea delere.*

In Psal. 5.
In Psal. 50.

49. Sicut manna Hebræorum corpora in deserto reficiebantur; ita peregrinantes in huius mortalis vitæ exilio Electorum animæ reficiuntur oratione. Porrò pro diuerso vniuscuiusque voto diuersa gratiarum genera orantibus impertit oratio; manna similiter iuxtà diuersa manducantium desiderio, diuersa saporum genera reddebat. Quare de manna ait Sapiens c. 16. *In omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebat, ad voluntatem eorum, qui à te desiderabant.* Sed quod ad manna spectat, quæritur, cur idem cibus, qui ignis calore in densiorea panis tortulas cogebatur, vt dicitur Numer. 11. *Circuibat populus, & colligens illud frangebat mola, siue terebat in mortario; coquens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati*: eidem autem manna solis calore liquefacta evanescebat, vt dicitur Exodi 16. *Colligebant mane singuli quantum sufficere poterat ad vescendum; cumque incaluisset sol, liquefiebat.* Voluit hac mannæ conditione Deus suum populum docere vigilem, ac velocem esse debere ad diuina beneficia accipienda. 2. insinuare voluit orationis. Deumque adorandi aptissimum tempus esse diluculum. Hanc expressam rationem offert Sapiens Sapientiæ 16. dicens: *Quod ab igne non poterat exterminari; statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat: vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Propterea benè monet Ambrosius: *Graue est, si te otiosum in stratis radius solis orientis inuerecundo pudore conueniat; & lux clara ferias somnolentos oculos adhuc torpore depressos: arguis nos tanti temporis spatium sine vllius deuotionis munere, ac sacrificij spiritalis oblatione feriata transmissum. An nescis, ô homo, quòd primitias tui cordis, ac vocis quotidie Deo debeas? Quotidiana tibi messis, quotidianus est fructus. Occurre ergo ad solis ortus, vt te oriens inueniat iam paratum; ac lumina tua madida adhuc sopore mergentia, primus diei fulgor exagitet. In cubiculo meo, in noctibus quæsiui, quem dilexit anima mea, dicit Ecclesia; ideo meruit inuenire; ideo eius gratiam promereri, quia etiam in cubiculo quæsiuit. Quæsiuit in noctibus, propterea copia eius adepta.*

Solem nostris ad Deũ precibus præuenire debemus.
In Psal. 118. Serm. 19.
Cant 3.

50 Sed iuxtà Salomonis, & Ambrosij sententiam, materialem quidem solem, cum ad orandum surgimus, debemus, & possumus præuenire; diuinum verò solem, qui nos ad colloquendum præstolatur, præuenire non possumus: ille enim ait: *Qui mane vigilant ad me, inuenient me*: inuenient proculdubio, cum eos præstolando diuinus sol præueniat: *Vide*, ait Bernardus, *quomodo non solùm de amore suo certum te reddat; sed etiam de sollicitudine sua, quam pro te gerit, si te senserit sollicitum sui. Vigilas tu, vigilat & ille: consurge in nocte in principio vigiliarum, accelera quantum vis; etiam ipsas anticipa vigilias; inuenies eum, non præuenies. Temere in tali negotio, vel prius aliquid tibi tribuis, vel plus; nam ille te magis amat, & ante.*

Deus præueniẽs præstolatur orantes.
Sap. 8.
In Cant. Ser. 69.

51. Dauid Psal. 8. in contemplationem elatus, Dei opera suspiciens ait: *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum; lunam, & stellas, quæ tu fundasti.* Vbi quæritur, quare inter cælestia opera

A de sole mentio nulla fiat; præsertim cum sol præclarissimum Dei opificium inter cœlestia lumina obtineat principatum? Respondet S. Thomas, omissam fuisse solis mentionem propter Gentiles, qui solem summum Deum credebant. Sed contra est, quia ob hanc eamdem rationem solis mentio facienda erat, vt scilicet inter Dei opera numeratus à diuinitate excluderetur. Prætetea si allata ratio reticendum fuisse solem probaret; probaret etiam lunam similiter fuisse reticendam; cum hanc etiam Ethnici vt Deam adorarent. Quod patet ex verbis Iob. 31. *Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè; & osculatus sum manum meam ore meo. Qui adorant, solent deosculari manum suam, quod Iob fecisse se negat,* B ait Hieronymus. Similiter Plinius ait, *Inter adorandum dexteram ad osculum referimus, & totum corpus circumagimus.* Plato etiam ait 10. de legibus: *Oriente sole, & luna, ijsdemque occidentibus in terram inclinationes, & adorationes fiunt Græcorum, omniumque barbarorum.*

Dauid cœlestia opera contẽplando, cur solis non meminerit? Responsio S. Th. non satisfacit.
Gregorius in Psal 2.
Plinius lib. 28. c. 2.

52. Respondetur igitur 2. ad rem nostram ex Folengio, Dauidem ante solis ortum per contemplationem, & orationem ad Deum laudandum surrexisse; ideoque cœli luminaria suspiciendo, solis mentionem omisisse: idque præsertim, vt nobis in nostris ad Deum precibus, ad solem præueniendum exemplo præluceret. Quod si Ethnici manum deosculando orienti soli per obsequium blandiebantur: ij, qui ad diuinum solem adorandum materialem solem præueniunt, C osculi blanditias non desiderent; nam teste Bernardo: *Benignus Deus venientibus ad se totus præobuias, & præcurris; & totus totos deosculatur.* Hæc Domini oscula, hæ cœlestes blanditiæ, vt fidelem animam ante solis ortum ad diuina colloquia educent, efficaciora esse debent, quàm olim erant Milthiadis trophæa ad Themistoclem è somno, vt Athenis noctu perambularet, excitandum.

Dauid noctu orabat.
In Cant. Ser 69.
Deus præuenientes orantibus primum occurrit.

53. Amantium proprium est præ desiderio amicos videndi, tempora numerare; ex quo Ethnicus ille cecinit: *Tempora si numeres, benè quæ numeramus amantes.* Et Iudicum 5. de matre Siseram filium expectante dicitur: *Per fenestram respiciens vlulabat mater eius, & de* D *cænaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus eius? Quare tardauerunt pedes quadrigarum illius?* Similiter Deus tempestiuum tempus, quo fidelem animam in oratione alloquatur; sibique ab ea ob collata beneficia gratiæ referantur, vehementi desiderio expectare videtur; quod si id in tardiorem horam differatur, ingratum omninò Deo est. In hanc culpam incidit Cain, de quo dicitur Gen. 4. *Factum est post multos dies, obtulit Cain ex fructibus terræ. Duplex culpa, vna quòd post multos dies obtulit; altera quòd ex fructibus,* E *non ex primis fructibus; sacrificium autem ex celeritate commendatur, & gratia*, ait Ambrosius. Quare iuxtà Ambrosij monitum, vt sacrificium labiorum nostrorum, scilicet vt nostra oratio grata Deo sit, celeritate est commendanda; ac propterea matutino tempore fieri debet; ita vt Deo diei diluculum, veluti temporis primitiæ offeratur.

Val. Max. lib. 8 c. 15.
Ouidius in Epist.
De Cain & Abele. 17.
Deo per orationẽ diei primitiæ offerendæ.

54. Præcepit Deus Exodi 23. vt ei terræ primitiæ offerrentur: *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui.* In homine, qui terra est, primum germen, quod viuere incipit, iuxtà Plinium, est cor; hoc Domino matutino tempore, antequam creatura aliquid de ipso corde decerpat, est offerendum.

Plinius lib. 10 c. 51. & lib. 11. c. 37.

Cor Deo per orationē diluculò offerendū. *Cap. 39.*

Id Ecclesiastici, & Ecclesiæ testimonio iustus exequitur: *Iustus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum; & in conspectu Altissimi deprecabitur.* Proprio autem titulo, qui id præstat, *Iustus* nominatur; ex iustitia enim homo suum cor Deo diluculo, hoc est citissimè offerre debet; cum Deus similiter diluculo suum diuinum cor homini obtulerit, vt testatur S. Iob: *Quid apponis erga hominem cor tuum? Visitas eum diluculo.* Cor, quod erga homines Deus apposuit, hoc est in humani generis beneficium exhibuit, est *Vnigenitus Dei, qui est in sinu Patris.* Hoc suum cor, suum Vnigenitum diluculo nobis è cœlo misit æternus Pater iuxtà vaticinium Oseæ 6. de Christi aduentu: *Quasi diluculum preparatus est egressus eius; & veniet quasi* B *imber nobis temporaneus.* Appositè ad id quod dicimus, Bernardus ait: *Nihil dignius cogitari potest, quàm cor ad eum referre; qui, vt viueret, mori voluit: nam & iustus cor suum tradidit ad Dominum, qui fecit illum. Vigilatio cordis iusta, & cogitatio eius iusta est; vt meditetur assiduè, quid acceperit in bonis natura, quid in bonis gratia; quid in Dei filio pro nobis humanato, passo, mortuo.*

Iob. c. 7.

Ioan. c. 2.

Ep. ad quidam, quod à nobis requirat Deus.

55. Hostis noster diabolus cum ex superbia Dei sit æmulator, ipse etiam suis sub Idolis matutino tempore preces, & adorationem ab hominibus habere contendit. Herodotus lib. 1. refert ea Gentilibus solenne Magis Persis fuisse, vt primo semper diluculo suis idolis hymnos, & C laudes dicerent. Alexander Seuerus Imperator à Mammæa matre edoctus mane in larario suo rem diuinam fecisse testatur ex Lampridio Sidonius. Et Apollonius Thyanæus suos sectatores monebat: *Adueniente aurora cum dijs esse versandum.* Tunc quidem maximè erubuisse decebat auroram; quando, quæmuis inuita, ad impias preces homines excitabat. Meritò Clemens Romanus lib. x. constit. c. 64. desidiam exprobrat Christianis. *Quomodo non hostis Dei habendus est is, qui in temporalibus diu, noctuque est occupatus; æterna verò contemnit? Ac balnea quidem, & caducum cibum quotidie frequentat; quæ verò perpetuò manent, non curat? Si gentes quotidie ex-* D *citatæ concurrunt ad idola, vt illa venerentur; & prius quàm opus, actionemue aliquam instituant, illis supplicant; & à festis, celebritatibusque eorum se non subducunt; sed in ijs sunt intenti, non solùm indigenæ, sed etiam qui longè absunt; atque in theatra, tanquam in Synagogas conueniunt. Si igitur, qui non saluamur, in ijs, quæ sine fructu faciunt, sunt assidui; tu qua excusatione vteris cum Deo, qui Ecclesiam Dei derelinquis, nec gentes imitatis; sed id eò derelinquis; vel quia te das ignauiæ, vel quia deficere cogitas, vel alicui malo studes. Quibus dicit Dominus per Ieremiam: Iustitias meas non custodistis; sed neque secundùm iustitias Gentium ambulastis; paulominus & superastis illos.*

Ethnici diluculo suis dijs laudes, & hymnos canebant. *Sidonius l. 1. Ep 2.* *Philostratus l. 1. c. 12.*

Hæc sententia est apud Ezechielem c 11.

56. Hoc tamen piis fidelibus in primitiua E Ecclesia exprobrari non poterat: *Plinius secundus,* inquit Tertullianus, *cum prouinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis; ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, consuluit tunc Traianum Imperatorem allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacris illorum reperisse, quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo, & Deo; & ad confœderandam disciplinam: homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera scelera prohibentes. Tunc Traianus rescripsit hoc genus inquirendos quidem non esse; oblatos verò puniri oportere,*

Apolog. c 2. Plinii egregiū de primis Christianis testimonium. *l. 10. Ep. 57.*

A Maius quidem ex iuulotis hoc Plinii quæsito, & Traiani responso monstrum referri cernimus; quàm in sua naturali historia à seniore Plinio relatum sit. Quid enim monstrosum magis audiri potest, quàm Traiani sententia, & imperium? Simul ex eiusdem rescripto Christiana innocentia declaratur, & damnatur: *Negat,* inquit Tertullianus, *inquirendos, vt innocentes; & mandat puniri, vt nocentes: Parcit, & sæuit.* Profectò cum Moyse de fidelium innocentia dicere possumus: *Inimici nostri sunt iudices.* Quàm benè antelucanis horis surgens fidelis, Christianam disciplinam confœderans, prohibens homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera scelera, dicere poterat cum Dauide: *In* B *matutino interficiebam omnes peccatores terræ,* idest dæmones ad peccata contra Dei legem instigantes, vt explicant Origenes, & Hugo.

Deut. 32. v. 31.

Psal. 100. *Origenes Hom. 8. in Iesue.*

57. Matutinum tempus Deo sacrum, sacrilegè violare enixe diabolus contendit. Quare benè aduertit Hugo matutino tempore prauis suggestionibus acrius, & frequentius in homines inuehi dæmones; ita vt propterea dixerit Michæas: *Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum.* Manus eorum contra Deum est, cum non auscultent Psalmistæ monenti: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Cùm C primùm à somno surgimus, veluti fores nostrorum sensuum antea occlusæ reserantur: propterea vigilat diabolus, vt tunc temporis in animæ arcem per prauas suggestiones irrumpat: quare opponenda matutina oratio est, vt veluti custos à sensuum, animæque aditu diabolum inuasorem excludat. Id insinuare voluit S Ephrem tom. 1. de orando Deo dicens: *Si orationem operi præmiseris; & surgens è lecto primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit.*

Matutinum tēpus prauis suggestionibus polluere dæmones contendunt. *in Psal. 100. v. 8.* *Cap. 2.* *Psal. 133.*

Mane, cum sensuum fores reserantur, diabolo aditus oratione est prohibēdus.

58. Diaboli dominium, *potestas tenebrarum* dicitur Lucæ 22. hinc est, vt quammaximè doleat diabolus, quòd ante solis ortum ipso tene- D brarum tempore ad Deum laudandum, ad ipsum diabolum debellandum fidelis anima surgat. Victoria, quam matutina oratione de diabolo iustus reportat, præfigurata est teste Hugone per victoriam Israëlitarum contra Pharaonem, & in Ægyptios, de qua dicitur Exodi 14: *Iam aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum.* Ignis, & nubis columna matutina oratio est, qua simul illuminamus, & gratiæ rore perfundimur: per hanc columnam nos Deus alloquitur: *In columna nubis loquebatur ad eos.*

Oratio ante solis ortum cur maximè diabolum cruciet?

Hugo in Psal. 100.

Psal 98.

59. Apud Iob cap. 38. vers. 36. dicitur: *Quis dedit gallo intelligentiam?* Quæritur hic ab inter- E pretibus quænam tanta sit galli intelligentia, vt hic per admirationem celebrari videatur? Pro responsione esse potest, quod S. Gregorius aduertit: *Gallus profundioribus horis noctis valentiores, ac productiores edere cantus solet; cum verò matutinum iam tempus appropinquat, leniores, & minutiores omnimodò voces format.* Gallus igitur quasi prioribus vocibus excitat dormientes; posterioribus inuitat iam expergefactos ad matutinam orationem Deo fundendam; quem iam ipse suauiore voce laudat, ac suo modulo veneratur. Huic sententiæ concinit Ambrosius in hymnis dicens: *Gallus iacentes excitat, & somnolentos increpat.* Sed humilius motiuum si gallorum inui-

Galli intelligentiā cur Iob celebret? *lib 30. mor. c 7.*

tamento ad Deum diluculo adorandum excitari. Angelos potiùs in hoc imitatores nobis proponamus iuxtà Basilij sententiam: *Ecquid beatius, quàm hominem in terra concentum Angelorum imitari? Ineunte statim die in orationes ire? In hymnis, & canticis creatorem venerari? Exinde sole iam delucescente conuerte ad opera, nusquam sine oratione? Denique canticis tamquam sale condire actiones.*

Ep. 2. ad Gregor.

Opera piis precibus, tanquã sale, sunt condienda

Benè sali preces comparantur; nisi enim illis humanæ operationes à corruptione præseruentur, facilè marcescunt, & in vitia degenerant. Idem Basilius in regulis fusius disputatis resp. 37. ait: *Matutinum tempus deligitur, vt primi animi, ac mentis nostræ motus consecrentur Deo; neque vllius rei cura ante aditum ad nos demus; quam nos in cogitatione Dei oblectauerimus, sicut scriptum est: Memor fui Dei, & delectatus sum. Neque prius corpus ad functionem muneris alicuius moueamus; quàm illud fecerimus, quod dictum est: Orabo ad te, Domine: mane exaudies orationem meam: mane adstabo tibi.* Mirum est, quàm frequenter Dauid in hanc sententiam loquatur. Psal. 62. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Ibidem: *In matutinis meditabor in te.* Psal. 91. *Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* Psal. 118. vers. 147. vers. 148. *Præueni in maturitate, & clamaui. Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Propterea de fideli anima Psal. 45. dicitur: *Adiuuabit eam Deus mane diluculo.* Denique ad religiosos viros Dauidis cohortatio est Psal. 133. *In noctibus extollite manus vestras in Sancta, & benedicite Dominum.*

Matutina oratio sequentia diei opera præcedere debet.
Psal. 76.
Psal. 5.
Psal. 45.

Ibat in desertum locum.

60 DEsertum ad orandum Dominus adijt testante Marco cap. 1. *Abijt in desertum locum, ibique orabat.* Sicut antea miraculis, sic postea orando ad Patrem se Dominus Dei filium esse probauit. Enos, qui ex Genesi 4. *cœpit inuocare nomen Domini*, adeoque primus orandi Magister fuit; nominatus est Deus, vt testatur Cyrillus Alexandrinus. Ex quo patet quàm præclarum, & eximium sit orandi exercitium, cum diuinum quid meritò videatur. Centurio Christum Dominum, quem viuum non cognouit, statim post mortem Dei filium esse confessus est. Cuius tam inopinatæ confessionis rationem reddit Marcus 15. *Videns Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat.* Ex tali igitur Redemptoris clamore præclara Centurionis confessio prouenit. Qualis autem fuerit iste clamor Centurionem ad hominem Deum esse cognoscendum illuminans, explicat S. Paulus ad Hebr. 5. loquens de Christo: *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* Clamor igitur precibus, supplicationibus, & lacrymis mixtus diuinitatem in crucifixo homine inesse ostenderunt; adeo diuina res est feruens oratio. Porrò orantis Christi lacrymæ, & aqua, quæ ex eiusdem latere fluxit, certatim miracula prodiderunt, nam iuxtà Greg. Nazianz. aqua sanguine mixta ex aperto Domini latere profluens Longinum militem, & mente, & oculis caligantem illuminasse dicitur: orantis autem Christi lacrymæ spiritualem Centurionis illuminationem meruerunt. Quæ Centurionis illuminatio maior omninò fuit, quàm Bethleemitarum pastorum: illi quidem Redemptorem Infantem in præsepi vagientem venerati sunt; Centurio verò in cruce lacrymantem Deum esse confessus est.

Enos primus orandi Magister appellatus est Deus.
Aduersus Iulian. l. 9.
Diuina res feruens oratio est.

Iuxta S. Ambrosiũ.

Christi lacrymæ, eiusque aqua è latere fluẽs, certatim miracula ediderunt.
Nazianz. de Christo patiente.
S. Antoninus 1. hist. tit. 5. c. 7.

61. Præterea Domini exemplo solitaria loca ad orandum eligere docemur, testante Marco c. 1. *Abijt in desertum locum, ibique orabat.* Similiter Lucæ 6. de Domino dicitur: *Exijt in montem orare.* Tobiæ 8. dicitur: *Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illum in deserto.* Scilicet per hominum turbas solutus dæmon discurrit, & uagatur, *& circuit quærens quem deuoret*: in solitudine verò ne piorum virorum orationes turbare possit, religatus detinetur.

Ludolphus Saxonia 2. part. c. 69.
Marianus lib. festorum dierum.
Solitudo ad orandum eligenda.
Dæmon in solitudine vinctus, inter hominũ turbas solutus.
1. Petri c. 5.

62. Christus Dominus ardenter humanum genus inuisere, hominibusque se in humana natura ostendere cupiuit propter eorumdem redemptionem; ad celeritatem enim significandam de Redemptore è cœlo ad homines descendente dicitur non quolibet, sed gigantis cursu iter accelerasse: Psal 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam; à summo cœlo egressio eius.* Quæritur igitur, cur Dominus nouem menses in materno vtero latere voluerit, antequam ad homines prodiret; cum posset eo modo, quo circa sanctissimi corporis efformationem factum erat, consuetum tempus anticipare? Respondet Ludouicus de Ponte vir sanè pietate, & sacrarum litterarum interpretatione eximius, nouem menses se Dominum in Virgineo matris vtero detinuisse studio orationis, & solitudinis. Sanctissimus enim Virginis vterus, *hortus conclusus* erat, vt dicitur Cantic. 4. hunc hortum procul ab omni strepitu ad contemplationem Dominus elegit; & intra purissima matris viscera primum sibi orandi sacrarium excitauit.

Medit. de expect. partus.
Maternus vterus Domino ad orandum secretum sacrariũ fuit.

63. Quare Psal. 21. quem quidem Psalmum, temerarium esset negare intelligi de Christo, vt sanctus Augustinus, Eusebius, Bellarminus, & alii docent; hoc, inquam, Psalmo ita æternum Patrem Christus alloquitur: *Tu es, qui extraxisti me de ventre.* Vox illa *extraxisti* vim quamdam denotat, & resistentiam; quod expressius Tertullianus insonat, legens citatum locum: *Tu es, qui auulsisti me ex vtero matris meæ.* At Christus Dominus ex inuiolata Virginis aluo nulla prorsus resistentia prodiit. *Sicut fluxerunt aquæ de petra, ita Christus de Virginis vtero prodijt*, ait Ambrosius. Cur igitur inde extractus, inde auulsus potius dicitur; quàm eductus? Scilicet, vt significaretur quanta propensione, & gaudio intra purissima matris viscera sanctus infans orationis, & solitudinis studio procul ab humano strepitu detinebatur. Quare quod post adultam ætatem fecisse Dominus legitur Matth. 14 *Ascendit in montem solus orare*; hoc idem ipso vitæ initio fecit; scilicet in materno vtero, veluti in edito monte procul è tumultu orationi vacauit. Montis enim nomine Deipara appellatur ab Isaia c. 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium; & eleuabitur super omnes colles.* Deipara enim editissimus mons supra montium verticem fuit; eò quod eius sanctitas sanctorum omnium, Angelorumque sanctitatem supergressa est. *Beata Virgo meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erexit*, ait Gregor. explicans citatum Isaiæ locum.

lib. 1. de carne Christi.
Ambros. Ep. 81.
Materno ex vtero cur auulsus Christus Dominus dicitur?
Beata Virgo cur môtis nomine appellatur?
Iud. 1. Reg. c. 1.

64 Præterea iuxtà Ambrosium admirantium Angelorum verba sunt illa Cantic. vlt. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* Mirum quidem videri debet, quo pacto anima iusti per orandi exercitium

Ambrosius l. 4. de sac. c. 2.

eò

eò dignitatis peruenerit, vt innixa super dilectum suum, idest magna diuini sponsi familiaritate dignata deliciis affluat, hoc est iuxtà Greg. orando *ad cœlestia gaudia mente, & cogitationibus tendat; ac sanctæ Scripturæ meditationibus intendens, cœlesti pabulo assiduè mentem pascat, & ad superna quotidie contemplanda sublenetur.* Sed huius tantæ felicitatis ibidem redditur ratio; quia nimirùm fidelis anima ad orandum, solitudinem, & desertum elegerat. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum?*

Greg. lib. 16. Mor. cap. 9. Solitudo spiritualibus deliciis affluit.

65. Magna quidem connexio est orationis, & solitudinis, ad quam connexionem indicandam similiter Cantic. 3. dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi?* Vbi fidelis anima fumi virgulæ assimilari dicitur propter feruens orandi exercitium. *Pia anima*, ait hoc in loco Gregor. *quasi thuribulum cor suum coram Deo efficit; in quo dum per dilectionem virtutes congregat, quasi carbones in thuribulo coaptat; in quo seipsam coram Deo igne charitatis accendat; dumque feruentes ad Deum orationes emittit, quasi fumum aromatum ex thuribulo adducit.*

Orationis, & solitudinis connexio.

Orantis cor velut thuribulum.

66. Sanctæ puellæ Esther in sacra historia virtutes plurimæ celebrantur; sed eas inter, solitariæ vitæ virtus mirificè excellit. Cum enim in Assueri regis coniugium esset electa, *qui super centum viginti septem prouincias regnabat*; atque adeo cum plurimorum assecIarum obsequio; ac frequentia perpetuò stipari posset; aulicæ frequentiæ solitariam vitam ad impetrandum, quod à Deo sua in oratione flagitabat, omissis aliis omnibus præponere voluit, satis gnara, quàm gratæ Deo forent preces in solitudine oblatæ. Quare sic ad Deum orasse legitur: *Domine mi, qui rex noster es solus, adiuua me solitariam; & cuius, præter te, nullus est auxiliator alius.* Vbi non solùm solitariam se dixit, hoc est humano auxilio destitutam; sed etiam iuxtà Hugonem Cardin. solitariam se vocauit in eo sensu, quo de iusto locutus est Ieremias: *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit super se.*

Esther Reginæ eximium orationis, & solitudinis studium.

Esther c. 1.

Cap. 14.

Thren. c. 3.

67. In parabola à Redemptore proposita Lucæ 15. de eo, *qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat;* Quæritur quid per ouem amissam, quid per oues nonaginta nouem relictas; quid per desertum, in quo relinquuntur, intelligatur? Antiquiores Patres per amissam ouem, humanam naturam; per nonaginta nouem oues relictas, Angelos intelligunt. Ita Origenes hom. 7. in Iosue, Irenæus lib. 3. cap. 21. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 15. & Ambrosius in Apologia Dauidis. Ex qua sententia infertur deserti nomine cœlum significari. Theophylactus *Hominem*, inquit, *errantem requisiuit pastor bonus relictis nonaginta nouem in solitudine, hoc est in superno loco cœlesti: solitudo enim est cœlum, & ab omni humano tumultu sequestratum, plenumque omni tranquillitate, ac pace.* In terris igitur Redemptor noster opportunius vocabulum, aptiorem titulum non inuenit, quem cœlo tribueret, quam deserti, & solitudinis nomen; nimirum, quia vtrobique propter tranquillitatem, & pacem; propter remotionem ab omni strepitu, ac tumultu ad orandum, diuinamque bonitatem contemplandam, & laudandam aptissimus locus reperitur. Quare ob pacis, & tranquillitatis similitudinem mutua quædam nominum communicatio inter cœlum, ac solitarium locum videtur esse: ita vt, sicut cœlum vocatur desertum, vt supra vidimus; sic ipsum desertum vicissim cœlum dicatur. S. Hieronymus ad Rusticum: *Mihi*, inquit, *oppidum carcer, solitudo est Paradisus.* Idem ad Marcellam de laudibus solitariæ Virginis loquens ait: *Vnius cellula clausa angustijs latitudine Paradisi fruebatur.*

Luca 15.

Cœlum cur appelletur desertum, & vicissim desertum cur appelletur cœlum?

Epist. 15.

68. Sed si mirum sit cœlum multorum millium Angelorum frequentia celebratum vocari desertum; mirum magis esse debet Beatam Virginem deserti similiter nomine appellari. E B. Virgine fructus ille prodiit, de quo dictum est Lucæ 1. *Benedictus fructus ventris tui*: præterea Deiparæ anima perenni gratiarum vbertate fuit irrigata: ex Bernardo enim, sicut congregationes aquarum appellantur maria, ita congregationes gratiarum appellantur Maria: at è contrario cum desertum sterile sit, & inaquosum, profectò deserti nomen Beatam Virginem dedecere omnino videtur. Nihilominus deserti nomine Deiparam vocauit Oseas cap. 13. de æterni Verbi incarnatione vaticinans: *Adducet vrentem ventum Dominus de deserto ascendentem.* Vbi S. Hieronymus ait: *Ventum vrentem, quem adducet Dominus de deserto ascendentem, illum intelligamus, de quo in Habacuc legimus: Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan. Desertum intelligamus sanctæ Mariæ vterum virginalem.* Tribuitur autem deserti nomen non incongruè B. Virgini, ob eximium solitudinis studium; de ea enim ait Ambrosius: *Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret; solus Angelus reperiret; sola sine comite, sola sine teste.* Sacrum hoc desertum ipso vitæ initio adorandum Christus Dominus elegit; ibique nouem mensium spatium tranquilla contemplatione peregit.

B. Mariæ vterus cur appelletur desertum?

Li. 2 in Luc. initio.

69. In oratione anima Deum ad se vocat; cum eoque familiariter colloquitur. *S. Baptista ab infantia*, teste Origene, *vacabat orationibus, appellabatque Deum, & illum audiebat respondentem, atque dicentem: Ecce adsum.* Tam amicè cum Deo versatus est Ioannes, quia, vt idem Origenes ait: *Recessit fugiens tumultum vrbium, populi frequentiam, vicinia ciuitatum; & abijt in deserta, vbi purior aer, & cœlum apertius, & familiarior Deus. Sicut enim Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei; sic puto, quòd Ioannes locutus fuerit in deserto, & Dominus responderit ei.* Subdit idem Origenes: *Moysi respondit Deus, consequenter respondit & Ioanni, qui maior Moyse fuit, quia est nutritus in Eremo.* Vbi notandum est, vel ex eo motiuo præferri Moysi Ioannem, quòd Moyses in Pharaonis Regia, Ioannes in deserto fuerit educatus: in Regia enim terrenæ deliciæ; in solitudine verò deliciæ cœlestes habentur. Quare si quæratur quo pacto sancti viri ad tantam cum Deo familiaritatem peruenerint; ita vt de Moyse, atque adeo de Ioanne Baptista dictum sit: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem; sicut solet loqui homo ad amicum suum?* Respondetur id consecutos esse oratione, ac solitudine: propterea *eremus familiarius Deo gaudens* à S. Hieronymo dicitur. De Moyse cum Deo familiariter collocuturo dicitur: *Tollens tabernaculum tetendit extra castra procul*: & Exodi 34. cum Moysa collocuturus Deus eidem præcipit: *Esto paratus mane, vt ascendas statim montem Sinai; stabisque*

Hom. 11. in Lucam.

Familiaritas magna cum Deo in solitudine.

Ioannes Baptista cur Moysi præferatur?

Exod. 33.

Hieronymus ad Heliodor.

Exodi 30.

mecum super verticem montis; nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam super verticem montis. De Ioanne Baptista verò dicitur Lucæ 1. *Puer crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis.* Deo igitur, cùm suos amicos orantes visitat, in solitudine paranda est via iuxtà Isaiæ monitum cap. 40. *Parate viam Domini; rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Cur autem in solitudine, & non alibi paranda Deo sit via, reddit rationem Bernardus serm. 40. in Cant. *O sancta anima, sola esto; vt soli omnium serues teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos; secede ab amicis, & ab intimis, & ab illo, qui tibi ministrat. An nescis verecundum te habere sponsum; & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris?* Simillima est B. Laurentij Iustiniani sententia in ligno vitæ de orat. cap. 5. *O anima, quæ per orationem, & contemplationem Deo vacare decreuisti, esto sola; hominum consortia fuge; tumultuosas mortalium conuersationes deuita; vt illi soli te solam serues, quem ex omnibus elegisti. Sponsus enim tuus amator est verecundus; & non vult sponsa sua sua secreta reuelare in publico.*

Solitudo eius locus sit, vbi Deo paranda est via?

Orantis solitudinẽ cur adeo Deus expetat, hîc, & num. sequenti.

70. Est præterea & alia ratio, cur Deus suis in amicis solitudinis amorem expetat; nimirum vt cælestis Ierosolymæ ruinam ex Angelorum peccato prouenientem reparet. De cælesti Ierosolyma dicitur Apoc. 21. *Erat structura muri eius ex lapide Iaspide. Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata.* Si quæratur pretiosos istos lapides ad cælestis Ierosolymæ structuram vnde diuinus Architectus desumpserit? Respondetur è solitudinibus, & desertis terræ locis tam pretiosos lapides esse desumptos. Id luculento testimonio asserit Hieronymus ad Heliodorum dicens: *O solitudo, in qua magni illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas magni Regis ædificatur.* Comprobat Hieronymi testimonium Apostolus 11. ad Heb. de sanctis viris ad cælestis Ierosolymæ ruinam reparandam electis dicens: *In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* Hi profectò lapides sunt, de quibus Ecclesia canit, *Tunsionibus, pressuris expoliti lapides. suis coaptantur locis per manus artificis; disponuntur permansuri sacris ædificijs.*

Solitudo lapides ad cæleste ædificium exhibet.

71. In huiusmodi solitudinibus solumne lapides reperiuntur? Immo etiam lectissimi flores. Fidelis anima Christi sponsa cum per silentium à terrenis tumultibus in solitudinem secedit, illius pectus, *thalamum, in quo supernus sponsus delectabiliter requiescit*, vocat B. Petrus Damiani. Propterea fidelem hanc animam hortatur Ecclesia: *Adorna thalamum tuum Sion.* Quibus ornamentis cælestis sponsi thalamus est exornandus? Profectò virtutum floribus; sic enim Dei sponsa dicere poterit: *Lectulus noster floridus.* Sed vnde huiusmodi flores decerpere possumus? è solitudine: nam *Exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. O desertum Christi floribus vernans*, exclamat Hieronymus ad Heliodorum: *Mens, quæ sponsum suum Christum amat; in quantum potest ab omnibus sollicitudinibus mundi vacat; virtutes, quibus sponso suo placeat, intus accumulat*, ait Gregor. explicans quo pacto cælestis sponsæ lectulus floridus fiat.

Flores, quibus cælestis sponsi thalamus exornatur, è solitudine sunt desumendi.

Ephes. 13.

Cant. 1.

Isa. 35.

In Cant. cap. 1.

72. In sancta, de qua loquimur, solitudine præter flores, sunt etiam lectissimæ arbores. Bernardus in illud Ieremiæ Thren. 3. *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit super se*, ait: *Leuauit se super se, quia non respicit ad se; sed ad illum, qui est super se: sedebit enim, & tacebit etiam modo à strepitu diabolicarum suggestionum, à strepitu carnalium desideriorum, à strepitu mundi: Felix anima, quæ linguas illas non exaudit.* Eua vna cum coniuge à paradiso eiecta est, eo quòd à paradisi solitudine recedens, colloquendo cum serpente, non recesserit à strepitu diabolicarum suggestionum; quibus persuasum illi fuit, vt diuinam scientiam acquireret per vetitam arborem scientiæ boni, & mali. Si hoc sciendi desiderio veluti hæreditaria cupiditate vigemur; in solitudine per orationem arbores non vetitas reperiemus, quibus cælestem scientiam comparare possumus: *Experto crede*, ait Bernardus, *aliquid plus inuenies in syluis, quàm in libris. Ligna, & lapides docebunt te, quod à magistris audire non possis.*

Serm. 1. de SS. Petro, & Paulo.

Gen. 3.

Solitudo cælestis scientiæ arborem habet.

In Epist.

73. Vt autem è solitudinis arboribus ad eiusdem poma, fructusque veniamus. Cantic. 7. Sponsa de sanctis suis inspirationibus, quæ omnes bonorum operum fructus eduxerant, mysticè loquitur: *Omnia poma noua, & vetera, Dilecte mi, seruaui tibi.* Vbi quæritur quomodo sponsa tam fœlix fuerit, vt poma omnia seruauerit, nullumque amiserit, nullum ante maturitatem excideriṫ; nullum à furibus fuerit ei subreptum? Quia scilicet sponsæ anima intra solitudinis claustra ab hominum turba, atque adeo à prædatoribus se muniebat, testante sponso: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus.* De fœcundissimo hoc solitudinis horto ait Basilius: *Est paradisus deliciarum; vbi tamquam redolentium species pigmentorum, vel rutilantes flores aromatum, sic fragrantia spirant odoramenta virtutum. Ibi rosa charitatis igneo rubore flammescunt. Ibi lilia castitatis niueo candore candescunt: cum quibus etiam humilitatis viola, dum imis contenta sunt, nullis flatibus impelluntur. Ibi myrrha perfecta mortificationis, non solùm carnis; sed quod gloriosius est, propriæ voluntatis exundat: & thus assidua orationis indesinenter emanat; & igne diuini amoris suauiter ardet. Cur singula commemorem, quandoquidem omnia illic diuersarum virtutum germina diuersi venusta coloribus rutilant; & perpetuæ viriditatis gratia incomparabiliter vernant?*

Solitudo quæ poma, quæ germina educat?

Cant. 4.

Basil. opusc. de laud. vitæ solitariæ.

74. Matth. 21. de Domino dicitur: *Videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantùm; & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & arefacta est continuè ficulnea.* Vbi quæritur, cur Dominus arborem illam arefecerit; cum id postridie Dominicæ palmarum paulò ante Domini passionem, & consequenter mense Martio contigerit; tali autem tempore non erat cur ab arbore illa fructus Dominus exigeret? Quod apertissimè significauit S. Marcus c. 11. dicens: *Non erat tempus ficorum.* Respondent communiter S.S. Patres, sacrique interpretes, Dominum arborem illam, vt infructuosæ Iudaicæ Synagogæ figuram proposuisse, ideoque aridam reddidisse. *Arbori habenti non fructum, sed folia maledixit; ad innuendum, quòd sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi non veritatem, sed apparentiam sanctitatis habentes, essent diuinitus maledicendi*, ait Carthusianus. Resp. 2. maledixisse Dominum arborem illam, eò quod secus viam esset; ideoque tum ob inculti soli duritiem, tum quòd viatoribus esset exposita, neque suo tempore fructus agricolæ datura esset. Hinc autem docemur ad vitandam Domini maledictionem, & in spiritu culpabilem ariditatem, à via, hoc est ab hominum turba

Fici arborẽ cur Dominus aridam reddiderit?

esse recedendum. Ideo bene Chrysostomus: *Sicut difficile est arborem iuxtà viam plantatam fructus vsque ad maturitatem seruare: sic difficile est virum in medio turbarum seculi innocentiam vsque ad finem seruare.*

75. Cum sponsam cœlestis sponsus *hortum conclusum* vocasset; addit prætetea *Fontem esse signatum*, hoc est benè obseratum. Quomodo autem animæ fons sit obserandus, & quid vtilitatis hoc illi afferat, egregiè explicat B. Petrus Damiani Ep. 130. *Solitarius planè dum tacet, se eleuat super se; quia mens humana, dum intra silentij claustra vndique circumcluditur, in superiora sublimis erigitur, ad Deum per cœleste desiderium rapitur, & in amore eius per ardorem spiritus inflammatur: & tamquam fons viuus, dum per verborum circulos fluere hinc inde non sinitur, vndis excrescentibus in altiora cumulatur.*

Solitudinis, & silentii studium animã ad Deũ eleuat.

76. Porrò solitudinem ab humano consortio ad tempus diuidi, quantùm iuuet, etiam vt circa proximorum salutem efficacius deinde proficiamus, citato Cantic. textu ostenditur. Vbi cœlesti sponsæ cum dictum esset: *Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus;* statim subditur: *Emissiones tuæ Paradisus.* Hinc benè Rupertus Deiparam alloquens ait: *Mirum, quòd cum ita sis hortus conclusus, ita fons signatus; nihilominus, immo & eo amplius, emittis omnia bona, quibus mundus impleatur, & emissiones tuæ Paradisus.* Verumtamen quæri potest, quo pacto solitudinis amor Apostolicis viris, qui in proximorum auxilium incumbunt, conuenire possit? Consuetudine enim, & frequentibus colloquiis proximi iuuantur, non absentia, & solitudine. Respondetur ex S. Gregorio, qui explicans Dauidis verba ps. 54. *Elongaui fugiens; & mansi in solitudine*, ait: *Neque rex potentissimus, qui tot millibus populorum præerat in solitudine habitabat. Habitabat autem in solitudine cordis sui, in qua nullos hostium spiritalium impetus, nullos peruersarum cogitationum strepitus, nullos patiebatur inquietos clamoris tumultus.* Hanc Dauidis solitudinem habere Apostolicus vir debet, cum ad proximorum salutem ab hominum frequentia recedere ei non licet: Sic enim in vrbe degens non erit in vrbe. Nam, vt idem Gregorius ait: *Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Qui enim corpore remotus viuit; sed tumultibus conuersationis humanæ, terrenorum desideriorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine. Si verò prematur aliquis corporalibus turbis, & tamen nullos curarum secularium tumultus in corde patiatur, non est in vrbe.* Similiter Chrysostomus hom in Psal. 4. *Vnde existimas eos, qui deserta incoluerunt, admirabiles, & claros euadere? Non quòd strepitus, & fora fugiunt; nec quòd longè à fumo, qui est in medio, se collocarent. Eos ipse quoque imitare, in media ciuitate solitudinem persequens. Quomodo autem hoc erit? Si fugias improbos, & si bonos sequaris. Ita enim maiorem percipies securitatem, quàm qui in desertis habitant; non solùm in ijs fugiendis, qui lædunt; sed etiam in communicando cum ijs, qui prosunt.* Sed si iuxtà Chrysostomum, vt animæ proficuam solitudinem assequamur, improbi sunt fugiendi; quis erit, qui peccatores ad pœnitentiam reuocet? Respondeo improbos esse fugiendos, ne eos imitemur; non autem ne eos moneamus. 2. qui malum fugat, malos etiam fugere dici potest iuxta animi propensionem: si enim malorum, vt talium, consuetudine oblectaretur; ab eis peccati malitiam fugere non contenderet. 3. iuxtà Chrysostomum ij fugiendi sunt, qui lædunt: peccatores autem peccati veneno lædere nequeunt, si ad eos quispiam charitatis antidoto munitus accedat.

Solitudinis studium etiã ad proximorũ salutem iuuat.

In Psalm. 6.

Solitudo cordis quomodo in hominum frequentia est seruanda.

30. Mor. c. 11. vel 23.

Charitatis antidoto inter peccatores cõmoratus munitur, ne peccati veneno inficiatur.

77. Prætetea quo pacto proximorum profectus cum solitudine sit coniungendus, egregiè habetur ex ps. 79. vbi dicitur: *Vineam de Ægypto transtulisti: operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei.* Vineæ nomine hic mysticè significatur Religiosorum congregatio: *Vinea est electa Religio, quam transtulit Dominus de Ægypto, idest de mundo*, ait Hugo Cardin. Rursus vineæ nomine ij hoc in loco Religiosi significantur, qui proximorum profectui student. Nam huius vineæ arbusta cedros Dei operire dicuntur: *Cedri*, inquit Hugo, *sunt viri sublimes, qui vincuntur, & superantur per humilem prædicationem.* Hac posita intelligentia, dubitatio insurgit: si vinea hæc tàm latè patere dicitur, vt *extendat palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius, & operiat montes vmbra eius*: cur vineam eamdem maceria, vt ea circumdetur, indigere legimus? *Vt quid destruxisti maceriam eius?* scilicet ad significandum Apostolicos viros, quamuis ad proximos iuuandos sæpius se effundant; nihilominus statutis tēporibus intra sacrorum domiciliorum septa coarctare se debere; solitudinemque, & à turbis secessum illis esse exoptandum; vt propterea Apostolica vinea maceriæ indigeat, intra quam opportuno tempore suos palmites, ramosque contineat. Quod si talis maceria remoueatur, statim vinea hæc mystica dæmonis deprædationi fit obnoxia: *singularis ferus depastus est eam.* Singularis in sacris litteris solitarium significat: nam Marci 4. de Redemptore dicitur: *cum esset singularis*, hoc est solitarius seorsum à turbis; *interrogauerunt eum hi, qui cum eo erant duodecim parabolam*: Cur igitur dæmon, qui inter turbas, & tumultus prauas suas suggestiones ingerit, dicitur solitarius? sæpè Duces à deuictis prouinciis & deuastatis, sibi cognomentum acquirunt. Romanus Metellus à Numidia deuicta ac deuastata, Numidicus, & Scipio Africanus ab Africa dictus est. Similiter dæmon religiosos viros, qui solitarii, semotique à sæculari turba esse debent, quia mirum in modum oppugnat, & interdum debellat, solitarius dicitur: huius solitarii dæmonis præda fit, cùm anima debitæ custodiæ maceria remota, frequentius, quàm par est, in turbas, humanosque tumultus se immiscet.

Apostolicis viris, postquam proximorũ saluti vacarint, solitudo est repetenda.

Dæmon cur feras singularis, hoc est solitarius dicatur.

78. Viri Apostolici, qui in proximorum salutem incumbunt, vt suum munus plurimo animarum fructu exequantur, ea hominibus verba referre debent, quæ antea ipsi à Deo audierint. Quare Ieremiæ dictum à Deo est: *Ecce dedi verba in ore tuo; loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi. Audies ex ore meo verbum, & annunciabis eis ex me.* Idem Ezechieli dictum est cap. 1. Et ipse Redemptor æterno Patri ait Ioann. 17. *Verba, quæ dedisti mihi, dedi eis.* Sed Dei verba vbi audienda sunt? In recessu ab hominum consortio semoto. Ideo de fideli anima Deus Oseæ 2. ait: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Benè ergo monet S. Bernardus Ep. 107. *Voci Dei tui dulciori super mel, & fauum, si preparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem; vt expedito, & vacante interno sensu dicas & tu cum Samuele: Loquere Domine, quia audit seruus tuus: Vox hæc non sonat in foro, sed nec auditur in publico. Secretum consilium, secretum quærit auditum.*

Apostolici viri, quę à Deo audierint, populo referre debent.

Ier. c. 1.

Dei verba in solitudine audiuntur.

1. Reg. 3.

A 79. Ad sapientiam consequendam valde dissimiles ab Ethnicis Philosophis fideles, piique viri sunt. Nam ad veritatem addiscendam, & ex ea virtutes consequendas longum tempus Ethnici Philosophi requirebant: at fideles non temporis diuturnitatem, sed opportunum solummodo locum exigunt. Ideo de Christianæ sapientiæ amatoribus Chrysostomus verè pronunciauit. *Non certum numerum annorum præfinientes ad consummanda studia virtutum; locum disciplinæ certum dederunt.* Quinam locus iste est, tanta aëris temperie præditus, vt modico temporis interuallo ingenium ad veritatem cognoscendam acuat; & voluntatem ad virtutes statim consequendas incendat? Respondet Chrysostomus: *Locum disciplinæ certum dederunt: cælum profectò, & formatorem eius Deum proculdubio esse docuerunt; vbi omnem omnino virtutem in paucis syllabis, in breuibus verbis nos Christus edocuit.* Quod si rursus quæratur, vbi nam cœlestis huius scholæ aditus aperiatur? Respondet Phil. *Non alium sibi ad erudiendum animum, quàm solitudinis locum eligit Deus: vt discas nullum ad magisterium virtutis aptius esse gymnasium, quàm remotum ab vrbium frequentia secessum; nec alibi animum magis addiscere, quàm vbi procul à turbis sibi vacat, & Deo.* Similiter Basilius: *Solitaria vita cœlestis doctrinæ schola est, ac diuinarum artium disciplina: Illic Deus est totum, quod discitur; via, qua tenditur; totum, per quod ad summæ Veritatis notitiam peruenitur.* Eximiam cœlestis huius scholæ illuminandi vim indicauit Dauid Deo dicens: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua: & in scholas maiestatis tuæ*, legit Chaldæus. *In ipsis verticibus montium Euangelicam videas florere Philosophiam, & Angelorum choros in humano corpore refulgere, conuersationem que omnino cælestem in terris micare*, ait Chrysostomus.

Hom. 1. in Matth.

Solitudo doctrinæ cælestis schola.

Opusc. de laudib. solitariæ vitæ.

Psal. 42.

Hom. 1. in Matth.

80. Iustos, Deique amicos vocat Apostolus vasa misericordiæ à Deo ad cœlestem gloriam suscipiendam præparata: *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Hæc vasa vbi formantur? Respondet Basilius de pio solitario recessu loquens: *Tu fornax, vbi superni Regis vasa formantur; & ad perpetuum nitorem malleo pœnitentiæ percussa, ac lima salutifera correctionis erasa perueniunt. In qua dissoluta animæ rubigo consumitur, & peccatorum scoria deponuntur.*

Cap. 9. ad Rom 11. 22. 23

Basilius supra.

Solitudo officina, vbi cælestis Regis vasa formantur.

D

81. Ezechiel cap. 27. Tyriorum mercatum, & nundinas, quò rerum omnium opulentia confluebat, pluribus celebrat dicens: *Carthaginenses negotiatores tui à multitudine cunctarum diuitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleuerunt nundinas tuas. Filij Dedan negotiatores tui dentes eburneos, & hebeninos commutauerunt in pretio tuo. Syrus negotiator tuus gemmam, & purpuram, & scutulata, & byssum, & sericum, & chodchod,* hoc est carbunculum, vel adamantem, *proposuerunt in mercatu tuo. Iuda, & terra Israel balsamum, & mel, & oleum, & resinam proposuerunt in nundinis tuis. Damascenus negotiator tuus in vino pingui, in lanis coloris optimi. Dan, & Græcia, & Mosel in nundinis tuis proposuerunt ferrum fabrefactum: stacte, & calamus in negotiatione tua. Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum. Venditores Saba, & Reema cum vniuersis primis aromatibus, & lapide pretioso, & auro, quod proposuerunt in mercatu tuo.* Sed quam exigua, quàm contemptibilis hæc Tyrii mercatus opulentia est;

E

si ad eam comparetur, quæ in sanctæ solitudinis recessu, velut in cœlesti emporio piis negotiatoribus venalis exponitur! *O cella negotiatorum cœlestium apotheca, in qua illarum mercium summa reconditur, quibus terra viuentium possessio comparatur. Felix commercium, vbi terrenis cœlestia, transitorijs mutantur æterna. Felices nundinæ, vbi venalis æterna vita proponitur; ad quam emendam, etiamsi est minimum quid, solùm sufficit, quod habetur. Vbi breuis afflictio carnis emit cœleste conuiuium; & exigua lacryma risum capiunt sempiternum*; ait Basilius.

Solitudo cœlestium mercium emporium.

Basilius supra.

82. Solitarium recessum *Paradisum deliciarum* vocat S. Basilius. Deinde veluti se corrigens ipsi terrestri paradiso solitudinem præferendam censet. Nam terrestri in Paradiso homo ad Dei imaginem creatus, per peccatum, diuinam, quam referebat imaginem, deformauit: cúmque inuenienda esset officina, in qua cœlestis gratia diuinam in homine deformatam imaginem restauraret; officina hæc solitudo fuit. Quare de ea loquens Basilius ait: *O spiritualis exercitij mirabilis officina; in qua humana anima creatoris sui imaginem in se restaurat: & ad sua redit originis puritatem: vbi sensus obtusi ad subtilitatem suas acuminis redeunt. Tu hominem de exilij deiectione ad antiquæ dignitatis reuocas celsitudinem.*

Solitudo piè orantis terrestri Paradiso similisque præstantior.

Solitudo officina, in qua amissa Dei imago rursum formatur.

Basilius supra.

83. De pio viro dicitur à Ieremia Thren. 3. 28. *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit super se. Quia leuauit se super se*, legunt Basilius, Bernardus, Rupertus, & Damianus. Sed quænam est scala, qua homo se super se, hoc est à terrenis ad cœlestia consurgit? Respondet Basilius de vita solitaria dicens. *Tu scala illa Iacob, quæ homines vehis ad cælum, & Angelos ad humanum deponis auxilium. Tu via aurea, certa, & compendiosa, quæ homines ducis ad patriam. Tu stadium, quo bene currentes peruehis ad coronam.* Cantic. 3. Sponsa ait: *Paululùm cum pertransissem, inueni, quem diligit anima mea.* Vbi benè Bernardus ait: *Quid est hoc, paululum cum pertransissem, inueni? Id est sponsa, cum se à curis mundanis auertit, cum sæcularia reliquit, cum hominum turbas est auersata, cum ad cordis penetrale rediuit, cum est exosa frequentiam; tunc sponsum meruit inuenire.* Redditque rationem Ambrosius: *Non in foro, non in plateis Christus inuenitur. Non est Christus circumforaneus, Christus est pax, in foro lites: Christus est iustitia, in foro iniquitas: Christus operator est, in foro inane otium. Christus charitas est, in foro obtrectationes: Christus fides est; in foro fraus, & perfidia.*

C

Basilius supra

Solitudo est illa scala Iacob, qua ad cælum scandimus.

Christus in solitudine procul ab humano strepitu inuenitur.

84. Iustus considerans huius mortalis vitæ turbulentos tumultus, variasque suggestiones, & fraudes, quas diabolus orditur, vt peccatis genus humanum illaqueet, magno animi sensu, cordisque dolore exclamat: *Cadent in retiaculo eius peccatores*, hoc est *in diaboli insidias*, vt Hilarius explicat. Ideo Deo gratias iustus agit, quòd ei in solitudine efficax auxilium ad diabolicas insidias vitandas dederit, dicens: *Singulariter*, hoc est solitariè, *sum ego, donec transeam*; scilicet donec ex hac mortali ad cœlestem, beatamque vitam transeam. Quamuis ergo diabolus peritissimus sit venator, & peccatorum retibus homines implicandi artem à mundi exordio semper exercuerit; quia tamen diaboli rete non alios alites implicat, quàm eos, qui liberè huc illuc volitant: ideo Dei seruus suo in recessu, ac solitudine à dæmonum laqueis tutus ait: *Cadent in retiaculo eius peccatores: singulariter*, hoc est solitariè *sum ego, donec transeam.*

Psal. 140.

Solitudine dæmonum insidiæ vitantur.

A Legunt alii apud Chrysostomum: *Simul ego sum, donec transeam.* Quæ quidem lectio priori repugnare videtur: eam tamen priori lectioni consonam ostendit Chrysostomus dicens: *Simul ego sum, donec transeam: hoc est mecum compactus, continuus, non dispersus, liber à malis hominibus, purus ab illorum congressu, & tamquam solus habitans: quod quidem est maximum genus virtutis. Hic est murus, hoc propugnaculum, hoc virtutis incrementum, malos fugere; coactum, & constipatum apud se consistere toto vitæ tempore; & ab iis, qui corrumpunt, seiunctum habitare.* Hoc idem argumentum egregiè pertractat B. Ephrem opusculo in illud: *Attende tibi ipsi.*

B 85. Vir Apostolicus ad hominum salutem procurandam à Deo missus benè cum Isaia dicere potest: *Posuit me sicut sagittam electam.* Nulla ergo mora interponenda videtur fore, quin talis sagitta iaciatur: est enim iam electa; scopus non deest; nempe hominum corda, quæ Dei timore sunt configenda, vt ex iis pœnitentiæ lacrymæ eliciantur. Huius sagittæ iaculator potens Dei brachium est. Quæ ergo interponenda est mora? Dirigatur ictus. Sed verè prius aliquid aliud sedulò curandum est; nempe, vt ipsa sagitta aliquo temporis spatio lateat; & propterea subditur: *In pharetra sua abscondit me.* Vbi benè Hugo Cardinalis ait: *Hoc est, quod requiritur in Prælato, & Prædicatore, secretum contemplationis. Gladius enim prædicationis non debet semper percutere, nec sagitta semper debet emitti; sed aliquando in pharetra abscondi; id est in secreto discussionis propriæ, & contemplationis diuinæ. Vnde Ezechiel. 21. Reuertere in vaginam tuam, in locum, in quo creatus es; in terram natiuitatis tuæ. Debet enim Prædicator considerare terrenitatem, & fragilitatem suam.* Nahum cap. 3. *Intra in lutum, & calca; subigens tene laterem.* Præterea sagitta antequam iaciatur, vt maiori impetu feriat, à scopo iaculatoris manu retrahitur; est enim abducta citatior. Similiter Dei seruus, vt efficacius diuino Verbo hominum corda configat, prius ab eorum consortio in solitudinis recessum se abducere debet.

Sagitta iacienda prius in pharetra, & gladius vibrandus in vagina absconditur. Similiter Apostolicus vir in contemplationis recessu prius lateat. *Isai ca 49*

Prædicator ante concionem, suam humillimè vilitatem consideret. Sagitta antequam iaciatur à scopo retrahitur. Prædicator ab hominum congressu prius se retrahat.

D 86. Ad idem confirmandum, quia Apostolicus vir, Christi Domini imitator, iuxtà Apostoli verba *Euangelizare debet iis, qui longè sunt, & iis, qui propè*: adeoque omnes ad pœnitentiam compungere debet; ideo talis Dei minister sagittæ eminus, & gladio cominus ferienti comparatur: *Posuit me sicut sagittam electam: Posuit os meum quasi gladium acutum: in vmbra manus suæ protexit me.* Ex Hebræo. *In vmbra manus suæ abscondit me.* Vbi benè Forerius ait: *Gladius sub sinistro brachio abditur in vagina, vt desterâ inde facilè educatur; & sicut dixit sagittam in pharetra reconditam, ita gladium in vagina.* Antequam ergo gladius educatur, abditur in vagina: similiter vir Apostolicus in solitudinis recessu abdi prius debet, vt inde ad configendos peccatores vel vt gla-E dius, vel vt sagitta prodeat: ex huius autem sagittæ, vel gladii ictibus homines salutem expectent. *Quam beatum est hac sagitta vulnerari!* ait Origenes.

Prædicator cui simul sagittæ & gladio comparatur. *Cap. 2. ad Ephes. 15. Isaia 49.*

Origen. in Cant. c. 2.

87. Ieremias 1. Thr. 13 ait: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* De igne ad vrbes incendendas immisso hunc locum intelligunt Theodoretus, & alii. Quare Chaldæus pro ossibus legit arces: Sicut enim ossa sunt corporis munimenta, ita arces, vrbium monimenta sunt. Sed quænam eruditio à materiali igni desumi potest? Ignis, quò magis intra clausa loca occluditur, eò maiorem vim habet: similiter diuini amoris ignis quò magis procul ab hominum commercio intra solitudinis septa concluditur; eò magis in anima suam efficacitatem exercet. *Ad virtutem erudimur, cum à mundo seiungimur*, ait Ambrosius. Sua in sphæra elementaris ignis supra elementa alia sublimis est; tantamque suo ambitu amplitudinem habet, vt sub toto sublunari orbe se extendat. Nihilominus ibi exiguam relucendi, modicam calefaciendi, penè nullam incendendi vim habet. Similiter religiosi viri si in mundi theatro supra cæteros se extollere per honorum, & dignitatum culmina quærunt; & religiosæ disciplinæ fastidientes angustias, laxioris vitæ iter ineunt; diuinæ lucis, calorisque detrimento, nullam ad proximos diuino amore incendendos vim habebunt. De solitarii recessus vtilitate plura dicta sunt Dominica 1. Quadrag. alia etiam dicentur Dominic. 4.

Ignis occlusus maiorem vim habet. Similiter diuini amoris ignis solitudinis claustro augetur. Ignis sua in sphæra sublimis, inefficacior est. Similiter religiosi viri, si honorum culmina ambiant.

C *Et turbæ requirebant eum, & venerunt vsque ad ipsum; & detinebant illum, ne discederet ab eis.*

88. Piæ hæ turbæ incipientium, proficientium, & perfectorum specimen exhibent. Incipientium est Dominum quærere; proficientium est Dominum inuenire; perfectorum est Dominum charitatis nexu tenere: Charitas enim, teste Apost. *est vinculum perfectionis*: quo scilicet perfecti secum arctissimè Dominum tenent.

Incipientes Deum quærunt; proficientes inueniunt; perfecti secũ tenent. *Ad Coloss. 3.14.*

Quibus ille ait: Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: Quia ideo missus sum. Et erat prædicans in Synagogis Galilææ.

D 89. Malachiæ 4. Deus de Redemptoris filii sui aduentu prædixit: *Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol iustitiæ; & sanitas in pennis eius.* Vbi Christus Dominus Solis nomine appellatur; eo quòd solis instar non vni loco, & regioni, sed pluribus Euangelicæ fidei lucem diffusurus erat. Quare Apostolus Domini imitator dixit: *Græcis, ac barbaris; sapientibus, ac insipientibus debitor sum*; scilicet vt illis Euangelicæ fidei lumen impertiar. Ideo Isaiæ 32. 20. dicitur: *Beati, qui seminatis super omnes aquas.* Quod explicans Hugo ait: *Hoc dicitur de Apostolis, qui super omnes aquas, idest super populos Iu-E dæorum, & Gentilium seminauerunt verbum Dei. De his aquis dicitur Apoc. 17. Aquæ multæ, populi multi.* Super omnes aquas, siue salsæ sint, siue non salsæ, hoc est super omnes populos, siue sapientiæ sal habeant, siue non habeant, Dei verbum est seminandum. Quod seruans Apost. dixit: *Sapientibus, & insipientibus debitor sum.*

Ad Rom. c. 1. 14. Apostolici viri est seminare super aquas omnes debere dicantur.

FERIA SEXTA

POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Venit Iesus in ciuitatem Samariæ. *Ioan. 4.*

Euangelij nexus, & ordo.

1. PECCATRIX anima per diuinam gratiam illuminata quantùm à se differat; & qualis peccati, qualis illuminatæ gratiæ status sit, in hoc Euangelio à Samaritana muliere repræsentatur. In ea quidem, vt peccatrice, vitia quinque notantur. Primo arrogans censura in proximum: *Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Quæ verba ex Chrysostomo verba corrigentis sunt, quibus Christum mulier corripit, quod illicitè, tamquam Iudæus cum ipsa, quippe Samaritana commercium haberet, potum petendo. Secondo temerarium iudicium: *Neque in quo haurias habes; & puteus altus est. Putabat repente ipsum sine aliquo instrumento, artibus, vt nonnulli faciunt, magicis ab ipsis fontibus putei aquam hausturum*, ait Cyrillus. Tertio inanis gloriatio: *Numquid tu maior es patre nostro Iacob?* Vbi inani iactantia patre Iacob gloriatur, cum Samaritani plerique ex Chaldæis originem duxerint, vt patet ex 4. Reg. cap. 17. & deinceps. *Animaduerte*, inquit Chrysost. *quo pacto in Iudaicam se inserit nobilitatem.* Quarto spiritualium bonorum ignoratio, corporalium tantùm bonorum æstimatio: *Da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire.* Cum enim Dominus de spirituali aqua loqueretur: *Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*; mulier corporalem tantùm aquam efflagitauit: *Terrena*, inquit Cyrillus, *mulier cogitat, nec sublime quiddam intelligit; sed totam saluatoris liberalitatem id efficere posse credit, vt sitiens à magnis hauriendi aquam laboribus liberetur.* Quinto incontinentia, & impudicitia: *Quinque viros habuisti; & nunc, quem habes, non est tuus vir.*

Peccatricis animæ multiplex culpa diuinæ gratiæ multiplex effectus. Hic, & in sequenti Chrysostom. hom. 30.

Cyrillus l. 2. in Ioa. c. 83.

Cyrillus.

2. E contrario in eadem Samaritana post illuminationem diuinæ gratiæ virtutes septem dignoscuntur. Primo, reuerentia erga maiores; nam Christo, cui antea exprobrauerat: *Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis?* postea eumdem honorificè appellat: *Domine, neque in quo haurias, habes.* Secundo, confessio propriæ culpæ: cum enim Samaritanæ Dominus, eius non ignorare peccata significasset, dicens: *Benè dixisti, non habes virum*; Domini notitiam mulier confirmauit, respondens: *Domine, vt video, Propheta es tu.* Tertio, desiderium rerum supernaturalium: *Cum Dominum*, inquit hîc Chrysost. *Prophetam opinaretur; non amplius terrena rogat, non bonam corporis valetudinem, non pecunias, non opes; sed tantùm doctrinam: Patres nostri in monte hoc adorauerunt; & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet.* Quarto, sincera fides rerum spetandarum: *Scio, quia Messias venit*; hoc est ad nos aduentat, & prope est. Quinto, obliuio, & contemptus rerum temporalium: *Reliquit hydriam suam mulier.* Sexto, ardor alios ad rectam fidem, & ad Christum aduocandi: *Abijt in ciuitatem, & dixit illis hominibus, venite.* Septimo, aspernatio propriæ æstimationis: *Videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci. Nec erubuit dicere omnia, quæ fecisset; ab eo fuisse sibi patefacta; sed seipsam infamat, vt eos ad Christum adducat*, inquit Theophylactus. Sic multò ante executa est Samaritana Apostoli verba: *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros per infamiam, & bonam famam.*

2. ad Cor. 6.

3. Quare tota hæc Euangelica historia eò dirigitur, vt eximia ex diuina gratia metamorphosis videatur; cuius efficacitate fit, vt in sanctam, Deoquè amicam ex peccatrice anima reddatur. De Actæone dixit Nazianzenus ad Vitalianum: *Venator quidem à canibus suis, quos magnopere diligebat, instar cerui, laniatus est*: quam mortem Actæonem subiisse, eò quod aquæ aspergine ex homine in belluam transfiguratus fuerit, Ethnici fabulantur. At nos dicamus cum Dauide: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes suas; sed non, vt lex tua*: quandoquidem Samaritana mulier, aquæ illa conspersa, de qua Dominus ait: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, ex immunda per lasciuiam bellua ad humanam formam Dei imaginem repræsentantem, vera, & saluberrima metamorphosi reddita est.

Tom. 1. sub finem.

Ps. 118. 85. Samaritanæ metamorphosis quòd diuinæ gratiæ aqua fuerit aspersa.

Venit Iesus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.

4. DE hac Samariæ Vrbe Hieronymus tom. 3. tract. de locis Hebraicis ait: *Sichem, & Salem, quæ Latinè, & Græcè Sicima vocata est, ciuitas Iacob, nunc deserta est. Ostenditur autem locus in suburbanis Neapoleos iuxtà sepulchrum Ioseph, quam subuertit Abimelech, & seminauit in ea salem: sicut in libro Iudicum scriptum est cap. 9. postea verò instaurata est à Ieroboam, vt Regnorum narrat historia lib. 3. cap. 12. & sita est in finibus tribus Ephraim. Sed & filius Emor appellabatur Sichem, à quo & locus nomen acceperat. Fuit autem & altera Sichem in monte Ephraim ciuitas fugitiuorum.* Sed contra Hieronymum Sichen à Ieroboamo instaurata teste eodem Hieronymo fugitiuorum ciuitas, & in monte Ephraim sita à prima non distingui videtur ex 3. Reg. cap. 12. 25. vbi habetur: *Ædificauit Ieroboam Sichem in monte Ephraim.* Idem sentire videtur Adrichomius de Tribu Ephraim

Sichar in Samaria quæ vrbs fuerit.

n. 91. Sichem, quæ est Sichima, & Sichimi, & Ephron, tempore Christi corruptè dicebatur Sichar; postremò restaurata, vocata est Neapolis, hoc est noua ciuitas; quam & Mabortham ab indigenis appellatam scribit Iosephus: nunc verò dicitur Pelosa, siue Napolosa, vt quidam adnotant: Vrbs refugij, & Leuitarum, Metropolis Samariæ, sita in monte Ephraim, amœnitate, & delicijs abundans; quam sitam inter duos montes nouam putat esse Breidenbachius; cum vetus Sichem ipsius iudicio fuerit ad sinistram fontis Iacob: cuius scilicet suo tempore plurima adhuc reliquia ostendebantur; quæ distat ab hac Neapoli quantùm bis iacis arcus. Hanc incoluerunt Abraham, & Iacob Patriarchæ: estque primum à Simeone, & Leui ob stuprum Dinæ sorori illatum vastata: secundo ab Abimelech ita subuersa, vt seminauerit in ea salem: reædificante eam post Ieroboam: postremùm euersa est à Bezenge Damascenorum procuratore: cum vrbem immunitam muro, & antemuralibus, etiam vallo carentem aggressus fuisset; vix pauci residui in præsidium, quod in medio ciuitatis erat, à cæde, & incendijs elapsi sunt.

Iuxtà prædium, quod dedit Iacob filio suo Ioseph. Erat autem ibi fons Iacob.

5. DE hoc prædio dicitur Iosue vltimò: *Ossa Ioseph, quæ tulerunt filij Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem in parte agri, quem emerat Iacob à filijs Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus; & fuit in possessionem filiorum Ioseph.* Hoc prædium Iosepho sub mortem Iacob dedit, Genes. 48. 22. dicens: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos; quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Vbi iuxtà septuaginta legitur: *Do tibi Sichimam præcipuam super omnes fratres tuos.* Ex quo patet Sichimæ prædium bis Iacob acquisiuisse: primò centum nouellis ouibus: secundò vi, & armis. Cum enim ob stragem Sichimis illatam, inde Iacob cum filiis suis abiisset; & iis absentibus Amorrhæi prædium occupassent; rediens Iacob armis eundem agrum in suam iterum possessionem redegit. Quod si quæratur qua de causa tale præcipuè prædium Iacob Iosepho filio suo dare voluerit? Respondeo in Sichimis præcipuè possidere agrum meruisse Iosephum; quia eò à patre missus, obsequens filius in fratrum insidias incidens, Ægyptiam seruitutem incurrerit, vt habetur Genes. 35. 12. *Cum fratres eius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem; dixit ad eum Israel. Fratres tui pascunt oues in Sichimis; veni, mittam te ad eos. Quo respondente: Præsto sum, ait ei: Vade.*

Prædiũ vrbis Sichar, seu Sichẽ cur Iosepho Iacob dederit

Erat autem ibi fons Iacob.

6. De hoc fonte seu puteo dicetur infra.

Iesus ergo fatigatus ex itinere.

7. PRæter pedestria itineris laborem, huius Domini defatigationis rationem reddit Isaias 53. *Deus posuit in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Cum enim ingentia onera portantur, licèt breuis sit via, viator nihilominus defatigatur: at quod onus maius peccato excogitari potest? Ingens autem peccati onus. vnà cum suis Ægyptiis expertus est Pharao, de quo signanter dicitur Exodi 15. *Descenderunt in profundum, quasi lapis.* Redditque rationem Hieronymus dicens: *Dimersi sunt quasi plumbum in aqua violentissima;* A *graui enim peccatorum pondere premebantur, & loqui poterant: Quasi onus graue, grauata sunt super me.* Ad idem peccati onus significandum ea Hieronymo ibidem, iniquitas sedere dicitur super talentum plumbi, Zach. 5. Magna quidem peccatoris miseria est, quòd in eius corde sæpius lasciuiæ plumea cogitatio plumbeum onus relinquat. Idem Hieronymus Nahum 2. ait: *Petrus, qui antea leuis pendulo gressu calcabat vndas; postquam infidelitate aggrauatus, vorabatur à fluctibus, manu Domini subleuatur:* Porrò huiusmodi peccatorum onera multò magis Redemptorem præmebant; grauia enim extra proprium locum B valdè grauitant; fuerunt autem extra proprium locum peccata, cum in sanctissimam Christi humanitatem innocentiæ sedem translata sunt. Quare peccatis illud Isaiæ 7. coaptari potest: *Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* Vbi ex Hebræo legitur: *Numquid parum vobis est fatigare homines, quia defatigatis etiam Deum meum?*

Peccati quã ingẽs onus.

Hieronymus in Ezech. c. 22.

Is. 57.

Sedebat sic supra fontem.

8. PEr particulam *sic*, Dominum sedendo lassitudinem ostendisse significari dicendum est. Porrò iuxtà Ambrosium de iis, qui in C proximorum spiritualem profectum incumbunt, à Deo Ierem. 16. dictum est: *Mittam eis multos venatores, & venabuntur eas.* Inter hos autem animarum venatores, cùm principem locum Redemptor noster obtineret; in præsentia venatoris more iuxtà aquas assidet, vt Samaritanam, quæ veluti *columba seducta* auolauerat, caperet: *Quia venturam ad aquas sciebat, doctrina illi tetendit retia*, ait Cyrillus lib. 2. in Ioan. c. 80.

Ambros. ser. 2 in Ps 118.

Dominus tamquam venator iuxta fontẽ sedit.

Osea 7.

9. Sed cur puteus, qui paulò post altus, hoc est profundior esse dicitur, fons hîc appelletur, inter interpretes controuersum est. Augustinus, & Euthymius, quos sequitur Maldonatus, vbicumque aqua manat, fontem esse existimant. D Quæ interpretatio aliquibus videtur durior; cum iuxtà communem acceptionem non quamlibet subterraneam aquæ scaturiginem absolutè fontem appellemus; nisi ad extimam superficiem terræ effluat. *Fons*, inquit Lauretus in Allegoriarum Sylua, *est vena aquæ perennis scaturiens in superficie terræ; differens à puteo, quòd vena aquæ putealis intra terram latet.* Quæ acceptio confirmatur ex Genesi 2. vbi dicitur: *Fons ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.*

Puteus profundus cur fons appellatur hîc, & sequẽtibus.

10. Sed ad Maldonati, & Euthymii & Augustini interpretationem confirmandam inuenio præclarum textum Genes. 21. Vbi enim ex vulgata lectione legitur de Agar: *Aperuit oculos eius* E *Deus, quæ videns puteum aquæ*, &c. legit Chrysost. *Aperuit oculos eius, & vidit fontem aquæ viuæ*; ibique Tostatus ait: *Puteum aquæ, id est fontem aquæ; idem enim vocat puteum, & fontem, licèt fons sit commune ad vtrumque.* Sed, qui allatam interpretationem improbant, respondere possunt in eo Genes. loco, puteum illum rectè fontem appellari potuisse; cùm eius scaturigo prope superiorem putealis orificii partem aquam emitteret. Quòd probatur ex eo, quòd inde Agar, vt sacer textus asserit, vtrem impleuerit: si autem profundior fuisset puteus, inde vtrem implere nequiuisset: neque enim vas aliud ad hauriendam profundiorem aquam attulerat, cum ex vtre bibisse Ismaël dicatur. *Videns puteum aquæ, abijt, & impleuit vtrem, deditque puero bibere.*

Idem dicendum eſt in alio textu Geneſ. 16. etiam de Agar: *Cum inueniſſet eam Angelus Domini iuxtà fontem aquæ in ſolitudine*: de quo fonta infra dicitur: *appellauit puteum illum puteum viuentis, & videntis me*. Talis puteus fons appellatur, eò quòd eius ſcaturigo profundior non eſſet, ſed potiùs ſurſum effluaret. Contra verò Samariæ iſte puteus cùm profundus eſſet, teſtante muliere, *puteus altus eſt*, durior interpretatio videtur, ſi propter profundiorem, nec patentem ſcaturiginem fons appelletur.

11. Secundò ad Euthymii, & Maldonati interpretationem probandam eſt textus ex 5. Prouerb. vbi præcipitur, ve aquam potemus *ex vaſis noſtris, & ex fonte puteorum noſtrorum*: ergo puteorum ſcaturigo benè fons appellari poteſt. Sed contra eſt, nam licet citato textu allata lectio ſit Baſilii, & aliorum: omnibus tamen præponenda eſt vulgata lectio, qua non putei fontem, ſed fluenta legimus: *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui*. Præterquam quod, cum ſubterranea ſcaturigo foras erumpit, ſcaturiginem illam benè fontem appellari poſſe non negamus; & huiuſmodi eſt ſcaturigo hæc, de qua Salomon loquitur; ſubditur enim: *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*: & clarius ex Chaldæo legitur: *Redundent aquæ tuæ foras, & in plateis riui aquarum*: rurſus ex Ambroſio legitur: *In plateis ſuperfluant aquæ tuæ*. Similiter Geneſ. 5. dicitur: *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ*. Vbi abyſſi nomine iuxtà ſacros interpretes ſubterranea aquarum receptacula, & ſcaturigines intelliguntur; earum verò emanationes benè fontes appellantur, cùm ſupra terræ ſuperficiem largiſſimè effluxerint. Quare in caſu noſtro ad explicandum quomodo Samaritanus profundior puteus fons appelletur; dicendum eſt puteum, in quo ſubterranea aquæ ſcaturigo profundior ſit, adhuc fontem benè appellari; cum ei artificialis fons additur, nempè lapideum vas, ſeû marmorea conchs, vnde aqua, licèt non perenniter, frequenter tamen in ſubiectos canales ad gregem adaquandum effunditur. Hoc autem ex eo conſtat; cum enim puteum in ſacris litteris fontem appellari legimus; tunc ei canales, in quos aqua effluit, additos reperimus. Geneſ. 24. ſeruus Abrahæ, *cùm camelos feciſſet accumbere extra oppidum iuxtà puteum aquæ, orauit Dominum, dicens: Ecce ego ſto prope fontem aquæ*: Subditur deinde: *Effundens hydriam in canalibus*. Similiter hoc in Euangelio Samaritanus iſte puteus fons dicitur; eò quod puteo lapideus fons adhæreret, ex quo paſtores hauſtam aquam in ſubiectos canales ad gregis potum effundere ſolebant: & propterea paulò poſt à Samaritana ſubditur Patriarchæ Iacob pecora ex eo puteo olim bibiſſe.

Lib. 1. de Spiritu c. 10.

12. Fauet huic explicationi, quod Numer. 21. legitur de puteo prope Arnon: *Ex eo loco apparuit puteus, ſuper quo locutus eſt Dominus ad Moyſen*. De hoc puteo ait Philo libro primo. *Fontem copioſum inuenerunt, qui omnibus potum præbuit: is erat in puteo, in eius prouinciæ finibus*. Circa hunc igitur puteum eadem eſt, quæ in noſtro Euangelio difficultas, quomodo idem & puteus, & fons appellari poſſit. Cui difficultati ab interpretibus eo in loco dupliciter reſpondetur; ita tamen, vt ſemper velint aquam ex profunda putei ſcaturigine ſurſum effluxiſſe, idque ad ſaluandam propriam fontis appellationem. Emanuel Sà cenſet hanc putei aquam diuinitùs ſurſum excreuiſſe, ita vt in via etiam Iſraëlitas ſe-

A cuta fuerit: addit præterea hoc ſignificare voluiſſe Apoſtolum, cùm 1. ad Cor. 10. dixit: *Conſequente eos petra*, id eſt aqua è petra fluente. Confirmare videtur primo allatam à Sà interpretationem, quod ſacer textus ſubdit: *Tunc cecinit Iſrael carmen iſtud: Aſcendat puteus. Concinebant: puteus, quem foderunt principes*. Quibus verbis populus miraculo aſcendentis aquæ plaudens inducitur. Secundo idem confirmat Chaldæus Paraphraſtes dicens: *Ex eo tempore, quo datus eſt ei puteus, deſcendit cum eis ad torrentes, & de torrentibus aſcendit cum eis ad collem; & de colle ad vallem, quæ eſt in agris Moab*. Caietanus ibi nomine putei non intelligit profundiorem aquam, quæ funibus eſſet haurienda; ſed puteum per modum fontis fluentem; ita vt locus aliquis celſior eſſet, in quo eſſet aqua, quaſi in concha. Siue igitur B ſupernaturaliter cum Sà; ſiue naturaliter cum Caietano; ſiue ex humana induſtria cum noſtra ſuperiori explicatione, aqua ſurſum effluat, benè ſic poteſt putei ſcaturigo fontis nomine appellari.

Numer. 21.

13. His ita explicatis, cum de Domino dicitur: *Sedebat ſupra fontem*, intelligendum eſt Dominum ſediſſe ſupra artificiale illud lapideum vas, vnde aqua effluere ſolebat. Nam quòd alii explicant ea Hebræa phraſi, ſedere ſupra fontem, eſſe ſedere iuxtà fontem; eò quòd apud Hebræos eadem particula, & ſupra, & iuxtà ſignificet, non probatur: facilius enim vertiſſet noſter interpres, ſedebat iuxtà fontem, non ſupra fontem: ſicut paulò ante dixerat *iuxtà prædium*, C non ſupra prædium. Neque exemplum Pſal. 136. vbi dicitur, *Super flumina Babylonis illic ſedimus*, aliquid probat. Nam verum eſt ibi, *ſuper*, ſignificare iuxta; qui enim iuxtà fluuium in fluminis ripa ſedet, vtique ſupra flumen labentem infra ripas ſedet. Contra verò, qui iuxtà fontem ſedet, non proindè ſupra fontem ſedere intelligitur. Propterea Geneſ. 24. noſter interpres ex Hebræo vertit ſeruum Abrahæ *camelos feciſſe accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ*, non ſupra puteum aquæ: qui puteus, vt paulò ante vidimus, etiam fons appellatur, ſicut noſter iſte Samariæ puteus. Præterea hæc Euangelica hiſtoria contigit ſub menſem Februarium; vt ex Au- D guſtino, Beda, Ruperto docent interpretes; eò quòd in Euangelio paulò poſt dicatur: *Adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit*: meſſis autem in Palæſtina, quippe ſub calidiore climate, menſe Maio fiebat: innaturale autem videbatur frigido, humidoque tempore humi iuxtà fontem diû ſedere: naturalius autem tali tempore ſupra ipſum fontem ſedentem Dominum cum Samaritana collocutum eſſe cenſeri debet.

14. Neque hoc vacabat myſterio. Cum enim Dominus ingreſſus Ieroſolymam iuxtà Zachariæ vaticinium, *ſedit ſuper pullum filium ſubiugalis*, myſticè ſignificabat ſe gentilem populum per iumentum illud expreſſum ad fidem Euangelicam E vocare: *In pullo*, ait Ambroſius, *generalitatem populi Gentilis expreſſit: & benè, in quo nemo ſedit; quia nullus, antequam Chriſtus, nationum populos vocauit ad Eccleſiam*: Similiter, cum iuxta Samaritanum puteum, ſupra lapideum fontem Dominus ſedit; lapideum cor humanum Euangelicæ gratiæ ſubdere ſignificauit; illud in cor carneum, hoc eſt molle, & docile commutaturus: iuxtà Ezech. 11. Vaticinium: *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum*. Quare meritò Tertullianus Redemptoris ſanguinem ea corda domuiſſe, & mollia reddidiſſe docet,

Cap. 9. Dominus ſupra lapideû fontem ſedens, quid myſticè indicauerit. Hic, & n. ſequenti. Lib. 9. in Luc. initio.

docet, quæ terribilis Romanorum potentia lenira, & domare numquam potuit, vt fusius probat lib. contra Iudæos aliquanto post initium. Porrò in hac Euangelica historia è Samaritanæ lapideo corde sancti eloquii ictibus scintillas fidei elicuit Dominus; vt ipsius mulieris animum, eiusque conciuium incenderet. Hinc Cyrillus ait: *Scintilla fidei animo mulieris iam hæsit, quæ magnum fauere Christi flammam inferre poterat: sic enim intelligendum puto, quod ab eo dictum est: Ignem veni in terram mittere.*

15. Porrò, cum Christus Dominus aditum sibi aperire vellet ad Samaritanæ, eiusque conciuium salutem, *supra fontem* sedere dicitur; scilicet, vt ex huius fontis aquis Samaritanam ad salutem aduocans, veluti ad baptismum præluderet; quem ad animarum salutem, veluti primam ianuam erat instituturus. Hoc insinuat egregiè Tertullianus, additque alios aquarum vsus è sacris litteris, quibus etiam baptismus significabatur. *Quanta*, inquit, *aquæ gratia penes Deum, & Christum eius est ad baptismi confirmationem! Numquam sine aqua Christus, siquidem & ipse aqua tinguitur. Prima rudimenta potestatis suæ vocatus ad nuptias, aqua auspicatur. Cum sermonem facit, sitientes ad aquam suam inuitat sempiternam. Cum de agape docet, aquæ calicem fratri oblatum inter opera dilectionis probat. Apud puteum vires resumit: super aquam incedit libenter, transfretat; aquam discentibus ministrat. Perseuerat testimonium baptismi vsque ad passionem. Cum deditur in crucem, aqua interuenit; sciunt Pilati manus. Cum vulneratur, aqua de latere prorumpit; scit lancea militis.*

Math. 3.
Ioan. 3.
Ioan 7.
Math. 10.
Ioan. 4.
Math. 14.
Io. 13.
Math. 27.
Io. 19.

Hora erat quasi sexta.

Hebræi tam diem, quàm noctē; tam æstate, quā hyeme in duodecim horas diuidebant.

16. CONsueuerunt Hebræi tam noctes; quàm dies in duodecim horas diuidere. Quare, siue hyeme, cum dies est breuior; siue æstate, cum dies est longior, semper, tam nocturnæ, quàm diurnæ horæ duodecim erant: propterea à Domino dicitur Ioan. 11. *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Ex quo fiebat, vt hyeme singulæ diurnæ horæ breuiores essent, longiores nocturnæ, contra verò æstate singulæ nocturnæ horæ breuiores forent, longiores verò diurnæ.

17. Cùm sexta hora, hoc est meridie, Dominus Samaritanam alloquatur, eamque diuina gratia illuminet; vtique Zachariæ testimonium comprobat Lucæ 1. prolatum: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Non ex Orizonte, sed ex alto cœlo diuini Solis ortus; adeoque meridianus esse dicitur; vt non per temporis moram, sed statim clariorem diem mentibus, quas visitat, largiri significetur. *Nescit tarda molimina Sancti Spiritus gratia*, ait Ambrosius. Vbi aduenientis diuini Solis discrimen est notandum; nam iustitiæ Sol, cùm pœnas inflicturus aduenit, post meridiem sub lucis occasum, quia moras nectebat, accessit: Genes. 3. de primis parentibus post præuaricationem dicitur: *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem.* Contra verò, cum Deus, tamquam misericordiæ Sol beneficia collaturus apparet; tunc perfectissimum meridianæ lucis splendorem præfert; vt propterea dicatur *visitasse nos oriens ex alto.* Præterea hora sexta Dominus, vt Samaritanæ salutem largiretur, supra fontem sedit. Similiter hora sexta ad humani generis redemptionem supra

Dominus celer ad beneficium, tardus ad pœnam.

In Luc. c. 2. lib. 1.

A alium fontem sedem Dominus habere voluit, testante Ecclesia: *Fili Dei viui, qui hora sexta pro redemptione mundi crucis patibulum ascendisti.* Crucem autem *benedictionum omnium fontem* vocat S. Leo ser. 8. de passione Domini: vtroque in fonte Dominus siti laborauit. Rursus *sexta hora* passionis tempore *tenebræ factæ sunt super vniuersam terram.* At hora sexta hîc Samaritana diuinitus est illuminata. Interdiu radiante Sole stellas ex præaltis puteis videri posse docuit Plinius lib. 2. cap. 14. At longè mirabilius Samaritanæ, infidelitatis nocte supra puteum assidens Sol diuinus illuxit.

Crux benedictionum omniū fons.

Math. 27.

Stellæ radiante Sole quomodo videantur.

18. *Hora erat quasi sexta.* Particula *Quasi*, multipliciter in sacris litteris vsurpatur. Interdum significat indeterminationem aliquam in numero, vel mensura per excessum, vel defe- B ctum; vt hîc; cùm dicitur. *Hora erat quasi sexta*, tempus statæ horæ plus, minusve significat: similiter Ioan. 21 dicitur: *Non longè erat à terra, sed quasi cubitis ducentis.* Quibus in locis, aliisque poterat: Spiritus sanctus præcipuus sacræ Scripturæ auctor adamussim temporis, vel spatii definitum excessum, vel defectum indicare: noluit tamen, vt consuetum inter homines loquendi modum vsurparet. *Nullo genere locutionis, quod in consuetudine humana non inuenitur, Scripturæ vtuntur; quia vtique hominibus loquuntur*, ait Augustinus. Quia igitur humana consuetudo modicum excessum, vel defectum notare non solet; sed per particulam, *Quasi*, id explicare, ideo eadem loquendi consuetudine sacræ litteræ vtun- C tur. Rursus particula *Quasi*, interdum significat similitudinem, vt 3. Reg. 28. *Ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis ascendebat.* Vltimò tum per particulam, *Quasi*, quàm per particulam, *Sicut*, non similitudo, sed veritas; seu rei proprietas etiam explicari potest. Augustinus in versiculum Psalm. 125. *Facti sumus sicut consolati. Quare velut consolati, ait, & non ait, consolati? Non semper ad similitudinem ponitur hoc verbum, sicut, quod dicimus, aliquando ad proprietatem refertur, aliquando ad similitudinem; modò ad proprietatem relatum est.* Quod ibi pluribus probare pergit Augustinus. Eodem modo, *Quasi*, ad veritatem, non ad similitudinem re- D fertur Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre*: & Iacobi 2. *Redarguti à lege, quasi transgressores*: & 1. Petri 2. *Siue Regi, quasi præcellenti.* Et Iob. 2. 10. *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es.* Vbi, *quasi*, idem est, ac *tamquam.*

Particula *Quasi* tripliciter accipitur.

Tom. 3 l. 1 de Trinit c. 12.

Venit mulier de Samaria.

19. EX sacris litteris Samaria tum prouinciæ, tum præcipuæ in ea prouincia Vrbis nomen est. De Samaria prouincia plura habes 3 & 4. Reg. Rursus de Samaria vrbe dixit Isaias 7. *Caput Ephraim Samaria.* Cum hîc igitur dicatur venisse mulier de Samaria; quæritur E de prouincia ne, an de vrbe Samaria sit intelligendum? Si de vrbe Samaria intelligatur; contra est, quia, vt supra Euangelista testatur, *Venit Dominus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar*; Sichar autem & nomine, & re longè diuersa à Samaria vrbe erat. Rursus, si non de vrbe; sed de Prouincia Samaria velis intelligi; contra etiam est, quia ad puteum profecta est mulier, adhuc è Samariæ prouincia non discesserat. Dicendum est ergo, cùm dicitur: *Venit mulier de*

Samaria tū prouinciæ, tum vrbis nomen.

I

Samaria: per hoc non significari Samariam esse locum, ex quo mulier venerat; sed significari mulierem esse de Samaria, idest ex natione Samaritana; ita vt vox illa *de Samaria* potiùs gentem, quàm regionem Samaritanam significet.

Venit mulier de Samaria haurire aquam.

Galbæ in lite dirimenda iudicium.

20. LAudat Suetonius Sergii Galbæ Imperatoris in iure dicendo prudentiam. *Cum*, inquit, *de proprietate iumenti quæreretur, leuibus vtrinque argumentis, & testibus; ideo difficili coniectura veritatis: ita decreuit, vt ad lacum, vbi adaquari solebat, duceretur capite inuoluto; atque ibidem reuelato, eius esset, ad quem sponte se à potu recepisset.* Simile quid in præsenti Euangelica historia contigit. Samaritana ad cœlestem beatitudinem prædestinata, nihilominus iuxtà Prophetę verba, *Cum in honore esset, non intellexit; comparata est iumentis insipientibus, & similis facta est illis.* Propterea contendi poterat cuius Domini foret: cumque ad puteum ad hauriendam ex consuetudine aquam venisset, inuoluto capite; scilicet, *quasi velamen habens malitiæ libertatem*: ibidem postea capite ob Redemptoris illuminantis verba detecto: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere*; statim eum, vt Dominum agnoscere cœpit: *Domine, neque in quo haurias habes: Domine, da mihi hanc aquam: Domine, vt video, Propheta es tu*: cuius deinde dominio ad finem vsque vitæ se libentissimè mancipauit; ita vt propterea eam in Sanctarum numerum relatam sub nomine sanctæ Photinæ 13. Kal. Aprilis Ecclesia veneretur.

Ps. 48.

2. Petri 2.

Samaritanā sub nomine sanctæ Photinæ Ecclesia veneratur die 20. Martii. 20. Martij.

Dicit ei Iesus: Da mihi bibere.

21. COrporali siti propter defatigationem itineris; & spirituali propter desiderium acquirendi animas, eisque beneficia largiendi, Dominus laborabat. De hac secunda siti eleganter ait Nazianz. orat. 40. *Sitit sitiri Dominus; & sitanti bono sine labore, & facillimè, scilicet accedendo tantum ad fontem, potiri possumus; cuius dementia est tantum bonum differre?* Ibidem subdit: *O miram beneficentiæ celeritatem! O facilem contrahendi rationem! Hoc bonum solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur: appetitionem ipsam Deus ingentis pretij loco æstimat; sitit sitiri; bibere cupientibus potum præbet: cum à Deo beneficium petitur, beneficio affici se putat. Prompta, munifica, atque prolixa natura est; munendius dat, quam alij accipiunt.* Ex Iosepho lib. 18. antiquitatum cap. 8. Agrippa Iudæorum rex Tiberii iussu à prætorianis militibus in vincula tractus, *Cum æstas esset vehemens, & sitis eum vreret, conspicatus quemdam è Caij seruis nomine Thaumastum gerentem hydriam, poposcit potum; & cum libenter oblatum hausisset: (certè), inquit, tuo bono, puer, exhibuisti mihi hoc ministerium. Cum primum enim hanc necessitatem euasero, impetrabo tibi libertatem à Caio, quandoquidem vincto mihi non es granatus ministrare. Nec fefellit hominem, sed gratiam ei repofuit. Nam regnum adeptus Thaumastum à Caio impetratum manumisit; & bonorum suorum dispensatorem constituit.* Sed longè feliciùs Samaritana, quòd nomino humanam salutem sitienti, piè ei credendo, spiritualem potum dederit, è peccati vinculis in libertatem filiorum Dei asserta, diuinarum gratiarum dispensatrix fuit; cum suos ciues ad credendum Christo Redemptori aduocauit: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci.* Nos similiter, si ad diuina capienda beneficia nos idoneos exhibendo, Domino sitiri sitienti satisfaciamus, longè maiorem, quam Agrippæ Thaumastus Dei liberalitatem experiemur.

Dominus beneficia conferre sitit.

Agrippa siticns cum à Thaumasto aquā accepisset, quo præmio cū affecit.

Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.

22. EX Ioan. cap. 13. 29. colligitur curam emendi cibos à Domino, non omnibus Apostolis, sed Iudæ fuisse commissam. Ibi enim dicitur: *Quidam putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum.* Quæritur ergo cur hic non vnum Iudam, sed discipulos omnes ad cibos emendos Dominus miserit? Respondetur sic Dominum proximorum consulendi famæ dedisse documentum. Ideo enim sui cum Samaritana colloquii testes adesse Apostolos Dominus noluit; quia Samaritanæ dicturus erat: *Quinque viros habuisti, & nunc, quem habes, non est tuus vir.*

Dominus cur non solum Iudam, sed omnes discipulos ad cibos emendos miserit? Domanus proximorū famæ consulendum docet.

23. S. Thom. 2. 2. quæst. 188. art. 7. affert citata Euangelistæ verba: *Discipuli eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent*; & subdit: *Ex quo patet, quòd conseruare pecuniam, aut quascumque alias res communes ad sustentationem religiosorum eiusdem congregationis, vel quorumcumque aliorum pauperum, est perfectioni conforme, quam Christus docuit suo exemplo.* De quo S. Doctor ibi fusius differit.

Pecuniam reseruare, siue pro necessitate communi religiosorum, perfectioni nō derogat.

Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.

24. PRæter loquelam, ex habitu etiam, vt Iudæum fuisse Redemptorem agnitum à Samaritana testantur Chrys. & Cyrill. Quòd autem peculiare ex habitu signum habuerit, addit Toletus. *Nam Num. 15. dixit Dominus ad Moysen: Loquere filijs Israël, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas. Sicut enim animam fide, corpus circumcisione; sic etiam exteriori habitu Israelitas Dominus signauit, vt suos.* Contra hanc Toleti explicationem est, quia Samaritani, qui partim Iudæi, partim Gentiles erant, vt patet ex 4. Reg. 17. solis quinque Moysis libris receptis cæteros reiiciebant; vt testatur ipse Toletus hac annotatione vltima. At quarto Moysis libro admisso, congruum erat, vt quod Num. 15. à Deo præcipitur de hyacinthinis vittis in pallio, Samaritani ipsi seruarent. Voluerisaliter igitur loquendo hyacinthinę vittę peculiarem Iudæorum habitum à Samaritano distinctum non indicabant, Non negauerim tamen ex modo habendi huiusmodi vittas discrimen aliquod inter Iudæos, & Samaritanos esse potuisse. Sicut inter Iudæos reliquos & inter Pharisæos, scribasque ex ipsis vittis, fimbriisque discrimen erat: eò quòd hi vittas, fimbriasque latiores in palliis gestarent, ideoque Dominus eos fimbrias magnificare, Matthæi 23. dixit.

Num. 6. 15. Samaritana an ex habitu Dominum vt Iudæum cognouerit.

25. *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Causa, cur Iudæi Samaritanis non couterentur, erat; quia Samaritanus populus erat ex Gentili-

Iudæi non couterentur Samaritanis causa.

bus, & Iudæis permixtus, ideoque partim Gentilium, partim Iudæorum ritus sequens à Iudæis, vt Schismaticus populus habebatur. 2. dissidii causa erat, quòd ad Samariæ vrbem Sichen prævaricantes Iudæi confugientes, meritis pœnis se subtraherent, teste Iosepho lib. 11. sub finem, vbi ait: *Si quis apud Ierosolymitas, aut illiciti cibi sumpti, aut violati Sabbati, aut similis criminis reus ageretur, ad Sicimitas confugiebat, calumniam se passum dictitans.* 3. præcipua Iudæorum à Samaritanis auersio proueniebat ex templi erectione, & ex sacrificiis in Samaria contra Mosis legem; de quo dicetur infra. Porrò vnde permistio Iudæorum, & Gentilium in Samaria acciderit, habetur 4. Reg. 17. *Adduxit Rex Assyriorum de Babylone, & de Cutha, & de Anah, & de Emath, & de Sepharuaim, & collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filys Israel.*

B

Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo.

26. QVæritur hîc, cur dubitatiuè Christus, certò omnia præsciens sit locutus, dicendo *forsitan*? Respondetur primò ex Augustino tom. 9. tract. 37. vbi explicans verba Ioann. 8. *Si me sciretis, forsitan, & patrem meum sciretis*, ait: *Ille, qui omnia scit, quando dicit forsitan; non dubitat, sed increpat: attendo enim quomodo increpatiuè dicatur ipsum forsitan; quod videtur esse verbum dubitationis, sed dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine, ideo dubitante, quia nesciente. Cùm verò dicitur à Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil vtique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Diuinitas: homines enim de his rebus, quas certas habent, aliquando increpatiuè dubitant, idest verbum dubitationis ponunt, tùm corde non dubitent; velut, si indigneris seruo tuo, & dicas: Contemnis me? Considera, forsitan Dominus enim suum. Hinc Apostolus ad quosdam contemptores suos loquens ait: Puto autem, quòd & ego Spiritum Dei habeo. Qui dicit, puto, dubitare videtur; sed ille increpabat, non dubitabat. Et ipse Dominus Christus alio loco, increpans infidelitatem futuram generis humani: Cùm venerit, inquit, filius hominis, putas, inueniet fidem in terra? Iam, quantùm existimo intellexistis, quomodo sit positum forsitan: ne quis verborum appensor, & syllabarum examinator, veluti latinè loqui sciens, reprehendas verbum, quod dixit Dei Verbum, & reprehendendo Dei Verbum, non eloquens, sed mutus remaneat.* Et paulò post: *Scit ergo omnia, per quem facta sunt omnia: & tamen, dubitando increpat: Si me sciretis, forsitan patrem meum sciretis. Increpat infideles: nam talem sententiam dicit discipulis suis; sed ibi non est verbum dubitationis, quia non fuit causa increpandæ infidelitatis. Nam quomodo dicit Iudæis: Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis, dixit & discipulis suis: Tanto tempore vobiscum sum, & me nescitis. Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Numquid habet ista sententia verbum dubitationis? Numquid dixit: Qui me videt, forsitan videt & Patrem meum? Quare? Quia fidelis anima audiebat, non fidei persecutor; ideo non erat Dominus increpator, sed doctor.* Ita Augustini responsio non benè aptari potest verbis ad Samaritanam dictis; cùm Dominus Samaritanam potius doceret, quàm in-

Forsitan particula interdum est increpantis, non dubitantis.

1. ad Cor. 7.

Luc. 18.

Ioan. 14. 9.

C

D

E

A crepacet: non enim ipsa culpabiliter, sicut increduli Iudæi, ignorabat quis esset, qui cum ea loqueretur.

27. Respondetur secundo ex Hieronymo in verba Matth. 12. *Verebuntur fortè filium meum. Porrò*, inquit Hieronymus, *quod iungitur: Verebuntur fortè filium meum, non de ignorantia venit, quid enim nesciat paterfamilias, qui hoc loco Deus Pater intelligitur? sed semper ambigere dicitur, vt libera voluntas homini reseruetur.* Iuxtà hanc Hieronymi interpretationem respondet Maldonatus, hîc etiam dictum esse *forsitan* ad significandam facultatem liberi arbitrii, qua poterat mulier æquè petere, vel non petere, si vellet. Quod confirmat à textu Græco, vbi habetur: *Tu petere ab eo potuisses.* Sed contra est, quia indifferentia liberi arbitrii, ad quam significandam additur, *forsitan*, est quidem in potentia liberæ; sed tollitur per actum secundum, qui determinatè futurus, vel non futurus est. Quare, cùm Latinus textus, non vt Græcus actum primum, sed actum secundum significet, dicendo: *Petisses ab eo*, addendum non videbatur *forsitan*, respectu Christi Domini futura omnia præscientis. Patet, nam in aliis Scripturæ locis, vbi de actu 2. libero est sermo, *Forsitan* non additur, vt Matth. 11. *Si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis; olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Qui etiam loquendi modus habetur Luc. 10. Idem confirmatur; nam non debet ad insinuandam vnam veritatem, veritati alteri derogari: quare ad insinuandam humani arbitrii libertatem derogari Christi Domini præscientiæ non debet: derogaretur autem, si Christus Dominus futurum non certò scire, sed dubiè præcognoscere se significaret: Quare particulam *fortè*, quam Matth. 21. legit Hieronymus supra citatus, vulgata editio non habet. Porrò cùm Lucæ cap. 20. ponitur particula *forsitan*, *Mittam filium meum dilectum; forsitan cum hunc viderint, verebuntur*: talem dubitationis particulam ibi poni mirum esse non debet; cùm eo in loco Deus sub similitudine hominis patrisfamilias humano modo loqui inducatur. Quod apertissimè patet ex Matth. 21. absolutè dicente iuxtà vulgatam editionem: *Verebuntur filium meum.* Quæ verba, cùm falsa euentu comprobata fuerint; sub persona non Dei, sed hominis dicta esse, manifestum est.

28. Respondet tertio Salmeron prolog. 16. & Toletus hîc pro *forsitan* poni in textu Græco particulam *ἄν*, quæ apud Græcos est particula expletiua deseruiens verbis affirmatiuis, cui particulę apud Latinos respondet *vtique*. Quare Psalm. 54. vbi nos legimus: *Abscondissem me forsitan ab eo*, Græcus textus pro *forsitan* ponit particulam *ἄν*, sicut eamdem etiam particulam posuerat antea, vbi Latinè legitur, *Sustinuissem vtique.* Hæc responsio difficultatem non omninò adimit, quamuis enim apud Latinos, *Vtique*, & apud Græcos *ἄν* sint affirmatiuæ particulæ; nihilominus neque apud Græcos *ἄν*, *forsitan*, significare reperio; neque apud Latinos, *forsitan* determinatè affirmandi vim habet. Dices si particula *ἄν*, *forsitan* non significat, cur pro ea forsitan Latinus interpres posuit? Respondeo primò Hilarium, Augustinum, Cassiodorum, Ambrosium 3. offic. cap. vlt. Prosperum 3. de prædictionibus cap. 18. Psalterium Romanum, & Ambrosianum pro *forsitan*, posuisse vtique. Secundò noster interpres posuit, *forsitan*; & quod in eo

Non Matthæus, sed Lucas c. 20. 13 ait Forsitan verebuntur.

Forsitan an ad significandam humanam libertatē ponatur?

Forsitan cur pro affirmatiua particula Græca *ἄν*, idest *vtique* ponatur.

54. Psal. Christus Iudam alloquatur sub figura Dauidis alloquentis Achitophelem: voluit proinde humano modo, sicut Dauidem decebat, loqui dubitanter; quam rationem indicat Ruffinus in eum Psalmum. Tertio quamuis ἂν propriè *forsitan* non significet: iuxta proprietatem tamen Græcæ linguæ exigit hæc particula iungi futuro contingenti, vt obseruauit Matthæus Deuarius de particulis Græcis: eadem interdum etiam iungitur præsenti; quod tamen præsens futurum contingens respiciat, vt in illo Luciani *οἴει ἡμᾶς πλεύσεσθαι ἄν*, *Putas nos nauigaturas esse?* Item apud eumdem Deuarium, si particula ἂν adhæreat verbis præsentibus futurum, vt ἐλπίζω, spero, νομίζω puto, &c. vel iungatur Aoristis infinitiui, & adsit tacita, vel expressa conditio, explicat futurum mistum: & si nulla sit conditio, explicat futurum simplex. Hinc autem factum est, vt interdum à Latino interprete pro particula, ἂν. *forsitan* ponatur; nempe ad contingentiam explicandam. Quæ contingentia quamuis respectu diuinæ cognitionis non sit; est tamen respectu cognitionis humanæ, cui Deus futurum abscondi vult, vt dicetur responsione quinta.

Matth. 19. 16.

29. Responderi quarto posset ex Chrysost. in Matth. hom. 44. dicente: *Ille, qui interrogauit: Quid faciam, vt habeam vitam æternam? Quoniam ceu ad hominem nudum, & vnum è multis Iudæorum magistris adijt: idcirca etiam ipse, quasi homo ei respondet: Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus.* Similiter dici posset in casu nostro, Christum Dominum dubiè dixisse Samaritanæ, *Forsitan petisses ab eo*; quia Samaritana, vt purum hominem Dominum agnoscebat. Et quamuis Christus voluerit se Samaritanæ manifestare, vt verum Messiam adeoque prophetico spiritu præditum; hoc tamen distulit ad opportuniorem occasionem; scilicet cùm inferius dixit: *Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir.* Facilius enim creditur cognoscenti secreta præterita, quàm prædicenti futura: præterita enim cognita certam fidem adstruunt; cum de prædictione, & euentu futurorum adhuc dubia fides esse possit. Confirmatur; nam, sicut Christus dicens Samaritanæ: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo & dedisset tibi aquam viuam*; noluit clarè, sed tantùm obscurè indicare, quis ipse est, & quodnam esset donum Dei; & quæ esset aqua ab eo danda: ita dubiè, non determinatè, & clarè loqui voluit de Samaritanæ petitione conditionatè futura. Hæc tamen responsio aliis scripturæ locis benè aptari non potest. Nam Ioan. 5. cùm Iudæis se vt verum Messiam, & vt verum Dei Filium vellet ostendere; vt ipsi excusationem non haberent ad non credendum, dixit: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor: sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat; sic & filius, quos vult viuificat. Propterea quærebant eum Iudæi interficere, quia Patrem suum dicebat Deum; æqualem se faciens Deo:* nihilominus eo in loco etiam *forsitan*, vsurpauit, dicens: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit.* Similiter Ioan. 8. alloquens Pharisæos, clarè dixit: *Ego sum lux mundi: Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso; & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater*: & nihilominus ibidem *forsitan* vsurpans ait: *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* Cui loco *forsitan*, conuenire non videtur; si enim vera, & viua fide Iudæi Christum Dominum, vt verum Dei Filium cognouissent, cognouissent etiam æternum eius Patrem.

Forsitan patientiâ vsurpauit Christus, quia tantùm vt homo cognitus, vt homo respondit.

30. Respondetur igitur quintò futurum aliquod non certò, sed indeterminatè enunciari posse, vel ex defectu intellectus indeterminatè cognoscentis, vel ex libertate voluntatis nolentis rem futuram certò, & determinatè manifestare. Hoc posito, dicendum est, cum *forsitan*, à Domino dicitur, id ex voluntate nolentis, non ex intellectu nescientis prouenire. Quare Matth. 11. cum Dominus dixit: *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te; fortè mansissent vsque in hanc diem*: voluit indicare Iudæis conditionatè futuram Sodomæ vrbis stabilitatem; cùm vrbis alicuius stabilitas præter meritum, vel demeritum, posset ex alio iusto Dei iudicio pendere. Similiter Ioan. 5. cum dixit: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan, & mihi; de me enim ille scripsit*: noluit certò indicare, an dandum esset efficax auxilium Iudæis, vt Moysis vaticinia Christo conuenire crederent, & ita etiam vlterius proficerent in fide, vt crederent legi Euangelicæ perfectiori post admissum lumen legis Mosaïcæ: quo quidem Mosaïcæ legis lumine etiam carebant, propter Pharisæorum errores, & hæreses contra ipsam legem, vt patet ex Iosepho 13. antiquit. cap. 8. & 9. & lib. 18. cap. 2. & ex Epiphanio tom. 1. Hær. 15. Similiter Ioa. 8. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*: dicendo forsitan, noluit certò indicare, an dandum fuisset efficax auxilium Iudæis, vt post cognitum Christum, tanquam verum Messiam, vlterius progrederentur ad credendum etiam ineffabile Trinitatis mysterium, quod est æternum Patrem scire: poterant enim propter eorum duritiem ita huic mysterio fidem negare, vt neque ipsi Christo illud proponenti deinde crederent. Et hoc est dicere sub dubio: *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*: Vbi *forsitan* dicitur, non quòd Christus nescierit, quid futurum foret; sed quòd noluerit illud certò indicare; eò quòd tali certitudine Iudæi indigni erant propter eorum duritiem.

Forsitan particula vsurpari potest vel ex defectu intellectus cognoscentis, vel ex libertate voluntatis nolentis futurum certò manifestare. Hoc secundo modo Dominus vsurpauit.

31. Præterea Ezech. cap. 2. & similiter cap. 3. cum sub dubitatione dicitur: *Hæc dicit Dominus Deus, si fortè, vel ipsi audiant, & si fortè quiescant; quoniam domus exasperans est.* Gregor. ait: *Per hoc, quod dicitur; si fortè; quia ex magna multitudine pauci audituri sunt, demonstratur. Per dubitationem ergo sermonum Dei, quid significatur aliud, nisi paucitas auditorum?* Ex qua Gregorii ratione colligitur nolle Dominum certò prænunciare aliquid futurum, ad ostendendam rei difficultatem, ex qua difficultate fit, vt, secundùm aliquos, id quod dicitur, futurum sit; sed secundùm aliquos non futurum. Cùm igitur respectu totius multitudinis futura præuaricantium conuersio, neque affirmari cum veritate possit, neque negari: hinc est, vt non certò, & determinatè à Deo prædictio fieri velit. Propter eamdem rationem Ieremiæ 26. à Domino dicitur: *Noli subtrahere verbum, si fortè audiant, & conuertantur vnusquisque à via sua mala.* Vbi Hieronymus ait: *Verbum ambiguum, forsitan, Maiestati Domini non potest conuenire; sed nostra loquitur affectu, vt liberum hominis seruetur arbitrium: ne ex præscientia eius, quasi necessitate vel facere quid, vel non facere cogatur? Non enim ex eo, quòd Deus scit futurum aliquid, idcircò futurum est; sed quia futurum est, Deus nouit quasi præscius futurorum*: idest, quippe qui est præscius futurorum. Iuxtà hanc Hieronymi rationem non à nesciente, sed à nolente futurum reuelare,

Forsitan vsurpatur vel ad rei difficultatem indicandam; vel quia id, quod prædicitur, non respectu omnis multitudinis est futurum.

Forsitan in Scriptura Deus vsurpauit, ne ex prædictione certò cognito se non adhuc liberum homo existimaret.

dicitur, *Forsitan.* Ne scilicet reuelato infallibiliter, & sub certitudine futuro, libera humana voluntas videretur simul sibi frustrà in oppositam partem tendere; cùm contrarium ei, ad quod tenderet, futurum esse infallibiliter nosset.

32. Apud eumdem Ieremiam c. 3. Thren vers. 29. dicitur: *Ponet in puluere os suum, si fortè sit spes.* Vbi quamuis respectu Christi Domini, de quo ibi est sermo, spes certa sine vlla dubitatione foret; nihilominus, quia in Threnis Ieremiæ multiplex sensus latet; ita vt litteraliter non solùm de Christo, sed etiam de populo Iudaico, & de seipso Ieremias loquatur, vt asserunt SS. Hieronymus, Thomas, & Paschasius, ideo dubitationem aliquam indicant illa verba: *Si fortè sit spes.* Quare bene in hunc locum disserit Delrius: *Certitudo est ex parte Dei, qui paratus est misereri; ex parte autem sua semper iustus est pauidus, metuens, ne quod ipse Deo parato impedimentum obyciat.* Sic dicitur 2. Reg. 16. *Si fortè Dominus respiciat afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna:* & Ionæ 3. *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus?*

33. Denique Psal. 54. cùm dicitur: *Si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset; abscondissem me forsitan ab eo:* quamuis Dominus illis verbis alloquatur Iudam proditorem; quia tamen illum alloquitur sub figura Dauidis alloquentis Achitophelem similiter proditorem; ideo modo Dauidi conueniente loquitur dicens: *Abscondissem me forsitan ab eo.* Præterea Gen. 3. de Adamo Deus ait: *Nunc ergo, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.* Quia hisce verbis humano modo loquitur Deus; ideo, vt notant interpretes, trunca, non integra sententia est, qualis iratum, & comminantem decet; adeoque humano etiam more sub dubio loquitur dicens: *Ne forte,* &c. Itaque hic locus ita explicandus est, sicut ille Gen. 6. *Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra: & tactus dolore cordis intrinsecus,* &c.

Forsitan vt Deus vsurpat, humano modo loquitur.

lib. 2. de pœnit. cap. 5.

34. Respondet 6. Ambrosius dubitationibus, an per pœnitentiam obtineatur peccatorum remissio; quia Act. 8. Petrus Simoni Mago dixit: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua; & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui:* Considerent, ait Ambrosius, *de quo loquatur, hoc est de Simone, qui non ex fide crederet; sed dolum cogitaret. Ego autem nec Petrum dubitasse dico. Nam si putant dubitasse Petrum, nunquid & Deum dubitauit; qui ait ad Ieremiam prophetam: Noli auferre verbum, forsitan audient, & auertentur: & ad Ezechielem: Hæc dicit Dominus, si fortè audient, & terrebuntur?* Concludit tandem: *Non ignorantia eo verbo exprimitur; sed in scripturis diuinis frequens huiusmodi consuetudo aduertitur; eo quòd simplex sit elocutio: non ergo semper dubitantis est.* Hæc Ambrosij responsio ita absolutè prolata, quòd simplex sit locutio, à pluribus interpretibus affertur, quibus adæquatè satisfacit. Sed Hieronymo, Augustino, Chrysostomo non satisfecit; cum ipsi alias interpretationes attulerint, vt supra vidimus. Quare cum iuxtà communem acceptionem *Fortè,* & *Forsitan* dubitationis particulæ sint; reddenda videtur ratio, quomodo in Scripturis interdum simplici affirmationi deseruiant; quod mox videbimus. Cæterùm quomodo intelligenda sint Ieremiæ, & Ezechielis citata verba iam supra diximus responsione 5. Petrus verò Simoni Mago sub dubio loqui

Cap. 26.

Cap. 2.

voluit, quia, vt ait Hieronymus in illa verba Regis Niniuitæ apud Ionam 3. *Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus? Ideo ambiguum ponitur, & incertum; & vt dum homines dubij sunt de salute, fortius agant pœnitentiam, & magis ad misericordiam prouocent Deum.* Quare, vt ait Augustinus in Psal. 50. *Niniuitæ de incerto egerunt pœnitentiam, & certam misericordiam inuenerunt.* Huc præterea reuocari potest verissima illa Gregorij regula, quam circa Prophetarum vaticinia tradit, docens spiritum prophetiæ nec semper, nec eodem modo prophetæ animum tangere: ex quo fit, vt quamuis quædam certò noscat, quædam illi dubia interdùm sint. *Quod,* inquit Gregor. *Petri Apostoli historia testatur, cum missi ad eum à Cornelio milites, ei sunt per spiritum nunciati. Scriptum quippe est: Et dixit spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te. Ad quos ille descendit, & requirens dixit: Quæ causa est, propter quam venistis? In cuius verbis ostenditur, quia eamdem causam per spiritum non audierat, quam à militibus requirebat. In præsenti ergo mentem Petri spiritus ex parte tetigerat; qui adesse milites dixit; & pro qua causa venerant, tacuit.* Ex quo patet mirum esse non debere, si Apostolus Petrus prophetico spiritu præditus, dubitauerit tamen, an Simonis pœnitentia vera futura foret ob supernaturale motiuum; eaque ita intensa esset futura; vt culpæ simul, & pœnæ remissionem mereretur: & propterea dixit: *Si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.*

Forsitan interdum ponitur; vt salutis incertitudo magis ad pœnitentiam excitet.

Gregorius Hom. 1. in Ezech.

Act. 10.

Propheta quædã nota esse possunt, quædam ignota.

35. Respondetur septimo ex lib. 2. de pœnitentia cap. 5. (qui libri veri Ambrosii sunt, vt probat Bellarminus, quidquid neget Petrus à Soto lec. 2. de necess. confess.) sicut τάχα apud Græcos interdum particula est omninò affirmationis significans citò: ita apud Latinam versionem in sacris litteris particula *fortaßè,* seu *fortè,* quæ particulæ τάχα respondet, interdum omninò affirmatiua est, interdum dubitatiua. *Ipsi sapientes seculi,* inquit Ambros. *qui omnem gloriam suam statuunt in expressione verborum, quod Latinè, fortè, dicimus, Græcè τάχα non vbique pro dubitatione posuerunt. Aiunt itaque dixisse primum suorum Poetarum ἢ τάχα χήρη ἔσομαι; quod est, citò vidua ero: & alibi τάχα γάρ σε κατακτανέουσιν Ἀχαιοὶ πάντες ἐφορμηθέντες, idest citò te interficient Achæi, omnes simul irruentes. Non enim dubitaret omnibus simul insurgentibus, vnum facilè ab vniuersis posse prosterni.* Confirmatur hæc Ambrosii sententia, quia etiam apud probatos auctores particula *citò* interdum affirmatiua est, interdum dubitatiua, & *fortaßè* significat iuxtà consuetam ipsius *fortaßè* acceptionem. *Citò,* inquit Turnebus, *vt τάχα, quod citè est Græcis, plerumque, fortasse, valet. Ita Ciceronem citò vsurpasse video in Bruto, vbi ait: sed neque verbis aptiorem citò alium dixerim.* Iterum. *Quem tu non tam citò rhetorem dixisses, quàm, vt Græci dicunt πολιτικόν.* Sicut igitur particula *citò,* quam sæpè planè affirmatiuam esse reperimus; interdum tamen dubitationi deseruit: ita è contrario particulam *fortasse,* quæ sæpe dubitationi deseruit; interdum tamen simplici affirmationi deseruire dicendum est: Et iuxtà hunc sensum explicari possunt verba supra citata Ioann. 5. & 8. Porrò ex allatis responsionibus circa particulas *forsitan, fortaßè, fortè:* non vna omnibus Scripturæ locis, sed aliæ aliis sunt adaptandæ.

Bellarm. Descriptio Eccles.

Forsitan particula respondet particulæ Græcæ τάχα quæ interdũ affirmantis, interdum dubitantis est: sicut etiam est particula citò

Hom. lib. 6.

Forsitan diuersimodè in varijs Scripturæ locis vsurpatur.

Et dedisset tibi aquam viuam.

36. HAnc aquam, illam intelligi puto, de qua vaticinatus est Isaias 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Aquam nominat viuificum Dei verbum*, ait hic Cyrillus. Quare Isai. 55. à Deo dicitur, *Quomodo descendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur; sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo.* Vbi Dei verbum Euangelium intelligunt Sanctus Hieronymus, Cyrillus, & Haymo. Porrò Euangelica doctrina meritò aqua viua dici potest; tum quia à Christo spiritualis vitæ fonte prouenit; tum quia spiritualem vitam, hoc est gratiam animæ, quam illuminat, elargitur. *Fontes Saluatoris doctrinam intelligamus Euangelicam, de quam 67. Psal. legimus: In Ecclesiis benedicite Domino de fontibus Israel*, inquit Hieronymus. Bernar. ser. 66. ex breuioribus ait: *Pro Paradiso, quem perdidimus, restitutus est nobis Christus Saluator. Sicut igitur de vno fonte Paradisi deriuantur quatuor flumina ad irrigandum Paradisum: ita de pectoris eius arcano procedunt quatuor fontes, ex quibus hauriuntur quatuor aquarum genera, vnde tota per vniuersum mundum rigatur Ecclesia. Sunt autem quatuor hi fontes; veritas, Sapientia, virtus, & Charitas. Ex his ergo fontibus hauriuntur aquæ: ex singulis scilicet singula. Nam de fonte veritatis sumuntur aqua iudiciorum; de fonte sapientiæ, aqua consiliorum; de fonte virtutis, aquæ præsidiorum; de fonte Charitatis, aqua desideriorum.* Idem serm. 1. de Natiuit. *Sicut in Paradiso terrestri fuère quatuor fontes, qui vniuersam irrigarent terram; ita in Christo, qui noster est Paradisus, quatuor est reperire fontes. Primus fons est misericordiæ ad diluendas culpas aquis remissionis. Secundus fons est sapientiæ ad potandam sitim nostram aquis discretionis. Tertius fons gratiæ ad irrigandas plantas bonorum operum aquis deuotionis. Quartus fons est charitatis ad condiendum, & decoquendum nostras affectiones aquis æmulationis. Et de istis intelligi potest illud Isaiæ: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Adde quintum, qui est fons vitæ, quem post hoc sæculum repromittit; ad quem sitiebat Propheta, cum diceret: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Fortasse propter hos quatuor fontes, quatuor in locis vulneratus est Christus, adhuc viuens in cruce: propter quintum, cum iam tradidisset spiritum, transforatus est in latere. Hinc etiam*, inquit Gregorius, *dicitur: In die illa erit fons patens Domus Dauid habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ. Fons quippe occultus est Vnigenitus Patris inuisibilis Deus. Fons verè patens est idem Deus incarnatus.* Subdit deinde: *Apertus iam nobis est fons misericordiæ Redemptor noster, qui in domo Dauid incarnari dignatus est; vt peccatorem lauet à peruerso opere; vt menstruatam mentem diluat ab immunda cogitatione. Patet igitur fons; curramus cum lacrymis, lauemur ab hoc fonte pietatis. In hoc fonte ipse quoque Dauid lotus est, cum rediit ad lamenta pœnitentiæ post maculas grauis culpæ. In hoc fonte misericordiæ lota est Maria Magdalena, quæ prius famosa peccatrix, postmodum lauit maculas lacrymis, detersit maculas corrigendo mores. In hoc fonte misericordiæ omnibus aperto lauit Petrus quod negauerat, quia fleuit amarè. In hoc fonte misericordiæ in fine suo lotus est latro, qui semetipsum in morte reprehendens; à culpa sua ablutus est confessio-*

Aqua viua Euangelicã doctrinam significat.

Gen. cap. 1.

Quinque fontes è Christo emanant. Psal. 41.

Zacharia c. 13

A ne veritatis. *Cur igitur pigri sumus? Cur torpentes, & frigidi remanemus, qui hoc fonte veritatis tantos iam se lauisse cognouimus? Quærere misericordiæ fontem debuimus, etiam si clausus esset; patet, & negligimus?* Ante Gregor. quamuis supernaturali lumine carens, similem enhortationem habuit Trismegistus dial. 7. *Respicite, ò mortales, & resipiscite, & ad fontem vitæ recurrite.*

37. Peccatores Matth. 3. dicuntur *Progenies viperarum*; eò quod proximos venenatis verbis, prauis operibus, prauoque exemplo lethaliter mordeant, & inficiant: propterea Lucæ 15. peccatores legimus accessisse ad Redemptorem, nempe ad gratiæ fontem, vt in eo potis spiritualibus aquis ab æterna morte liberarentur: *Erant appro-*
B *pinquantes ad Iesum Publicani, & peccatores.* Proprietas enim viperarum est, vt dum morsu in hominem venenum transfundunt, ipsæ vicissim lethalem pestem contrahant, qua intereunt, nisi statim ad aquam potandam confugiant. *Natura viperarum est, quòd statim ac momorderint hominem, currant ad aquam: quam si non inuenerint, moriuntur*, ait Chrysostomus. Samaritana igitur vipera erat, quę homines lasciuiæ veneno infecerat; propterea, vt ab interitu liberetur, ad gratiæ aquam potandam allicitur à Domino dicente. *Forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Ambros. lib. 5. in Hexameron. c. 2. ait: *Quæ innocentia terris, amamus in aquis. Etenim noxia in terris, in aquis innoxia sunt; atque ipsi angues sine veneno. Muræna, quam ferunt aliquid habere no-*
C *xium, esca pretiosior est.* Ideo Samaritanam peccati veneno infectam, ad supernaturalem Dominus aquam allicit; vt ab ea peccati virus abiiciatur; & Redemptori animarum salutem esurienti suauis esca reddatur. *Etiam in Ecclesia aquæ illud operantur; vt prædonum abluta nequitia cum innocentibus comparentur. Addo porcos maris etiam Iudæis gratos: quia nihil est commune, quod non aqua abluat*: ait idem ibidẽ Ambrosius. Suem in peccati volutabro sordidam Samaritana referebat: sed suis cum ciuibus in diuinæ gratiæ, & misericordiæ pelagus postmodum translata, Christo Domino secundum carnem Iudæo gratissima fuit: & sic Samaritanis licitè Iudæus cou-
D ti maximè potuit.

38. Samaritanam putat Chrysost. plures eodem tempore illegitimos viros habuisse: *Samaritana*, inquit, *eò ipso quod quinque habuerat viros, nullum habuerat; quia verus vir non potest esse, nisi vnus.* Hanc igitur mulierem Ieremiæ vocibus per internam inspirationem ita Dominus alloquebatur: *Tu fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te*, scilicet in sponsam. Plutar. lib. de claris mulieribus refert Galatas, cum sponsalia inibant, in more positum habuisse, vt ex eodem poculo sponsus,
E & sponsa biberent. Vocata igitur à lasciua vita ad cœlestes nuptias Samaritana, inuitatur, vt ex eodem Christi poculo salutares latices hiberet: *Forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.*

Viperę, ne intereant, ad aquam fontē accurrunt: Similiter peccatores ad Christū. In psal. 1.

Animalia in terris noxia, in aquis innoxia sunt.

Porci maris in Iudæis non vetiti.

Cap. 3

Sponsus, & Spõsa apud Galatas ex eodē poculo bibebāt. Samaritanā suā in suam sponsam ad cœlestem suam aquā bibendam Dominus allicit.

Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: vnde ergo habes aquam viuam?

39. SAnctus Basilius in illa verba Psalm. 7. *Lacum aperuit, & effodit eum*, ita disserit: *Lacus nomen apud Sacram Scripturam non admodum in bonam partem plerumque reperitur: sicut nec puteus in malam. Lacus enim est, in quem coniectus*

Lacus in malā partē sumitur, puteus in bonam.

Gen. 37. Exod. 11. Psal. 87. v. 2.

est à fratribus suis Ioseph: &, cum cædes facta esset A *à primogenito Pharaonis vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in lacu: & in Psalmo: Deputatus sum, cum descendentibus in lacum: & in Ieremia: Me fontem aquæ viuæ reliquerunt, & effoderunt sibi lacus pertusos, qui non potuerunt aquam continere. Et in Daniele lacus leonum scribitur, in quem coniectus est Daniel. Puteum autem effoderunt Abraham, & filij Isaac; & ad puteum exiens, refocillatus est Moyses: & mandatum à Salomone accepimus, vt aquam potemus ex vasis nostris, & ex fonte puteorum nostrorum. Denique seruator noster apud puteum cum Samaritana de diuinis mysterijs est locutus. Causam verò, cur lacus ad peiora, puteus verè ad meliora vsurpetur, hanc esse existimamus; quòd aqua in lacu extranea quoddammodo,* B *cadensque è cœlo est; in puteis vero aquarum vena veluti aggesta terra obruta se se produnt priusquam loca effodiantur, sublato vndique terræ cumulo, qui aquas occulebat, aut quæcumque tandem illis incumbente submota substantia; quæ aliud nihil est, quàm terra. Et in animabus quoque fossa quædam est, in quam cadunt, quæ meliora sunt, ac deinde mutantur, & peruertuntur; quando quis honestarum rerum cogitationes incidentes, ad peiora peruerterit; & ad ea, quæ veritati sunt contraria, nihil omninò curans habere honestè. At contra, si occultis ampucatis vitijs, obstructas salientis aquæ vias patefecerit, fons apparebit, atque lux in sermone, & præceptis potabilibus. Idcirco cuilibet sibi puteum effodere necessarium est, vt mandatum supradictum conseruet: Bi-* C *be aquam ex tuis vasis, & è fonte puteorum tuorum. Sic itaque nos filij censebimur effodientium puteos Abrahæ, & Isaac, & Iacob. Lacus minimè fodiendus, ne in fossam incidamus, quemadmodum hic dicitur. Nunc audiamus ea, quæ à Ieremia scripta sunt in peccatorum probrum, ac vituperationem, Deo ipsis dicente, quorum paulò ante meminimus: Me fontem aquæ viuæ reliquerunt, & lacus pertusos sibi effoderunt, qui aquas continere non potuerunt.*

C. 6. v. 14. Gen. 26. Exod. 2. Prouer. 5. Prouerb. 5.

Numquid tu maior es Patre nostro Iacob?

40. CVm ab Assyrijs potiùs quàm ab Israëli- D tis Samaritani originem duxerint, cur mulier hæc patrem Iacob appellat? *Animaduerte*, inquit Chrysost. *quo pacto in Iudaicam se inserit nobilitatem.* Hoc peccatorum est proprium, alienæ gloriæ nomine se cohonestare. Pharisæi etiam, & Sadducæi; cum essent peccatorum maculis fœdi, Abrahami patris nomine gloriabantur; quibus propterea aiebat Ioannes: *Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quid prodest*, inquit Chrysost. *ei, quem sordidant mores, generatio clara? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Quid profuit Cham, quod filius fuit* E *Noe? Aurum de terra nascitur, sed non terra est. Melius est, vt in te glorientur parentes, quàm tu glorieris in parentibus.* Reddit rationem Hugo de Sancto Charo, cur Samaritana suæ gentis Assyriæ potius, quàm Iudaicæ Iacob patrem nominauerit? Quia scilicet ipsius Patriarchę Iacob terram, & habitationem Samaritani subintrauerant. Si igitur ad Patris nomen aliquibus communicandum, sufficit iis patris habitaculum exhiberi; meritò peccatores, quibus in suo regno Satan infernam sedem parat, Diabolum patris nomine vocare possunt, eisque benè à Domino

Peccatores propria carentes, aliena gloria se cohonestare solent. Matth. 3.

A dicitur: *Vos ex patre diabolo estis.*

Ioannis 8.

Qui dedit nobis puteum istum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius.

41. SIcut corporalem aquam communem habemus cum pecoribus; ita spiritualem gratiæ aquam communem habemus cum Angelis. Vbi vulgata legit *pecora eius*, legit Chrysostomus relatus etiam ab Hugone hic: *Nutricij eius.* Porrò secundùm corporalem vitam pecudes, quarum lacte homo pascitur, pro nutricibus habet: sed secundùm spiritualem vitam nutricium habet Deum: *Ego quasi nutricius Ephraim* dicitur Oseæ B 11. idest *tantam benignitatem eis ostendi, vt factus sim ipsis, veluti nutrix*, exponit Theophylactus. Ad huius nutricis lac sugendum nos inuitat Apostolus: *Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite.* Qui huiusmodi lacte, cœlestem gratiam significante, pascuntur, in viros cœlestes transmutantur. Tertull. loquens de tribus Angelis, qui Genes. 18. Abrahamo apparuerunt, ait: *Constat Angelos carnem non propriam gestasse, vt puta naturâ substantiæ spiritualis; in carnem tamen humanam transfigurabiles ad tempus; vt videri, & congredi cum hominibus possent.* Subdit deinde. *Si de materia necesse fuisset Angelos sumpsisse carnem, credibilius vtique est de terrena materia, quàm de vllo genere cœlestium substantiarum;* C *cùm adeò terrenæ qualitatis extiterit, vt terrenis pabulis pasta sit.* Quare si ex terreno Angelorum pabulo terrenam ipsos substantiam priùs sumpsisse deducit Tertullianus: possumus benè è contrario deducere homines, qui cum Angelis cœlestis gratiæ haustu recreantur, Angelicam vitam participare.

Deus hominibus veluti nutrix. 1. Ep. c. 2. lib. de carne Christi c. 2. Pabulũ terrenũ, terrenos, cœleste cœlestem indicat.

Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis, qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

42. AD explicandam vbertatem, & excellentiam, quam habet cœlestis gratiæ aqua, D supra haustum cuiuslibet terrenæ voluptatis, ita elegantissimè B. Ephrem tract. de diuina gratia pronunciauit: *Qui fontem habent, gutta non indigent: lacte non egent, qui gregem pascunt. Qui panem frangunt, micis opus non habent. Qui mel conficiunt, eis mellis saporem explorare non est necesse. Qui margaritam habent, de obolo acquirendo non laborant.*

Gratia cœlestis quantum supra terrenã voluptatẽ excellat.

43. Diuinæ gratiæ haustu perenniter bibentes refici; defectibilem verò esse potum terrenæ voluptatis, vt præcipuam veritatem præ alijs indicare voluit suis fidelibus sancta Ecclesia, cum Canticorum initio sub sponsæ persona dixit: *Meliora sunt vbera tua vino.* Lacti, quod ex E vberibus exprimitur, cœlestis gratiæ haustus; vino verò terrenæ voluptatis potus comparatur. Sed cur vino lac præstare dicitur; cùm oppositum potiùs alicui videri possit? Primò, quia natura parens quamprimùm homines à lactis potu, veluti à tenui alimento diuellit; contra verò vinum ad homines reficiendos reliquo vitæ tempore tribuit. Præterea lac animalibus pluribus concedit, vinum verò tantùm homini natura seruauit. Nihilominus quæcumque sit vini præstantia, postquam semel ex vuis expressum est, aret botrus, seu racemus, neque iterum eumdem liquorem effundere potest; sed ad vbe-

Gratia cœlestis perenniter animã reficit, terrena voluptas defectibilis est.

ro millies redit puer, sempereque lactis pleno ad suom sitim, famemque sedandam reperit: *Ad vbera, quæ suguntur, vel etiam mulgentur, solet lac confluere*, ait Clemens Alex. Quare iuxtà Bernar. serm. in Cantic. sub finem, fideles animæ ad Deum conuersæ ita diuinam misericordiam alloquuntur. *Meliora sunt vbera tua vino. Carnis voluptatem, qua paulò ante tamquam vino ebria tenebamur, vincunt hæc, quæ tua nobis vbera stillant, deliciæ spirituales. Et pulchrè vina comparant carnalem affectum. Vt enim vua semel expressa, non habet iam, quod denuò fundat, sed perpetua ariditate damnatur; sic caro in pressura mortis ab omni prorsus sua delectatione siccatur, nec vltra reuirescit ad libidines. Verùm vbera non sic. Hæc enim cum exhausta fuerint, rursus de fonte materni pectoris sumunt, quod propinent sugentibus. Meritò proinde meliora carnis, seculi ne amore asseruntur vbera sponsæ, quæ nulla vmquam lactentium numera arescunt; sed semper abundant de visceribus charitatis, vt iterùm fluant. Flumina siquidem fluunt de ventre eius, fitque in ea fons aquæ salientis in vitam æternam.* Sed quamuis vuæ terrenarum voluptatum expressæ statim areant; nihilominus terreni homines ipsos arefactas vuas stulto affectu prosequuntur. *Ecce iam mundus in seipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret*, ait Gregorius. Contra huiusmodi homines queritur Deus Oseæ 3. dicens: *Diligunt vinacia vuarum*, idest veteres, inanesque folliculos vuarum, qui in imis doliis subsidunt, aut in lacuum fundo cum vuæ calcatæ sunt. Illud prætereà inter lac, & vinum est discrimen; quòd vinum ex vuis laboriosè pedibus exprimitur, lac verò delectabiliter ore ex vberibus puer sugit: Vt significetur terrenas voluptates prauis affectibus magno labore exprimi; cùm cœlestes delicias iucundissimè os, hoc est superior rationalis animæ pars à diuinæ misericordiæ vberibus hauriat.

In Pædago lib 3.

Ioan 7.
Ioan. 4.

Hom. 28.

Voluptas terrena laboriosè exprimitur, spirituales deliciæ mentis iocũdissimè sugit.

44. Sed cur huiusmodi delicias lac sine dolo vocet Apostolus: *Sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite?* Sine dolo huiusmodi lac dicitur, quia dolum illum fraudemque non habet, quibus Sisara post materialia lactis potum interemptus est. Incidit enim in soporem, in necem, in manus hostium, cùm lac pro aqua potasset: Iudicum 4. Sisara ad Iahelem dixit: *Da mihi, obsecro, paululum aquæ, quia sitio valdè: quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere. Tulit Iahel clauum tabernaculi, assumens pariter & malleum; & ingressa abscondite, & cum silentio posuit super tempus capitis eius clauum, percussumque malleo defixit in cerebrum vsque ad terram; qui soporem morti socians defecit, & mortuus est.* Talis dolus in spirituali lacte, de quo Apostolus loquitur, non reperitur. Diuina enim vbera talia sunt, vt à sugentibus simul sitim, & hostiles insidias arceant: & ideo Cantic. 8. ad homines Diuina misericordia ait: *Ego murus, & vbera mea, sicut turris*; sicut turris scilicet ad hostiles incursus repellendos.

1 Petri 2.
Gratia, spiritualesque deliciæ cur lac sine dolo dicantur.

45. Prætereà, vt spirituale lac à vino terrenæ voluptatis, in quo dolus est, contra distinguat, ait Apostolus: *Sine dolo lac concupiscite.* Quinam in vino dolus sit explicat Salomon Prouerb. 23. vers. 31. *Ne intuearis vinum, quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius; ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Hic vini dolus colligitur clariùs ex Hebræa lectione: *Ne intuearis vinum quando rubuerit, cùm dederit in calice oculum suum.* Cum scilicet intuentis vultum, oculosque ex specierum reflexione reddiderit; rubra enim vina aptissima præ cæteris sunt ad imagines exprimendas. In qua imaginis expressione dolus reperitur; exprimit enim intuenti humanam imaginem, cùm deinde potu admissum vinum, in colubrum, & aspidem, & basiliscum euadat. Qui quidem dolus ita alienus à lacte est, vt numquam lac imagines exprimendo ludificet intuentes. Animaduertit hoc Nyssenus dicens: *Hoc in lacte obseruatum est, solum inter humida proprietatem hanc habere; quòd in eo nullius rei simulacrum, ac similitudo conspiciatur. Etenim res omnes, quæ humidæ naturæ sunt, ad similitudinem speculorum, ob læuitatem superficiei faciunt, vt inspicientium in eas vicissim ex ipsis imagines reluceant. In solo autem lacte huiusmodi simulacrorum expressio locum non habet.* Hinc Nyssenus deducit benè de Christo, atque adeò de Ecclesia, quæ est sponso similis, dici Cantic. 5. *Oculi eius sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ. Quo fit*, inquit, *vt hæc Ecclesiæ oculorum sit laus perfectissima; quòd nihil, quod non subsistat in rerum natura, nihil erroneum, nihil vanum præter ipsam rerum veritatem, velut vmbratili quodam rerum simulacro fraudulenter repræsentent; sed ipsissimam veritatem intueantur, erroneis huius vitæ spectris, & imaginationibus nequaquam admissis.*

Deliciæ spirituales, lac sine dolo, terrena voluptas vinũ cum dolo est.

Lactis proprium est imaginem nullam intuenti repræsentare. Orat. 13 in Cantic.

Ecclesiæ Christi sponsæ oculi, sicut columbæ, qui lacte sunt loti, tribuuntur

46. Prætereà vinum terrenæ voluptatis typus hominem dementat. *Vinum, & ebrietas auferunt cor*, idest sapientiam. Similiter de vino, & ebrietate dixit Salomon: *Quicumque his delectatur, non erit sapiens.* Ebrietatem *sapientiæ venenum* appellauit Ambrosius. Contra verò lac, cœlestis gratiæ symbolum, sapientiam sugentibus elargitur. Quare Isai. 7. de Redemptore dicitur: *Butyrum, & mel comedet; vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.*

Oseæ 4. 1 Prouer. 20. Vinum terrenæ voluptatis dementat, lac cœleste gratiæ sapientiam tribuit. 1 de Helia, & Ieiunio c. 14.

47. Denique, vt probetur mysticus sensus de potu terrenæ voluptatis, sitim non expellentis, iuxtà Domini verba: *Omnis, qui biberit ex hac aqua, sitiet iterùm*; Vino, vt diximus, terrena voluptas comparatur à sponsa dicente: *Meliora sunt vbera tua vino. Quantò magis meri sibi infundunt*, ait Chrysost. *tantò maiori siti ardescunt semper: haustus plurium phialarum sitis fit fomes; & voluptas ad extremum euanescit: Sitis verò facta insedabilis in ipsum ebrietatis præcipitium relabi passim faciens, quos captiuos tenet.* Quod de vini ebrietate Chrysostomus ait; idem verius de terrenæ voluptatis potu dici potest. In eamdem sententiam elegantissimè dixit Nyssenus: *Nihil earum rerum, quibus voluptatis gratia studetur in hoc seculo, operam dantibus satietatem affert. Sed, vt alicubi per ænigma, & inuolucra verborum Sapientia dicit: Dolium perforatum est occupatio circa voluptates; quæ semper sedulò infundentes, irritum, & inexplicabilem quemdam, infinitumque laborem ostentans: qui his rebus student, semper quidem aliquid in fundum cupiditatis infundentes, & quidquid ad voluptatem facit superinjicientes; ad satietatem verò cupiditatem non deducentes. Quis animaduertit ad auaritiæ terminum peruentum esse per id, quòd accesserit auaritiæ id, quod quærebatur? Quis honoris insana cupiditate captus, ambitionis finem fecit, assecutus ea, quæ expetebat? Iam verò quis voluptatem explet acromatibus, spectaculisve; aut infamis, & furiosis ventris studiis; aut iis rebus sectandis, quæ ventrem plenum consequi solent? Quid sibi ex eo, quòd his rebus frui, atque potiri licuit, superesse deprehendit? An non omnis voluptatis species,*

Cantic. 1. Hom. de ebrietate. Voluptas terrena sitim auget, non expellit. 1 de Beatit. in illud Beati qui esuriunt

A *species, quæ corpore percipitur, simulatque appropinquauit, præteruolat? Ne breuissimum quidem tempus apud eas, qui illam attigerint, manent?*

48. Moyses multa, ac mira prodigia contra Ægyptios in elementis omnibus edidit: In igne: *Extendit Moyses virgam in cœlum; & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram. Pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti: & grando, & ignis mista pariter ferebantur.* In aëre, illum triduanis tenebris contegendo: *Extendit Moyses manum in cœlum, & facta sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti.* In aquis ex Moysis imperio: *Extendit Aaron manum suam super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti.* In terra: *Ecce manus mea erit super agros tuos, & super equos, & asinos, & camelos, & boues, & oues, pestis valde grauis. Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die; mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum.* Quæritur autem inter tot plagas, cur prima inceperit à Nilo flumine? *Eleuans virgam, percussit aquam fluminis coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in sanguinem; & non poterant Ægyptij bibere aquam fluminis.*

Exod. 9. Nili conuersio in sanguinem cur inter decem Ægypti plagas prima fuerit, hic, & n. sequenti. Exod. 10. Exod. 8. Exod. 9. Cap. 7. 10.

B

49. Respondetur, cur prima circa Nili aquam plaga fuerit, causam fuisse, quia Ægyptij in Nilo suas delicias reponebant: *Non vt delicias videam, Nile iocose, tuas,* cecinit ille. Propterea Nilum sub Osiridis nomine, vt Deum adorabant, teste Eusebio; ab eoque omne alimentum, & potum, cum pluuia ferè semper carerent, expectabant. Voluit igitur Moyses, qui apud Ægyptios Dei vices gerebat, ante omnia Ægyptijs ostendere, delicias omnes, & diuitias, quas in aliis, quam in Deo, rerum omnium conditore, reponimus, defectibiles esse; nec posse humanam sitim expellere, ita vt qui eas biberit, à siti iterum succedente nequaquam liberetur. Tetigit hanc causam Theodoretus dicens: *Cur primam aquæ plagam intulit Deus? quia valdè gloriabantur Ægyptij de flumine hoc, & hunc pro Deo habebant; vt qui parem vsum illis præberet, quem imber.* Parum foret Nili aquis, hoc est terrenis voluptatibus sitim non expelli; nisi etiam huiusmodi aquæ mortem afferrent. *Computrescente flumine,* ait Philo, *pestilentia exorta est; ex qua, & ex siti adeo multi enecti iacebant in triuijs, vt domestici non sufficerent ad eos sepeliendos. Si quis siti coactus, inde gustasset, confestim acri dolore corripiebatur.* Quàm iustè tunc Ægyptiis insultare poterat Moyses dicens: *Vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam; de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum? Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Quàm benè Ægyptios irridet Eusebius: *Nilum è cœlo defluentem arbitrantur, quem etiam deflere solent, lacrymis reuocari virtutem eius putantes, quæ cæteris temporibus desinere videtur.* Quàm sæpe Ægyptiorum more terrenæ voluptatis, & opulentiæ defectum mundani deflent; ita vt æstuanti siti veluti lacrymis suppetias ferre cogantur!

Ouid. 1. de Trist. lib. 3. de præpar. Euang. c. 3. sub finem.

C

D

Nili putrescens potus, Ægyptiis mortem afferebat, terrenæ voluptatis haustus peccatoribus lethalis est. Deut. 32. Eusebius supra. Nilū è cœlo defluere putarunt Ægyptii.

E

50. Simile Ægyptiorum experimentum vitæ iactura subiit Thales Philosophus; qui, cùm diuinitatem aquæ tribuisset; eamque rerum omnium principium esse docuisset, siti interiit, teste Laertio lib. 1. cap. 5. Miserrimum quidem fuit infortunium Libyci mercatoris, qui cum in deserto Azo aquæ poculum decem millibus aureorum emisset; adhuc siti interiit: Sed longè miserius est mundani hominis malum; qui ad inexplebilem praui cordis sitim sedandam prodigit diuinæ gratiæ thesaurum; vt à diabolo modicum voluptatis mercari possit: cum tamen ad hoc siti vsque ad interitum, immò in æternum crucietur. Teste Plutarcho in præceptis salubribus: *Apud Getas Lysimachus siti oppressus deditionem cum exercitu fecit; mox hausta frigida: Dij boni, inquit, quàm temporaria causa oblectationis ingentem amisimus felicitatem!* Similiter ac Lysimachus peccatores omnes ingemiscere possunt; qui vt intemperantiæ siti, modico voluptatis haustu, satisfaciant, cœleste regnum amittunt, seque in diaboli miserrimè redigunt seruitutem.

Thales diuinitatem aquæ tribuens, siti interiit. Ioan. Leo lib. 1. Africæ c. 27.

Libycus mercator decem millibus aureis nummis aquæ poculum emens, adhuc siti interiit. Lysimachus sitiens ob aquæ poculum se, suumque exercitum hostium potestati tradidit.

51. Quantam mundani homines in huius vitæ deserto, aquæ, idest veræ consolationis penuriam experiantur, significatur Deuteronom. 8. vbi Israëlitas Moyses alloquens ait: *Dominus Deus ductor tuus fuit in solitudine magna, atque terribili; in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas, & nulla omninò aqua.* Ingens malum erat in solitudine illa carere aquis, sed intolerabile prorsus erat malum incurrere in dipsadum morsus. Cum sitis Græcè δίψα dicatur. *A siti,* inquit Isidorus, *denominatur dipsas, latinèque situla; à qua morsi continuò marescunt, & siti ardent; quare potum incessanter haurientes, tandem crepant, & dissiliunt.* De percusso ab huiusmodi angue dicit Lucanus: *Ille vel in Tanaim missus, Rhodanumque, Padumque, ardet.* Dipsas diabolum significat teste Laureto in Allegoriis: qui huius teterrimi serpentis morsu percutitur, ita terrenæ voluptatis æstu flagrat, vt voluptas hausta non antea eius sitim, quam vitam extinguat. Quare elegantissimè Nazianzenus dixit.

12. Etymol. c. 4. Dipsadū è morsu inextinguibilis sitis prouenit. Dipsas diaboli symbolum. Lib. 9. Carm. Iamb. 22.

Perit bibendo quisquis hoc ictus fuit;
Aquis repertis, ruit in eas irruunt;
Quoadusque nimio turgidus potu crepet.
Vita cadente, sana siccadit sitis.

Immissam peccati pestem sæpè voluptatibus dediti peccatores, non sentiunt: & obdurata conscientia ob pessimum statum, in quo reperiuntur, mœstitiam non habent. *Dipsadis venenum ante extinguit, quàm sentiatur; nec tristitiam sentit moriturus,* ait Hugo Deut. 8.

Dipsadum venenum antequam sentiatur, interimit. Tale sæpe est peccati venenum.

52. Stultum esset, si quis ad sitim sedandam maris aquas potaret: nihilominus Catonis milites à Libycis dipsadibus icti, insano impetu accurrentes ad mare, post epotas aquas salsas, extincti disrupti sunt. Hanc amentiam homines imitantur, cùm praui cordis sitim, noxiis voluptatibus expellere volunt. Sunt enim mundanæ voluptates veluti aquæ, in quibus salsedo sitis incentiuum est; ita vt in iis vere dici possit inesse illud apud Ierem. 15. *Mendacium aquarum infidelium*: promittunt enim sitim sedare, sitim tamen accendunt. Salsæ autem, & amaræ sunt terrenæ voluptates, cùm spirituali dulcedini omninò aduersentur. Contra verò de cælesti gratia dicitur Isai 33. *Aquæ eius fideles sunt*, cum sitim, quam expulsuras se promittunt, verè expellant; ita vt qui ex iis biberit, non sitiat in æternum. Huiusmodi aquæ Christus est fons, de quo dicitur Zachariæ 13. *Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris.* Cœlestis enim gratia, quam Christus elargitur, homines & à peccatorum sordibus abluit, & in iis sitim terrenæ voluptatis extinguit. Dicitur autem

Dipsadum morsu icti ad marinæ aquæ potū accurrentes disrupti intereunt. Solin. de Africa cap. 30. de Arabia c. 36. Luc. lib. 9. Voluptas terrena salsa aqua instar sitim auget.

Moyses, & Aaron à Deo thesaurum aquæ viuæ petentes, diuini Verbi aduentum in carne mystice efflagitabant.

Serm. 2. de Exalt. Crucis.

fons patens, quia omnes ad bibendū inuitat. *Si quis sitit, veniat ad me*, dixit Dominus Ioan. 7. Hunc fontem, vt suas gratiarum aquas effunderet, precabantur Moyses, & Aaron Num. 20. *Domine Deus, exaudi clamorem huius populi; & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ.* Quamuis enim prima facie materiales aquas expostularent; efflagitabant tamen magis arcanis precibus æterni Verbi sub humana carne aduentum; & ideo magnificis illis verbis aquam Dei thesaurum appellant; vt docet Petrus Damiani. Qui diuinæ huius aquæ spreto thesauro ad terrenæ voluptatis aquas anhelat; meritò à Deo arguitur Ierem. 2. vers. 18. *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis?*

53. Sed nil mirum esse debet, si terrenis voluptatibus haustis, iterum sitiant peccatores; quia *humanum cor*, vt ait Bernardus, *cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest; capacem enim Dei quicquid Deo minus est, non implebit.* Præterea exiguis guttis vehemens sitis extingui non potest: ex mundanis autem voluptatibus tantùm guttas peccatoribus libare licet: quare ipsi Paralipomenon 2. cap. 34. testantur: *Magnus furor Domini stillauit super nos*: & Daniel 9. *Stillauit super nos maledictio; idest minutatim, & per partes cecidit*, ait Hugo. Quod Dominus puniendo peccatores, guttatim iram suam effundat, communiter diuinæ misericordiæ tribuunt sacri interpretes iuxta illud Psal. 77. vers. 38. *Ipse autem est misericors, & non accendit omnem iram suam.* Respicit autem in hoc puniendi modo diuina misericordia humanam miseriam; peccatores enim guttatim terrenas voluptates hauriunt; & propterea guttatim etiam iis à Deo pœna respondet. Hinc tamen peccatores fiduciam vlterius peccandi elicere non debent; cum ipsæ guttæ diuinæ iracundiæ grauissimè crucient; & ex guttis prænuntiis imbrium eluuies reformidari debeat. Quare secum ipsi excogitent, dicantque peccatores cum Sancto Hieronymo: *Si stilla tanta sæuitia est, quid in totis imbribus æstimandum erit?* Quantam inferunt pœnam ipsæ diuinæ iracundiæ stillæ perpendatur apud Ezech. 21. vbi Dominus ait: *Fili hominis, pone faciem tuam ad Ierusalem; & stilla ad sanctuaria. Stillare prophetas idioma scripturarum est; quòd non totam Dei simul inferant iram; sed paruas stillas comminatione denuncient*, ait Hieronymus. Hac posita Hieronymi interpretatione, quod malum hæ paruæ stillæ inferant, videamus. Cum Ezechieli dictum esset: *Stilla ad sanctuaria*, subditur: *Hæc dicit Dominus Deus: Eijciam gladium meum de vagina sua; & occidam in te iustum, & impium. Idcircò egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro vsque ad Aquilonem.* Quid formidabilius excogitari potest?

Stillare, non efficaciter super peccatores furor Domini quare dicatur?

Stillæ iracundiæ diuinæ quàm grauiter puniant.

In Ezech. 20.

In Amos c. 7.

54. Sed contra ea, quæ diximus; ex terrenis deliciis, & voluptatibus non videtur mundana felicitas guttas tantùm peccatoribus elargiri; ita vt statim iterùm sitiant, cùm eas vberrimè vsque ad ebrietatem potare detur. Patet hoc ex Apocal. 17. vbi Angelus Ioanni ait: *Veni, & ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt Reges terræ, & inebriati sunt qui habitant terram de vino prostitutionis eius.* Nomine meretricis magnæ mundum intelligi, per vinum prostitutionis mundanam delectationem significari docet Hugo Card. Si tanta est huiusmodi vini

A vbertas, vt eius potu inebriari possint vniuersæ terræ habitatores; vtique terrenæ voluptatis penuriam esse negandum est. Sed sequentia verba eiusdem visionis audiamus: *Mulier erat circumdata purpura, & coccino, inaurata auro, & lapide pretioso, & Margaritis, habens poculum aureum in manu sua.* Quam modicum, & exiguum est vnicum poculum ad sitim omnium in terra habitantium sedandam! Intra vnius vasculi angustias terrenorum hominum deliciæ continentur. Poculum hoc inebriat quidem, cum bibentes dementet; iis tamen sitim non extinguit. *Calix aureus, habens vinum, immò potius aquam cupiditatis; quam quantò quis plus bibit, tantò plus sitit*, ait Hugo. Et Gregorius: B *Mundi huius gloria dicitur calix aureus; quia, dum pulchra esse temporalia ostentat, stultas mentes in sua concupiscentia inebriat; vt speciosa temporalia appetant, & inuisibilia pulchra contemnant.* Hic calix aureus dicitur Ieremiæ 51. *Inebrians omnem terram; de vino eius biberunt gentes, & ideo commota sunt.* In textu Arabico legitur: *Biberunt omnes populi, & ideo Babylonizati sunt*, hoc est confusi sunt. Vnde confusi? Quia ebrietatem sentiunt, & sitim non expellunt: *Babylonizati sunt*: Babylonis flumina aptiora sunt ad lacrymas eliciendas ex oculis, quàm ad sitim è pectore eiiciendam: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, cum recordaremur tui Sion: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* Super flumina, C hoc est inter sæculi huius voluptates, sitis, & ariditas sentitur; nisi ad cælestem Patriam, vbi *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, anhelemus.

Voluptatis terrenæ exiguum intra poculum coarctatur.

Hugo in Ierem c. 51.

34 mor. 18.

Voluptatis terrenæ poculum inebriat dementatione, sitim non extinguit.

Babylonis flumina eliciendæ solum lacrymis apta, sitim non extinguunt.

Psal. 136.

Psal. 45.

55. Psalmo 74. dicitur: *Calix in manu Domini vini meri plenus misto; & inclinauit ex hoc in hoc; verumtamen fæx eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.* Isidorus Pelusiota hunc calicem purum Dei iudicium iuxtà scelerum qualitatem, & quantitatem temperatum interpretatur. Quia peccatorum oblectatio ex mundana gloria, & voluptate proueniens, intra vnicum calicem, vt supra vidimus, coarctatur; ideo Dei etiam vltio intra calicem continetur; D vt culpæ pari mensura pœna respondeat. Sed ne calix iste vsque ad fæcem nobis propinetur, caueamus; iuxtà Ezechielis comminationem: *Bibet illum, & epotabis vsque ad fæces*, fæcem in calice non exinanitam, inferni pœnam numquam finiendam significare *docent Hugo, & Rickelius.*

Isidorus lib. 2. Ep. 191.

Iudicium diuinum peccatoribus pœnas statuens cur calix appellatur?

Cap. 23.

Calicis fæx non exinanita inferni æternam pœnam significat.

56. De amicitia huius mundi, quæ inimica est Deo, dicitur Iob. 6. *Fratres mei*, hoc est amici mei, iuxtà Hugonem, *præterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in conuallibus.* Mundanam amicitiam propter inconstantiam, & perfidiam E torrenti, & fluctui comparari docet Didymus: Similitudinem autem in eo sitam esse declarat, *quòd torrens nasini, ac perennis fluuij speciem præbet, ac sicut fluctum, cum sublimem se tollit, & numquam diuulsum iri credet arbitramur: sed tamen torrentem, squalor, ac siccitas; fluctum tranquillitas apertè indicat.* Similiter Hugo: *Torrens abundante pluuia fluit; deficiens deficit.* Hyeme igitur transacta, cessantibus hybernis imbribus, statim torrentes arescunt. Ita prorsus, cùm præsens vita hyemis nomine significata transit, statim mundanæ deliciæ deficiunt, arentemque deserunt peccatorem; ita vt apta materia Gehennæ incendio reperiatur. Sed videamus quò huius torrentis aquæ delabuntur. *Sicut torrens, qui raptim transit*

Iacob. 4.

Mundi amicitia cur torrenti & fluctui paretur?

In Catena in Iob.

in conuallibus, ait Iob. Mundi illecebræ veloti torreos in conoalles, hoc est ad seosus, & ad iofetiores animæ porentias taotùm suas aquas deuoluunt; ita vt interim superior animæ pars planè arida deseratur: ex quo fit, vt inter mundanas valu ptates adhuc anima siti torqueatur. Coutra verò spirituales deliciæ veluti fontes, & pereunes sunt, & sursum feruntur. *Sursum sacrorum fluuiorum feruntur fontes*, bene cecinit Euripides io Medæa.

57. At, inquies, etiam torrenti, qoi æstiuo tempore, cum maximè aquis indigemus, deficit, cœlestes deliciæ comparaotur Psalm. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Respondet Theodoretus: *Abundantiam borum bonorum, nempe cœlestium torrenti assimilauit: primùm quidem, quoniam à principio hæc hominibus data non fuit; deinde omnes homines adhortando, vt accedam, & bibant; quippe quòd non sit perenne flumen, sed torrens, & ad tempus fluens. Qui namque in hac vita non accesserunt, post hunc discessum sacris aquis minimè perfruentur. Et ostendens quidem naturâ bonorum affluentiam perpetuam esse, sed ab dispensationes torrentes fieri; opportuni subiunxit: Quoniam apud te est fons vitæ.*

Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

58. CVm triplex sitis excogitari possit; alia corporis, alia animæ, secundùm appetitum sensitiuum; alia eiusdem animæ secundùm appetitum ratiooalem: quæritur de qua siti dicatur io allatis verbis: *Non sitiet in æternum.* Non de siti corporis; nam saocti viri huiusmodi sitim sæpè toleraruot, vt Paulus de seipso testatur: *In labore, & ærumna; in vigilijs multis; in fame, & siti*: & Dominus ooster in præsenti Euangelica historia, ex itinere fatigatus, vera siti pressus, Samaritanæ dixit: *Mulier da mihi bibere.* Neque dici potest de siti animæ secundùm appetitum sensitiuum; hæc enim coocupiscentia carnis est, militans aduersùs animam, cuius motum etiam sancti viri sentiont, testante ipso Apostolo, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Quòd si huiusmodi motibus iusti contradicunt; hoc non est sitim oon sentire, sed siti ooo satisfacere. Neqoe denique allata verba intelligi possunt de animæ siti secundùm appetitum ratiooalem, qua virtutes, & spiritualia bona appetimus. Io sanctis eoim viris postquam cœlestem gratiæ aquam biberint, spiritualis sitis non extingoitur, sed augetur, iuxtà diuinæ Sapientiæ testimoniom. *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient*: *Augent* inquit Gregorius, *spirituales deliciæ appetitum in mente, dum satiant; quia quantò magis earum sapor percipitur, eò amplius cognoscitur, quod auidius ametur.* Quare de iustis dicitur Matth. 5. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Vbi Ambrosius ait: *Sitim, & famem intelligimus spiritualem, qua cibus iustitiæ desideratur, & potus.* Cui consonat, quod Apocalyp. 22. dicitur: *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Hanc igitur vlteriorem iustificatiooem iusti semper sitiunt: ex quo fit, vt iustus antonomasticè *Sitiens* appelletur Apoc. 21. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.* Quo in loco doctissimus ioterpres noster Ribera ait: *Sitientes iustos dicit, qui nihil, nisi Deum cupiant, idque vehementer more sitientium.* Ad extremom dici non potest allata verba verificari in statu Beatorum

Triplex sitis haberi potest.
2. ad Cor. 11.
Ad Rom. 7.
Eccli 24.
Hom 36. in Euang.
In Luc. 6.
Iustus cur antonomasticè sitiens appellatur.

iuxtà Psalm. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*: nam si sitis animæ desiderium animæ est, ipsi Beati siti non carent, cùm de Beatis Angelis dicatur: *In quem desiderant Angeli prospicere.*

1. Petri 1.

59. Respondetur ex triplici siti supra explicata secundùm quamlibet, vera esse Redemptoris verba: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Idem enim est dicere: *Non sitiet in æternum*, ac dicere: *Sitiet non in æternum.* Sicut Ioan. 11. *Qui viuit, & credit in me, non morietur in æternùm*; idest, *Qui credit in me, morietur, non tamen in æternum, sed ad tempus restituendus postea in æternam, & beatam vitam.* Sæpè enim, (quod sacrarum litterarum ioterpretes animaduerteroot) ad claram sacri textus intelligentiam oegatio transponenda est, vt Ioan. 6. *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo*, idest *Moyses non dedit vobis panem de cœlo*: ad Rom. 8. *Debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus*, idest *non sumus debitores carni.* Dicitur ergo bibens gratiæ aquam sitim passurus non in æternum; dummodo cœlestis aqua foras non tegeratur; dummodo fiat io eo foos, de quo infra dicetur. Quamuis enim in hac vita electi corporali siti subiaceant, motusqoe appetitus sensitiui sentiant; & ad vlteriorem perfectionem semper anhelent: oihilominus hoc non semper, oon enim in æternum erit; oam io beata vita propter corporis impassibilitatem corporali siti oon eruot obnoxii; oeque seositiui appetitus motibus subiicientur propter perfectam sobordinationem inferioris partis ad soperiorem: cumque amplius viatores non sint, sed comprehensores, ad vlteriorem perfectionem noo tendent. Quare de Beatis dicitur Apoc. 7. *Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque vllus æstus.* Vbi ait Ambrosius: *Animæ Sanctorum non esurient, neque sitient amplius, quia esurierunt; iamque percipere vitam æternam meruerunt. Per solem*, ait idem Ambros. *tentationes, quas sancti ab hominibus perferunt, possumus intelligere; per æstum tentationes dæmonum, siue voluptates carnales.* In eamdem sententiam Isaias 49. ait: *Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus, & sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.*

Triplici à siti iustum diuina gratia liberat.
Negatio in scriptura ad clarum sententiæ sensum est transponenda.
Salmeron Proleg. 11, Can. 41.
In Comment. in Apoc. quæ Ambrosio tribuit Catbebertus Tonstallus, dissentiente Bellarmino de Scriptoribus Eccles.

60 Porrò ad textum allatum ex 1. Petri 1. *In quem desiderant Angeli prospicere*; Respondetur: Desiderium, seu sitis dicitur esse in Beatis; non qoòd aliud experant, noo qoòd booo concupito priuentur; sed qoòd coocupiti boni satietatem illam, quæ fastidium parit, nunquam sentiant; & possessio eiusdem boni, quo nonquam priuandos se sciunt, semper ametur. Hoc autem dicitur ad distinctionem bonorum temporalium. Nam teste Gregorio, *Corporales deliciæ cum non habentur, graue in se desiderium accendunt: cum auidè eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. In illis appetitus placet, experientia displicet; in illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat.* Sed hæc in te audiamus eumdem Gregorium 18. moral. cap. 39. egregiè sic differentem. *Quia de Deo per primum Ecclesiæ prædicatorem dicitur: In quem desiderant Angeli prospicere: Sunt nonnulli, qui nequaquam Deum videre vel Angelos suspicantur: & tamen dictum per veritatis sententiam sonnat: Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Numquid aliud veritas, aliud prædicator insonat Veritatis? Sed si sententia vtraque conferitur, quia sibi nequaquam discordet, agnoscitur;*

Sitis, seu desiderium in Beatis non significat boni priuationem, sed excludit satietatem ex fastidio prouenientem.
Homil. 36. in Euang.
Deliciarum corporalis, & spiritualis differentia.
Matt. 18. 10.

Deum quippe Angeli & vident, & videre desiderant; & sitiunt intueri, & intuentur: Si enim sic videre desiderant, vt effectu sui desiderij minimè perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam. Beati verò Angeli ab omni pœna anxietatis longè sunt; quia numquam simul pœna, & beatitudo conueniunt. Rursus, cum eos dicimus Dei visione satiari, quia & Psalmista (Psal. 16.) *ait: Satiabor, cùm manifestabitur gloria tua, considerandum nobis est, quoniam saturitatem solet fastidium subsequi. Vt ergo rectè sibi vtraque conueniant, dicat Veritas: Quia semper vident: dicat prædicator egregius: Quia semper videre desiderant: Ne enim sit in desiderio anxietas; desiderantes satiantur: ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Est desiderium igitur sine labore; quia satietas desiderium comitatur; & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur: Sic quoque & nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa simul sitis, atque satietas. Sed longè abest ab ista siti necessitas; longè à satietate fastidium; quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus.*

(Orat. 1. de Natiuit. Christi to. 2. Bibliot. P.P.) 61. Præterea pia valdè est interpretatio Sophronii Patriarchæ Constantinopolitani in prædicta Apostoli verba, vbi ab eo legitur. *In qua, non in quem desiderant. Huc spectant*, inquit, *qua Apostolus Petrus ad eos, qui in Christum seruatorem crediderant, scribit: In qua desiderant Angeli prospicere. Iusti, Prophetæ, & Angeli Christi natiuitatem, & locum, in quo exoptatissimus eiusdem ortus contigit, conueri desiderabant.* Procul dubio iusta erat esuries, iusta sitis, & cupiditas intuendi Bethleem, hoc est domum panis, vbi Panis viuus de cœlo descendens ad famem iustorum expellendam se mortalibus manifestare debebat: vbi ad iustorum sitim sedandam cœlestis ille aquæ riuus foras debebat emanare; qui de se (Eccli. 24 v. 41.) dixit: *Ego quasi trames aquæ immensa de fluuio; ego quasi fluuij dioryx*, idest riuus, *& sicut aquæductus exiui de Paradiso:* scilicet ex purissimo Virginis vtero, quam meritò *Animatum Paradisum* (Orat. 1. de dormit. Virg.) Damascenus appellat. Rursus cùm æternum Verbum sub humana carne nascens, ait: *Ego quasi trames aquæ immensa de fluuio*, Fluuii nomine B. Virginem intellige, ex qua in Bethleemia spelunca Christi Domini, veluti cœlestis riui, temporanea scaturigo manauit: Fluuius enim vberrimus est Deipara, cui minores omnes vectigalibus aquis tributa pendunt. Audiamus Bonauenturam, qui alludens ad illud Ecclesiastæ (In Spec. c. 3.) cap. 1. *Omnia flumina intrant in mare*, ait: *Omnia charismata intrant in Mariam; flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam; flumen gratiæ Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariam; flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam; flumen gratiæ Martyrum, Confessorum, Virginum, Doctorum, intrat in Mariam: Omnia denique flumina intrant in Mariam. Sed quid mirum si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit?* Meritò igitur, teste Sophronio Patriarcha, iusti, Prophetæ, & Angeli, sitientes humanam reparationem, in Bethleemiam speluncam prospiciebant. Sed adueniente Domino sub humana carne, & humana redemptione completa, Sanctorum desiderio iam diuina benignitas satisfecit.

(Flumina gratiarum omnium in B. Virginem confluxerũt.)

(Iusti quomodo sitiunt nunquam.) 62. Ad extremum aduertendum est, licèt in sanctis respectu alicuius obiecti desiderium, seu spiritualem sitim, & famem esse dicamus: eos tamen absolutè sitim, & esuriem pati, dici non potest. Nam si quis statim, ac cibum aliquem appeteret, alium sibi delectabiliorem loco illius haberet; profectò hic numquam esuriem pateretur. Sic statim ac sancti aliquid desiderant, licet illud ad tempus aliud differatur, vice illius diuinæ voluntas offertur, quæ profectò cibus est sanctis viris præ omnibus aliis delectabilior; iuxta id, quod in hoc ipso Euangelio de seipso Dominus, iustorum omnium caput, ait: *Meus cibus est; vt faciam voluntatem eius, qui misit me.*

(& esuriem patiantur.)

Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

63. IN his verbis Hebraismum includi arbitror; quamuis enim Ioannes Græcè scripserit; eius tamen locutio sæpè Hebraicam phrasim sapit, vt passim videre est in eius Euangelio. Solent Hebræi in similitudinibus reticere particulam *Sicut:* Oseæ 10. dicitur Ephraim, *Vitula docta diligere triuram*, hoc est, sicut vitula: ita Prouerb. 25 *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*, idest sicut mala aurea. Sententia igitur Saluatoris est, quòd aqua gratiæ in sanctis viris fiat, *sicut fons aquæ salientis in vitam æternam.* Qua similitudine ostendere voluit in sanctis viris à Deo electis diuinam gratiam semel communicatam non otiosam esse, sed vlterius crescere, & incrementa maiora habere, per quæ ad æternam gloriam illis aditus aperiatur. Itaque sententia hæc cum illa Prouerbiorum consonat: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem. In eorum enim animis*, inquit Gregorius hom. 5. in Ezech. *bonum desiderium, atque intellectus lucis intima iam pars diei est; sed cum vsque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt; quando ad cœlestia regna perducti, in ea luce, quam desiderant, iam minus aliquid non habebunt.*

(Hebræorum idioma simile illud est pa... solet omittere.)

(Diuina gratia in sanctis viris otiosa non est, sed vlterius crescit. Ca. 4 v. 18.)

64. Quàm aptè diuinæ Sapientiæ oraculo perfectus dies æterna beatitudo appellatur? Ille siquidem imperfectus dies habendus est, qui ab imperfecto sole profertur. Huiusmodi est sol iste materialis, *Quem videmus oriri ab Oriente, occidere in Occidente; cuius cursui nox succedit, cuius radij nube obumbrantur, qui certa de loco in locum motione commigrat*, ait Augustinus. Contra verò perfectus sol, perfectum proferens diem, sol ille est, qui de se dixit: *Ego sum lux mundi. Hanc lucem amemus*, inquit Augustinus, *Hanc intelligere cupiamus; ipsam sitiamus; vt ad ipsam, duce ipsa, aliquando veniamus.* Idem in Psalm. 83. ait: *Millia dierum desiderant homines, & multùm volunt hic viuere: contemnant millia dierum, desiderent vnum diem sempiternum; cui non cedit hesternus, quem non vrget crastinus. Quid nobis est cum millibus dierum? Imus a millibus dierum ad vnum diem:* Materialis sol onus affert, languoremque lethalem. Matth. 20. operarii aiunt: *Portauimus pondus diei, & æstus.* Et Iudith 8. de Manasse, *Venit æstus super caput eius, & mortuus est.* At Diuinus Sol pro pondere pennas, pro languore sanitatem affert. Ideo vitam æternam consecuturis dicitur Malachiæ 4 *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.*

(Perfectus dies beatitudinem significat.)

(Augustinus tract. 34. in Ioan. Ioan. 8. Augustinus tract. 34. in Ioannem.)

(Materialis & diuini Solis discrimen.)

65. Rursus ad significanda diuinæ gratiæ in sanctis viris incrementa, dicitur Cantic. 4. *Sur-*

Auſter ſpiritus amoris, Aquilo timoris ſpiritum ſignificat.

ge Aquilo; hoc eſt abi, diſcede: & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius. Nomine frigidi Aquilonis ſpiritum timoris; nomine verò calidi Auſtri ſpiritum amoris intelligit Hugo Cardinalis: illum abſcedere ſponſa iubet, hunc aduenire. Hoc in Euangelica lege Eccleſia ſancta Chriſti ſponſa conſecuta legitur 2. ad Timoth. 1. *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis.* Sed ad rem noſtram: cum Aquilo à vehementi flatu in remiſſionem deſiuat; contra verò Auſter à modico in vehementius flamen aſſurgat: Aquilo deficientium, Auſter verò proficientium ſpiritum ſignificat. Propterea fidelis anima Chriſti ſponſa deficientem ſpiritum abſcedere, proficientem aduenire vehementer exoptat: ſcilicet vt ſemper diuinæ gratiæ habeat incrementum. E proficientis animæ corde Deus ſe manifeſtat: *Deus ab Auſtro veniet*: contra verò à deficientis animæ ſinu diabolus ſe prodit, qui virtualiter omne vitium eſt: *Ab Aquilone pandetur omne malum.*

Auſter proficientium ſpiritum, Aquilo deficientium ſpiritum ſignificat.

Habac. 3.

Ieremiæ 1.

Iuſti nouo ſancti ans augmento largiorem benedictioné, & beneficentiam promerentur.

66. Patriarcha Iacob Ioſepho filio ampliſſimè benedicens dixit Geneſ. 49. *Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius*, vel ex Hebræo *ſuper benedictiones patrum meorum.* Cur benedictiones Ioſepho datæ tam amplæ fuerint, vt ſuorum maiorum benedictiones ſuperauerint, cauſam ipſe Iacob ibi indicat dicens: *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu*: Ex Hebræo legitur: *Filius fructificans Ioſeph; filius fructificans ſuper fontem.* Hoc eſt filius ſemper fœcundus, ſicut arbor iuxtà fontem vitę. Similiter qui nouo, & nouo ſanctitatis augmento virtutum fructibus fœcundus eſt, is cœleſtem benedictionem, & beneficentiam largius promeretur. Ideo de Chriſto Domino ſupremo legiſlatore reſpectu iuſtorum dicitur Pſalm. 83. *Benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem.*

Dei amici cur viatores appellãtur?

67. Dei amici ſacris in litteris multiplici honorifico nomine appellantur. Iuſti, fideles, immaculati dicuntur: Ieremias tamen cap. 9. inſueto nomine eos viatores appellat. *Quis dabit me in ſolitudine diuerſorium viatorum, & derelinquam populum meum; & recedam ab eis; quia omnes adulteri ſunt, cœtus prævaricatorum?* Cupiebat Ieremias à ſuo populo prævaricante recedere; ſeque cum Dei amicis ſociare, quos viatores vocat. *Quis dabit me* (ſubintelligitur habere) *in ſolitudine diuerſorium viatorum?* Verè Dei amici viatores dicuntur; quia in virtutis, & ſanctitatis via ſemper vlterius progredi nituntur: ex hoc autem ſpiritualis itineris progreſſu benè viatorum nomine appellantur.

68. Hinc benè intelligitur duarum ſententiarum in ſacris litteris diuerſitas. Pſalm. 136. Spiritus ſanctus indicare videtur in extera terra diuinas laudes non eſſe reſonandas: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* At Pſalm. 118 oppoſitum dici videtur: *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Huius diuerſimodæ ſententiæ ratio eſt; quia hi, qui in hac mortali vita, in huius mundi Babylonica confuſione otioſè ſedent, ſine vlla ſpirituali profectus ſollicitudine, hi nec volunt, nec dignè poſſunt ad diuinas laudes os aperire. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Et ratio ab iiſdem redditur: *Super flumina Babylonis, illic ſedimus.* Contra verò, qui in huius mortalis vitæ exilio otioſè non ſedent, ſed ſpiritu ſemper proficiendo celeri gradu ad

A cœleſtem patriam peregrinantur; hi profectò volunt, poſſunt, ſolentque ſæpiùs ad Dei laudes, diuinæque legis celebranda mandata os aperire: *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Iuſtus, qui peregrinando ſpiritualiter proficit, ſemperque progreditur, diuinas laudes dulciter canat: Peccatores, qui in terræ exilio otioſè ſedent, vt diuino eloquio indigni, obmuteſcant. *Super flumina Babylonis illic ſedimus: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Vbi benè Chryſoſtomus ait: *Si in terra barbara, nempe Babylone, Domini oracula canere fas non erat; quantò magis id anima barbara?* Meritò peccatoris anima barbara dicitur; eò quod planè rudis, & rerum cœleſtium B inſcia, largiſſimam Dei beneficentiam non agnoſcat. Pergit Chryſoſtomus: *Si captiuis hoc non licuit, quantò potiùs, qui ſerui ſunt peccati, & alienam vitam viuunt, muto, clauſoque ore eſſe debent; & organa, & vaſa cantici ſuſpendere?* Aliena vita peccatoris dicitur, eò quod ſenſualibus voluptatibus deditus, beſtiarum, non hominum vitam viuere videatur.

Dei laudes quis dignè, vel indignè canat?

Peccatoris anima barbara cur dicatur? Peccator alienam vitam viuere dicitur.

69. Alia ſententiarum oppoſitio videtur Pſalm. 118. & Matth. 7. 14. In Pſalmo dicitur: *Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui.* Contra in Euangelio Dominus ait: *Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam!* Sed verè in his ſententiis contradi-C ctio nulla eſt: qualis enim quiſque eſt, talis ei operandi via videtur. Qui ad benè proficiendum anguſtum cor habet, nec à terrenis affectibus expeditum, huic anguſta virtutis, & ſanctitatis via videtur. Contrà verò, qui à terrenis deſideriis liber, cœleſtibus bonis acquirendis ſtudet; hic latam bene operandi viam aperitur. Et propterea felix huiuſmodi viator maiori, ac maiori virtutis profectu, magis, ac magis ad beatam patriam curſum accelerans verè Deo ait: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.*

Sanctitatis via, cur aliis lata, aliis anguſta videatur.

70. Cum Iſraëlitæ quadraginta annorum ſpatio per deſertum peregrinarentur; diuinitus factum eſt, vt toto illo tempore eorum veſtes D nec conſumerentur, nec veteraſcerent. Deuter. 29. 5. *Adduxit vos quadraginta annis per deſertum; non ſunt attrita veſtimenta veſtra; nec calceamenta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt.* Sed in itinere, quod Dei amici per huius mundi deſertum cœleſtem patriam verſus ſemper vlterius proficiendo peragunt, miraculum longè maius contingit; cum ipſe viator non ſenium ſubeat, ſed iuueneſcat. Quod vt intelligatur, in quolibet humano indiuiduo duplicem hominem diſtinguere poſſumus: alterum exteriorem ſenſu præditum, interiorem alterum rationis participem, & ſpiritus regimini obſequen-E tem. Exterior quidem homo temporis progreſſu conſeneſcit: at interior ſpiritualis homo vigorem maiorem ad vlterius ſemper proficiendum acquirens, omnino iuueneſcere videtur. *Licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem*, ait Apoſtolus. Quare renouatur de die in diem? Quia *ibit de virtute in virtutem.* Ibit autem de virtute in virtutem, quia ex diuinæ gratiæ ſcaturigine *fit in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Hebræoru in deſerto veſtes, & calcei integri 40. annos ſeruati.

Iuſtorum exterior homo ſeneſcit, interior iuueneſcit.

2. ad Cor. 4. 16.

71. Diuinæ gratiæ ſemper vlterius proficientis efficacitas in primitiua Eccleſia apertiſſimè patuit. Nam Lucæ 19. Zachæus enim primum

Diuina gratia est illuminatus, dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.* Quare in Zachæo visa est magna diuinæ gratiæ vis, illi suadendo ex æquo cum pauperibus sua bona diuidere: postea tamen proficiente diuina gratia in animis fidelium, ij non bonorum dimidium, sed bona omnia largissimè indigentium vsui erogarunt. *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, vt dicitur Act. 4. 35.*

72. Iter, quod ab anima cælestem patriam versus spirituali vita peragitur, similitudinem quamdam cum corporali itinere habet; quia ex vtroque itinere fames excitatur. Fames tamen, quam perfectionis iter excitat, insatiabilis in hac mortali vita esse debet. *Tria sunt insatiabilia: Infernus; & terra, quæ non satiatur aqua; ignis verò numquam dicit, sufficit,* ait Salomon. Vt inferni insatiabilem ingluuiem intelligamus; ante mentis oculos ponamus immensas illas voragines vniuerso terræ ambitu inclusas: in eas, quamuis quotidie ingens damnatorum multitudo corruat; Inferni tamen ingluuies non expletur; sed perpetuò immanem barathri apertum habet hiatum ad alios, atque alios præcipites peccatores absorbendos; sed iusti, sanctique viri anima, quę mysticus Paradisus est: *Cælum est anima iusti,* ait Gregorius: talis inquam, anima, laudabiliter Inferni æmula esse debet; ita vt de eius æmulatione dicatur: *Dura sicut Infernus æmulatio.* Nam sicut Infernus, & in Inferno diabolus peccatoribus, & peccatis non satiatur; ita anima iusti sanctis operationibus, & virtutibus numquam sic satiari debet; ita vt ad maiora, & meliora non anhelet. Infernus, eiusque princeps diabolus postquam lasciuos, fures, homicidas, & sacrilegos multos absorbuit; adhuc velut integra fame aliorum perniciem, aliorumque scelerum reatus esurit. E contrario, Dei amicus, postquam primo mane orans pluribus erga Deum summum bonum feruidæ charitatis actibus exarsit; hinc pia fame charitatis erga proximos sanctarum operationum se cupidum exhibet. Inde post demississimæ humilitatis actus, nouum suæ animæ cibum patientiæ actibus, rerum mundanarum contemptu, sensuumque mortificatione ministrare studet: sanctis cogitationibus pia colloquia, pijsque verbis sanctæ vitæ exempla succedunt. Sic Dei seruus piè meditando, loquendo, & operando *numquam dicit sufficit.*

Prou. 30. 15.

Grego. hom. 38 in Euág.

Inferni æmulatio in iusto qualis esse debeat.

Cantic. 8. 6.

73. Matthæi 4. quæritur, cur in Iudææ deserto diabolus non vnum, sed plures lapides in panem mutandos Domino proposuit: *Dic, vt lapides isti panes fiant?* Vnus profectò lapis in panem mutatus ad vnius hominis expellendam famem satis esse videbatur. Respondet Theophylactus: *Non dixit, vt lapis hic panis fiat, sed lapides: volens Christum ad superflua instigare; esurienti enim vnus panis sufficit.* Si sua diabolus industria non in eo merè, quod sufficit, sistit: neque Dei seruus in spiritus mediocritate sistere; sed semper ad perfectionem maiorem se extendere debet.

Diabolus cur ad Dominum tentandum, non vnum, sed plures lapides in panē mutandos proposuit?

74. Beda explicans Salomonis verba Prouer. 30. *Sanguisuga duæ sunt filiæ, dicentes: affer, affer:* sub sanguisugæ nomine Satanam significari docet: *Sanguisuga diabolus est; qui siti peccandi, ac peccata suadendi semper accenditur. Huic duæ sunt filiæ; duæ scilicet speciales humani generis illecebræ; Luxuria videlicet, & philargyria;* hoc est argenti cupiditas. Tartaream hanc sanguisugam humanum ne tantùm sanguinem sitire censemus? nequaquam. Sitit etiam Christi Domini sanguinem; quatenus diuinum Redemptoris sanguinem, quo ab æterna damnatione liberati sumus, ab hominum memoria delere nititur. *Diabolus quando insidet alicui membro, idest, alicui peccatori, sugit sanguinem, idest compassionem, & memoriam passionis Christi, & sanguinis eius,* ait Petrus Voragines. Ad oppositum finem, Christi sanguinem Dei amicus assidua meditatione sugere debet; vt ex pretioso illo sanguine vberioris diuinæ gratiæ scaturigo in eo, & proximis semper emanet.

Sanguisuge nomine Satan appellatur.

Sanguisugæ tartareæ filiæ luxuria, & auaritia.

Diabolus Dominicæ passionis memoriam delere studet.

95. Inter insatiabilia secundo loco arentem terram Salomon ponit; quæ scilicet non primis contenta imbribus, aliam, & aliam expetit pluuiam: *Terra, quæ non satiatur aqua.* Talis Dei amicus esse debet; ita vt semper vlterius proficiendo largiori diuinæ gratiæ latice perfundi ardentissimè cupiat, dicatque cum Danide: *Anima mea, sicut terra sine aqua tibi.* Terra postquam opportunos imbres, vt in herbas germinet, habuit; imbres alios ad flores educendos expetit; & post hos, alios etiam vt floribus fructus, & poma succedant. Hinc benè Gregorius ait: *Terra quæ imbre non perfunditur; non vestitur herbis; non venustatur floribus; non abundat messe. Sic anima gratia carens non operitur virtutibus; non cogitat de calestibus; non insistit vtilibus.* Dicens Gregorius: *Non operitur virtutibus,* indicat à pia anima quamcumque corporis partem, quam animat, virtute esse exornandam. Oculos pia anima venerandæ modestiæ decore exornare debet: aidem aures colloquiis à Deo alienis sunt obserandæ: lingua vel pio silentio cohibenda est; vel infatigabili facundia ad Dei laudes emodulandas, proximorumque salutem piis sermonibus procurandam est exercenda. Sic vndique virtutibus operiri debet.

Terra non satiatur aqua: anima iusti bene operando nouo gratiarum imbre perfundi studeat.

Ps. 142. 6.

Greg. in 7 Psal. pænit. Psal 142.

Pia anima vndequaque virtutibus operiri studet.

76. *Terra, quæ non satiatur aqua.* Aristoteles 8. Ethic. c. 4. hæc Euripidis verba affert.

Humentem amat pluuiam, cùm terra est arida
Cælum sacrum, cùm granatum est imbribus,
Telluris arentis cadere in sinum appetit.

Si terra cælestes imbres sitit; vicissim cælum gelidis plenum imbribus ardenter sitit eos in terram demittere. Quod de cælo imbribus fæcundo dicitur, multò melius de Deo cæli conditore dicere possumus. Spiritualem, sanctumque humanæ animæ profectum, & vbertatem diuinæ gratiæ, & beneficentiæ fontem in nos deriuare Deus sitit. *Sitit sitiri,* Nazianzenus ait. Si indeficiens nostri profectus, diuinæque gratię largitatem nobis communicandi Dei sitis est; pe renuis etiam diuinam gratiam vberius acquirendi nostra sitis esse debet: *Sicut terra, quæ non satiatur aqua.*

Nazia. or. 40.

Deus à nobis sitiri sitit: vicissim diuinā gratiā largius acquirendi nostra sit sitis.

77. Tertio loco inter insatiabilia ignem Salomon collocat: *Ignis numquam dicit, sufficit.* Si id de materiali igne accipiamus; satis patet, quò plura alimenta ignis habet, eò magis eius voracitatem augeri. Hugo Cardin. eo in loco insatiabilis Ignis nomine mysticè ambitionem, honorisque appetitum significari ait: Quare meritò exclamat Chrysostomus: *O rem amaris lacrimis dignam! omnia incendit vana gloria tyrannis; flamma illa nihil non vorans.* Talis flamma iuxta Chrysostomū vberibus lacrymis est restinguēda. Benè autem ambitio, glorięque cupiditas, ignis, & flamma appellatur; cum cupiditas hæc non minus, quàm ignis, sursum semper ascendere nitatur. *Ambitio, vt flamma insana vis, acrior*

Homil. 10; ad Eph.

Ambitio igni cōparata, amaris lacrymis est restinguenda.

Ambitio cur flammæ similis.

Lib. 2. de Benefic.

Diuinæ gloriæ augendæ cupiditas nũquã expleri debet.

est, quò ex maiori incendio emicuit, ait Seneca. Famæ, & ambitionis vis benè à Seneca infinita dicitur; cum vtraque nunquam satietur: *Ignis numquam dicit, sufficit.* Si mundanæ gloriæ appetitus numquam expletur; numquam dicit, sufficit: certè multò magis diuinę glorię cupiditas, quæ ex maiori in nobis, & in aliis sanctitatis augmento prouenit, expleri numquam debet. Ideo sanctus Indiarum Apostolus Franciscus Xauerius semper spiritualiter proficiendo; & pro aliorum salute laborando, diuini amoris igne succensus, diuinæque gloriæ cupidus, voces illas sæpius geminabat: *Amplius, amplius: non sat est, Domine, non sat est. Ignis numquam dicit, sufficit.*

78. Quòd si à materiali insensibili igne nostri spiritualis profectus exemplum sumere dedignemur; huiusmodi exemplum à sanctis Angelis B sumere gloriemur; de quibus dicitur: *Qui facit*

Ps. 103. 4.

Angelos suos spiritus; & ministros suos flammam ignis. De Seraphinis supremis Angelis dicitur Isaiæ cap. 6. *Seraphim stabant super illud*: ex Hebræo; *iuxtà illud*; nempe Dei solium. *Sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius; & duabus velabant pedes eius; & duabus volabant.*

Seraphini Dei solio proximi cur adhuc volabant?

Spiritualis profectu semper vlterius progrediendũ.

Sibeant illi spiritus iam iuxtà Dei solium erant, quid volatu illis opus erat? Profectò Angelicus ille volatus nobis indicabat spiritualem profectum, virtutumque augmentum, per quod magis ad Deum accedimus, terminum nullum habere, itaut semper magis, magisque Deo per vberiorem gratiam vniri studeamus. Qui assidua meditatione Deum præsentem ante mentis oculos C habet, hic semper ad vlterius spiritualiter progrediendum allicitur. *Deo adstare, idem est, ac volare, ait S. Eucherius.*

Eucherius, vel alius grauis auctor in 9 veteris Testamenti. Isaiam.

79. *Sancti sui, sicut odor balsami erunt ante te*, canit Ecclesia: & apud Ecclesiasticum 24. v. 20. cuiuslibet anima iusti in æternam patriam iam recepta verissimè testatur: *Sicut cinnamomum & balsamum odorem dedi.* Cinnamomo comparatur, eò quòd cinnamomi odor, cum benè contunditur, magis sentitur: similiter Sanctorum presſuris, & cruciatibus ipsorum sanctitas habuit incrementum. At balsami similitudo in eo sita est; quòd odores alii temporis progressu exhalent, & minuantur; contra verò balsami odor D temporis beneficio augescit. Sancti similiter, progrediente vitæ tempore, semper magis, ac magis proficiunt, Christique bonus odor fiunt. Præterea balsami odorifer liquor ex incisa, sectaque arbore profluit: *Succus à plaga manat*, ait Plinius. *quem opobalsamum vocant, eximiæ suauitatis.* Similiter è Sanctorum Martyrum vulneribus, & cruciatibus suauissimus sanctitatis odor ad fidelium corda recreanda, & in fide corroboranda manauit.

Balsamo, & cinnamomo sancti cõparantur, quod sanctitatis augmẽto semper profecerint.

Balsamum, cuius odorifer liquor è plaga manat Martyrum symbolum.

Lib. 12. c. 25.

80. Qui diuina gratia benè firmus, & corroboratus est, minus videtur auxilio indigere: nihilominus huic vberius suum Dominus auxilium E impertitur; scilicet, vt ad eximium gratiæ augmentum deueniat. Hoc indicauit Dominus Psal. 88. *Posui adiutorium in potente; & exaltaui electum de plebe mea.* Hæc huius loci interpretatio est Fausti Rhegiensis Episcopi instructione ad monachos: à quo, vt semper in diuina gratia proficiamus, & cœlestis gratiæ perennitas fiat in nobis fons aquę salientis in vitam æternã, his verbis monemur: *Simus in opere Dei indeficientes propter æternam retributionem, & quotidie ad meliora tendamus. Ipsa enim apprehendendi auiditas, ipsa consuetudo proficiendi semper nos ad maiora prouocet: & vbi viderit Deus deuotionem animæ, ardentiorem*

In appẽdice Bibliotheca veterum Patrum.

Spiritualis profectu semper vlterius progrediendũ.

A *insinuabit affectum; & quantò nos arserimus ad studium, tanto ille addet ad gloriam. Qui habet, dabitur illi, & superabundabit; & alio loco dicit: Posui adiutorium super potentem. Gratia enim de gratia nascitur, & profectus profectibus seruiunt; lucra lucris, & merita meritis locum faciunt; vt quantò plus quis accipere cœperit, tantò plus acquirere conetur; & quantò auidius de sapientia bonus hauserit, tantò plus haurire desideret; sicut ipsa de se loquitur Sapientia: Qui edunt me, adhuc esurient. Vrgeamus cursum nostrum, vt crescat in nouissimo vita nostra. Quæramus vsque in finem, vnde sine fine gaudere mereamur. Sed esto, non possumus exercere corporis labores; conferamus nos ad bonorum spiritualium desiderium; ad compunctionis, & charitatis augmentum. Si quotidie in cordibus nostris disponamus ascensus; nulla infirmitate, nulla ætate lassari possine* B *mentes; vt spiritualibus quibusdam gradibus ascendere mereamur ad promissa Domini nostri Iesu Christi.*

Matt. 13. 12.

Ps. 88.

Ecclesiastici c. 24. 29.

81. Denique, quomodo in nobis diuinæ gratiæ fons sursum exilire possit, docet B. Petrus Damiani opus. de contemptu cap. 20. scilicet vt à terrenis occupationibus recedamus: *Fons, inquit, qui vndequaque, ne effundatur, occluditur, vnde ad alta profluentibus eleuatur. E contra, qui per plures riuos hinc inde deducitur, mox, vt super eum æstus feruentior incubuerit, exsiccatur.*

Diuinæ gratiæ fons quomodo sursum exiliat.

Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam; vt non sitiam, neque veniam huc haurire.

C

82. CVm Dominus de spirituali fidei, & gratiæ aqua loqueretur: Samaritana adhuc diuina luce non illuminata de materiali aqua Dominum loqui putabat. Hinc patet, vt mentis oculos aperiamus ad cœlestem aquam, hoc est ad diuinam gratiam cognoscendam, & expetendam, adhuc ipsa Dei gratia nos indigere. Figura fidelis animæ incipientis diuinam gratiam cognoscere, & expetere, Agar fuit, de qua Genes. 21. dicitur: *Aperuit oculos eius Deus; quæ videns puteum aquæ, abijt, & impleuit vtrem, deditque puero bibere. Aperuit oculos eius, non quia* D *antea non viderit; sed quia nil proderant ei aperti oculi ante supernam visitationem*, ait Chrysostomus. Aperti oculi tunc dicuntur, cum illuminantur, quia oculi non illuminati à clausis in ordine ad videndum non differunt: Dei autem visitatio illuminationem secum affert iuxtà Zachariam: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto, illuminare*, (hoc est ad illuminandum) *his qui in tenebris, & vmbra mortis sedent.* Quomodo meruit Agar aquam sibi, filioque necessariam in vasta solitudine inueniret? Vtique lacrymando: *Leuauit vocem suam, & fleuit.* Oculus ob lacrymas, quæ inde eliciuntur, Hebræo vocabulo עין hháin, hoc est fons E appellatur. Cum huius fontis aquis Deus, quia peccatoris lachrymas sitit, diuinæ gratiæ aquas libentissimè commutat. Cælum suo calore salsas aquas è maris gremio assumit, eòque mox dulces aquas imbrium effusione demittit: Similiter cœli conditor salsas lacrymas è peccatoris corde elicit, eisque dulcissimos latices cœlestium gratiarum vberrimè elargitur. De cœlesti agno canit Ecclesia: *De sub cuius pede fons viuus emanat*: ex hoc fonte Magdalena ad Domini pedes prouoluta, vt gratiæ aquam hauriret, oculos in lacrymarum fontes largissimè soluit.

Gratia ad gratiam cognoscẽdam indigemus.

Luc. 1.

Genesis 21.

Oculus Hebraicè dicitur fons.

Spiritualem diuinæ gratiæ aquam lacrymarũ aqua à Deo consequi possumus.

Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc. Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Benè dixisti, quia non habeo virum; quinque enim viros habuisti; & nunc quem habes, non est tuus vir. Dicit ei mulier: Domine, vt video, Propheta es tu: Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet.

Virg. Eclog. 2.

Diuinæ gratiæ illuminatio, & correptio veluti speculũ peccatori est.

83. PEllucida aqua pro speculo ad effigiem repræsentandam vsui esse potest, iuxta illud: *Nuper me in littore vidi; cùm placidum ventis staret mare.* Similiter cœlestis aqua, de qua Dominus cum Samaritana fuerat locutus, Dominique correptio, cœpit pro speculo mulieri esse, vt ibi se lasciuiæ sordibus fœdam, & adulteram cerneret; idque confitetur dicens: *Domine, vt video, Propheta es tu:* Quare optimè speculo eum, qui proximi culpas ex charitate corripit, assimilat Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædag. cap. 9. *Quemadmodum speculum non est malum deformi; eo quod ipsum ostendit qualis sit, ita nec is, qui reprehendit, ei male vult, qui laborat animo.*

84. Dicens Dominus: *Hunc, quem habes, non est tuus vir,* Samaritanæ culpas detegere voluit; vt ipsa per pœnitentiam, lasciuiæ venenum, quo infecta erat, expelleret; & ita ad cœlestem aquam, quam ei Dominus elargiri voluit, bibendam se compararet. *Coluber ad bibendum veniens, venenum deponit,* ait Hieronymus tom. 9. in regulis Monachorum cap. 18.

Coluber ad potum veniens venenũ deponit.

85. De futuro Messia à Deo dicitur Is. 55. *Ecce testem populis dedi eum, ducem, & præceptorem gentibus.* Quòd futurus Messias dux, & præceptor nominetur, benè intelligitur: quòd autem testis dicatur, aptè hoc illi nomen congruere non videtur; cùm Iudicis potiùs, quàm testis nomine appellandus videatur. Et tamen præter Isaiam, testis etiam illi nomen tribuitur Psalm. 88. *Testis in cœlo fidelis:* & Apoc. 3. *Testis fidelis, & verus.* Respondet Hieronymus Christum Dominum dici testem, quia *Testis est omnium, quæ Pater in mundo spopondit, & præstitit.* Respondet Augustinus, quia *Christus fuit testis diuinæ erga homines charitatis.* Respondetur ad rem nostram Christum Dominum dici testem, quia talis iudex est, vt ad veritatem cognoscendam testibus, quos examinet, non indigeat, idemque Iudex, & testis esse possit; cum omnia illi perspecta sint, nec eum quidquam latere possit. Talem se erga Samaritanam ostendit, dicens: *Benè dixisti, quia non habeo virum: quinque enim viros habuisti, & nunc, quem habes, non est tuus vir.* Cum igitur Iudex simul, & testis Christus Dominus sit, tergiuersationes nullas & moras reus opponere se posse speret. Propterea dicitur Malachiæ 3. *Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me.* Vbi Hieronymus ait: *Quanta formido iudicij, cum ipse sit testis, & iudex! Testis est autem cunctis maleficijs, & adulteris; hæc enim crimina perpetrantur occultè, & ideo proferuntur in medium, ne diu lateant.* Propterea etiam Psalm. 50. dixit Dauid: *Malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Vbi ex Theodoreto particula, *Vt*, non causam, sed consequentiam significat; quasi dicat: eò quòd mei criminis te non solum iudicem, sed etiam testem habeam; sequitur, vt tu iustus

Testis nomine cur Christus appellatur?

A clarè videatis, dùm me adulterij, & homicidij reum per Nathan Prophetam damnas; & reatus iustas pœnas comminatis: & propterea tu vincas, cum iudicaris, & si me excusare velim, causâ cadam. Hinc benè Boëtius 5. de consolatione prosa vltima ait: *Vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis; cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.* Veritas hæc ipsis Ethnicis ad benè viuendum, stimulum infigere potuit. *Patemus Deo; quid agis, quid machinaris? quid abscondis? Custos te tuus sequitur: haret hic, quo carere numquam potes: quid locum abditum legis, & arbitrum semoues?* Senecæ verba sunt. Sed ad Samaritanam reuertamur.

Deus cum omnia videat, nos coram Deo spectatore esse ad benè viuendum impellere debet.

86. Ex allatis Domini verbis Samaritana B cœpit viam salutis ingredi: nam tantùm abest, vt eius adulterium detegentem Dominum oderit, suamque culpam vel occultare voluerit, vel excusare; vt etiam eam confirmare voluerit, dicendo: *Domine, vt video, Propheta es tu.* Ex quo benè dixisse Ecclesiasticum cap. 21. patet *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris:* Ex Græco legitur: *Qui odit reprehensionem, in vestigio est peccatoris.* Quare è contrario mulier hæc, cum correptionem non oderit; per iustorum vestigia cœpit incedere. Porrò in hoc Ecclesiastici loco nomine peccatoris antonomasticè diabolum intelligi docet Rabanus. Qui igitur odit correptionem, in vestigio est peccatoris; hoc est, eadem vestigia calcat, eademque graditur via, per quam diabo- C lus incedit: ex quo fit, vt ambo ad eumdem gehennæ terminum tendant. Ad huiusmodi vestigia vitanda orabat Dauid: *Non veniat mihi pes superbiæ: ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Superbiæ pedem ille habere dicitur, qui ob animi elationem à correptione refugit.

Diabolus antonomasticè peccator dicitur.

Correptionẽ qui odit, diaboli via graditur ad Gehennam.

Ps. 35.

87. *Dicit ei mulier: Domine, vt video, Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt; & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet.* Probabiliter Toletus ait: *Mulier hac Prophetam credens esse Christum: resolutionem huius controuersia petit; siue quia desiderio, hoc sciendi tenebatur; siue quia scrupulo aliquo angebatur, ne forsan, vbi non oportebat, Deo sacrificium offerret.* D Arabico apophthegmate apud Drusium dicitur: *Interrogare sapientem dimidia sapientia est. homo sapiens est, quamdiu quærit sapientiam.* Samaritana igitur cum à Christo Domino sapientiam quæreret; & ab eo instrui circa Dei adorationem peteret, hoc illi Dominus non denegauit: Et à qua antea Dominus corporalem aquam petierat, *aqua sapientia salutaris potauit illam*, dicens: *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem, &c.*

Eccli. 15.

Porrò citato apophtegmate benè dicitur: *Interrogare sapientem dimidia sapientia est.* Hæc autem dimidia sapientia tunc per medietatem alteram completur, cùm id, quod interrogando di- E dicimus, opere exercemus; quo fit, vt plenum salutaris sapientiæ poculum hauriatur. Quare valde imperfectam, & dimidiatam sapientiam prisci illi Philosophi habuerunt; qui, vt Paulus 1. ad Rom. ait: *Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt:* Benè Bernardus serm. 36. in Cantica afferens Iacobi cap. 4. testimonium ait: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est ei. ac si per similitudinem dicat; Sumenti cibum, & non digerenti, perniciosum est ei.* Quod pergit pluribus ibi explicare. Propterea idem Iacobus cap. 1. monet: *Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, & non factor; hic comparabitur viro consi-*

Interrogare sapientem dimidia sapientia est: quæ completur, cum opere, quod discitur, exercetur.

Cap. 1

considerantі vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit se, & abijt; & statim oblitus est qualis fuerit. Cùm autem in Domini verbis, tamquam in speculo, vt supra diximus, Samaritana suam, quam corrigere debebat, fœditatem agnouisset; non qualis fuerit oblita est; sed suas deinde anteactæ vitæ sordes rememorans, ait: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci.* Qui Samaritanam non imitatores Christiani, suam vitam corrigere negligunt; formidabilem Domini sententiam Lucæ 12. reuocent in memoriam: *Ille seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Ponant sibi ante oculos Christiani damnatorum, qui Christum ignorauerint, pœnas; & has paucas esse sciant ex Domini sententia; si pœnis ita comparentur cruciatus, quos peccatores vera fide illuminati in inferis subituri sunt. Quare vera est Apostoli Petri epist. 2. cap. 2. sententia: *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Formidabilis est etiam Pauli sententia ad Hebr. 10. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.* Hoc est, si scientes, & volentes Christum deserimus; & consequenter Christi hostia semel pro nobis in cruce oblata, vti nolumus; ne expectemus, vt Redemptor alius pro nobis patiatur; aut vt ipse Christus denuò moriens, iterùm pro nobis seipsum hostiam æterno Patri offerat. Hoc enim sperandum non est; cùm potiùs peccatores Christum deserentes, terribile iudicium maneat; & æterni ignis æmulatio, idest zelos: Inferno igni zelus tribuitur; nam, vt ait Theophylactus: *Animaduerte quomodo animauerit ignem, atque vitam, & vires ei tribuerit. Perinde enim vt bellua exacerbata, non desistit tantisper, dum apprehenderit quemdam, quin deuorato exsaturet cupiditatem suam: Sic & ille ignis pro transgressione mandatorum sæuiens, ac propter illam efferatus, quem apprehenderit, deuorat semper.* Præterea æmulatio inferno igni tribuitur; eò quòd cœlestem Empyrei lucem æmuletur; scilicet, vt ita in æternum infernus ignis damnatos torqueat; sicut in æternum cœlestis illa lux Beatos recreat, & oblectat.

Christiani damnati acerbius, quàm Ethnici cruciabuntur.

Inferno igni cur æmulatio tribuatur.

88. Prætereà ad ostendendum, quòd, quò maior est veritatis notitia, eò maior sit præuaricantium culpa, dicitur Ioann. 13. *Cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariota; sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus; & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit.* Vbi illud, *sciens*, quamuis Augustinus, Cyrillus, & Gregorius ad Christum referant: Chrysostomus tamen refert ad Iudam. Ad ostendendam enim Iudæ proditionis grauitatem dicitur, Iudas sciens Redemptorem summa omnium potestate à Deo Patre fuisse honorificatum; & à Deo fuisse missum, & ad Deum redire; nihilominus adhuc proditionem machinari non destitit. *Hoc perterritus addit Euangelista*, Inquit Chrysostomus; *ostenditque maximam Iudæ malitiam; quòd sciret omnia ei tradita à Patre; & quòd à Deo venisset, & ad Deum iret, cùm omnium dominaretur, id molitus est; neque veritus est tantum rem aggredi.*

Augustinus tract. 55 Cyrillus l. 9 c. 3. Gregorius 3 Mor. c. 31. Chrys. h. 69. Iudas, quòd Domini potestatem agnouerit, magis culpabilis.

89. Sed ad Samaritanam reuertamur. Præuaricantium proprium est de suis operibus minùs sincerè loqui, vt reticendo circumstantias, eorum opera excusabilia videantur. Hinc Samaritana ait: *Patres nostri in monte hoc adorauerunt;* quorum nos exemplum sequimur: *& vos dicitis; quia Ierosolymis est locus, vbi oportet adorare.* Sic rem proponendo, in illo Samaritanorum, Iudæorumque dissidio, vtique Samaritanis adiudicanda causa erat. Nam si benè Dauid dixit Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo:* hinc sequitur, sicut in omni tempore, & semper; ita etiam in omni loco benedicendum, & adorandum Deum esse. Quare Psalm. 102. idem Dauid ait: *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* Sed Samaritana, si sincerè loqui voluisset, à Domino quærere debuerat; an extra Ierosolymam templum erigere, vt in monte Garizim Samaritani fecerant; & in eo sacrificia Deo offerre liceret? Samaritana autem minus sincerè loquens, pro templo dixit *in monte*, & in eo non sacrificare, sed adorare dixit. Templum verò, & sacrificium extra Ierosolymam omninò vetitum erat. Nam cùm Moses Israëlitis præcepisset Deuteron. 12. *Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt Gentes deos suos:* postea subdit: *Non facietis ita Domino Deo vestro: sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris; vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocausta, & victimas.* Vbi benè Tostatus ait: *Hic intendit inducere legislator, quòd locus, in quo sacrificia fiant, sit vnus in tota terra promissionis propter periculum idololatriæ; si cuilibet permitteretur, vbi vellet sacrificare; quia nesciretur an Deo, an dæmonibus sacrificaret.* Quam rationem repetit Tostatus in Exodum cap. 20. q. 40. dicens: *Si quilibet posset immolare vbicumque vellet in montibus, vel agris; daretur occasio, vt quilibet obseruaret in sacrificando ritus, quos vellet; & sic posset idololatrare, si vellet. Et quia totus Israël ad idololatrandum pronus erat, faciliter maior pars populi sic idololatraret. Cum autem omnes conuenirent in locum vnum ad immolandum, & essent præsentes sacerdotes, qui erant doctores legis; & præter hoc ipsi populares non immolabant, sed tradebant animalia sacerdotibus, & ipsi immolabant ea, & faciebant omnes cæremonias legis Domini; & sic populus nullo modo poterat idololatrare sacrificando.* Ideo citato Deuter. capite dicitur: *Caue, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo, quem elegerit Dominus, in vno tribuum tuarum offeres hostias.* Ideo Leuit. 17. 8. dicitur: *Homo de domo Israël, & de aduenis, qui peregrinantur inter vos, qui obtulerit holocaustum, siue victimam, & ad ostium Tabernaculi testimonij non adduxerit eam, vt offeratur Domino, interibit de populo suo.* Post Mosaïcam legem locus, vbi sacrificia Deo offerenda erant, fuit in Silo, vbi erectum est Tabernaculum, & altare; vt patet Iosue 18. 8. vbique mansit toto Iudicum tempore vsque ad sacerdotem Heli, vt habetur Iudicum vltimo. Inde translatum est in Nobe, 1. Reg. 21. Inde in Gabaon: inde deniquè translatum est in Ierusalem ad templum à Salomone ædificatum, vt legitur 2. Paralip. cap. 1. & sequentibus.

Peccatores suas vt culpas excusent, minus sincerè loquuntur.

Iudæis statuto in loco, non vbique, sacrificare licebat.

90. Obiici tamen contra potest, quòd 2. Reg. 15. habetur: *Dixit Absalom ad regem Dauid: Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron. Vouens enim vouit seruus tuus: si reduxerit*

Absalom quomodo in Hebron, vbi Tabe-

macul͂ non erat, sacrificare se velle dixerit.

me Dominus in Ierusalem, sacrificabo Domino. Et tamen in Hebron numquam Tabernaculum fuit, vt docet Tostatus Deut. 12. q. 2. Et quamuis id fictè Absalom diceret, vt sub religionis specie patrem deciperet, & propositum suæ rebellionis exequeretur, vt ait Carthusianus: nihilominus, si in Hebron, vbi Tabernaculum non erat, sacrificare non licebat, cur id Dauid Absalomo concessit. *Dixitque ei Rex Dauid: Vade in pace?* Respondet Carthusianus: *Nondum constructum fuerat templum in Ierusalem; ideo extra Ierusalem licuit sacrificare.* Sed contra est; quia quamuis extra Ierusalem sacrificare tunc licebat; alibi, quàm vbi Domini tabernaculum erat, sacrificare vetitum erat; vt supra ex Deut. 12. & Leuit. 17. ostendimus. Ex quo etiam improbatur sententia Isidori Clarii, qui ad excusandum sacrificium in Hebron ait: *Fuerunt tunc in terra multa altaria, in quibus offerrent Domino sacrificia, donec extructum fuit templum Ierusalem.* Menochius præterea ait: *Fortassis Dauid sensit fraudem; sed voluit potiùs videri parùm prudens, quàm nimium suspicax.* Sed quidquid sit de prudentia, & suspicione; cum sacrificium illud contra legem esset, à iusto Dauide concedendum non erat. Addit Menochius: *Eam fortasse rationem suæ profectionis in Hebron prætexuit Absalom; quòd ibi, vt notauit Hieronymus in traditionibus Hebraicis, corpora requiescerent Abraham, Isaac, & Iacob.* Sed contra est, quia si in Hebron legitimus ad sacrificandum locus fuisset propter Patriarcharum corpora ibi sepulta; data fuisset Iudæis ad idololatriam pronis idololatrandi occasio, venerando Patriarchas vt Deos. Huiusmodi occasio ne daretur de Mose, dicitur Deut. 34. 6. *Non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.* Ideoque Moses ab Angelis sepultus fuisse traditur, teste Epiphanio hæresi 9. & 64. Quare Chrysostomus hom. 5 in Matth. Ambros. de officiis c. 7. Thomas Anglicus, Hugo, Dionysius, Caietanus, & alii communiter explicantes verba B. Iudæ Apostoli: *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore;* docent voluisse Satanam Mosem sepeliri loco cognito, & publico; vt Hebræi in idololatriam proni eum, quasi Deum, & Numen colerent; Michaëlem verò ei obstitisse, & curasse, vt secretò sepeliretur.

Michaël cur circa Mosis sepulchrum Satanæ restiterit.

91. Respondendum igitur videtur Dauidem filio in Hebron proficiscenti dixisse: *Vade in pace;* eò quòd putaret Absalomum, qui magnum ouium gregem possidebat, vt dicitur cap. 13. profecturum in Hebron; vt ibi suarum ouium gregem viseret; & inde lectissimas victimas ad sacrificium, non in Hebron, sed debitò in loco peragendum sumeret. Absalom igitur se in Hebron profecturum, vel ibi vota nuncupasse, non autem ibi sacrificare se velle dixit.

92. Præter Absalomum in Hebron sacrificii causâ profectum, alii sancti viri nō ad ostium Tabernaculi, sed aliis in locis sacrificasse dicuntur. Vt Samuel in Maspha 1. Reg. 7. 9. Dauid in monte Moria 2 Reg. 24. & Elias in loco campestri 3. Reg. 18. Respondet Abulensis in 20. caput Exodi q. 41. præter ordinariam legem, ob rationabiles caussas ex Dei dispensatione, & instinctu, id sanctis illis viris licuisse. Quare, vt benè Cornelius 1. Reg. 7. notat: *Samuel ex stirpe dumtaxat leuita, ex Dei tamen dispensatione extraordinarius fuit sacerdos: & eodem modo dispensauit cum Samuele Deus, vt extra Tabernaculum, & altare holocaustorum sacrificaret in Maspha.*

Samuel, Dauid, & Elias cur extra statutū sacrificiis locū sacrificauerunt?

Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque Ierosolymis adorabitis Patrem.

93. VEnit hora; hoc aduentat, tempusque appropinquat. Eodem significatu dicitur infra: *Scimus, quia Messias venit.* S. Thom. 2. 2. q. 81. art. 2. ait: *Videtur, quòd adoratio non requirat determinatum locum. Dicitur enim Ioann. 4. Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Ierosolymis adorabitis Patrem; eadem ratio videtur esse de aliis locis. Ergo determinatus locus non requiritur ad adorandum. 2. Adoratio exterior ordinatur ad interiorem: sed interior adoratio fit ad Deum vbique existentem: ergo exterior adoratio non requirit determinatum locum. Dicendum, quòd Dominus per illa verba prænunciat cessationem adorationis tam secundùm ritum Iudæorum adorantium in Ierusalem, quàm secundùm ritum Samaritanorum adorantium in monte Garizim. Vterque enim ritus cessauit veniente spirituali Euangelij veritate; secundùm quam in omni loco Deo sacrificatur, vt dicitur Malachiæ 1. Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus; & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quæ verba de Eucharistico sacrificio intelligenda esse docet Tridentinum sess. 22. cap. 2. & communiter S. Patres Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Rupertus hîc. Clemens Romanus lib. 7. Constit. c. 31. S. Martialis Episcopus ad Burdigalenses c. 3. Irenæus lib. 4. c. 32. Iustinus contra Triphonem; Cyprianus lib. 1. contra Iudæos c. 16. Cyrillus Catechesi 16. August. lib. 18. de Ciuit. c. 35. Chrysost. in Psal. 95. Tertullianus lib. 3. contra Marcionem c. 22. Damascenus l. 4 c. 14. Vide Galatinum lib. 11. c. 11. & Bellarminum li. de Missa c. 10. Præter horum auctoritatem, Eucharistiam iis verbis significari indicat Hebraïcum verbum *Mincha* quod in vulgata oblatio interpretatur. *Mincha* autem teste Isichio in c. 10. Leuit. Aquila vertit *donum de frumento;* quo nomine Eucharistiam, vel præfigurari, vel significari patet. Addit 2. S. Thomas: *Determinatus locus eligitur ad adorandum; non propter Deum, qui adoratur, quasi loco concludatur; sed propter ipsos adorantes. 1. Propter loci consecrationem, ex qua spiritualem deuotionem concipiunt orantes, vt magis exaudiantur. 2. Propter sacra mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur. 3. Propter concursum multorum adorantium; ex quo fit oratio magis exaudibilis secundùm illud Matth. 18. Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum.*

Dei adoratio an requirat determinatum locum?

Eucharistiæ instituenda vaticinium. Mincha.

Vos adoratis, quod nescitis; nos adoramus, quod scimus.

94. INter plures Samaritanorum hæreses, quibus à Mosaïca lege desciuerant, erat mortuorum resurrectionem negare, vt testatur S. Epiphanius lib. 1. de nuna Samaritanorum secta. Negando verò mortuorum resurrectionem, Deum, qualis verè est, ignorabant. Nam ad Sadducæos conuincendos, qui inter Iudæos in eamdem hæresim inciderant, Dominus dixit Lucæ 20. 35. *Quia resurgent mortui, Moyses ostendit secus rubum; sicut dicit Dominum Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob. Deus autem*

Samaritani, & Sadducæi resurrectionem negabant.

Exodi 3. 6.

non est mortuorum, sed viuorum; omnes enim viuunt ei.

Quia salus ex Iudæis est.

Abstractū pro cōcreto Scriptura vsurpat.

95. VAlde vsitatum est in Scriptura abstractum nomen pro concreto vsurpare. Hinc de Christo dicitur 1. ad Cor. c. 1. *Factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*, hoc est sapientiæ doctor, Iustificator, Sanctificator, & Redemptor: Similiter hîc cùm dicitur *Salus ex Iudæis est*, significatur Messias, & Saluator è Iudæorum stirpe proueniens. Dicitur præterea: *Salus ex Iudæa est*, iuxta Isaiæ vaticinium c. 2. 3. *De Sion exibit lex*, lex scilicet Christiana, lex gratiæ: *Et Verbum Domini*, nempe Euangelicæ legis prædicatio, *de Ierusalem*: cum scilicet Apostoli die Pentecostes post acceptum Spiritum sanctum, ex Ierusalem, & Iudæa, exierunt, & in regiones diuersas dispertiti, per Euangelicam prædicationem ad æternam salutem homines reuocarunt.

Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.

Veri adoratores in Euangelica lege triplici ex capite deducūtur.

96. NVnc est hora, Dominus dixit; quia iam ipse Euangelicam legem promulgare cœperat. Appellat autem Dominus Euangelicæ legis fideles veros adoratores. 1. Vt ab hypocritis Iudæis distinguat, de quibus Isaiæ 29. 13. dicitur: *Appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me; cor autem eius longè est à me.* 2. Quòd etiam à iustis Israelitis fideles in Euangelica lege distinguerentur: Nam Israëlitæ carnalibus victimis Deum venerabantur; Christiani verò carnalibus relictis sacrificiis, non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed in spiritu humilitatis, & animo contrito Deum venerantur: ideoque in veritate Deum adorare dicuntur. Ex Christiana enim lege, & pietate verus ille Dei cultus prouenit, quem antiqua Iudæorum sacrificia vt vmbræ, & figuræ præsignificabant. 3. Eò magis aliquis verus Dei adorator est, quò maiorem Dei, quem adorat, notitiam habet. Cumque per Euangelicam legem Deus, vt natura vnus, & personis trinus cognoscatur, quod mysterium Israëlitis manifestum non erat; hinc est, vt Euangelicæ legis fideles veri adoratores meritò dicantur. In allata Domini verba est egregia homilia Chrysostomi in Ioan. cap. 3.

Spiritus est Deus; & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.

Religionis virtus an habeat aliquem exteriorē actū?

97. GEntiles, qui ex hominibus suos heroës, & reges in Deorum numerum referebant, malè, sed congruenter huiusmodi diis corporalia offerebant sacrificia: secus verò Christianæ religionis fideles, cum vera fide illuminati, Deum vt increatum spiritum ex sua natura ab omni materiæ concretione seiunctum adorent; eum in spiritu, & veritate, hoc est, non tam externo cultu, quàm spirituali, & sincero animi affectu adorare oportet: S. Thom. 2. 2. quæst. 81. art. 7 ait: *Videtur, quòd religio non habeat aliquem exteriorem actum: dicitur enim Ioan. 4. Deus spiritus est; & eos, qui adorant eum in spiritu, & veritate adorare oportet. Sed exteriores actus non pertinent ad spiritum, sed magis ad corpus. Ergo religio, ad quam pertinet adoratio, non habet actus exteriores. Sed contra est, quod in Psalm. 82. dicitur: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Sicut interiores actus pertinent ad cor; ita exteriores actus pertinent ad membra carnis. Dicendum ergo Deo reuerentiam exhiberi non propter seipsum; quia seipso est gloria plenus, cui nihil à creatura adijci potest, sed propter nos, quia per hoc, quod Deum reueremur, mens nostra ei subijcitur; & in hoc eius perfectio consistit. Mens autem humana indiget ad hoc, quòd coniungatur Deo sensibilium manuductione; quia inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, vt Apostolus ait ad Rom. 1.*

Attentio quæ requiratur ad Orationē?

98. Rursus ex allatis Domini verbis: *Spiritus est Deus; & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.* Idem S. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 13. benè colligit quæ, & quomodo attentio orationi sit necessaria.

Dicit ei mulier: Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus; cùm ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum.

99. ADeò manifestum erat ex antiquis Prophetarum vaticiniis tunc temporis promissum Messiæ aduentum iam propè esse; vt ad ipsos Samaritas minus in Mosaïca lege peritos talis notitia peruenerit. Quòd sanè Iudæorum obstinatam confundit perfidiam; qui huiusmodi notitia malè vtentes, Christo miraculis, vitæque sanctitate se promissum Messiam esse testanti credere noluerunt. Porrò de iam aduentante Messia subdidit mulier: *Cùm venerit ille, nobis annunciabit omnia.* Quibus verbis peccatorum consuetos mores ostendit: hi enim cùm illuminari incipiunt, quòd eos præteritam viuendi formam corrigere pigeat; non statim ad pœnitentiam confugiunt; sed eam in tempus aliud ex dæmonis suggestione opportunius visum differunt. Propterea ne suæ salutis curam mulier vlteriùs differret, apertè Dominus dixit: *Ego sum qui loquor tecum.*

Peccatores in futurum tempus pœnitentiam differunt.

Et continuò venerunt discipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?

Mulierum colloquia vitanda.

100. SAnctus Cyprianus lib. de singularitate clericorum ait: *Quantùm Apostolis laxa familiaritas potuit displicere! Qui compulsi sunt, & de ipso Domino loquente cum fœmina dubitare; nisi eos maiestatis notitia probata compesceret; sicut Euangelista refert dicens: Inter hæc venerunt discipuli eius, & mirabantur, quòd cum muliere loqueretur.* Hinc sanctis viris, mulieris, præsertim inhonestæ affatus, veluti venenatus afflatus formidinem intulit. De castissimo Patriarcha Iosepho eius historiam referens ait Ecclesia, vsurpans verba Psal. 80. & Psal. 104. *Cum intraret in terram Ægypti, linguam, quam non nouerat, audiuit: manus eius in laboribus seruierunt; humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animam eius; donec veniret Verbum eius.* Inter pœnas, quas in Ægypto innocens Ioseph perpessus est, præter seruitutem, & vincula, & compedes, illud adnumeratur, quòd linguam, quam non nouerat, audierit: Lingua hæc, quæ

Dom. 3. Quadrag. Nocturn. 2.

Lasciuæ fœminæ verba castum Iosephū valdè cruciarunt. Hic, & in sequentib.

ſanctum iuuenem admodum cruciabat, profectò lingua externa Ægyptiaca non erat; quandoquidem, teste Arguano, Ægyptiorum idioma ſtatim diuinitus Angeli opera Ioſeph edidicit: ita vt benè potuerit eius lingua inter Principes loqui ſapientiam; & vt Dauid affirmat: *Erudiret Principes Ægypti, ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret.* Quæritur igitur, quænam lingua Ioſepho tantùm pœnæ attulerit; ita vt inter illius calamitates talem linguam audiiſſe primò reponatur? Sine dubio malæ fœminæ coniugis Putiphari lingua fuit; à qua inhoneſta verba pudicis auribus planè inſueta, & vehementer moleſta audiit. *Huiuſmodi verbis per ſingulos dies, & mulier moleſta erat adoleſcenti; & ille recuſabat ſtuprum*, vt ſacra hiſtoria refert.

Pſ. 104.

Geneſ 39.

101. Quæritur vlterius, cur de eodem ſancto Patriarcha, citato Pſalmo dicitur: *Ferrum pertranſiit animam eius?* Multas quidem ærumnas in Ægyptum venditus, perpeſſus eſt Ioſeph; à ferro tamen vulnera nulla ſubiiſſe legitur: cur ergo dicitur: *Ferrum pertranſiit animam eius? Ferrum ipſum dicit peccatum, quod occidit animam*, ait Sanctus Hieronymus. Peccatum autem intellige non ipſius Ioſephi culpam, quippe innocentis; ſed malæ fœminæ impudicitiam, vt idem Hieronymus inſinuat. Cum igitur à fratribus in ciſternam veterem eſt demiſſus; cum Ægyptiis in mancipium venditus; cum ab hero in carcerem, vt ſceleratus reus detruſus eſt; cum vinculis, & compedibus arctiſſimè eſt conſtrictus; tunc ferrum non pertranſiit animam eius. Cum autem inhoneſtas voces in caſti iuuenis aures laſciua mulier inſuſurrauit; tunc quidem eius animam ferrum pertranſiit; ferrum certè ab infernis Cyclopibus elaboratum; quod deinde laſciua Venus ad innocentem iuuenem ſauciandum adhibere auſa eſt. Anaſtaſius Nicænus ex ſancti Chryſoſtomi ſententia mulierem ita deſcribit: *Quid eſt mulier? In terra naufragium, fons ſceleris, theſaurus cordium, lethalis occurſus, lapſus oculorum, animarum exitium, cordis lancea, iuuenum pernicies, ſceptrum Inferorum, praceps deſiderium! Quid mulier? Sanctorum calumnia, quies ſerpentis, diaboli ſolatium, ægritudo inconſolabilis, fornax ſuccenſa: eorum, qui ſeruantur, ſcandalum, vitium immedicabile, diurna nuga, prodigorum hoſpitium, officina dæmonum. Quid mulier? Malum amatorium, medicamentum impudens, fera inexpugnabilis, os effrenatum, triumphus myſteriorum, dux tenebrarum, magiſtra delictorum, ſcelerata oblectatio, cupiditas inſatiabilis, ſimul dormiens intemperantia, ſimul expergiſcens ſollicitudo; veſtita vipera; diurnum damnum, domus tempeſtas, viri naufragium, immitis fera, adulterorum receptaculum, arma diaboli, rabies concupita, mors totius mundi.* Meritò dicebat Sapiens: *Parua eſt omnis malitia ad malitiam mulieris.* Contra huiuſmodi peſtem antidotum ex eodem Doctore erit, cogitare mulierem eſſe ſepulchrum dealbatum; quod ſub pelle colorata, & rubicunda fœtidas ſordes, & putredinem contegit: ita vt poſt breue tempus ſenio, & morte adueniente ex eius oculis, auribus, totoque corpore intolerabilem fœtorem emanare neceſſe ſit. Hinc benè S. Baſilius admonitione ad filium ſpiritualem ait: *Sicut fœnum, cùm à feruore æſtatis percuſſum fuerit, areſcit, & paulatim priſtinum decorem amittit. Similis eſt etiam ſpeciei humana natura: ſuccedente ſibi ſenectute, omnis decor priſtinus deperit, & quos in amorem ſui antea concitabat, poſtmodum odium eorum efficitur.* Edmundus Campianus, qui in Anglia Catholicam fidem inclyta morte teſtatus eſt, laſciuæ voluptatis irritamenta *popinam vermium, bella ſterquilinia*, meritò appellat, lib. decem rationum.

Anaſtaſ. in Quæſtion. ſacr. Script. tom. 1. Biblioth. P.P.

Mulier quot malorum genus ſit.

Eccli. 25. 29.

Fœminarum contra peſtem antidotum.

102. S. Hieronymus ſcribens ad Nepotianum, cum ſic monet: *Omnes puellas, & Virgines Chriſti aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto manſites; nec in præterita caſtitate confidas. Nec ſanctior Dauide, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quòd Paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier eiecerit. Ægrotanti tibi quilibet ſanctus frater adſiſtat, & germana, vel mater, vel probata quædam apud omnes fidei. Scio quoſdam conualuiſſe corpore, & animo ægrotare cœpiſſe.*

Mulierum inhabitatio vitanda.

103. Niſi ventus ſpiraret, materia facilè incendibilis poſſet illæſa non multùm ab igne diſtare. Eidem tamen materiæ vento ſufflante ad non conflagrandum, magna diſtantia opus eſt. Vt hæc à fragili ſexu diſtantia habeatur, celebre eſt ſancti Hieronymi pronunciatum: *Fœmina ignis, vir ſtupa, diabolus flabellum eſt.* Ideo S. Cyprianus ait: *De carbonibus ſcintillæ diſſiliunt; de ferro rubigo nutritur; morbes aſpides ſibilant, & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam.*

Procul à mulieribus diſtandum.

Cyprian. ſupra.

104. S. Epiphanius lib. 3. contra hæreſes ſub finem ait: *Eua ſi tenui ſpiritu pronuncietur, fœminam ſignificat; ſin aſpiretur, Hebræi hoc vocabulo Heua, ſerpentem intelligunt.* Cum igitur eodem ferè nomine mulier, & ſerpens ſignificetur; ſi ſerpentem vitamus, ne in corpus venenum effundat; multò magis vitanda mulier eſt, ne laſciuiæ veneno animam inficiat.

Fœmina, & ſerpens eodem ferè nomine Hebraicè appellantur.

105. S. Chryſoſtomus hom. 15. ex variis in Matth. quot mala per mulieres diabolus machinatus ſit, egregiè recenſet, dicens: *O malum ſummum, & acutiſſimum diaboli telum, mulier. Per mulierem Adam in Paradiſo proſtrauit, & de Paradiſo exterminauit. Per mulierem mitiſſimum illum Dauidem, vt necem militis ſui innocentis Vriæ Ethæi in epiſtola dolo mandaret, armauit. Per mulierem ſapientiſſimum Salomonem in præuaricationis ſacrilegium præcipitauit. Per mulierem fortiſſimum Samſonem raſum cæcauit; vt virtute crinis, & decoris oculis ſpoliatus, ludibrio foret hoſtibus; quibus fuerat ante terrori: Cum his captiuus molis, quibus dominabatur inuictus. Per mulierem caſtiſſimum Ioſephum vinculis alligatum detruſit in carcerem. Per mulierem illam totius mundi lucernam Ioannem capite truncauit. Et quid dicam de hominibus? Per mulierem Angelos è cœlo depoſuit, id eſt homines ſanctos, qui ad cœlum pergebant. Per mulierem cuncta omninò proſternit, & iugulat; omnes interficit, omnes elidit, repletos ignominia, & honore euacuatos.* Deniquè benè pronunciauit Eccleſiaſticus c. 25. 33. *A muliere initium factum eſt peccati; & per illam omnes morimur.*

Mulier quot malorum cauſa.

Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in ciuitatem.

106. IAm cœleſtis aquæ, & fontis in vitam æternam ſalientis efficaciam Samaritana cœperat experiri: ideo vt Chriſtum Dominum verum Meſſiam ſuis conciuibus manifeſtaret; id, ad quod antea venerat, libentiſſimè deſeruit: Quàm benè Ieremiæ verba, ſancta hæc

Thr. c. 3. verf. 51.

peccatrix mystico sensu poterat vsurpare: *Oculus meus depradatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ.* Vbi ex Hebræo legitur: *Fons meus depradatus est animam meam propter cunctas filias vrbis meæ.* Scilicet fons Christus, qui vberem mihi cœlestis aquæ laticem effudit; ita animam meam deprædatus est, vt terrenos omnes affectus, occupationesque oblita, mentis vires omnes eò conuertam, vt animas vrbis meæ filias ad salutarem veræ fidei illuminationem adducam.

Et dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci.

107. HÆc hyperbolicè dicta esse existimat Toletus; cum Dominus Samaritanæ, quæ præcipuè in vita peccata fecerat, dixerit; non omnia singillatim; sed tamen sine hyperbole peccata omnia ei à Domino indicata fuerant; peccata tamen non in se, sed in ipsorum fœdissimo fonte: fontem enim qui indicat, censetur fontis eiusdem etiam riuos indicare. Lutulentus fons, ex quo vitia omnia prodeunt, lasciuia est.

Lasciuia peccatorum omnium fœcundus fons.

Magdalena non aliunde, quàm ex lasciuiæ nota peccatricis titulum acquisierat; nihilominus ab ea expulisse septem dæmonia Dominus dicitur, idest vitiorum omnium multitudinem, vt explicat Gregorius, & Beda. Præterea sicut lasciuia peccata omnia, tamquam eorum radix, continare videtur; ita è contrario ex immaculata pudicitia virtutes omnes germinare dici possunt; ita vt meritò sanctificatio, seu sanctimonia in sacris litteris pro castitate accipi soleat. Ad Hebræos 12. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam,* seu, vt Græcus textus habet, *sanctificationem, sine qua nemo videbit Deum.* In quem locum, & in Matth. 5. Chrysost. per sanctimoniam castitatem intelligit; cui subscribunt Theophylactus, Theodoretus, & Oecumenius. Similiter primò ad Thessal. *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione; vt sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione, & honore; non in passione desiderij:* & ad Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Denique primæ ad Timoth. 2. *Saluabitur per filiorum generationem; si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.*

Castitas absolutè sanctitas appellatur.

Numquid ipse est Christus?

108. ITa mulier interrogauit; non quòd de hoc dubitaret; sed, vt ait Cyrillus: *Ne à Samaritanis; qui mores eius cognouerant, tamquam desipiens, & quasi maiora, quàm intelligere posset, dicens, derideretur.* Cæteroqui satis firmè Dominum, cum quo collocuta mulier fuerat, verum Messiam esse credebat. Sed vnde tanta ei illuminatio, quæ cæca in Samaritanorum errore fuerat? Certè ex eo, quòd in fontis Siloe mundissimis aquis oculos lauerat. Ioan. 9. cum cæcum Dominus illuminare vellet, ait: *Vade, & laua in natatoria Siloe, quod est interpretatum Missus.* Ideo, inquit Chrysostomus, *interpretatus est Euangelista Siloen, quod est Missus; vt intelligas illic à Christo curatum, vt Paulus ait: Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra petra autem erat Christus. Quemadmodum ergo Christus petra erat spiritalis; ita & Siloe fons erat spiritalis.* Huius ergo spiritalis Siloe aquæ cæcos mentis oculos Samaritanæ aperuerunt; vt vera fide illuminata, eam suis ciuibus communicaret.

Samaritana spiritualiter cæca, vnde illuminata? Chrysost. hom. 56. in Ioannem. 1. ad Cor. 10.

Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum.

109. CRedibile est Samaritanam non plebeis; sed primariis ciuitatis, nempe magistratibus, & sacerdotibus sua verba protulisse: non enim rudibus, sed legis peritis eam dixisse putandum est: *Numquid ipse est Christus?* Præterea ciuitatis primarii, non plebei *rogauerunt eum, vt ibi maneret:* plebei enim non ausi essent Iudæum intra vrbem familiariter ratinare. Dicere autem primarii Samariæ poterant: Si hic, de quo mulier testatur, verus Messias esset, cur peccatrici tantùm mulieri se manifestat? Cur non potiùs vrbem ingressus nos etiam alloqui, & illuminare dignatur? Huiusmodi tamen dubitatione nullatenus Samaritæ retardati, statim ad Christum cognoscendum properarunt. Ad hoc autem, vt infra indicatur, maximè moti sunt; cùm nonnisi ex diuina efficacia agnoscerent, quòd peccatrix mulier suæ confusioni, & ignominiæ non parceret, dicens: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci.* Vbi benè Chrysostomus ait: *Aliter dicere potuisset: Venite, videte prophetam. Sed cum anima diuino igne exardescit, nihil amplius terrenum curat; non gloriam, non dedecus; sed eius flamma tantùm feruore mouetur.*

Samaritanæ peccatrici cur statim primarii Samariæ sint obsequuti?

Interea rogabant eum discipuli dicentes Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad inuicem: Numquid aliquis attulit ei manducare?

110. CVm in vrbe Sichar, quò antea, vt cibos emerent, discipuli abierant, cibos habuissent; illos ad Dominum, vt se manducando reficeret, attulerunt: hinc autem inter ciues alius Samaritarum vrbium, & ciues vrbis huius Sichar discrimen apparet. De illis enim dicitur Luc. 9. 52. *Iesus misit nuncios ante conspectum suum, & euntes intrauerunt ciuitatem Samaritanorum, vt pararent,* nempe cibum: *& non receperunt eum,* sc. Samaritani illi. Secus verò cum vrbis Sichar ciues fecissent, discipulisque cibos non negassent, hinc se congruo modo disposuisse videntur, vt eos Dominus sua fide, & gratia illuminaret. Contra inhumanos illos Samaritas *Iacobus, & Ioannes dixerunt: Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Quod misericors Dominus fieri abnuit. Ab illis ergo satis fuit maritum ignem arcere; ciuibus verò Sichar per fidem illuminatis aquam illam largitus est Dominus, quam *qui biberit non sitiet in æternum.*

111. *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Cum Dominus humanam salutem esuriret, at verè quod manducaret, Samaritana attulerat; tum quia ipsa præteritas lasciuiæ culpas agnoscens, easque confessa, iam ad salutarem pœnitentiam reuocari cœperat: tum quia eiusdem mulieris testimonio aduocati Samaritæ iam ad Dominum properabant. Sunt autem conuersi peccatores tamquam venatica præda, ideoque Domini gustui esca sapidissima. Quare Leo 9.

Peccatores ad salutem conuersi Domini venatica præda sunt.

Ep. 1. c. 17 Cornelium Centurionem à Gentilitate ad veram fidem conuersum, vocat *immanem aprum de sylua*. Porro diuini verbi præcones, velut dentes sunt, qui animarum salutem procurantes, esurienti Domino spiritualem cibum mandunt. *Mysticè*, ait Hieronymus, *in Scriptura Sacra dentes aliquando prædicatores accipi solent. De sanctis enim prædicatoribus sponsa dictum est: Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. Unde vnc eorum ostensis in figura Gentibus, dicitur: Macta, & manduca: idest vetustatem earum conterit, & in corpus Ecclesiæ, & sua membra conuerte.*

Prædicatores dentium nomine significantur. Hieronymus in Threnos c. 1. Cantic. 4. Act. 10.

Dicit eis Iesus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me; vt perficiam opus eius.

Corporalis, & spiritualis cibi discrimen.

112 CORporales cibi tempore indigent, vt ad comedendum parentur, præparati deinde cum satietatem, adeoque comedendi fastidium afferant, perpetuò iis vesci non datur. Secus verò cœlestis cibus, qui est Dei voluntas, semper ad animas reficiendas paratus est; semperque velnti iugi conuiuio iucunda, perennis, & salutaris esca Dei seruis esse potest. Præterea cœlestis hic cibus ita iustum nutrit, & auget, vt crescat *in virum perfectum*, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Qui enim hic Dei voluntatem exequendo mortalem vitam vixerint, in bene anteactæ vitæ præmium resurgent in mensura, & statura corporis plena, & perfecta, qualis Christi fuit in ætate plena, & perfecta: vt sicut Christus peragens annum ætatis trigesimum quartum, iustam habuit humani corporis staturam; ita in resurrectione omnes electi, etiam qui infantili ætate decesserint, habeant iustam corporis sui magnitudinem, & staturam: non quòd omnes statura corporis æquales Christo futuri sint; sed quòd omnes ea erunt magnitudine, & statura, quam in ætate virili, qualis Christi fuit, habuissent; si ijs natura vegeta, & nullatenus impedita fuisset. De quo benè S. Thomas, & Scholastici agunt in 4 sentent. Distinct. 44. art. 3. & 5. August. 22. de Ciuit. cap. 15.

Ad Ephes. c. 4. 13. Resurgêtes electi quam corporis staturá habituri sint.

113. *Vt perficiam opus eius.* Dei opus Christo Domino mandatum tripliciter intelligitur. Primò Dei opus est Euangelicæ legis promulgatio, & ex ea humani generis salus. De quo opere prope passionem Dominus Ioannis 17. dixit: *Opus consummaui, quod dedisti mihi. vt faciam.* Secundò quamuis creata omnia Dei opera sint, opus tamen Dei antonomasticè homo dicitur; de eo enim dicitur Iob 14. 15. *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Ad hominem ergo per virtutes, & sanctitatem suo exemplo, & doctrina perficiendum ab æterno Patre missus est Christus. Tertiò cum Psal. 8 4. Cœli digitorum Dei opera dicantur: & in cœlis præcipuum opus Empyreum, beatorum sedes sit; ad hoc perficiendum Christus aduenit; scilicet vt Empyrei sedes à rebellibus spiritibus vacuas relictas, per homines ad cœlestem beatitudinem electos impleret.

Christus Dominus triplex Dei opus perfecit.

Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt ad messem.

114. VT à corporalibus ad spiritualia animum erigere Apostoli discerent; à messe, quæ post menses quatuor expectabatur, ad spiritualem messem iam maturescentem, nempe ad Samaritarum conuersionem ea vrbe aduenientium ostendendam, Dominus transit; campos enim properantium Samaritarum frequentia plenos, regiones albas, hoc est ad messem maturari incipientes, Dominus vocat. Messis hæc spiritualis, dicere Dominus videtur, præterquam quod excellentiorem fructum habet; est etiam corporali præponenda, cum huius, maturitatis iam tempus adueniat; illius autem longiore temporis spatio distet. Præsentia autem præ futuris magis animum mouent.

Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam; vt qui seminat simul gaudeat, & qui metit.

115. MErces messis spiritualis, est meritum, & beatitudinis præmium merito respondens; quod ab ijs acquiritur, qui messis fructus in cœlestis Patris familias horreum congregant; qui scilicet salutis viam hominibus ostendendo, eos in cœlum transferre student. Quoniam verò post agriculturæ labores messis tempus agricolis lætitiæ tempus est, *Sicut, qui lætantur in messe*, dicitur Isaiæ 9. 3 in spirituali tamen messe tam satoribus, quàm messoribus gaudendum esse Dominus ait: *Vt qui seminat simul gaudeat, & qui metit.* Vbi messores Apostolos, satores Prophetas fuisse Chrysostomus ait. Prophetæ enim de Christi aduentu vaticinantes ad Euangelicam messem prima semina iecerunt. Secundò quia, vt dicitur Lucæ 8. *Semen est verbum Dei*, etiam Apostolici viri diuinam legem promulgantes; & ad eam propter æternam vitam seruandam hortantes, satores dici possunt. Ideo eos Hilarius *æternitatis satores* appellauit. Tertiò quia, vt docet S. Thom. 1. p. q. 62. ar. 3. *Gratia est semen gloriæ*; huius seminis Christus est sator: *Gratia per Iesum facta est*, dicitur Ioann. 1. *& de plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia*: hoc est: sicut substantialis Christi gratia reddit illum Deo gratum, sanctum, & Dei filium naturalem; ita accidentalis gratia nobis per Christum communicata, nos Deo gratos, sanctos, & Dei filios adoptiuos reddit.

Satores & messores spirituali messi gaudent.

Hilarius in Matth. c. 5. Apostolici viri æternitatis satores sunt.

In hoc est enim verbum verum; quia alius est, qui seminat, & alius, qui metit. Ego misi vos metere, quod non laborastis. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.

116. DE Prophetis, qui primi diuinæ legis satores fuerunt, dicitur Psal. 125. *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua.* E quibus enim Ieremias ait: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?* Prophetæ etiam, cùm in obduratos Iudæorum animos diuinæ legis semina iacerent, non solùm lacrymas, sed etiam sanguinem profuderunt: ita vt propterea Matthæi c. 23. 31. Iudæis Dominus dixerit: *Filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt.* Et vers. 37. *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas*

Ierem. c. 9. Prophetæ diuinæ legis satores.

& lapidas eos, qui ad te missi sunt. Cum autem Dominus effusis Prophetarum lacrymis, & sanguine, ingens suæ mortis pretium addidisset; factum est, vt mira facilitate vberem messem vnus Petrus Apostolus vnica concione collegerit: cum Act. 2. 41. animarum circiter tria millia ad Euangelicam fidem conuerterit. Præterea Act. 4. 4. *Eorum, qui crediderunt, factus est numerus virorum quinque millia:* ita vt verè de Apostolis dici potuerit: *Venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos.* (Psal. 125.)

Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci.

117. IActant alchimistæ sua posse industria è viliori materia aurum, argentumque conficere. (Samaritanæ alchimia.) Felicior, & verior Alchimista Samaritana mulier suæ lasciuiæ manifestatam ignominiam, in Dei gloriam, proximorumque salutem conuertit. Cumque suam ob turpitudinem, & fœditatem lasciuiæ opera tenebrarum sint; (2. ad Cor. c. 4.) *Deus, qui dixit*, hoc est iussit *de tenebris lucem splendescere*, ipse etiam ex manifestatis tenebrarum operibus vera fide Samaritarum corda illuminauit.

Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, vt ibi maneret: & mansit ibi duos dies.

118. VNde tanta Samaritanis cupiditas, Christum Dominum apud se detinendi? Illius scilicet suauissimo sermone deliniti, verè eum verba vitæ æternæ habere experiebantur, vt propterea ab eo separari numquam voluerint. Duos tantùm dies apud amantissimos hospites commoratus est Dominus. Quis iucundissimi illius bidui felicitatem cogitatione assequi potest? Si diem vnum in atriis cum seruis, non in superiori domo cum cœlesti Rege familiariter versari, (Ps. 83. 11.) supra dierum millia meritò prætulit Dauid: *Melior est dies vna in atrijs tuis super millia;* (Biduũ commorantis Domini cũ Samaritanis supra dierũ millia præferendum.) quàm vberem, quàm eximiam cœlestis gaudii voluptatem biduum Samaritanis attulit, quo Domini iucundissimo colloquio iis familiariter perfrui datum est? Discessit tamen post biduum Dominus; sed iam ad suorum fidelium solamen eximium, perpetuam apud eos mansionem meditabatur; (Matth. vlt.) quam deinde in cœlum ascensurus pollicitus est dicens: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Hanc autem promissionem non solùm

A præsenti semper auxilio suos fideles protegendo; sed etiam reali in augustissimo Eucharistiæ Sacramento præsentia amantissimus Dominus adimplere voluit.

Et multò plures crediderunt in eum propter sermonem eius: & mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est verè Saluator mundi.

119. CVm biduum Dominus apud Samaritas mansit; ab eo, siue de se loqueretur, siue de spectantibus ad animarum salutem, & ad B Euangelicam fidem, & legem loqueretur, tam efficacia, tam salutaria, & suauia verba audierunt; vt non iam propter mulieris testimonium, sed propter ipsius Domini sermonem, eum verum messiam esse credentes, dixerint: *scimus, quia hic est Saluator mundi.* Porrò quamuis ex Philosopho, scire sit rem per causam cognoscere; nihilominus in Scriptura scire ex auctoritate extrinseca, credere etiam significat, (Scire interdum credere significat.) vt Deut. 4. *Vt scias, quoniam Dominus ipse est Deus.* Tobiæ 11. *Scias, quoniam mox aperientur oculi eius.* Iob 19. *Scio, quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Sic etiam scientia fidem significat C Lucæ. 1. 77. *Ad dandam scientiam salutis plebi eius.* Ad Coloss. c. 1. *Crescentes in scientia Dei.*

120. Sanctus Thomas 2. 2. q. 2. ar. 10. quærit, an ratio inductiua ad ea, quæ sunt fidei, minuat meritum fidei? & respondet distinguendo: (Ratio humana inductiua ad fidem an meritum minuat.) *Ratio humana inductiua ad ea, quæ sunt fidei, dupliciter se potest habere ad voluntatem credentis. Vno modo sicut præcedens; cum aliquis aut non haberet voluntatem, aut eam non promptam haberet ad credendum, nisi quia ratione humana induceretur: & sic ratio humana minuit meritum fidei. Alio modo ratio humana potest se habere ad voluntatem credentis consequenter. Cum enim homo habet promp-* D *tam voluntatem ad credendum, diligit veritatem creditam, & super ea excogitat, & amplectitur, si quas rationes ad hoc inuenire potest. Et quantùm ad hoc ratio humana non excludit meritum fidei, sed est signum maioris meriti. Et hoc significatur Ioann. 4. vbi Samaritani ad mulierem, per quam ratio humana figuratur, dixerunt: Iam non propter tuam loquelam credimus.* Iuxtà priorem acceptionem rationis inductiuę intelligendus est Gregorius cum ait: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* (Gregor. hom. 26. in Euang.) Iuxtà posteriorem rationis inductiuæ acceptionem dixit Petrus Apostolus. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos, reddere rationem de ea, quæ in vobis est, fide.* (Ep. 1. cap. 3. 15.)

SABBATVM

POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Perrexit Iesus in montem Oliueti, &c. *Ioan. 8.*

Euangelij nexus, & ordo.

REDEMPTOR noster, vt verum Dei filium se probaret, trium Dei attributorum specimen suis coram aduersariis præbet. Primò quidem Sapientiæ, introspiciendo occultas aduersariorum cogitationes, eorumque conscientiam fœdis culpis inquinatam; vt propterea cum saluam dimittere vellet adulteram, fidenter dixerit: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Secundò omnipotentiæ, cum paucis notis inscripto puluere aduersarios confundere, & procul abigere potuerit: ibi enim cum proprias culpas Christo Domino non ignotas esse cognouissent, *Vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus.* Tertiò bonitatis specimen dedit, mulierem indemnatam dimittendo: *Nemo te condemnauit; nec ego te condemnabo.*

Et diluculo venit in templum: & omnis populus venit ad eum; & sedens docebat eos.

2. PRimo mane Christus Dominus templum petit; populum docet; suaque doctrina prauas dæmonis suggestiones detegit, easque fugiendas demonstrat; vt Dauidis de Messia, eiusque ministris vaticinium impleatur: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ; vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Vbi Origenes ait: *Sine ciuitas Domini Ecclesia Dei viuentis accipitur, eijciunt doctores de Ecclesia, & interficiunt eos, qui operantur iniquitatem; contrarios dæmones, aduersariasque virtutes, qui cogunt homines ad peccatum: docendo, instituendo, & occultata in diuinis litteris mysteria referando. Sine ciuitatem Domini vniuscuiusque nostrûm animam intelligamus; quæ ædificatur à Domino ex lapidibus viuis, idest ex virtutibus varijs, & diuersis: de ipsa quoque ciuitate sanctus quisque, & diligens eijcit peccatores, idest cogitationes pessimas, & cupiditates prauas interficit in matutino. Iustus enim dicit: In matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus. Quod est aliud matutinum, nisi Dominus noster Iesus Christus, qui est lux vera, & exoriens in cordibus nostris, atque illuminans ignorantiæ nostræ tenebras?*

Vaticinium in Messia adimpletũ Ps. 100.

Psal. 62.

Adducunt autem Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio; & dixerunt ei: Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.

3. SI tàm vehementer iustitiæ, & diuinæ legis zelo se affici Scribæ, & Pharisæi iactabant; cur non etiam adulterum ad Dominum adduxerunt? Credibile est adulterum à se illos vel

Adulteram adducentes cur non etiam adulterum Pharisæi adduxerint.

A ferro timidos, vel suauos argento repulisse. Adduxerunt tamen adulteram, & Dominum blandis verbis magistrum appellando, quid de ea iudicaret, interrogant. Benè in hunc locum Cyrillus ait: *Qui alios enecare veneno student, illud melle circumdatum, & temperatum porrigunt, vt lurida veneni lues mellis permista dulcedine lateat magis; facilius ingrediatur ignota, & maiorem inferat perniciem non præuisa. Ita hi verborum blanditijs, & palpatione adulatoria Pharisæi sua malitiæ virus abscondere satagunt, vt suarum fraudum laqueis Dominum faciliùs implicent, & incautum inuoluant.* B Cum igitur insidias struant, venerabile magistri nomen præmittunt. Benè igitur de simulatoribus istis vaticinatus est Dauid Psal 61. *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Simulatores hi præuiam honorificam vocem veluti ministram, & prodromam vituperationis efficiunt: ideo enim honorificum verbum aliquod præmittunt, vt deinde cum vituperant, faciliùs veluti alieni à calumnia credantur. *Iniqui*, inquit Gregorius, *ne publicè praui videantur, loquuntur aliquando bona de iustis, quæ esse iam cognita, & alijs nouerunt: sed hæc ipsa protinus ad cumulum reatus pertrahunt. Et credendum sibi in contrarijs, ex eo, quòd & prospera loquebantur, ostendunt. Ad vsum ergo intorquent criminis, voces fauoris.*

Cyrillus in Ioann. l. 5. c. 15

Pharisæi venefícis similes.

Simulatoris mos. 5 Mor. 13.

4. Euthymius, Nicephorus, & Imperfe-C ctus in Matth. c. 12. verba illa Psal. 54. *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula*; interpretantur de Iudæo, & Pharisæo Christum blandis verbis alloquentibus, eumque magistrum appellantibus; cum tamen sub verborum blandimentis insidiæ conderentur. Aptissimè autem blandi huiusmodi sermones, & fallaces iacula appellantur: iaculum enim, abducta prius arcus chorda, retrahitur à scopo, fitque magis distans, vt deinde vehementiùs feriat: ex quo est Phrenoschema de sagitta arcui aptata, cum epigraphe, *Abducta enatior.* Ita planè fallax assentator prius blando sermone ab insidijs valde se distare ostendit; vt deinde violentius per calum-D niam feriat innocentem. Simulatus huiusmodi calumniator, vt calumniam occultè, & per insidias struat; antequam proximi famæ detrahat, tamquam in proximum beneuolus, & misericordia motus, suspiria præmittit, ita vt, sicut alio sensu sanctus Iob dixit, *Antequam comedam, suspiro*, de huiusmodi calumniatore dici possit: Antequam maledicentiæ dentibus proximum mordeat, suspirat. Quod elegantissimè describit Bern. serm. 24. in Cant. *Videas præmitti alta suspiria, sicque cum quadam grauitate, & tarditate, vultu mæsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem; & quidem tantò persuasibiliorem, quantò creditur ab his, qui audiunt,*

Simulatoris versutia. Simulatoris verba cur iacula vocantur?

Iob. 3. 24.

Simulator antequam mordeat, suspirat.

corde

corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm maliciosè proferri: Doleo, inquit, vehementer pro eo, quòd diligo eum satis, & numquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: *Mihi quidem, ait, benè compertum fuerat de eo istud; sed per me numquam innotuisset: at quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum: dolens dico: re vera ita est.* Ad maledicentiam ergo, & calumniam occulandam, prius veluti alieno à maledicentia affectu recedere videtur calumniatrix lingua; vt deinde vehementius calumniæ verba vibret. Hinc aptissimè in sacris litteris maledica lingua abductæ sagittæ comparatur: Ieremiæ 9. *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est; in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias.*

5. Visus de Scribis, & Pharisæis Christum nominum in hoc Euangelio ad calumniam struendam blandè alloquentibus, eumque magistrum appellantibus est vaticinatus Isai 32. *Stultus fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem; vt perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter; & vacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat. Fraudulenti vasa pessima sunt; ipse enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites in sermone mendaci.* Tantæ simulationis finis est, *vt vacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat.* Esuriens, & sitiens hic Christus nominus intelligitur, cuius esuries, & sitis erat circa animarum conuersionem, iuxtà ipsius testimonium Ioann. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me; vt perficiam opus eius:* & ibidem, cum Samaritanæ adulteræ conuersionem sitiret, eidem dixit: *Mulier da mihi bibere.* Cùm igitur animarum conuersioni obstaculum per calumniam, & simulationem struere Pharisæi conarentur; verè de vnoquoque eorum vaticinatus est Isaias: *Cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter* (eum scilicet appellando magistrum) *vt vacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat.*

Simulator Pharisæus quomodo Christo esurienti, & sitienti animarum salutem subtrahit?

In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?

6. Contra adulteros lex habetur Leuit. 20. *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum vxore proximi sui; morte moriantur & mœchus, & adultera.* Sed quoniam genus mortis ibi non exprimitur; Hebræi lapidandos esse adulteros arguendo à minori ad maius benè colligebant ex Deut. 22. 23. 24. vbi vnà cum socio criminis participe lapidari præcipitur sponsam, quæ fidem sponso antequam simul conuenirent, violauerit. Similiter lapidandam esse etiam ibi præcipitur puellam, quæ liberè virginitatis in domo paterna iacturam fecerit. Quod genus mortis, nempe lapidationis, ad adulteros omnes extensum comprobasse videtur Dominus cum Ezech. 16. ait: *Iudicabo te iudicijs adulterarum, adducens super te multitudinem; & lapidabunt te lapidibus.* Cum igitur lapidibus interficere huiusmodi delinquentes ex Mosaica lege præciperetur: quæritur cur Pilato Iudæi dixerint Ioann. 18. *Nobis non licet interficere quemquam.* Respondet Augustinus tract. 114. & Cyrillus in Ioan. lib. 12. cap. 6. id dixisse Iudæos, eò quod Pascha essent celebraturi; propter quam celebritatem, reorum tunc temporis mortem exequi prohibebantur. Confirmatur talis responsio ex eodem cap. Ioann. 18. vbi de Iudæis dicitur: *Ipsi non introierunt in prætorium; vt non contaminarentur, sed manducarent Pascha.*

Lapidandos esse adulteros vnde in Mosis lege habeatur?

7. Porrò vt ad adulterij pœnam reuertamur, teste Dio Siculo lib. 2. apud Ægyptios adulter mille virgarum plagas subibat: naso autem adultera mutilabatur. Idque iusto quidem supplicio; de sponsa enim castimoniæ laudibus insigni dicitur: *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* Huiusmodi turris diruenda erat adulteræ, cum iam vrbs in manus hostis incidisset.

Adulteri pœna apud Ægyptios. Adulteræ apud Ægyptios curnaſus amputabatur. Cant. c. 7.

8. Locrensium lege vterque oculus adultero erat eruendus: cumque Zaleucus legis auctor legem in filio præuaricatore seruari vellet, populus verò remitti flagitaret, Zaleucus vnum sibi oculum, alterum Filio effodit: oculique lumen iustitiæ candori posthabuit. Ne potentium ictibus lex vitrea foret, Vitricus Zaleucus maluit esse, quàm parens. Cæcutire legislatorem, quàm claudicare iustitiam legifer maluit. Cum eius sub fronte noctesceret, suum Erigone sidus exeruit, Venus occuluit. Tam illustris cæcitatis caligo Troiani incendij faces ab adulterio accensas felicior Hectore repulisset. Visus est luscus nubilum cæcitate supercilium, clarissimum Æquitati monumentum, & triumphalem velut arcum gloriæ excitasse. Melius sponte cæcus adulterij vindex; quàm centum oculis Argus seuerus adulteræ custos, celebritatem nominis est adeptus: passus alteram sibi aciem præstingui, vt ad Themidis scopum acutius altera collimaret: dignus sanè vir, cui suos Fama mille oculos consecrarit, vt in omnem consequentium temporum posteritatem fixis obtutibus tantæ virtutis documenta suspiceret.

Adultero vtrumque oculum Locrenses eruebant. Zaleuci in filium adulterum seueritas. Val. Max. lib. 6. c. 5. Ælianus l. 13.

9. Vt prouidentiam homines doceantur, ad Formicam mittuntur: Prouerb. 6. *Vade ad Formicam, ò piger; & considera vias eius; & disce sapientiam.* Vt doceantur prudentiam, ad serpentes; vt simplicitatem doceantur, mittuntur ad columbas: Matth. 10. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Sed vt adulterij detestationem, debitamque coniugii fidem homines discant, ad Ciconiam, & Porphyrionem auem mittantur. *Tempore etiam meo*, inquit Gulielmus Parisiensis *Ciconia tamquam de adulterio conuicta per olfactum masculi sui, congregata multitudine ciconiarum, nescio qualiter accusante masculo, vel detegente eius crimen, à tota illa multitudine deplumata, atque dilacerata est; tamquam concilio, aut iudicio omnium esset adulterij iudicata. Porphyrion auis*, ait Athæneus, *cùm domi alitur, fœminas virorum coniuges tanta seueritate custodit, tantumque stupri sensum habet; vt cum id deprehenderit, præmonstret antea Domino, & vitam laqueo finiat; vel potius Fame sibi mortem consciscat*, teste Dalechampio. Huiusmodi auium contubernium, quàm multis esset inuisum! quantoque libentius serpentibus, quam huiusmodi volucribus domicilium commune concederent.

Prima part. de vniuer. part. 3 c. 8. Ciconia adultera à ciconiis deplumatur, & laceratur. Athenæus lib. 9 c. 12. Porphyrion auis visum vxoris adulterium detegitque, detectu præ tristitia moritur.

10. Porphyrionis proculdubio contubernium Romanæ coniuges omninò vitabant, de quibus Seneca l. 3. de beneficiis c. 16. ait: *Numquid iam nullus adulterij pudor est; postquam eo ventum est, vt nulla virum habeat, nisi vt adulterum irritet. Argumentum est deformitatis, pudicitia. Quam inuenies tam miseram, tam sordidam; vt illi satis non sit vnum adulterorum par, nisi singulis diuisis horas? & non sufficit dies omnibus, nisi ad alium gestata est, apud alium mansit. Infrunita, & antiqua est, quæ nescit matrimonium vocari vnius adulterium.*

Romanæ priscæ adulteræ.

Hoc autem dicebant, tentantes eum, vt possent accusare eum.

Pharisæi cur adulterá ad Dominum adduxerunt? Ioannis c. 8.

11. HAne Pharisaïcam fraudem sic explicat Ambrosius lib. 9. Ep. 76. ad Studium: *Oblata erat à Scribis, & Pharisæis Domino Iesu adultera rea, & hac oblata fraude; vt si eam absolueret, legem soluere videretur; sin verò damnaret, propositum sui mutaret aduentus: quia peccata omnium remissurus aduenit. Quod hoc eodem capite dixit: Ego non iudico quemquam.* Hoc est: Quamuis iudicandi habeam potestatem; nolo tamen eam exercere; nisi in secundo meo aduentu; cùm ad iudicandos viuos, & mortuos veniam: nunc non ad iudicandos, sed ad liberandos homines venio. Quæ interpretatio placet Chrysostomo, Leontio, Theophylacto, & Euthymio. Cui etiam sententiæ consonat, quod dicitur cap. 3. *Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum; sed vt saluetur mundus per ipsum.* Et Lucæ 12. Cum, vt hæreditatem inter duos fratres Dominus diuideret, rogaretur, respondit: *Homo, quis me constituit Iudicem, aut diuisorem super vos?* Adde prætereà voluisse Pharisæos Christum, si mulierem lapidandam esse iudicaret, apud populum odibilem, tamquàm parum misericordem, & seuerum iudicem reddere. Versuta quidem nequitia Scribæ, & Pharisæi Christum Dominum, vt reum redderent, iudicem elegerunt.

Iesus autem inclinans se, digito scribebat in terra.

Adultera cum accusaretur, quid Dominus in terra scripserit? Hie, & num. 14. & 16.

Dominus cur Pharisæorū peccata in terra scripserit?

12. QVid Dominus in terra scripserit, quærunt hic interpretes. Docet Hieronymus Dominum scripsisse Scribarum, & Pharisæorum mulierem accusantium, omniumque mortalium peccata: vt hinc scilicet eos puderet tam acriter mulierem accusare; cùm ipsi plurimorum criminum reos ex scriptura illa se esse cognoscerent. Fuit autem scriptura hæc terræ impressa, vt de Pharisæis impleretur vaticinium Ierem. 17. *Domine, recedentes à te in terra scribentur; quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.* Scribuntur autem peccatores in terra, primò iuxtà Lyranum, vt in terra scripti Inferni ciues, qui intra terram est, agnoscantur. Sicut in cœlestis Ierosolymæ aditu electi scribuntur, vt cœli ciues declarentur. Apocalypsis 21. *Habebat in portis Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.* Secundò Pharisæorum peccata in terra, ac puluere Dominus scripsit, vt suæ potentiæ vim declararet; cùm exiguo puluere suos aduersarios tam facilè confunderet, iuxtà citatum Ieremiæ vaticinium: *Domine, omnes, qui te derelinquunt, confundentur, recedentes à te in terra scribentur.* De talibus Redemptoris aduersariis dicitur Psal. 117. *Circumdederunt me sicut apes:* propterea ad eos compescendos modicum puluerem digito discriminatum Domino adhibere placuit: de apum enim iracundis incursionibus dicitur:

Peccatores in terra scribuntur iusti in cœlo. Lucæ c. 10. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis, ait Ambrosius Ep. 76.

Virgil. in Georg. lib. 4.

Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta,
Pulueris exigui iactu compressa quiescent.

Dominus breui temporis, & loci spatio

13. Quæri rursus hic potest, cùm breui temporis, & loci spatio pauca verba Dominus scripserit; quomodo per ea tot peccatorum genera distinctè fuerint significata? Respondetur hoc

A duplici exemplo dilucidari posse; altero è sacris litteris, altero ex alia sacra historia. E sacris litteris Danielis 5. habetur, cùm conuiuio accumberet Balthassar Babylonis Rex in aduerso pariete scripturam apparuisse, quæ tribus tantùm dictionibus, seu nominibus constabat, *Mane, Thecel, Phares*; hoc est, vt interpretatur S. Hieronymus, *Numerus, Appensio, Diuisio.* Et tamen ex tribus hisce dictionibus triplex sententia contra Balthassarem Danieli innotuit: *Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Appensus es in statera, & inuentus es minus habens. Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis.* Similiter paucis verbis potuit Christus Dominus facere, vt plura Pharisæorum crimina iis ipsis innotescerent. Alterum è sacra sancti Francisci Xauerii historia petitur exemplum. *In Amangucy ad Bonzias, aliasque Ethnicos de Christiana religione quotidie verba faciebat. Sub sermonem (vt gens est non magis acris, quàm aduersus aduenas insolentis ingenio) alij super alios permulta illum de rebus odiose percontabantur. Xauerius ergo cùm multis multorum vno tempore, sanè varijs, diuersisque vrgeretur interrogationibus; vna sæpe responsa (mirum dictu) satisfaciebat vniuersis; proinde ac si separatim singulis respondisset.*

terra scribens, quomodo peccatorum genera indicauit? Danielis cap. 5.

Tursellin. lib. c. s. a. S. Franciscus Xauerius vnico responso pluribus interrogationibus satisfaciebat.

14. S. Ambrosius Ep. 76. ait Dominum in terra scripsisse sententiam illam Matth. 7. in Iudæos prolatam: *Festucam, quæ in oculo fratris tui est, vides: trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides. Libido enim velut festuca est, citò accenditur, properè consumitur. Sacrilegium perfidiæ, quà Iudæi negabant propriæ salutis auctorem, sceleris magnitudinem personabat.* Nec mirum esse debet adulterium, alioquin grauissimum crimen, iuxtà Ambrosium, festucam nominari. Tale enim est, si spirituali adulterio, quo cœlesti sponso fides ab anima non seruatur, comparetur. Quare, vt benè ait Hesychius Episcopus Ierosolymitanus: *Quantùm sensibile adulterium malum est, tanto est intelligibile deterius; quia per illud carni, & homini; per hoc spiritui contumelia fit, & Deo; cui desponsati sumus iuxtà Apostolum 2. ad Cor. 11. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Cùm igitur corporalis adulterii rea mulier accusata; Scribæ verò, & Pharisæi accusatores spiritualis essent adulterio fœdi; hinc est, vt respectu Pharisaïci sceleris mulieris culpa festuca dicatur; Pharisæorum verò scelus trabs meritò nominetur.

Adultera crimen festucæ: Pharisæorum ... trabi comparatur. Hic, & sequenti.

15. Prætereà piè credi potest, mulierem hanc tunc primùm in adulterii crimen ex fragilitate incidisse: cùm è contrario Scribæ, & Pharisæi mulierem accusantes iam diù in multiplici scelerum fæce defixi essent. Hinc est, vt illorum scelera trabi compararentur; mulieris verò crimen festuca dicatur. Quare optimè Augustinus ait: *Festuca initium trabis est: nam trabs quando nascitur, prius festuca est: rigando festucam perducit ad trabem. Pharisæi,* ait S. Marcus c. 7. *nisi crebrò lauerint manus, non manducant; & à foro, nisi baptizentur, non comedunt.* Cùm ergo ex hypocrisi, & superstitione Pharisæi frequentissimè abluebant; tunc sua crimina irrigabant, vt iam ea frequenti irrigatione illorum, festuca ad proceræ trabis incrementa peruenisse meritò dici potuerit. Durior autem Pharisaïcæ obstinationis trabs, vt vtili decremento iterùm in molliorem festucam rediret, pœnitentiæ lacrymis

Serm. 16. de verbis Domini 1. 10.

erat irriganda, quod exequi Pharisæi recusabant. A

Adulteræ culpam cur Dominus in terra scripserit? Ieremi. c. 17.

16. Ad extremum Cornelius in Ieremiæ 17. autumat in terra Dominum non Pharisæorum accusantium peccata; sed potiùs accusatæ mulieris culpas scripsisse. Quasi diceret: *Peccatum vestrum, ô Pharisæi, scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino; huius verò mulierculæ peccatum tamquam in perpetuum delendum per eius pœnitentiam, & meam clementiam, par est vt in terra scribatur.* Quæ in terra scribuntur, facilè vento delentur; propterea piis suspiriis delendę mulieris culpę scribuntur in terra.

Cum ergo perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. B

17. CRedibile non est Scribas, & Pharisæos acies Christi Domini operum scrutatores, quid ipse io terra tuoc scripserit, oon vidisse. Sed cum sua peccata Domioo igoota esse credereot, ea scriptura suas culpas redargui oon putantes, iterùm de adultera Christum interrogarunt. Cum autem interrogatus Dominus, antequam sententiam proferret, se erexit, rectitudinem iudicibus in iudicando seruandam esse mysticè iosinuauit. Cum Ieremias c. 1. à Domioo ad iudicandum præuaricatorem populum mitteretur, ei dictum est: *Loquar iudicia mea cum eis super omnem malitiam eorum. Tu ergo loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi.* Eidem Ieremiæ iam iudici constituto Dominus dixit: *Dedi te hodie in columnam ferream.* C Columnis, vt ad sustentanda pondera aptæ sint, in primis rectitudo est necessaria: iudex similiter, vt muneris sui onus benè sustineat, rectus, columnæ instar esse debet; ita vt neque ad dexteram fauoris, neque ad sinistram timoris se flectat. *Sit instar columnæ, in se firmus per fidem; rectus per æquitatem; erectus per intentionem, sublimis per contemplationem; sustentans alios verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis*, ait Ricardus Victorinus io illa Apoc. verba: *Faciam illum columnam in templo Dei mei.*

Iudex columnæ instar esse debet.

Cap 3.

18. Ad id idem significaodum cum Apostolis D iodicaria potestas à Deo data sit: *Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*, Matth. 19. iidem Apostoli columnis comparantur ad Gal. 2. *Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse: & re vera erant*, vt ait Chrysostomus. Ad eamdem in iudicando rectitudinem significaodam Isaiæ 9. de Christo supremo omnium iudice dicitur: *Erit iustitia cingulum lumborum eius.* Cur cingulo iustitia comparatur? Primò, quia cingulum recedendo ab extremis, mediom corpus circumdat: talis & iustitia; ita ęqualitatem amat, vt extrema planè refugiat. Secundò *Erit cingulum lumborum eius*, idest *Iustus erit ex omni parte sicut cingulum totum hominem circumdans*, ait E Hugo Cardioalis. Tertiò cingulo comparatur iustitia, vt intelligamus tunc tale ciogolum à rectitudine deflectere, atqoe aliquam in partem peodere; com ab eo grauis argento, aut auro crumena suspenditur. Quare oe pecuniæ pondere rectus iustitiæ tenor flectatur, à iusto iudice sedulò est curandum.

Iudex colũnę instar esse debet.

Iustitia cur cingulo cõparetur.

Et iterùm se inclinans, scribebat in terra.

19. DOmioos se iterum inclioauit. Primò iuxtà Hieronymum, & Augustinum, ne suo aspectu discedentium verecuodiam augeret. Secuodò vt suæ magis potentiæ vim ostenderet; quippe qui non minaci vultu, sed ad terram ioclioatus suos procul aduersarios abigeret. Tertiò magis ad litteram, & iuxtà Euangelistæ verba inclioauit se Dominus, vt iterùm in terra scriberet. Quid aotem iterùm in terra scripserit, probabile est fuisse notas quasdam, quibus diuioitus effecit, vt Scribis, & Pharisæis sua specialios B peccata indicareotur. Tertiò aliqui censent scripsisse Dominum ootas, quibus iodicabantur in Gebenna siogulis parata supplicia. Quare si muodi initio, cœli Dei digitorum opera fueront, *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum*, ait Dauid Psal. 8. Postea ad Scribas, & Pharisæos terreodos, non cœli ornamenta, sed gehenoæ descripta supplicia Dei scribentis digitorum opera fuerunt.

Hieron. l. 2. contra Pelagium. August. tract. 33. in Ioan.

Adultera cũ accusatoribus, cur Dominus se iterũ inclinauerit, & quid in terra scripserit?

Audientes autem vnus post vnum exibant, incipientes a senioribus.

20. CRediderim, ait Cyrillus, *facilè seniores grauiorum sibi malorum conscios fuisse, &* C *reos: impletumque in eis illud Scriptura, Quod à senibus egressa est iniquitas; & propterea vehementiore affectos verecundia primùm egressos fuisse.*

Seniores, qui inter adulteram accusantes erant, cur primi exierint?

In Ioan. lib. 5. c. 15.

21. Lucæ cap. 11. se *in digito Dei eyceré dæmonia* Dominus dixit. Similiter cum ex scriptis Dei digito notis coosusi Scribæ, & Pharisæi discederent; quibus hoc etiam capite dictom est: *Vos ex patre diabolo estis*: benè etiam se iterum Domious in Dei digito dæmonia eiicere testari potuit. Com ad Ægyptios puoiendos Aaron virga terræ puluerem percussisset, *Facti sunt Sciniphes in hominibus, & iumentis*: animalcula scilicet molestissima, siue pedicoli, siue pulices, siue D probabilius culices. Et *dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic.* In hac etiam Euangelica historia, cum è puluere Dei digito inscripto ad Scribas, & Pharisæos coofusiooe puniendos acres ignominiæ stimuli excitarentur, verissimè dici potuit: *Digitus Dei est hic.*

Dan. 13. Dominus cur in terra digito scripserit.

Exodi 8. 16.

Et remansit solus Iesus; & mulier in medio stans.

22. SOlus Iesus remanet, inquit Ambrosius, *quia non potest hoc cuiquam hominum cum Christo esse commune, vt peccata condonet. Solius hoc munus est Christi, qui tulit peccatum mundi.* l. 9 Ep. 76.

E 23. Quòd solus Iesus remansisse dicitor, Apostoli non excluduntur; sob capite eoim eiusdem membra soot iotelligenda. Sed discedentibus confusis accusatoribus, cur molier ab eorum instantia iam libera non discessit? Quibus vincolis ibi vlterius stare cogabatur? Respoodetor peccatricem mulierem non aliis ibi, quam spei vinculis fuisse detentam. De huiusmodi enim vinculis peccatoribos dicitur Zach. 9. 12. *Conuertimini ad munitionem vincti spei*, hoc est: Vos, qui in Dei misericordiam, & auxilium benè sperando, ei per spem deuincti estis, conuertimini ad munitionem, eius scilicet nomen, & opem inuocando: Est enim *turris* Prou. 18. 10.

Adultera cur discedẽtibus accusatoribus non statim discessit.

fortissima nomen Domini. Proinde in Dei filium sub humana carne, oculos intendens peccatrix mulier, iam per fidem illuminata intra se tacitè dicere potuit: *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, vt saluam me facias. Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu. Educes me de laqueo, quem absconderunt mihi. Factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici. In te Domine speraui, non confundar in æternum. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluam me facias. Deus meus eripe me de manu peccatoris.*

Ps. 30. 3. Ps. 60. 4. Ps. 70.

Erigens autem se Iesus dixit ei: Mulier vbi sunt, qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo.

Christi in misericordiam propensio. 24. DOminus, qui vrgentibus accusatoribus se inclinauerat; accusatoribus recedentibus se erexit; vt insinuaret, quàm alienus à puniendo peccatore sit, quàm propensus ad peccatorem absoluendum. *Vide lector, diuina mysteria, & clementiam Christi*, ait Ambrosius; *cùm accusatur mulier, caput Christus inclinat; eleuat autem, vbi defecit accusator. Ita nullum damnare vult, absoluit omnes.*

supra. supra.

Christi eximia prudentia. 24. *Aduerte*, ait idem Ambrosius, *quomodo propriam sententiam temperauit; vt Iudæi de absolutione mulieris calumniari nihil possent; sed in se magis calumniam retorquerent, si queri vellent. Dimittitur enim mulier, non absoluitur; quia deerat accusator, non quia innocens approbatur. Quid ergo quererentur, qui priores à persecutione criminis, & ab executione supplicij destiterunt.*

Isaiae. 27. Dei mira misericordia. 26. Quàm verè per Isaiam clementissimus Dominus ait: *Indignatio non est mihi; quis dabit me spinam, & veprem? Quis me faciet durum, atque crudelem, vt vincam naturam meam?* interpretatur Hieronymus. *Quis me reddat, vt sim vepris, & spina?* Vertit Vatablus. Spinarum, vepriumque proprium est, manus arcere, ne flores, fructusque carpantur. Talis diuina iustitia non est, vt à diuinæ clementiæ fructibus homines arceat. Ad quod insinuandum per prophetam Deo dicitur: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Non enim diuina iracundia talis est, vt hominibus misericordiæ aditum præcludat.

Habac. 3

Christus spinas sibi habere voluit; ne homines vltionis vepre confligeret. 27. Sed hoc in loco Dei filii interrogationi: *Quis me reddat, vt sim vepris, & spina?* Responderi potest, humani generis peccatum hoc effecisse; scilicet vt ipse misericors Dominus, qui vltionis aculeos misericorditer remouendo, spinæ aliis esse noluit, sibimet vepris, & spina foret; cum vndequaque vepribus circumtecto capite spinosus sub humana carne videri voluit Deus.

28. Præterea Isaias 55. ait: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas; & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius; & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Gentiles, vt iuuantes Deos sibi compararent, trecentos Ioues multiplicarunt, vt Tertullianus; ex Varrone docet in Apologetico cap. 14. Sed iuxta veram Christianam fidem vnum nos verum Deum beneficia omnia conferre potentem credimus, & veneramur. Quid perderent si vnum colerent prudentiore compendio? Gentilibus Augustinus ait. Quomodo autem Deus, qui vnus est, multus dicitur? Respondet primò Hugo Card. *Multus est Deus ad ignoscendum; quia multa peccata dimittit, & magna, & multotiens.* Quare S. Fulgentius de multiplici Dei misericordia ait: *In hoc multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors est. Tanta est autem, & benignitas omnipotentia, & omnipotentia benignitatis in Deo; vt nihil sit, quod nolit, aut non possit relaxare conuerso. Si peritus est medicus noster, omnes potest infirmitates sanare. Si misericors est Deus noster, vniuersa potest peccata dimittere. Non est perfecta bonitas, à qua non omnis malitia vincitur; nec est perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis inuenitur. Scriptum verò tenetur in libris sacris, sapientiam non vincit malitia. Et omnipotentia medici nostri talibus in Psalmo sermonibus intimatur. Benedic, anima mea, Domino, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas.*

Ep. ad Trasimund. Deus essentialiter vnus cur ad ignoscendum multus dicatur? Cap. 3. Sap. 7. Ps. 102.

Deus essentialiter vnus cur ad ignoscendum multus dicitur? 29. Respondetur secundò, Deus cùm vnus sit, ad ignoscendum multus dicitur; quia tàm benignè, tàm facilè, tamque veluti iniuriæ immemor pœnitentibus peccata dimittit; vt quodammodo videatur alius esse offensus; & alius, qui peccatores pœnitentes, vt amicos amplectitur. Aptissimum Dei symbolum sol est; Et Malach. 4. Deus *Sol iustitia* dicitur, hoc est ex Hebraïsmo *sol iustificans*, scilicet peccatores. Sol sæpè nubibus in occasu conditur, idemque clarissimus in ortu redit; ex quo fit, vt à se diuersus, & veluti multiplex sol in dies videatur: quare Ethnicus ille de sole cecinit, *Aliusque & idem nasceris.* Non dissimiliter sol iustitiæ Deus, cum sæpè peccatoribus in gratiæ occasu nubilus occidat; pœnitentibus redit in gratiæ ortu clarissimus; ita vt propterea multus ad ignoscendum esse videatur.

Horat. in carmine saeculari.

30. Quàm proprium Dei sit delinquentibus ignoscere, indicatur Isaiæ 26. 21. *Ecce Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum.* Similiter Michææ 1. *Ecce Dominus egredietur de loco suo; & descendet, & calcabit super excelsa terræ. Calcare terram est potentes quosque conterere*, ait Hieronymus. Deus, qui est vbique, cum immittere in peccatores meritas pœnas vult, cur egredi de loco suo dicitur? Respondetur iuxta Hieronymum: *Deus, qui mitis est, & benignus, & cuius natura clementia est, peccatorum causa cogitur personam, quam non habet, crudelitatis assumere*: propterea è suo beneficentiæ, & misericordiæ solio egredi dicitur. Ad idem significandum dicitur Isaiæ 28. 21. *Dominus irascetur, vt faciat opus suum; alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Vbi benè Hieronymus ait: *Non est opus Domini perdere, quos creauit; sed facere opus alienum, quod ad crudelitatem magis, quam ad clementiam pertinet. Non est opus eius punire peccatores; sed peregrinum, & alienum ab eo, vt puniat, qui Saluator est.* Ieremiæ 18. cum in peccatorum supplicium vaticinando, non imprecando dixisset: *Da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij*, &c. addidit: *In tempore furoris tui abutere eis.* Vbi bene Hugo ait: *Populo suo, qui natus erat ad gloriam, abutitur Deus illum conterendo; quia iste vtitur ad aliud, quàm ad quod natus est. Sic erit de infernalibus: Dominus eis abutetur in pœna; vt quos creauit ad gloriam, consumat ignominia.* Quemadmodum si quis citharam constructam ad harmoniam coniiceret in pabulum ignis, is vtique abuti citharæ diceretur. Iouem manu fulmina gestantem Ethnici pingebant: ideo absolutè Tonantis nomine eum appellabant. Hinc Tertullianus in Apologetico capite 11. Gentilibus exprobrat:

Deus punitens cur è loco suo egredi dicatur? Peccatoribus abuti quomodo Deus dicatur.

Ipsum Iouem, quæ in manu eius impositis fulmina timuisse. Propterea, vt refert Nicephorus lib. 15. cap. 23. *Constantinopoli pistori cuidam aggresso Christum forma Iouis depingere, manus exaruit: Cumque facinus fassus esset, à Gennadio Episcopo Constantinopolitano sanatus est.* Indignatus vtique misericors Dominus est, quòd in eius manu, tamquam ad puniendum semper parata, vltionis arma pingerentur: cum potius in eius dextera ad misericordiam, & liberalitatem propensa conferret cœlestium donorum præmia depingenda, iuxta Dauidis de Domino testimonium Psalm. 15. *Delectationes in dextera tua vsque in finem*; vt eas scilicet hominibus vsque ad vltimum cœlestis beatitudinis finem consequendum offerat. *Obliqui via fulminis*, dicitur à Seneca in Thieste. Tale est diuinæ indignationis fulmen; cum enim illius animum hominum peccata prouocant, vindex Dei fulmen, quia via recta est breuissima, obliquam viam tenet vt resipiscens peccator, supplicium euadendi tempus habeat, fulminisque intentatus ictus terrori sit, non initio.

31. Cum in Euangelio Dominus tam mira, tamque frequentia miracula fecisse legatur; nulla ad puniendum, omnia ad benefaciendum fuisse reperimus. Hinc de Iudæis sanctus Isidorus Pelusiota ait: *Quoniam eum in omnibus miraculis nullam cuiquam molestiam intulisse perspexerant; idcirco eum prodesse tantùm posse existimabant; & non eam vim habere, qua improbos malo afficere posset.* Hæc falsitas è Iudæorum animo, supplicium aliquod infligendo, remouenda erat; in homines tamen supplicium inferre clementissimus Dominus noluit: hinc eximiæ eius misericordiæ adinuentio fuit, vt in rem insensibilem, nempe in fici arborem puniendi potestatem ostenderet. Ideo de Redemptore Matth. 21. 19. legitur: *Videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam; & nihil inuenit in ea, nisi folia tantùm; & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum; & arefacta est continuò ficulnea.* Quo facto Dominus, vt benè Isidorus ait: *Populum ingratum admonet se vlcisci quidem ipsius scelera posse; sed pro sua bonitate nolle. Exaruit igitur arbor, vt hominibus terrorem iniiciat.* Præterea fici arborem arefaciendi causam aliam etiam ad misericordiam pertinentem addit Isidorus: posita enim Theodoreti, & aliorum sententia, quæ vetitum Adamo pomum, ficum fuisse censet, Isidorus ait: *Hanc transgressionis arborem esse, cuius etiam folijs ad corpus tegendum ij, qui mandatum violarunt, vsi sunt. Ac proinde Christus humano, ac misericordi animo hoc ei imprecatus est; ne posthac fructum, peccati causam ferret.*

L. 1. ep. 51.

Dominus fici arborē arefaciens suam in homines misericordiam indicauit.

Gen. c. 3. 7.

Vade, & iam amplius noli peccare.

32. EMendauit ream, inquit Ambrosius; non crimen absoluit. *Etenim seueriore sententia culpa damnatur, si vnusquisque crimen suum oderit, & in se incipiat condemnare delictum. Etenim cum reus accidutur, persona magis, quàm culpa punitur. Vbi verò culpa deponitur, absolutio personæ est pœna peccati.* Distinguit Ambros. inter peccatorem, & peccatum: docetque puniri peccatum, non peccatorem; cum absolutus peccator, ac sine pœna dimissus, vitam præteritam corrigit.

Suprà.

Deus in peccatū potius quam in peccatorem vindictā exercere gaudet.

33. Benè Hieronymus cap. 7. Ecclesiastæ ait: *Si iuxtà eos, qui de physicis disputant, nouit hirundo pullos de succo oculare Chelidoniæ, & dictamnum capra appetunt vulnerata: cur nos ignoramus medicinam pœnitentiæ propositam esse peccantibus?* Sicut ignis extinguitur remota materia combustibili; ita corrigendo anteactam vitam per pœnitentiam, Dei iracundia vltionem comminata cessat: propterea, vt notat Haimo, aiebat Dauid Psal. 78. *Accendetur velut ignis Zelus tuus.*

Peccatore per pœnitētiam resipiscente Dei vltio cessat.

34. Capharnaum, quæ Christi ciuitas dicitur Matth. 9. *Venit Iesus in ciuitatē suam*, Hebraïcè interpretatur *ager pœnitentium*, vel, vt ait S. Hieronymus, *Villa consolationis*; miram enim Deus ex pœnitentiæ fructibus percipit consolationem. Ad huiusmodi visendum agrum, seu villam sponsa dilectum suum inuitabat Cant. 7. *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Ad huiusmodi villam à cœlesti medico adultera mittitur, vt à lasciuiæ febri conualescat: *Iam amplius noli peccare.* In hoc agro peccatorum spinæ arescunt; virtutum flores, fructusque vberrimè germinant. In hoc agro Iudas proditor arborem ad suspendium non inuenisset. Hunc agrum in Massiliæ deserto reperit Magdalena. In hoc agro hyssopum reperit Dauid, qua aspersos mundaretur, & super niuem, gratiæ candore dealbaretur. Deinque hoc in agro antidotum Adam inuenit, quo transfusum à vetito pomo venenum eiecit: vt hinc intelligere liceat quantùm felicissimus pœnitentiæ ager terrestri paradiso antecellat; cum ex illius fructu primus parens venenum hauserit; ex istius verò fructibus præsentissimam medelam expresserit.

Capharnaū ager pœnitentiæ. vel cōsolationis ager interpretatur. Plura bona germina hoc in agro nascuntur.

Tom. 3. de nominibus Hebraicis.

Ps. 50.



DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMÆ.

Abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, &c. *Joan. 6.*

Euangelij nexus, & ordo.

1. SCopvs, huios Euangelii A est, vt ostendatur Dominus destruere opera diaboli, iuxta testimonium Ioannis 1. epist. cap. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.* Ex mortifera diaboli suggestione Adam primus humani generis parens in tria mala incidit. Primo, in execrandam ambitionem appetendo indebitam diuinitatis excellentiam, dicente diabolo:

Gen. 3. *Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum.* Secundo, in famem laboriosa vita expellendam.

Ibid. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Tertio, in languores, &

Ibid. morbos incuitabilis mortis prænuncios: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ex hac verò Euangelica B historia, cum mirum in modum in Christo Domino eluceat diuina clementia, prouidentia humanæque gloriæ contemptus; fit vt aduersus prædicta mala secundus Adam Redemptor noster triplex antidotum afferat. Aduersus languores, & morbos mortis pœnam accelerantes diuina Redemptoris clementia languidis pristinam sanitatem restituit: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.* Aduersus famem diuina prouidentia turbis ad satietatem alimenta largitur: *Accepit Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: Similiter & ex piscibus quantum volebant.* Denique aduersus immoderatam gloriæ C ambitionem, regii honoris contemptum Christus Dominus opponit: *Cum cognouisset, quòd venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterùm in montem ipse solus.*

Antidotum triplex aduersus tria quæ homo incurrit mala.

Trans mare Galilaa, quod est Tiberiadis.

Maris Tiberiadis descriptio, eiusque in sacris literis celebratio.

2. ADrichomius de tribu Zabulon num. 50. docet: *Mare Galilæa sic dictum ab adiacente prouincia; aliàs mare Tiberiadis à Ciuitate Tiberiade; nec non stagnum Genesareth à terra continente nuncupatur Luca cap. 5. Nunc Tabariam ab accolis vocari notat Niger, & Vietacus.* D *Ex Iosepho 3. de bello Iudaico cap. 18. Quadraginta stadijs in latitudine, centum in longitudine patet: Ex Egesippo lib. 3. cap. 26. longius extenditur; ex Plinio lib. 5. cap. 15 latius. Toto ambitu suo viginti millia passuum complectit, scribit Niger. Aqua eius dulcis, fœcunda, atque potabilis est. Varia sunt in* A *eo piscium genera. Medium Iordane fluuio secatur. Oppidis amœnis, & celeberrimis circumseptum est, Capharnao, Tiberiade, Bethsaida, & alijs. In nouo Testamento tum nauigatione Domini, tum vocatione, & piscatione Apostolorum, alijsque miraculis valde celebratur. Hic dum Apostoli iubente Domino in dexteram nauigij rete miserunt, centum quinquaginta tres magnos ceperunt pisces: quo numero complectente omnium piscium genera, significatum fuit per Apostolicam prædicationem nobiles, & ignobiles, diuites, & pauperes, & omne hominum genus de mari huius sæculi extrahendum esse ad salutem. Hoc in mari Iesus, cum turba irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, ascendens in nauim, quæ erat Simonis, sedens docuit de nauicula turbas.* Ioan. 21. B *Prope hoc mare facta videtur illa ex nauicula concio, cuius meminit Matth. 13. Marcus 4. Lucas 8. Hic Petrus in verbo Domini laxans rete tam copiosam conclusit piscium multitudinem, vt rete rumperetur. Luca 5. Hic Petrus ambulauit super mare; cumque dubitans mergeretur, dexterâ Christi saluatus est Matth. 14.*

Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.

3. IVxtà S. Hieronymum Isaias 60. loquens de magno hominum concursu Christum C Dominum sequentium, & ad Euangelicam fidem venientium admirans dixit: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* hoc est ad sua columbaria. Assimilantur ergo fideles turbæ columbis: quomodo autem magnus columbarum concursus ad columbaria fieri possit, sic explicat S. Basilius epist. 175. ad Iulitam: *Ars quædam est aucupandi columbas, videlicet talis. Vbi vnam ceperunt, qui capiendis illis student, cicurem illum reddunt, & ad humanum conuictum assuefaciunt. Deinde vnguento alas illius perungunt, sinuntque coniungi agrestibus. Illa verò per vnguenti fragrantiam agrestem illum, ac liberè pastus gregem ad possessionem transfert eius, cuius* D *ipsa est domestica; bene olentem namque sequuntur & reliquæ, atque ita in potestatem columbarij veniunt.* Christus Dominus Ecclesiæ sponsus columbæ assimilatus Cant. 5. *Oculi eius sicut columbæ.* Sub huius cœlestis columbæ alis sanitas delitescebat: *Sanitas in pennis eius*, dicitur Malach. 4. Hinc columbæ reliquæ, nempe fideles turbæ ad

Columbæ quomodo ad columbaria alliciantur.

eum sequendum alliciebant testante Ioanne: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.*

Subijt ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis.

Solitudinẽ, & secessum à turbis, cunctisque secularibus suo nos Dominus exemplo docet.

4. DE hoc eodem Domini à turbis secessu ait Matth. 14. *Quod cum audisset Iesus* (scilicet Ioannem ab Herode impiè decollatum) *secessit in locum desertum seorsum*: Similiter Marcus 6. *Ait illis Iesus*, nempe Apostolis, *venite seorsum in desertum locum.* Similiter Lucas 9. *Reuersi Apostoli narrauerunt illi quæcumque fecerunt: & assumptis illis secessit seorsum in locum desertum.* Hinc ad solitudinem sectandam, & secessum à sæcularibus curis amandum, Christi Domini Apostolorumque exemplo instruimur. Et ad idem sancti viri nos hortantur: præcipuè Hieronymus ad Heliodorum dicens: *O desertum Christi floribus vernans! O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apoc. Ciuitas magni Regis extruitur: O eremus familiarius Deo gaudens. Quid agis, frater, in seculo, qui maior es mundo? Quamdiu tè tectorum vmbra premens? Quamdiu fumosarum vrbium carcer includit?*

Solitudinis commendatio.

5. Primo Machab. cap 2. de pluribus ætatis illius iustis dicitur: *Tunc descenderunt multi quærentes iustitiam, & iudicium, in desertum*; scilicet cum è ciuitatibus exularet iustitia, ea Dei ductu non alibi, quàm in solitudine, ac deserto erat inquirenda. Propterea, vt recederet ab iniustis, & iustitiam reperiret, aiebat Ieremias 9. *Quis dabit me in solitudine diuersorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis? Quia omnes adulteri sunt, cœtus præuaricatorum*: hoc est, Quis me habere concedat in solitudine habitaculum Eremitarum, seu ex Hebræo, remotorum; nempe eorum, qui se procul ab vrbibus remouent. Nec immeritò Dei serui solitudinem quærentes, vt Deo vacent, *Viatores* Ieremias appellat: hi enim cum Apostolo Paulo non habentes hîc manentem ciuitatem, cum futuram inquirant, *Viatores* certè sunt. Propterea Augustinus in sententiis sententia 17. ait: *Omnis, qui ad supernam pertinet ciuitatem, peregrinus est mundi: & dum temporali vtitur vita, in patria viuit aliena.* Similiter Hugo Victorinus ait: *Perfectus est, cui totus mundus exilium est*, lib. 3. Didasc. erud. cap. 20. Contra verò, qui in vrbium, hominumque frequentia mundanis voluptatibus dediti sunt, cum fateri cogantur, *Adhesit in terra venter noster*, nullatenus viatores dici possunt.

Solitudinẽ iusti quærunt.

Iusti cur viatores appellantur. Ad Hebr. 13.

Perfectis viris mundus exilium est.

Ps. 43.

6. Porrò figura Christi Domini suos discipulos in solitudinem deducentis Abraham credentium Pater fuit: hîc enim suos domesticos ad solitudinem, vt Deo vacare possent, deducere consueuit. Genes. 21. 33. *Abraham plantauit nemus in Bersabee; & inuocauit nomen Dei æterni. Hoc nemus*, ait Caietanus, *fuit quasi oratorium, & templum ad colendum Deum, tam ipsi Abrahæ, quam domesticis eius, alijsque socijs verum Deum colentibus.* Similiter ex Hebræorum traditione, ait Tostatus, *solitus est Abraham hospites, qui domum eius frequentabant, & ducere in eum locum, vt ibi Deum laudarent, & de rebus diuinis inuicem sermocinarentur, sibique adessent sacrificanti.* Huius profectò nemoris secessu Thebaidis solitudini diuinus spiritus fidelium magister præludebat.

Abrahā domesticos, & hospites in [illegible] suum [illegible] cum ad [illegible] lum ducebat.

7. *Omnes quasi aquæ dilabimur in terram*, de vniuersa hominum multitudine dicitur 2. Reg. 14. Ne aqua hæc in terram dilabatur, sed sursum in cœlum affluat, procul ab vrbanis tricis solitudinis secessu occludenda est. Propterea aiebat Petrus Damiani: *Fons, qui vndequaque, ne effundatur, occluditur; vndis ad alta profluentibus eleuatur. E contra, qui per plures riuos hinc inde deducitur, mox vt super eum æstus feruentior incubuerit, exsiccatur.* Sed de hoc plura dicta sunt Dominica prima Quadr. & Fer. 5. post Dominic. 3.

Anima fōtis instar quomodo sursū assurgere debeat. Apol. de cōtēptu mundi c. 10.

Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudæorum: Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi?

8. PRope Pascha, multiplicato per miraculum pane, ingentem multitudinem pascere voluit Dominus; vt quantùm azymis panibus, quos proximo Paschali tempore comesturi erant Iudæi, sapidissimus Christi panis præstaret, experirentur: & sic quantùm Christiana Ecclesia supra Iudaicam Synagogam excelleret, vel ex corporali cibo per figuram indicaretur.

Dominus cur prope Pascha panē multiplicauit?

9. *Cum subleuasset oculos Iesus*: His verbis consuetam oculorum Domini modestiam insinuari docet Caietanus. Præterea subleuasse oculos Redemptor noster dicitur, vt eos, veluti misericordiæ fontes, aperiret. Propterea Matth. 14. dicitur: *Vidit turbam multam, & misertus est eis. Aspice in me, & miserere mei*, Dauid aiebat. Cum inter homines Dominus versaretur, adeo se ad miserandum procliuem ostendit; vt idem in eo fuerit miseriam cernere, & misereri. Lunatici Pater Matth. 17. ante Dominum in genua prouolutus aiebat: *Domine, miserere filio meo.* Quod explicans Lucas ait: *Ecce vir de turba exclamauit dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum.*

Christi Domini oculorum modestia.

Ps. 118. n. 132.

Miseriam videre, & misereri simul in Christo Domino. Lucæ 9. 38.

10. Sicut ad reparandas corporales vires materiali egemus pane; ita ad reparandas ob amissam gratiam vires spirituales, non alio, quàm lacrymarum pane indigemus: de hoc pane pœnitens Dauid aiebat: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Porrò sicut, vt materialem panem elargiretur esurientibus turbis, eas Dominus respexisse dicitur, *Cùm subleuasset oculos Iesus*: ita ad lacrymarum panem Petro elargiendum, similiter eum dicitur respexisse: *Conuersus Dominus respexit Petrum, & egressus foras Petrus fleuit amarè.* Porrò Marci 8. cum similiter atque hîc: turba plurima ad Dominum secutæ esset in tanta hominum frequentia præ longo itinere iam lassa cibi indigentiæ consulere non alijs, quàm Domino curæ fuit; ideoque discipulis dixit: *Misereor super turbam; quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Similiter hîc ait: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Propterea Deo dicitur Psalm. 10. *Tu laborem, & dolorem consideras: Tu solus laborem, & dolorem consideras*, addit Ecclesia in officio Dom. 2. post Epiph. Quia hoc Dei, non hominum proprium est. Ideo Hebræi à Babyloniis in captiuitatem reducti, verè dixerunt Ierem. Thr. cap. 5. *Ceruicibus nostris minabamur*, hoc est iuxta S. Th. Rabanum, & Hugonem: Funibus ad collum alligatis, impositisque ceruicibus Chaldæorum sarcinis, trahebamur in Babylonem: & post longi itineris,

Pane lacrymarum spirituales vires restaurantur. Ps. 41.

Lucæ c. 22.

multique oneris laborem, *lassis non dabatur requies*; nostrumque laborem nemo erat, qui considerares, nosque reficere vellet. Ideo cum penuria, aut calamitate quis premitur, suum ad solamen fidenter Deo sæpe dicat: *Tu solus laborem, & dolorem consideras.*

Dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat.

11. PHilippum potius, quàm Apostolos alios Dominus interrogauit; quia prope erat Bethsaida Philippi patria; adeoque Philippus potius, quàm alii de cibi subsidio turbis procurando, opportunum aliquid referre poterat. Quòd si Bethsaida etiam patria erat Andreæ, & Petri; dicitur enim Ioan. 1. 44. *Erat Philippus à Bethsaida, ciuitate Andreæ, & Petri.* Respondetur Philippum tunc prope Dominum fuisse; Petrum verò, & Andream inter turbas in cibo quærendo fuisse occupatos: dixerat enim discipulis Dominus Matth. 14. 17. Marci 37. *Date illis vos manducare. Quot panes habetis? Ite, & videte.* Ideo Andreas postea Domino retulit: *Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces.*

12. Cum dicitur Dominus Philippum interrogasse *tentans eum*: tentare probare, & experiri significat: quo etiam significatu dicitur Psal. 25. *Proba me, Domine, & tenta me.* Experimentum autem hoc quamuis respectu Domini futura præscientis necessarium non fuerit; factum tamen est, tum, vt cibi penuria clarè cognita, apertè Domini cibum multiplicantis potentia, & prouidentia agnosceretur: tum, vt Philippus cum Apostolis aliis suæ fidei imbecillitatem cognoscerent. Apostoli enim veluti ironicè Domino dixerunt Marci 6. 37. *Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.* Philippus autem tantùm de humano subsidio cogitans dixit: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat.* Præ aliis magis etiam Philippi fides claudicauit; cùm enim dixisset Dominus: *Date illis vos manducare. Quot panes habetis? Ite, & videte*: Philippus cibi subsidium desperans, non cum aliis Apostolis ad indagandum de cibo se contulit; sed propè Dominum remansit.

Tentare est experimentum facere.

Christus omnia noscens cur discipulos interroget?

Dicit ei vnus ex discipulis eius Andreas frater Simonis Petri: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: Sed hæc quid sunt inter tantos?

13. HÆc Andreæ verba non vltrò prolata sunt; sed vt Christo Domino responderet, qui quæsierat: *Quot panes habetis? Ite, & videte.* Largitionem enim diuinorum beneficiorum præcedere debet in homine humanæ imbecillitatis, & inopiæ cognitio. S. Augustinus docet miraculum hoc multiplicandi panem contigisse eodem die, non tamen eodem anno, quo nuptiæ celebratæ sunt in Cana Galilææ. Sicut igitur ibi aquam in vinum; ita hîc circumiacentem materiam in panem miraculosè Dominus transmutauit. Ibi autem non antea miraculosè vinum largitus est Dominus, quàm eius inopia constaret iuxtà Virginis testimonium: *Vinum*

Cognitio propriæ indigentiæ diuinam beneficentiam præcedere debet.
Marci. 6. 37.
Serm. 1. de Epiph.
Aquam in vinum conuertit, panéque Dominus mul-

A *non habent*: Similiter hîc panis inopia ad tantam turbam cibandam benè cognita dispositio esse debebat, quæ multiplicandi panes miraculum præcederet. Hoc optimè nouerat Dauid cum Psalm. 118. vt ad Deum reditum impetraret, propriæ culpæ præmisit notitiam. *Erraui sicut ouis, quæ periit; quære seruum tuum.*

tiplicauit eodem die, non tamen eodem anno. *Ioan. 2.* *verſ. 176.*

14. *Sed hæc quid sunt inter tantos?* Cum mirabilia Deus erga Israëlitas operatus esset, ait Dauid Psalm. 77. *Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filiis suis; vt cognoscat generatio altera! Filii, qui nascentur, & exurgent, narrabunt filiis suis; vt ponant in Deo spem suam.* Nihilominus Israelitæ tot, tamque eximia Dei miracula cum vidissent, *obliti sunt benefactorum eius, &* B *mirabilium eius, quæ ostendit eis.* Simile quid Apostolis accidit. Israëlitæ enim, cùm in deserto diuinitus Deus eorum siti prouidisset: *Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos, velut in abysso multa; & eduxit aquam de petra; & deduxit tamquam flumina aquas*: nihilominus increduli dixerunt: *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, numquid & panem poterit dare?* Similiter Apostoli, cum diuinitus non petram in aquam, sed aquam in vinum diuinitus à Domino transmutatam fuisse vidissent; nihilominus aduenìente panis penuria, mirabilis diuinæ potentiæ obliti ironicè dixerunt: *Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus* C *illis manducare.* Et Andreas, cum quinque panes, & duos pisces reperisset, dixit: *Hæc quid sunt inter tantos?*

Diuinæ potentiæ, & beneficientiæ memoriam diffidentes homines non seruant.

Ps. 77. 15.

Dicit ergo Iesus: Facite homines discumbere; erat autem fœnum multum in loco: Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.

15. MAnducantium fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis, ait Matth. 14. 21. Cum ergo inter turbas illas paruuli essent, & mulieres; vt talium custodiæ, & honestati Dominus summè prouidus consuleret, Apostolis *præcepit, vt accumbere facerent omnes secundùm contubernia super viride fœ-* D *num. Et discubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos*, vt ait Marcus 6. 39.

Domini benigna prouidentia.

16. Cum Dei Filius sub humana carne natus hominum hospitio exciperetur, de eo dicitur: *Fœno iacere pertulit, paruoque lacte pastus est.* Huiusmodi conuiuium, conuiuiisque locum apud homines Dei Filius inuenit. Idem Christus Dominus, vt par hominibus referret, homines quidem in fœno discumbere præcepit; eos tamen non exiguo lacte, sed largissimo cibo pauit; ita vt è conuiuij largitate fragmenta plurima Apostoli collegerint. Tanto cum fœnore diuina beneficentia humanis obsequiis vices rependit. Quod etiam videre est in vltima cœna, in qua Do- E minus discipulorum pedes abluere voluit, vt cumulato beneficio Abrahami obsequio responderet; qui olim tribus Angelis tres diuinas personas repræsentantibus pedes abluerat. *Abrahams filiorum pedes*, inquit Tertullianus, *ad probationem, quòd ipse esset abluit; reddens in filiis suis hospitalitatis, quod aliquando illi fœnerauerat pater.* Qua posita sententia perpendendum est, quantùm diuina liberalitas humano obsequio præstet. Abraham tribus Angelis sub humana specie pedes lauit: Redemptor verò noster duodecim pauperibus pedum sordes abluere dignatus est; inter quos Iudas pessimus proditor fuit; à quo etiam ablutio-

Diuina beneficentia hominum obsequium largissimè remunciatur.

Gen. 18.

Inde primum Dominus pedes ablutionem. Genesis 18.

ablutionem inchoare nomino placuit: *Vt medicina, vbi magis morbus vigebat, adhiberetur*, vt ait Origenes hom. 32. cui consentiunt Chrysostomus homil. 69. & Euthymios. Abraham præterea post pedum lotionem conuiuis Angelis subcinericios panes, & vitulum tenerrimum, & optimum apposuit. Dominus verò cœlestem panem, hoc est suummet corpus sub panis specie discipulis manducandum dedit: præterea & vitulum saginatum. *Vitulus saginatus, qui ad pœnitentium immolatur salutem, ipse Saluator est; cuius quotidie carne pascimur, cruore potamur*, ait Hieronymus epist. ad Damasum.

B *Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter & ex piscibus quantum volebant.*

17. ANtequam Christus Dominus panes, & pisces multiplicaret, certò præscius æternum Patrem miraculo cooperaturum, et gratias egit: deinde, vt Matthæus refert, discipulorum manibus panes, & pisces esurientibus tantis distribuere cœpit. Mira hinc Dei prouidentia elucet, qua hominum in eo sperantium indigentiæ consulit. Propterea benè Dominus monuit Matth. 6. 25. & 31. *Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis; neque corpori vestro, quid induamini: Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Ideo etiam Dauid ait Psal. 54. 23. *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*: & Psalm. 22. *Dominus regit me*: ex Hebræo: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit*. Similiter Petrus Apostolus 1. epist. cap. 5. 7. *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Quare S. Clemens initio Recognit. sancto Petro hanc sententiam tribuit; *Nos Christiani de nulla re, vel omnino solliciti sumus; sed in Dei prouidentia planè conquiescimus; scientes nos illi curæ esse, ac ab eo per omnia dirigi, vt cuncta nobis cedant in bonum.*

Prouidentia diuina nimiam sollicitudinem auferre debet. C

18. S. Augustinus in illa Psalm. 39. 18 verba: *Dominus sollicitus est mei*, ait: *Qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam, cum iam hoc es, quod voluit vt esses? Nusquam tibi deest; tu illi noli deesse: tu tibi noli deesse.* Proinde idem Augustinus 3. Confess. cap. 11. exclamat; *O tu bone Omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrûm, tamquam solum cures; & sic omnes, tamquam singulos.* Dominus Lucæ 8. in sementis parabola, cum ex seminibus aliquod inter spinas cecidisse dixisset; ibidem spinas mortalis vitæ sollicitudines interpretatur. Quare in hac vita ne anxia sollicitudine, & cura premamur, ait Athanasius tract. de Passione: *Christus spineam gloriam gestauit, vt vita nostra curas aboleret.* Blosius in Monili spirituali cap. 11. refert Christum sanctæ Gertrudi dixisse: *Confidentia ista secura, qua fidelis se, & sua reponit in me, credendo quòd possim, sciam, & velim fideliter ipsi opitulari in re qualibet, mihi cor transfigit, tantamque vim infert pietati meæ, vt non possim non tali fauere, neque impendere; idque vt satisfaciam ei, quod sum, & amori, quo eum prosequor.*

D

Christus spineam coronã sũpsit, vt sollicitas curas à nobis auferret.

E

Confidẽtiæ in Deo eximia vis.

Prouidentiã diuinam Marciõ impudẽtissimè negauit.

19. Contra diuinam de humanis rebus prouidentiam scelestissimè inuectus est Marcion hæreticus; ita vt ad eam negandam ausus fuerit ex Euangelio expungere luculentum illud de diuina

A prouidentiæ testimonium: *Vt sitis filij Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super iustos, & iniustos.* Sed hoc quidem irrito conatu. Congruentius enim Marcion insanisset, si infernum draconem imitatus, tertiam partem stellarum, aut etiam stellarum multitudinem omnem è cœlo trahere conatus esset: sideribus enim, veluti aureis characteribus cœlũ diuinam prouidentiam prædicat. Hinc benè Tertullianus ait: *Marcion testimonium de diuina prouidentia de Euangelio eradere ausus est; sed ipse mundus inscriptus est, & omni à conscientia legitur.* Quare sub mortalis huius vitæ finem, cum cœlum suum munus impleuerit; propter quod, vt ab hominibus legatur, exponitur; velut absoluta libri lectione plicabitur. Isa. 34. *Complicabuntur* B *sicut liber cœli; & omnis militia eorum defluet.*

Matth. 5.

Apoc. 12.

Lib. contra Marcionẽ. Prouidentiã diuinam Mundus vniuersus prædicat. Cœli sub mortalis vitæ finẽ cur cõplicandi dicuntur?

20. Mirum est, quod 3. Reg. 7. de Salomone legitur: *Finxit duas columnas æreas; decem, & octo cubitorum altitudinis columnam vnam & statuit duas columnas in porticu templi & super capita columnarum opus quasi lilij posuit.* Vbi iure ab interpretibus quæritur, cur tam ingentes columnas, tam solida ex materia conflatas, sapiens rex elaborauerit, tantùm, vt singulæ lilium sostinerent? & cur lilia ingentibus illis columnis suffulta in templi adito collocarit? Nimirum, vt lilia è columnarum culmine, veluti è suggestu, templum adeuntibus diuinam prouidentiam commemorarent, iuxtà Redẽptionis monitum Matth. 6. *Considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant,* C *neque nent. Dico autem vobis, quoniã nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis: Nolite ergo solliciti esse dicentes; quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc, omnia adiicientur vobis.* Salomonis vestes, postquam eas induit, temporis cursu consumebantur; liliorum verò indumenta, quibus ex diuini Opificis prouidentia induuntur, temporis spatio augescunt, & perficiuntur. Porrò si candoris in lilio ratio habetur: *Cur*, inquit Chrysostomus, *non ex auibus pauonem nobis proposuit, aut cycnum?* D Responoetur id factum esse ad diuinam prouidentiam commendandam; ex eo scilicet, quòd huiusmodi aues minus obuiæ hominibus forent; secus verò campi lilia, similesque flores passim in agris à viatoribus conspici possunt: in quibus quò minus humana industria laborat, eò magis diuina prouidentia elucet. Meritò etiam de iusto dicitur: *Iustus germinabit sicut lilium plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.* Sicut enim in Ierosolymitani templi vestibulo ad diuinæ prouidentiæ commendationem insinuandam supra columnas lilium collocabatur; ita in domus Dei atriis, hoc est in Ecclesiæ adito, & in omnium conspectu vir iustus proponitur, vt omnibus tamquam lilium, diuinæ prouidentiæ largitatem, E benignitatemque testetur; verbis illis sæpius proclamandis: *Diuites eguerunt, & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono; Non deerit omne bonum*, legit Hieronymus. Omne bonum intelligit Hugo, illud, quod Mosi ostendendum promittitur Exodi 33. *Ego ostendam omne bonum tibi*: Vbi omne bonum Deus ipse bonorum omnium fons intelligitur ex Basilio. Quare, cum Christus Dominus, vt Dei filius bonorum omnium fons esset, meritò eum turbæ nihil de cibo sollicitæ sequebantur. Stultum est enim riuos sitire, cum fons patet, in quo perennitas ad

Salomõ cur in adito templi supra columnas lilium collocauit?

Hom. 25. in Matth.

Ex Osea 14. & ex Ps. 91. v. 14.

Ps. 33.

sitim pellendam habetur. Fontem autem in hac Euangelica historia turbæ Christum Dominum sequentes ad esuriem pellendam habuerunt. *Non enim quinque panes habebant quinque millium hominum saturitatem, aut saltem duodecim cophinos plenos; sed omnipotentia Domini quasi fons panis erat*, ait Augustinus in Ioan. Tract. 21. cap. 2.

Dei omnipotentia panis fons

21. De anima nei sponsa dicitur Cantic. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Spinæ cum prætereuntium vestes sæpè trahant, mundanos significant, quibus dicitur: *De vestimento quid solliciti estis?* Spinas etiam sollicitudines huius vitæ ipse Dominus Lucæ 8. interpretatur. Inter has autem spinas vir iustus, quasi lilium, à neo tantùm opifice vestitui, victuique necessaria expectans sine sollicitudine commoratur. De diuina prouidentia librum vnum scripsit Seneca; libros tres Chrysost. tomo 5. Ibidem etiam sermones duos: Saluianus libros octo. De eadem egregriè desserit Gulielmus Parisiensis 3. parte primæ partis principalis de Vniuerso. Ecclesiastes cap. 5. vers. 5. monet: *Ne dicas coram Angelo: Non est prouidentia.* Vide ibi interpretes.

Iustus est sicut lilium inter spinas. Matth. 6.

22. Præterea antequam panes, piscesque Dominus multiplicaret; illis benedixisse Lucas refert. Quamuis apud homines inter facere, & dicere, magna distantia sit: secus apud Deum accidit; apud eum enim benedicere idem est, ac benefacere. Cùm Dominus igitur panibus, & piscibus benedixit; illis suæ beneficentiæ virtutem exhibuit, vt multiplicarentur. Sicut Genes. 1. cum piscibus benedixit dicens: *Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris*; tunc fœcunditatis virtutem illis inditam ad propriæ speciei multiplicationem significauit. Quæritur ibi, cum aquatilibus, & volatilibus animalibus Dominus benedixisse dicatur; quare non similiter & terrestribus benedixerit? Respondent Rabbini terrestribus animalibus Dominum non benedixisse; eo quòd inter eas serpens mox maledicendus foret. E contrario hîc dici potest Dominum benedixisse panibus, eò quod non multò post panis in Eucharistiæ institutione erat benedicendus: *Cum accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite; & comedite; hoc est corpus meum.* Præsenti enim panis multiplicatione Dominus aditum parabat, vt ad cœlestem Eucharistiæ panem credendum, & manducandum fideles disponerentur. Quare infra cum turbæ iterum Dominum quærerent, *Eis Iesus dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum, qui perit; sed qui permanet in vitam æternam; quem filius hominis dabit vobis*: nempe cœlestem panem in Eucharistiæ sacramento dandum, iuxtà Cyrillum, & Augustinum, de quo infra Dominus loquitur dicens: *Ego sum panis viuus, & caro mea verè est cibus.*

Dei benedicere est benefacere.

Deus cur aquatilibus & volatilibus, non autẽ terrestribus animalibus benedixit?

Matth. 26.

Ioan. 6.

Cyrillus in Io. l. 3. c. 28. Aug. tract. 25.

23. Porrò multiplicationem hanc panis, & piscis non simul, sed successione quadam factam esse dicendum est: ita vt primùm multiplicari cœperint in Christi manibus, vt ait Hieronymus in Matth. cap. 14. Augustin. in Ioan. tract. 24. & Lactantius lib. 4. cap. 15. deinde in manibus Apostolorum, vt docet Chrysostom. in Matth. hom. 54. vltimò in manibus ipsorum discumbentium, vt testatur Hilarius lib. 3. de Trinit. Ambrosius verò in manibus Apostolorum, & discumbentium factam esse multiplicationem docet. Non simul quidem in Christi manibus multiplicatus est panis, & piscis ob duplicem rationem: primò, vt omnes faciliùs miraculum agnoscerent; secundò, ne Apostoli ferendo ad turbas cibum iam totum multiplicatum in Christi manibus nimis laborarent; & turbæ discumbentes nimium expectarent. Beneficentia igitur diuina successiuè incrementa capiebat; tamquam largior fluuius, qui labendo, vndique concurrentibus riuis magis, ac magis augetur; ita vt de hac Dei beneficentia vsurpari possit illud Dauidis Psalm. 64. vbi iuxtà sacros interpretes de diuina beneficentia sermo est: *Flumen Dei repletum est aquis; parasti cibum illorum*; & subditur: *Multiplica genimina eius.* Quæ verba Cardinalis Turrecremata sic explicat: *Dei misericordia Flumini comparata, nec aliqua siccitate potest minui, nec potationibus crebris potest expendi: de ea non tantùm potasti, nec te tantùm cibasti, vt conuiuium Domini in nulla parte sit defectuosum.*

Multiplicatio panum non solùm in manibus Christi, sed etiã in discipulorum & discumbentium manibus facta est. Ambrosius Luca 9.

Misericordia Dei flumini comparata.

24. Quærunt hîc interpretes, quomodo panes illi, & pisces ex paucis multi euaserint? Primus modus excogitabilis est, si dicatur iussisse Dominus ministerio Angelorum alios panes vel naturali arte confectos; vel miraculosè productos ad turbas asportari; piscesque similiter è mari Angelica manu præparatos: sicut 3. Reg. 17. legimus coruum attulisse panem Heliæ: & Dan. 14. Habacuc attulisse pulmentum, & panes Danieli. Improbat hunc modum Salmeron. Primò, quia tali modo turbæ miraculum fieri non existimassent; sed conuiuium ante fuisse præparatum. Secundò, quia huiusmodi panum, & piscium asportatio tribui à turbis dæmoni potuisset; cum nondum in Christo diuinitatem, atque adeo miraculosam producendi vim agnoscerent. Tertiò, quia ex tali modo discipuli nimium fuissent impediti in ministrando, & turbæ nimis cibum expectassent. Sed his omnibus difficultatibus responderi posset, ab Angelis inuisibiliter asportatos fuisse panes, & pisces eiusdem coloris cum præexistentibus panibus, ac piscibus; eosque similiter in fragmina diuisos: quæ fragmina inuisibiliter suggererentur in manibus Christi, & in sinu Apostolorum ministrantium; & in ipso loco discumbentium. His non obstantibus, talis modus reiiciendus est; & dicendum panes, ac pisces supernaturaliter succreuisse; cum proxima materia successiuè semper inter panes, & fragmina diuisi panis, ac piscis, in panem, ac piscem eiusdem rationis conuerteretur. Fundamentum huius sententiæ est, quia sacer textus ait, turbam cibatam fuisse ex quinque panibus hordeaceis, atque ex illis collectos fuisse duodecim cophinos fragmentorum; quod verificari non posset, si aliunde asportati, vel separatim de nouo producti fuissent noui panes; tunc enim non ex quinque panibus, sed ex quinque millibus turba fuisset satiata. Si verò dicantur panes quinque successiuè fuisse multiplicati per conuersionem materiæ intra ipsos diuisos panes; verè quinque panes fuisse dici potest, multiplicatos tamen: sicut dicitur esse idem indiuiduus homo, cum assumendo intra se alimentum, illud in suam substantiam conuertit.

Panes, & pisces quomodo multiplicati. Hic, & sequentibus.

Salmeron tom. 6.

25. Secundò, quia in sacro textu expressè dicitur Christus quinque illis panibus, & pisci-

bus benedixisse, hoc est, vt supra explicauimus, illis virtutem multiplicatiuam præstitisse: ex quo arguitur miraculosam virtutem illis panibus, & piscibus fuisse exhibitam: quod si aliunde noui panes & pisces aduenissent, benedictio paucis illis panibus, & piscibus non videbatur impertienda; cum merè naturales remanerent; atque adeo benedictionis vis ad eos non pertineret.

26. Tertiò, SS. Patres miraculum satiandi tot homines tam paucis panibus, & piscibus, multiplicationem panum, & piscium vocant: multiplicatio verò propriè fit, cum eadem substantia ex intrinseco augmento crescit; non autem ex additione, seu iuxtapositione alterius materiæ completæ substantiæ nouiter creatæ, vel merè extrinsecè aduenientis, & præexistentis. Quare ad saluandam veram multiplicationis proprietatem, valdè probabiliter in præsenti miraculo dicendum est, quinque illos panes, & duos pisces obedientialiter eleuatos fuisse ad proximam materiam in suam substantiam conuertendam. Et hæc obedientialis eleuatio per præuiam benedictionem significata est. Nam sicut Genes. 1. cum piscibus Deus benedixit; dicens: *Crescite, & multiplicamini*; per talem benedictionem naturalis vis multiplicandi illis communicata significabatur; ita in præsenti miraculo obedientialem vim, & eleuationem per benedictionem similiter significari dicendum est. Hæc autem videtur expressa Augustini sententia, cum ait: *Unde multiplicat de paucis granis segetes; inde in manibus multiplicauit quinque panes; potestas autem erat in manibus Christi: panes autem illi quinque quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo, qui terram fecit, multiplicata.* Vbi cum panes quasi semina dicantur, illis vis actiua tribuenda est. Porrò cum ex paucis granis, seu seminibus segetes crescunt; tunc eæ ex terræ humido multiplicantur. Quæritur ergo ex qua materia quinque illi panes, & duo pisces similiter multiplicationem acceperint? Ad id solùm adiacens aër, vt censet Euthymius, sufficeisse non videtur. Nam eò quod aqua sit densior aëre, ex decem partibus aëris vnam tantùm partem aquæ fieri philosophus docet. Quare ad panem aqua longe densiorem conficiendum, multò plures aëris partes necessariæ fuerunt. Tam multis ergo ad tot panes conficiendos desumptis partibus, accurrens ad replendum vacuum aër maximam raritatem respirantibus turbis incongruam habuisset. Propterea duplex in hoc miraculo conuersio admittenda videtur: altera aëris in panes, & pisces; altera verò, quæ in aërem adiacentium corporum transmutatio fuerit.

Tract. 24. in Ioan.

Arist. 2. de Generat. ca. 4. ibiq. Auerroës.

Conuersio duplex in panis, & piscium multiplicatione fuit.

27. Porrò panes hos, & pisces, Domini benedictione, supernaturaliter multiplicatos præ cæteris sapidiores fuisse probabile, ac valde pium est credere. *Regula generalis est*, inquit Tostator, *quod quandocumque Deus aliquam rem producit de illis, quæ aliàs naturaliter gignuntur, perfectiorem eam producit, quàm naturaliter. Sic asseritur ab omnibus de aqua, quam Christus conuertit in vinum in nuptijs, Ioan. 2. Patet hoc etiam in manna cælitus facto per Angelos: nam delectamentum omnium saporum apparebat in illo, vt dicitur Sap. 16.* Sapidissimus præterea præ cæteris cibus fuit in deserto ab Angelis Christo Domino ministratus. Cibus enim ille, vt probabiliter asserit idem Abulensis, ex domo Deiparæ Virginis Angelorum ministerio allatus fuit. Quod si manna è materiali cælo defluens mirificum saporem habebat; quem saporem habuisse credendum est beatum cibum illum virgineis manibus à Deipara præparatum; quam *animatum cælum* meritò Damascenus vocat?

Multiplicati a Domino panes, & pisces cæteris sapidiores fuerunt.

In 4. Reg. c. 4. q. 62.

Cibus in deserto ab Angelis Domino ministratus, B. Virginis manibus præparatus est.

In Matth. c. 4.

Orat. 2. de dormit. B. Virg.

28. Simile multiplicandi panes miraculum à Sanctulo Nursinæ Ecclesiæ presbytero factum refert S. Gregor. lib. 3. dialog. cap. 37. Cum enim ad templum ædificandum magna operariorum turba laboraret, eâque esuriens pane indigeret, *Sanctulus, cum huc, illuc anxius pergeret, deuenit ad Clibanum, in quo vicinæ mulieres pridie panes coxerant, ibique inuersatus aspexit. Tunc repentè panem miræ magnitudinis, atque insoliti candoris inuenit. Per vicinas hunc mulieres detulit; omnes, quæ pridie panem coxerant suum hunc esse negauerunt. Tunc lætus vir Domini perrexit ad multos artifices cum vno pane; & vt omnipotenti Deo gratias agerent, admonuit: & quia eis annonam præbueras, indicauit, eisque ad refectionem protinus inuitatis inuentum panem apposuit. Quibus sufficienter, plenéque satiatis, plura ex eo, quàm ipse panis fuerat, fragmenta collegit. Qua die quoque altero eis ad refectionem intulit. Sed id, quod ex fragmentis superaret, ipsa quoque, quæ apposita fuerant fragmenta superabat. Factumque est per dies decem, vt omnes illi artifices, & Operarij ex illo pane satiati hunc & quotidie ederent, & ex eo quotidie, quod edi posse, in crastinum superesset; ac si fragmenta panis illius per esum crescerent, & cibum comedentium ora repararent.* Hac non semel panis, sed ipsorum fragmentorum per dies decem multiplicatione ostendere Dominus voluit, quod suis fidelibus promiserat Ioann. 14. 12. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.*

Multiplicatio panum à Sanctulo Nursino presbytero.

Christi promissio suis seruis facta, *Maiora horum facietis*, adimpletur.

29. Augustinus lib. 4. de Ciuitat. cap. 8. miratur Ethnicos Romanos tanti æstimasse frumentum, vt magnam Deitatum turbam circa illud adstare crediderint: *Sata frumenta quamdiu sub terra essent præpositam habere voluerunt Deam Seiam: cum verò iam essent super terram, & segetem facerent, Deam Segetiam: frumentis collectis, atque reconditis, vt tutò seruarentur, Deam Tutilinam præposuerunt. Præfecerunt Proserpinam frumentis germinantibus; geniculis, nodisque culmorum Deum Nodotum: inuolumentis folliculorum Deam Volutinam: cum folliculi patescunt, vt spica exeat, Deam Patelenam: cum segetes nouis aristis æquantur, Deam Hostilinam: florentibus frumentis Deam Floram: lactescentibus Deum Lacturcium: maturescentibus Deam Maturam: cum runcantur, Deam Runcinam. Nec omnia commemoro, quia me piget, quod illos non pudet.* Sed cum Ethnicorum *dij opera manuum hominum sint*, vt ait Dauid Psalm. 113. mirum esse non debet, si superstitiosi homines ad Deos multiplicandos suorum operum prodigi fuerint. Verè *non est Deus noster, vt dij eorum; & inimici nostri sunt iudices.* Vnum enim, quem credimus, & veneramur Deum, in sterili deserto frumenti cibum ingenti multitudini *frumenti cibum* subministrasse cernimus: & hoc quidem cum adhuc Hebræorum Synagoga persisteret. Sed quod admirationem omnem excedit, in Christiana Ecclesia verus Deus immensus, interminatus, sub frumenti, panisq; specie ad humanum cibum sobstare non dedignatur. Apud Ethnicos falsarum Deitatum homines prodigi erant; apud Christianos verus Deus sui ipsius clementissimè prodigus est, cum se totum in hominis cibum elargiatur.

Deut. 32.

Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducauerant.

Lib 4 c. 15.

30. DE hoc miraculo, ac fragmentorum collectione expressum sequens Sybillæ vaticinium à Lactantio Græcis versibus affertur, sic latinè interpretatum.

In panibus simul quinque, & piscibus duobus
Hominum millia in deserto quinque satiabit;
Et reliquias tollet: post fragmenta omnia
Duodecim cophinos implebit in spem multorum.

In quo vaticinio quæritur, ad quam multorum spem excitandam fragmenta in cophinis collecta fuisse dicantur? Respondetur, vt fragmenta illa memoriale omnibus forent ad spiritualem cibum, cœlestemque panem à diuinis Redemptoris manibus etiam sperandum: vt paulò post Dominus insinuauit dicens: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.* Quare diuina prouidentia factum est, vt non solùm Apostoli in duodecim cophinos fragmenta collegerint; sed vt multas multiplicati cibi reliquias ipsæ turbæ sibi seruauerint, vel in cibum futurum, vel ad miraculi memoriam, & testimonium: quod quidem valdè probabiliter credi potest. Quod autem hæc ab Apostolis in cophinis fragmentorum collectio ad gratam beneficii memoriam seruandam facta sit, eleganter S. Basilius Seleuciensis orat. 33. explicat dicens: *Par cum Apostolis numero sunt cophini, vt singuli singulos baiulando laborem miraculi testem subeant; humerusque dum teritur, rei gestæ sensum ingerat, & memoria fatigatione conseruetur.*

Fragmenta multiplicati panis cur Dominus colligenda præceperit.

Tēporalia bona à Deo dantur vt ad cœlestia speranda, & quærenda trāseamus.

31. Sed profectò temporalia bona à Deo dantur, non vt in iis inhæreamus; sed vt à temporalibus bonis ad cœlestia dona & speranda, & quærenda transeamus. Genes 41. dicitur opprimente populos fame, non solùm Ægyptum, sed etiam alias remotas prouincias ad Iosephum venisse, vt empto frumento sibi cibum compararent. *Omnesque prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent.* Vbi quæritur, quomodo remotæ prouinciæ cognouerint in regiis Ægypti horreis frumenti copiam asseruari? Responderi potest ex aliquorum sententia apud Abulensem; cum Ioseph cognosceret non solùm in Ægypto, sed in remotioribus regionibus famem inualescere; misisse per fluuium paleas, & stipulas; ex quibus coniecerunt populi illi, in Ægypto, vnde fluuius dimanabat, frumenti copiam non deesse. Quidquid sit de veritate huius sententiæ: verissimum quidem est Deum temporalia bona veluti paleas ad nos demittere; vt inde ad comparanda cœlestia bona diuinæque gratiæ alimenta excitemur. Paleæ sunt respectu spiritualis cibi transitoria bona: has tamen ipsas paleas suis sectatoribus iusto Dei iudicio diabolus subtrahit: ita vt verè Ægypti tyranni verbis sæpius peccatoribus dicat, *Non do vobis paleas.* Ex quo frequenter mundani in egestatem non solùm spiritualium, sed etiam tēporalium bonorū rediguntur iuxta Dauidis vaticinium Ps. 33. 11. *Diuites eguerunt, & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Porrò in tanta cibi penuria ad reficiendum ingentem hominum multitudinem, dicenti Domino: *Vnde*

Abulensis in c. 41. Genes.

Diabolus suos sectatores in egestatem redigit.

Exodi 5.

A *ememus panes?* Si quis respondisset eodem temporis puncto faciendum esse semen, vt inde messis, & cibus haberetur; huiusmodi stultum sanè consilium visum foret. In sterili enim illo deserto, vbi semen erat; vbi cultus ager; vbi debita ad serendum anni tempestas? Quòd si hæc omnia fuissent, expectandum erat plurium mensium spatium, vt maturescente segete, inde messis colligeretur. Sed qui terræ semina mandat, hic campi cultura, temporis opportunitate, temporisque spatio indiget. Qui autem in amplissimo diuinæ prouidentiæ gremio serit, is non alio, quàm semine indiget: semen autem ipsæ nostræ cogitationes, & desideria sunt. Hoc expertus Dauid aiebat Psalm. 54. *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* De peccatoribus Dominus dixit Psalm. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Et Psalm. 128. *Supra dorsum meum fabricauerunt*, seu ex Hebræo, *exarauerunt peccatores.* Fœcundissimus hic gratiarum campus iam fossus, iam aratus est; in illum nostrarum sollicitudinum, & desideriorum semen iacismus, certò vberrimam cœlestium bonorum messem percepturi: *omnem sollicitudinem nostram proiicientes in eum; quoniam ipsi cura est de nobis*, vt S. Petrus monet epist. 1. cap. 5.

Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.

C

32. DEut. 18. 18. Deus Mosi de futuro Messia dixit: *Prophetam suscitabo eis*, nempe Israelitis, *de medio fratrum suorum similem tui; & ponam verba mea in ore eius.* Quod vaticinium, vt ibi dicitur, Moses Israelitis promulgauit; Et postea Petrus Apostolus idem vaticinium de Christo Domino intelligendum esse docuit Act. 3. 22. Hunc ergo per Mosem Israelitis promissum Prophetam, & Messiam Christum Dominum esse benè turbæ crediderunt dicentes: *Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum*: hoc est, Propheta ille est, qui à Mose dictus est venturus in mundum; quique Mosi similis fore, prædictus est. Nam sicut Moses esurientem populum manna cibauit in deserto; ita in deserto turbæ, multiplicato diuinitus pane, ipsarum indigentiæ Dominum consuluisse viderunt. Fuit præterea Moses Domino similis. Nam sicut Dominus, vt infra videbimus, regium honorem à turbis admittere noluit; ita etiam Moses, cum teste Philone, tamquam Pharaonis vnicæ filiæ filius, adeoque vt auiti regni successor haberetur; & iam iunior Rex ab Ægyptiis appellaretur, Ægyptium regnum recusauit. Hinc de eo Apostolus ait: *Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis.* Ad Hebræos cap. 11. 24.

Moses in quo Christo similis.

D

E

Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem fugit iterum in montem ipse solus.

33. ISaiæ 3. electus ille in principem, *Princeps esto noster*, renuit principatum admittere, dicens: *Non sum medicus, & in domo mea non est panis.* Christus Dominus ad regnum reiiciendum neutrum motiuum turbis obtendere poterat; cum infirmos plurimos sanitati restituisset: *Videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur*: Cùmque largissimè turbis in deserto alimoniam subministrasset; *Accepit*

Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter & ex piscibus quantum volebant: Renuit tamen Dominus principatum admittere; eò quòd ipsemet dicat Ioannis 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Tr. 11. 5. *Audite Iudæi, & Gentes*, ait Dominus apud Augustinum; *audi circumcisio, & præputium: audite omnia regna terrena, non impedio dominationem vestram in hoc mundo; regnum enim meum non est de hoc mundo.* Non est de hoc mundo, vel in sensu composito, vel in sensu causali, & originario, vt explicat Caietanus. Non est de hoc mundo; hoc est non constat ex dominiis, gradibus, statibus, affectibus, officiis, actionibus, fauoribus, consiliis, armis, & effectibus huius transitorii mundi. Vel in sensu causali: *Regnum meum non est de hoc mundo*, hoc est, non est ab electione, potentia, arte, & reliquis huius mundi causis.

Regnum Christi in quo sensu de hoc mundo non esse dicitur?

34. *Fugit iterùm in montem ipse solus.* Cum tertienum regnum Dominus fugeret, montem ascendit; in monte enim subeundo crucem, æterni regni insignia à Patre accepturus erat, iuxtà Dauidis vaticinium Psal. 95. *Dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit à ligno*, ex 70. interpretum versione; quam Ecclesia ex Ambrosij hymno amplectitur: *Impleta sunt, quæ concinit Dauid fideli carmine, Dicens in nationibus, regnauit à ligno Deus.* Quare citato Psal. eum Propheta dixisset: *Dominus regnauit à ligno*, subditur: *Tunc exultabunt omnia ligna syluarum. Illa*, inquit Theodoretus, *potissimum Deo afferent hymnum; quandoquidem ex ipsis salutare lignum fuit, in quo Saluatoris corpus suffixum fuit, per quod hominibus germinarunt bona.* Similiter Arnobius in verba Psal. 92. *Dominus regnauit, decorem indutus est*, ait: *Dominus regnauit, & regnum assumpsit in cruce; decorem indutus in resurrectione.* Idem prædixerat Isaias c. 9. verbis illis: *Factus est principatus super humerum eius: Quòd crucem suam portauerit*, ait Hieronymus. Quare egregiè Tertullianus contra Iudæos ait: *Quis omnium regum, insigne potestatis suæ humero praefert; & non aut in capite diadema, aut in manu sceptrum? Sed solus rex nouus nouorum sæculorum Christus Iesus, nouam gloriam, potestatem, & sublimitatem suam in humero extulit; crucem scilicet, vt secundùm Dauidis prophetiam exinde regnaret.* Rursus citato loco: *Factus est principatus super humerum eius*, alii legunt, *Et spina imperium eius.* Spineam enim coronam tamquam sui regni diadema Dominus habere voluit: *Plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius.* Spinas fortassè inter syluestria vepreta alacri animo Dominus passionis cupidus reuisebat; cum regnum fugiens, à turbis in montem secessit.

Christus oblato regno in mõ tem fugit; postea in Caluariæ montem Crucis regnum assumpturus.

Spineam coronam tamquam regnantis diadema Christus habuit. *Ioan. 19.*

35. Peruani homines cum suum regem ad aliquid impetrandum alloqui volunt, pondus aliquod humeris ferre ad reuerentiam consueuerunt; eoque onere sublato, se illi subditos esse testantur. Quod populis illis barbaries suadet; à Christo Domino in humanum genus charitate factum est: se enim gloriæ Rex æterno Patri sub serui specie sub crucis onere exhibuit, vt nostram ab eo redemptionem impetraret; sibique, & nobis cœleste regnum reseraret. Nos similiter Christum regem imitantes, vt nostræ saluti cooperemur, crucem nostram libentissimè subeamus, hortante Apostolo: *Exeamus ad eum extra castra, improperium eius portantes: extra castra, idest, extra mundum, eiusque splendida*, ait Theophylactus.

Villea in vita Coroli 5. lib. 5. Peruani imperaturi aliquid à Rege pondus aliquod humeris ferre consueuerunt.

Ad Heb. 13

FERIA SECVNDA

POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. *Ioan. 2.*

Euangelij nexus, & ordo.

Templum Dei triplex.



1. ERGA triplex templum Christus Redemptor noster in hoc Euangelio suam beneficentiam, & potentiam exhibet. Primò Deo factum erat Ierosolymitanum templum. Secundò Dei etiam templum est ipse Christus Dominus; quippe, *in quo*, teste Apostolo, *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Tertiò fidelium animæ Dei templum sunt, quibus Apostolus ait: *Nescitis quia templum Dei estis.* Primum templum Iudæorum auaritia profanatum diuino cultui restituit Christus Dominus: *Inuenit in templo ementes oues, & boues, & columbas; & nummularios sedentes; & cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & nummulariorum, effudit æs, & mensas subuertit. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc; & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Secundum templum, nempe sanctissimum suum corpus ex Iudæorum crudelitate morte violandum, instauraturum se ad vitam resurgendo Dominus spondet: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Tertium templum sunt hominum animæ, hoc etiam templum per fidei illuminationem Christus Dominus Deo sacrat, primoque eiusdem templi fundatori restituit: *Cum esset Ierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quæ faciebat.*

Ad Colos. 2. Ep. prima. Ad Cor. 3.

Isaiæ 9 6. Christus quomodo verè dictus fuerit Admirabilis, Deus fortis, Pater futuri seculi? *lib. 5. Stromatum.*

2 Præterea ex Isaiæ vaticinio illa nomina A Christo humani generis Redemptori tribuuntur: *Vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi.* Horum nominum veritatem Christus Dominus in hoc Euangelio manifestat. Ostenditur Primò *Admirabilis, Deus fortis*: solus enim nihil ingentem hominum multitudinem reformidans, eam è templo eiecit: *Omnes eiecit de templo.* Secundò Pater futuri seculi; seu ex Vatablo *Pater æternitatis* ostenditur; cum ait, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* His enim verbis se à morte ad immortalem vitam rediturum, suoque ad vitam reditu immortalitatem mystico suo corpori, hoc est suis fidelibus daturum significat; B itáque se Patrem futuri seculi, & immortalis vitæ auctorem fore pollicetur. *Pater futuri seculi est in resurrectione; princeps pacis in perpetua beatitudine*, ait cum Hieronymo Bernardus ser. 10. inter paruos. Tertiò Euangelizando *Consiliarium* se esse probat, hoc est iuxtà Clementem Alexandrinum, *creaturarum omnium magistrum, & directorem*: quod quidem munus hic exequitur illuminando animas per fidem: *Multi crediderunt in nomine eius*: *Consiliarius dictus est*, ait S. Cyprianus, *qui & alibi dictus magni consilij Angelus; eò quod secreta Dei, quæ ab hominibus erant abscondita, reuelauit; & cum nemo nosset Patrem, nisi filius, ipse arcana Dei C reserans, indaginem Trinitatis explicuit.* Similiter Iustinus contra Triphonem: *Christus vocatur magni consilij Angelus; quia quæ a Patre accepit, reuelat nobis, ipse verbum Patris, ipse mundo Euangelizauit.*

S. Cyprian. vel alius antiquus auctor ser. de natiuit. Christi.

Irenæus lib. 2 c. 39.

Christus simul diuinæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis specimē dedit.

3. Denique, cùm bis Dominus ementes, & vendentes è templo eiecerit: Prima hæc eiectio contigit proximè post Christi baptismum, vt docet Irenæus. Altera, quæ habetur Matth. 21. Marci. 11. Lucæ 19. propè passionis tempus fuit. In hac igitur Euangelica historia, cùm primùm Dominus Iudæorum populo, vt eum in via salutis instrueret, manifestari inciperet; conueniens fuit, vt se tamquam verum Redemptorem, adeoque Dei filium esse ostenderet: propterea diuinæ potentiæ, bonitatis, & sapientiæ D argumenta dedit. Potentiæ, quidem, eiiciendo profanos negotiatores è templo: *Omnes eiecit de templo*: Bonitatis ad mortem subeundam in humani generis redemptionem paratum se offerendo: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud; ille autem dicebat de templo corporis sui.* Ad extremum diuinæ sapientiæ documenta dedit, plures Iudæos per Euangelicam fidem instruendo, & illuminando: *Multi crediderunt in nomine eius.*

Et inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios sedentes.

Strabol. 4. Ethnicorū templa cur Draconia vocabātur? *Apoc. 12.*

4. Ethnicorum templa teste Strabone, Draconia vocabantur. Nec immeritò cum ibi *Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas*, coleretur. *Draconem diabolum esse nullus vestrûm ignorat*, ait Augustinus de symbolo lib. 4 cap. 1. Propterea Æsculapius sub ingentis serpentis specie Romam aductus, in insulam, vbi ei templum dicatum erat, tranauit; quem ibi Romani ad arcendam pestilentiam, vt Deum coluerunt, teste Valerio Max. lib. 1. c. 8. similiter Adrianus Imperator in templo Iouis Olympii, quod Athenis sumptuosissi- A mè erexerat, pro numine draconem posuit ex India deportatum, teste Dione. Porrò sacrum Ierosolymitanum templum Iudaica sacerdotum auaritia profanatum, Draconium reddebatur: draco enim voracissimum animal, bouesque integros vorare solitum Boa dicitur: similiter teste Beda, Hebræorum sacerdotum auaritia boues, aliáque animalia in sacrificium oblata voracissimè absorbebat; non enim ea in sacrificium impii sacerdotes offerebant; sed iterùm mercatoribus in templo vendebant. Et hoc pacto Ieremiæ vaticinium implebatur: *Dabo Ierusalem in cubilia draconum.* Huiusmodi dracones è templo Dominus eiecit; non enim solùm Laïcos ementes, B & vendentes; sed ipsos impios sacerdotes è templo Dominum expulisse asserunt sancti Pontifices Anacletus, & Pius primus. Cum in Ierosolymitano templo tot animalia in sacrificium mactarentur, & cremarentur, Hebræorum Rabbinorum traditio est, ibi adstantes nullum carnis fœtorem sensisse, neque muscas vllas eò aduolasse. Quicquid sit de traditionis huius veritate; profectò Christiana templa adeò veneranda esse debent; vt in iis nullus impudicus sit, nullus lasciuus carnis fœtor sentiatur: simulque diabolus, qui Beelzebub, hoc est muscarum Dominus dicitur, procul cum suo muscarum agmine, hoc est, suis cum prauis suggestionibus arceatur.

In Adriani vita.

Cap. 9.

Ep. 2. *Ep. 1.* Ierosolymitano in templo animalium victimis fœtor, q̄ suffitus, neque malus odor, neque muscæ erant.

C 5. Circa templorum venerationem, & cultum valde notabile est, quod legitur 1. Reg. c. 5. *Non calcant sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur templum eius super limen*: quia scilicet, vt ibi dicitur, *inuenerunt caput Dagon, & duas palmas manuum eius abscissas super limen.* Quia ergo vt Augustinus ait tract. 48. in Ioann. *Non mouetur anima pedibus, sed affectibus*: quàm irreuerentes legerunt, qui non Dagonis vanissimi idoli limen, sed veri Dei templum ingredientes, illud vel terrenæ negotiationis, vel quod peius est, lasciniæ immundis affectibus calcant. Rursus quanta templorum cura, cultusque esse debeat, cum pudore Christiani legant, quod Liuius lib. 1. de Romulo scribit; scilicet, cum primùm Vrbis fundamenta iecit, antequam sibi D Regiam ædificaret, templa Ioui Statori, & Feretrio erexisse. Ideo iure apud fideles queritur Deus Aggæi cap. 1. *Numquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis; & domus ista deserta?* Quamuis minus indecenter Dei domus deserta relinquatur; quàm si ea ab irreuerenti multitudine frequentetur.

Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo; oues quoque & boues.

6. VT ostenderet Dominus suis ipsis peccatis peccatores puniri; scilicet auaritiæ E angustiis auarum, inuidiæ stimulis inuidum, indignationis amaritie iracundum; funes, quibus animalia alligabantur, in flagelli similitudinem adaptauit. Quare S. Hieronymus explicans verba Isaiæ 5. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum*, ait: *Quòd vincula dicantur esse peccata, crebrius legimus: è quibus illud est Prou. 5. Funibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Et Dominus arguens populum delinquentem, qui peccatis peccata sociarat, fecit flagellum de funiculis. Conuiua quoque cœna Dominicæ vestem non habens nuptialem, vinctis pedibus, ac manibus eiicitur in tenebras exteriores Matth. 22. Et Dominus*

Peccatoribus ipsi culpæ pœnę sunt.

Ps. 145. 2. Reg. 17. Matt. 27.

venit, vt ijs, qui erant in vinculis diceret Exite, Isaiæ 49. *Ipse enim soluit compeditos. Achitophel, & Iudas, quorum alter Dauid, alter Dominum prodiderant, fune longissimo transferre peccata sua, perinde suspendio*, Fune scilicet collo alligato.

Particula *Quasi*, vel similitudinem, vel proprietatē significat.

7. *Cum fecisset quasi flagellum*. Diuersa significatio particulæ, *Quasi*, diligenter in sacris litteris notanda est. Quamuis enim frequenter particula hæc similitudinem significet, vt hic, cum dicitur, *fecisse Dominus quasi flagellum de funiculis*: Et Gen. 9. *Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, & alibi sæpius; nihilominus interdum etiam per eamdem particulam, *Quasi*, non similitudo, sed identitas, seu vera proprietas significatur, vt Prima Petri c. 2. *Siue Regi quasi præcellenti*, idest tamquam verè excellenti: & Iacobi 2. *Redarguti à lege, quasi transgressores*, hoc est tamquam verè transgressores. Porrò huic particulæ *Quasi*, apud Græcos particula ὡς respondet, quæ pariter habet duplicem supra allatam significationem, scilicet interdum similitudinem, interdum proprietatem, vel identitatem significat, vt fusè notatur in Lexico. Quare valdè ineptè Ariani negantes Christum esse Dei filium, in patrocinium suæ hæresis assumere possunt verba illa Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Ibi enim particula illa *Quasi*, vt ait Chrysostomus, *non similitudinis est, & parabolæ; sed confirmationis, & definitionis certissimæ. Quasi dicat: Vidimus gloriam, qualem deceat, & credibile sit habere vnigenitum, & dilectissimum omnium Regis Dei filium: neque hoc loquendi genus præter morem inuenitur.* Quod ibi pergit pluribus ostendere Chrysostomus. Significat præterea particula *Quasi*, ferè, seu circiter: vt Lucæ 3. *Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*. Et Ioann. 21. *Non longè erat à terra, sed quasi cubitis ducentis.*

Et nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.

Hieronymus in Matth. c. 21.

Aspis veneno quietum soporem immittit.

Vsurarius est aspidi similis. Cap. 21.

8 NVmmularios istos vsurarios, seu fœneratores fuisse docet Hyeronymus. Vsurariæ autem pecuniæ mensæ, marsupia, & crumenæ veluti aspidum foramina erant: aspis enim benè vsurario comparatur; eò quòd aspis, cùm venenum in alium diffundit, quietum soporem immittit; sub soporis autem blanda quiete consopitum, veneni efficacitate perimit. Similiter fœnerator sub beneficij specie pauperum substantiam omnem absumit; ipsosque pauperes vsuræ reddendæ obstrictos sæuissimè perimit. *Similis est pecunia vsuraria aspidis morsui* (ait auctor operis imperfecti in Matth.) *Sicut enim, qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnum; & sic per suauitatem soporis moritur: sic & qui accipit sub vsuris, pro tempore delectatur, quasi qui beneficium acceperit; & sic per suauitatem beneficij non sentit quomodo captiuus efficiatur.* Rectè præterea ex Censorio Catone additur, *Quid est fænerari? est hominem occidere.* Quare cum de Dei filio sub humana carne nato vaticinatus sit

Tull. 2. de officiis. Cap. 11. 8.

Isaias: *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis*; scilicet, vt inde aspides extrahat, & interimat; iuxta tale vaticinium in hac Euangelica historia Christus Dominus ad aspides, hoc est vsuraria lucra tollenda, *Nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.*

lib. 7.

9. Refert Liuius à Romanis Ædilibus fœneratores fuisse punitos; & ex eorum vsuraria pecunia limina ænea in Capitolio fuisse constructa. Idque profectò sano consilio; vt scilicet populus in Capitolium ascendens vsurariam illam pecuniam in limina redactam pedibus conculcaret, & sic iuxtà Psal. 90. *super aspidem ambularet.*

Vsuraria ex pecunia in Capitolio ænea limina constructa fuerunt.

Loth vxor cur in salis statuā conuersa?

10. Quæritur Gen. 19. cur vxor Loth versa fuerit in statuam salis? Respondetur ex S. Prospero: *Vt suo exemplo fatuos prudentia salis expertes erudiret.* Similiter ad fœneratores ab vsura retrahendos fertur olim iusto Dei iudicio vsurarij statua vsurarium morte mulctasse. Qua de re Thomas Cantapratensis Episcopus, sancti Thomæ sub Alberto Magno condiscipulus ait: *In porta frontis Ecclesiæ Cathedralis in Gallia imago vsurarij sculpta de lapide desuper, quasi cum sacculo pecuniæ cadentis prominet. Vt autem quidam maximus, ac ditissimus vsurarius ciuitatis Ecclesiam quadam vice per portam debuit intrare; imago prædicti vsurarij desuper cadens capiti intrare conantis, illisit, & repentè contritus turpiter expirauit*: Contritus quidem non corde, sed corpore. Meritò improbus fœnerator repentina morte à templi ingressu prohibitus fuit: Accipiter enim inter immunda animalia numeratur, Leuit. 11. ideoque in templum inferri non debebat: fœneratorem autem *humani corporis accipitrem* vocat Ambrosius de Tob. c. 7.

In Apiario l. 2. c. 23. Vsurarij statua cadens vsurarium interfecit.

Vsurarius humani corporis accipiter.

Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc.

11. AD columbarum venditores speciatim Dominus sermonem conuertit; quia hi Simoniacos, qui spiritualia dona vendunt, significabant. Audi Augustinum in Psal. 140. *Simon Magus vbi vidit per manus Apostolorum, & per orationes eorum Deum dare fidelibus Spiritum Sanctum, vt linguis loquerentur, quas non didicerant; voluit talia facere, non talis esse; & pecunia putauit comparandum Spiritum Sanctum. Erat ergo de talibus, qui in templum intrant ad emendum, & vendendum: emere volebat, quod vendere disponebat. Dominus illos expulit de templo, qui columbas vendebant. Columba autem Spiritum Sanctum significabat. Volebat ergo Simon emere columbam, & vendere columbam. Accessit Dominus Iesus Christus, qui habitabat in Petro, & flagello expulit foras malum mercatorem.*

Columbarū venditores Simoniacos significabāt. Act. 8.

Et noluit facere domum Patris mei domum negotiationis.

12. MIrum circa diuinum cultum, rerumque sacrarum venerationem exemplum extat lib. 1. Reg. 4. in matrona sacerdotis Heli nuru. Hæc morti proxima, partus doloribus pressa; audito insuper nuncio de soceri, & viri morte; non tam proprium obitum, nec soceri, & viri mortem, quam arcam Dei in manus hostium deuenisse doluit. *Audito nuncio, quòd capta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus, incuruauit se, & peperit. Irruerant enim in eam dolores subiti: In ipso autem momento mortis eius dixerunt ei, quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animaduertit. Et vocauit puerum Ichabod dicens: Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei.* Qualis fuisset huius sanctæ mulieris dolor, & Zelus, si non arcam, in qua manna; sed templa, in quibus sacramentaliter sub panis specie Deus homo reperitur, profanari negotiationes, aut peiori scandalo vidisset?

Pia matronæ ergà sacrorum cultū exemplum eximium.

13. De impio dicitur Isa. c. 26. *In terra sanctorum iniqua gessit; & non videbit gloriam Domini.* Vbi *terram sanctorum* Iudæam dici sacri interpretes asserunt. Si Iudæa, vbi vnicum ad Dei cultum templum erat, *terra sanctorum* dicitur; & propterea; qui in ea iniqua gerebant, à diuina gloria, & cœlesti beatitudine, vt reprobi excludendi dicuntur; quantò magis sunt inde excludendi, qui Euangelicæ legis beneficio ingrati, in ipsis sacris templis inique & irreuerenter se gerunt? De his ergo tote dicitur: *Non videbunt gloriam Dei.* Qui lasciua sensus oblectamenta secutus impudicè vixit, corrigens impudicam vitam sperare poterit beatam vitam consequi. Suadet hoc Magdelenæ exemplum: Qui periurus Redemptorem negauerit, se omninò à cœlesti patria excludendum censere non debet: Petrus enim Apostolus post periurium, & Christum Dominum negatum, non solùm in cœlum aditum habuit; sed etiam beatæ illius patriæ claues obtinuit. Latronem rapinis assuetum æternam fœlicitatem consequi posse, Dominicæ passionis tempore pœnitens latro comprobauit. Sed de eo, qui in terra sanctorum, & in ipsis sacris templis iniqua gessit, formidabili sententia pronunciatur: *Non videbit gloriam Domini.* Tales enim ob culpæ enormitatem, cum cordis duritiem incurrerint, sæpissimè impœnitentes moriuntur.

Templis in sacris qui irreuerenter se gerunt, impœnitentes æternam damnationem incurrere solent.

14. Eodem die, quo Euangelium hoc legitur, legitur etiam iudicium Salomonis; apud quem iudicem falsa mater puerum diuidi, vera autem mater non diuidi postulauit. Similiter falsus pater diabolus simul Dei cultui, & profanis negotiationibus, actibusque templú diuidi vult; verus autem, & amantissimus humani generis pater Christus Dominus diuino tantùm cultui templa dicanda esse contendit. Quod si templi Dei pars diabolo detur, illud vt profanum Dominus deserens, præsentis auxilii beneficentiâ priuat. Nam, vt benè ait Apostolus: *Quæ societas Luci ad tenebras? Quæ conuentio Christi ad Belial?* hoc est ad diabolum.

Templum diuino cultui, & profanis negotiationibus diuidi Christus non patitur.

2. ad Cor. 6. 14.

15. Suæ proximus passioni Zelans templi venerationem iterum ementes, & vendentes è templo Christus Dominus eiecit: sed ibi, vt habetur Matth. 21. ementibus, & vendentibus dixit: *Domus mea, domus orationis est; vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Hic verò ait: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Vtrobique latrones sunt eiecti, scilicet tam nummularii, qui vsurarii erant iuxtà Hieronymum; quàm sacerdotes, qui oblata in sacrificium animalia iterum vendebant, vt supra cum Beda diximus. Nihilominus in hac prima eiectione eos Dominus negotiatores potius, quàm latrones nominauit; in secunda verò latrones: idque vt correctionis ordinem ab Apostolo 2. ad Tim. 4. significatum seruaret: *Argue, obsecra, increpa.* Cùm hic igitur Dominus ait: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis, arguit, & obsecrat.* In secunda verò eiectione, quam acriorem fuisse notat Chrysostomus; cùm Dominus ait: *Domus mea, domus orationis est; vos autem fecistis eam speluncam latronum*: tunc quidem increpat.

In Matth. 21.

Christus Dominus correptionis ordinem seruât, peccatores prius arguens obsecrat, deinde increpat.

In Matth. 21

16 Notandum hic est Ps. 70. magna fiducia dixisse Dauidem: *Introibo in potentias Domini*; hoc est in cœlum, vt Hugo interpretatur. In cœlo enim diuina omnipotentia suum solium habet: *Dominus in cælo parauit sedem suam.* Si verò quæratur à Dauide, vnde illi tanta fiducia proueniat, vt certam spem habeat de ingressu in cœleste regnum? Respondet: *Quoniam non cognoui litteraturam: Quoniam non cognoui negotiationes*, legit idem Hugo cum Augustino. Adeo terrenarum rerum negotiatio cœlesti gloriæ acquirendæ contraria est; vt qui ab huiusmodi negotiatione, vt Deo vacet, planè alienus est; ille futuram cœlestem beatitudinem fiducialiter, & certò sperare possit.

Terrenis à negotiationibus alienus fidenter cœlestem beatitudinem speret.

Ps 102.

17. E contrario, negotiatio, quæ ad cœlestes merces, diuinæque gratiæ thesauros acquirendos dirigitur, certum aditum ad cœlestem patriam aperit. Et sicut illa profana negotiatio è sacris templis expellenda est: ita secunda hæc diuina negotiatio sacris in templis est exercenda. In his enim veluti in sacræ mercaturæ foro, homo Deo preces, lacrymas, piosque charitatis affectus offert; Deus vicissim homini diuinam gratiam, cœlestes consolationes, & supernaturalia dona rependit. Quæ Deo exhibet homo, tanti Deus æstimat, vt suis Angelis veluti cœlestibus thesaurariis ea tradat, intra aurea vasa diligentissimè seruanda; quod Ioan. ostensum est Apoc. 5. cum Angelos vidit *Habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Æquum igitur est, vt in hac beata negotiatione, quæ à Deo homo accipit, similiter intra humanum cor, veluti intra vas aureum asseruentur. Sed de humana mente, seu corde peccatis fœdato iuxtà sanctum Thomam mysticè dicitur à Ieremia *Quomodò obscuratum est aurum?* de qua obscuratione iuxtà Hugonem loquitur Apostolus ad Rom. 1. *Obscuratum est insipiens cor eorum.* Quare, vt iterum in auri fulgorem humanum cor redeat, Deum orat Dauid. *Vre renes meos, & cor meum.* Sic enim igne diuino purgatum cor, dignum vas erit, intra quod cœlestis gratia recondatur. Hæc quidem sancta negotiatio, non alia huic contraria in templis est exercenda. Et hoc modo iuxta Isaiam, *Erunt negotiationes hominis, & mercedes eius sanctificata Domino.*

Negotiatio sancta, quæ in téplis est exercenda.

Thren. c. 4.

Ps. 25

c. 23.

18. Negotiationem hanc cum experta esset fidelis anima de ea dicitur Prou. vlt. *Gustauit, & vidit, quia bona est negotiatio eius.* Vt hæc negotiatio quæstuosa nobis sit, & facilis, audiendus est Bernardus de B. Virgine sic pronuncians: *Ad illam sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium omnium seculorum respiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in Inferno, & qui nos præcesserunt, & nos, qui sumus, & qui sequentur; & nati natorum, & qui nascentur ab eis.* B. Virgo negotium omnium seculorum Bernardus nominauit, eò quod in ea quilibet pius mercator, quacunque ætate, quocunque seculo viuat, qualscunque cœlestes merces quærere velit, inueniat. Et propterea conguenter eadem Deipara ab eodem Bernardo *Dei arca* est appellata; in ea enim tamquam in ditissima arca cœlestes thesauros Deus reposuit: vt propterea eam adire debeat quicúque cœlestem mercaturam exercere voluerit; quicunque cœlestibus mercibus ditari exoptauerit. Hanc cum humano genere negotiationem exercere mirificè Deipara gaudet; ita vt propterea de ea etiam dicatur, *Gustauit, & vidit quoniam bona est negotiatio eius.*

B. Virgo cur arca Dei, & negotium omnium seculorum dicatur.

Ser. 2. de Pentecost.

19. Ibidem subditur: *Non extinguetur in nocte lucerna eius.* Idque ob duplicem rationem: Primò post finem huius mortalis vitæ, adueniente mortis nocte B. Virgo cœlestis olei defectu, misericordiæ lampadem extingui non patitur; suam enim opem impendit vita functis, qui in Inferis purgatorio in igne detinentur: vt propterea dixerit Bernardus: *Ad eam sicut ad negotium omnium secalorum, non solum qui in cælo habitant, sed qui in inferno, respiciunt.* Secundò quoniam in peccati nocte,

B. Virgo adueniente mortis nocte, misericordiæ lampadem extingui non patitur.

nocte, ac tenebris diabolus pessimam suam exercet negotiationem, mundanas delectationes ad animas sibi acquirendas in pretium exhibens: & propterea à Dauide Ps. 90. diabolus *Negotium perambulans in tenebris* appellatur; ideo B. Virgo in peccati nocte, ac tenebris, vt peccatores resipiscant, misericordiæ lampadem extingui non sinit. *Propterea bona est negotiatio eius; non extinguetur in nocte lucerna eius.* Quare hoc etiam titulo Beata Virgo *negotium omnium seculorum* meritò appellatur. Sicut enim nulla ætas, nulla sunt sæcula, quibus homines peccatis non sint obnoxii; ita seculis omnibus B. Virgo suam negotiationem peccatoribus misericorditer exhibet, vt à peccati tyrannide redimantur.

A

Recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.

Ps. 68. 10. Zelus animarum gratissimũ Deo sacrificium. Gregorius in Ezech. hom. 12.

20. CVm eiecisset è templo Dominus animalia, quę in sacrificium ibi seruabantur; aliud in templo gratius Deo sacrificium offerendum docuit; scilicet sacrificium animarum, quas diuinus zelus, culparum sordibus sublatis, Deo, vt gratiores victimas offerre debet: *Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est Zelus animarum*, ait Gregor. Aliis victimis vita adimitur, & mors datur: Zelus autem animarum suis victimis mortem adimit, & immortalitatem elargitur.

Zelus in bonam, & in malã partẽ accipitur.

21. Reperio interpretem, qui vniuersaliter definit zelum esse vehemens studium, quæ diuini sunt honoris procurandi; & quæ ei aduersantur propulsandi. Sed vtinam zelus omnis talis esset: zelum enim reperio in sacris litteris non solùm in bonam, sed etiam in malam partem accipi; ita vt vehemens etiam studium in malum significet; præsertim liuoris, & inuidiæ affectum. Quare S. Cyprianus sermonem de zelo, & liuore scripsit; in quo latentes dæmonis insidias detegit; & vnde zelus, & quando, & quomodo cœperit, multiplicemque eius perniciem ostendit. Benè S. Ambrosius ait: *Est Zelus ad vitam, & est zelus ad mortem est zelus ad culpam, & est zelus ad gratiam.* De malo zelo dixit Apostolus 1. ad Cor. 3. *Cum sit inter vos zelus, & contentio; nonne carnales estis?* Hoc discrimen est inter bonum, malúmque zelum; bonus zelus ipsos zelantes, veluti pro cibo habet: *Zelus domus tuæ comedit me.* Contra verò zelantes malo zelo veluti venenato cibo replentur. Actorum 5. *Exurgens princeps sacerdotum, & qui cum illo erant, repleti sunt Zelo, & iniecerunt manus in Apostolos.* Quòd amarus cibus sit zelus malè zelantibus, expresse indicat Iacobus Apostolus c. 3. *Quòd si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari.* Vbi Beda ait: *Zelum amarum dicit, quia est & zelus dulcis, à quo & Simon Apostolus meritò perfecti cordis nomen accepit.* Eumdem enim Apostolum, quem zelotem Lucas appellauit: Lebbæum etiam appellatum esse, & à corde nomen hoc accepisse asserit Beda: Lebbæus enim teste Hieronymo, corculum significat; cumque homines aliquid sibi carum, & dulce esse significant, illud suum cor appellare consueuerunt. Similiter Deus suum corculum nominare voluit S. Apostolum, cum diuino zelo ferueret. Cum igitur sanctus vir diuino zelo feruidus, veluti Dei cor sit, meritò de eo Christus Dominus Ecclesię sponsus dixit: *Ego dormio*, scilicet in ęterna beatitudine quiesco, *& cor meum vigilat*; nempe fidelis seruus meus sancto zelo feruidus, quem veluti cor meum mihi carum habeo, is vigilat pro mea gloria laborando.

in Ps. 118. v. 139. Ps. 68. Zelus bonus zelãtes comedit; zelus malus malè zelãtibus venenatus cibus est.

D

Cap. 6. Lebbæus nomen. Thadæus non Simoni tribuẽ S. Hieron. & cum eo Maldonatus Matt. c. 10. Cor Dei quis dicatur. Cantic. 5.

E

A

22. Rursus liuorem, & æmulationem valdè benè zelum amarum dixit Apostolus; cum è contrario diuinæ glorię zelus suauissimus sit; quippe qui in animarum conuersione, sanctificatas animas, veluti suauem cibum Deo pręparat, & condit. Quare aurum ignitum Apoc. 3. sanctum zelum significare asserens Ambrosius ait: *Hic est Dei zelus, hic est fides vapor, deuotionis feruor, qui nos velut suauem cibum in Christo remollit, & format. Quanta Domini gratia, vt nos in suo ore constituat, & quasdam meritorum nostrorum epuletur dapes; ac si meremur, deuoret; si nostri cibi suauitatibus delectatur? Beatus, quem sapientia deuorauerit, quem virtus hauserit, quem iustitia receperit.*

Zelus bonus fideles animas, veluti suauissimum cibum Deo præparat. in Ps. 118 v. 139.

B

23 Sed dicet quispiam, quonam modo bonus, atque vtilis Dei zelus esse poterit homini, cum zelantem tabescere faciat, consumat, & enecet iuxtà Dauidis experimentum: *Tabescere me fecit zelus meus*, seu ex alia lectione, *Consumpsit, enecauit me Zelus meus.* Felix certe consumptio expetenda est, quæ consumpto homine illum in Angelum mutat. Angelorum enim supra reliquas creaturas prærogatiua, non nisi ex diuini honoris zelo oritur; quo sublato in nihilum Angelus redigeretur: sicut expertus est diabolus; qui diuino zelo carens propter suã superbiam, Angelica prærogatiua priuatus in nihilum culpę abiit. Ioannis enim 1. dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*; idest factus est diabolus iuxtà Origenem. *Deus enim non fecit diabolum; sed ipse sua se fecit voluntate*, ait Basilius. Quare benè ait Ambrosius: *Angeli sine Zelo nihil sunt, & substantia sua amittunt prærogatiuam, nisi eam zeli ardore sustentent.* Ad quem zeli ardorem in Angelis significandum dicitur Ps. 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.*

Ps. 118. v. 139. Zelus bonus hominem in Angelum mutat.

Origenes in Ioann. c. 1. Basilius Hom. quòd Deus non sit auctor malorum. Ambrosius in Ps. 118. v. 139.

C

24. Idem Ambrosius l. de Virg. citans ex Marci 12. Domini verba: *Qui non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Subdit: *Elias nullius corporei coitus fuisse permistus cupiditatibus inuenitur; ideo igneo curru raptus ad cœlum.* Quod Elias in cœlum raptus, extra mortalitatem, Angelicam vitam degere dignus fuerit, eiusdem pudicitię tribuit hic Ambros. At in Ps. 118. tribuit hanc pręrogatiuam non Elię pudicitię, sed zelo: *Zelum habuit Elias, & ideo raptus ad cœlum est.* Consonat huic vltimę Ambros. sententiæ, quod dicitur Cantic. 8. *Fortis est, vt mors dilectio; dura sicut Infernus æmulatio*, idest zelus, iuxtà 70. *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Vbi ex alia lectione dicitur: *Alæ eius, alæ ignis, atque flammarum.* His alis Elias in cœlum euolauit: fuitque illi mortis loco Dei dilectio; hæc enim eum, non mors ab hac inquieta mortali vita in trãquillissimæ quietis locũ transtulit: *Fortis, vt mors dilectio.*

in Ps. 118. v. 139. Zeli, diuinæque dilectionis alę Eliã ad cęlũ extulerunt.

D

Eliæ fortis fuit vt mors, dilectio, & zelus.

25. Porrò, ne hæ duæ causæ transferendi Eliam, ab Ambros. allatæ, discordes inter se videantur, opportunè subdit idem Ambros. *Zelo vindicatur Ierusalem; Zelo Ecclesia congregatur; Zelo pudicitia possidetur.* Quòd zelo pudicitia possideatur, sua pernicie expertus est Salomon, qui simul & zelũ diuini cultus, & pudicitiam amisit: cùm simul in lasciuiam, & in idololatriam miserrimè incidit: *Deprauatum est cor Salomonis per mulieres vt sequeretur Deos alienos.* *Vsque adeo laqueus illi fuit illa cupiditas, vt à mulieribus etiam idolis sacrificare cogeretur*, ait August. Benè lasciuiam laqueum appellat August. cum ab ea, veluti laqueo sapientissimus rex tamquàm inuitus ad idololatrandum raptus fuerit: *Nec Salomonem credibile est errore putasse idolis esse seruiendũ; sed blanditiis fœmineis fuisse compulsum*: ait idem August. lib. 14. de ciuit. c. 11.

Zelus diuinus, & pudicitia necessario quodam associantur. 3. Reg. 11. August. in Ps. 118. Lasciuia laqueus diaboli. Salomon non mentis errore, sed fœminaris blanditiis tractus idololatrauit.

E

fortissima nomen Domini. Proinde in Dei filium sub humana carne, oculos intendens peccatrix mulier, iam per fidem illuminata intra se tacitè dicere potuit: *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, vt saluam me facias. Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu. Educes me de laqueo, quem absconderunt mihi. Factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici. In te Domine speraui, non confundar in æternum. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluam me facias. Deus meus eripe me de manu peccatoris.*

[Ps. 30. 3.]

[Ps. 60. 4.]

[Ps. 70.]

Erigens autem se Iesus dixit ei: Mulier vbi sunt, qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo.

[Christi in misericordiam propensio.]

24. Dominus, qui vrgentibus accusatoribus se inclinauerat; accusatoribus recedentibus se erexit; vt insinuaret, quàm alienus à puniendo peccatore sit, quàm propensus ad peccatorem absoluendum. *Vide lector, diuina mysteria. & clementiam Christi*, ait Ambrosius; *cùm accusatur mulier, caput Christus inclinat; eleuat autem, vbi defecit accusator. Ita nullum damnare vult, absoluit omnes.*

[supra.]

[supra.]

[Christi eximia prudentia.]

24. *Aduerte*, ait idem Ambrosius, *quomodo propriam sententiam temperauit; vt Iudæi de absolutione mulieris calumniari nihil possent; sed in se magis calumniam retorquerent, si queri vellent. Dimittitur enim mulier, non absoluitur; quia deerat accusator, non quia innocens approbatur. Quid ergo quererentur, qui priores à persecutione criminis, & ab executione supplicij destiterunt.*

[Isaiæ. 27.]

[Dei mira misericordia.]

26. Quàm verè per Isaiam clementissimus Dominus ait: *Indignatio non est mihi; quis dabit me spinam, & veprem? Quis me faciet durum, atque crudelem, vt vincam naturam meam?* interpretatur Hieronymus. *Quis me reddat, vt sim vepris, & spina?* Vertit Vatablus. Spinarum, veprium que proprium est, manus arcere, ne flores, fructusque carpantur. Talis diuina iustitia non est, vt à diuinæ clementiæ fructibus homines arceat. Ad quod insinuandum per prophetam Deo dicitur: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Non enim diuina iracundia talis est, vt hominibus misericordiæ aditum præcludat.

[Habac. 3.]

[Christus spinas sibi habere voluit; ne homines vltionis vepre configeret.]

27. Sed hoc in loco Dei filii interrogationi: *Quis me reddat, vt sim vepris, & spina?* Responderi potest, humani generis peccatum hoc effecisse; scilicet vt ipse misericors Dominus, qui vltionis aculeos misericorditer remouendo, spina aliis esse noluit, sibimet vepris, & spina foret; cum vndequaque vepribus circumtecto capite spinosus sub humana carne videri voluit Deus.

28. Præterea Isaias 55. ait: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas; & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius; & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Gentiles, vt iuuantes Deos sibi compararent, trecentos Ioues multiplicarunt, vt Tertullianus; ex Varrone docet in Apologetico cap. 14. Sed iuxta veram Christianam fidem vnum nos verum Deum beneficia omnia conferre potentem credimus, & veneramur. Quid perderent si vnum colerent prudentiore compendio? Gentilibus Augustinus ait. Quomodo autem Deus, qui vnus est, multus dicitur? Respondet primò Hugo Card. *Multus est Deus ad ignoscendum; quia multa peccata dimittit, & magna, & multoties.* Quare S. Fulgentius de multiplici Dei misericordia ait: *In hoc multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors est. Tanta est autem, & benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo; vt nihil sit, quod nolit, aut non possit relaxare conuerso. Si peritus est medicus noster, omnes potest infirmitates sanare. Si misericors est Deus noster, vniuersa potest peccata dimittere. Non est perfecta bonitas, à qua non omnis malitia vincitur; nec est perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis inuenitur. Scriptum verò tenetur in libris sacris, sapientiam non vincit malitia. Et omnipotentia medici nostri talibus in Psalmo sermonibus intimatur. Benedic, anima mea, Domino, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas.*

[Ep. ad Venantiã.]

[Deus effectualiter vnus cur ad ignoscendũ multus dicatur?]

[Cap. 3.]

[Sap. 7.]

[Ps. 102.]

[Deus effectualiter vnus cur ad ignoscendũ multus dicitur?]

29. Respondetur secundò, Deus cùm vnus sit, ad ignoscendum multus dicitur; quia tàm benignè, tàm facilè, tamque veluti iniuriæ immemor pœnitentibus peccata dimittit; vt quodammodo videatur alius esse offensus; & alius, qui peccatores pœnitentes, vt amicos amplectitur. Aptissimum Dei symbolum sol est: Et Malach. 4. Deus *Sol iustitiæ* dicitur, hoc est ex Hebraismo *sol iustificans*, scilicet peccatores. Sol sæpè nubibus in occasu conditur, idemque clarissimus in ortu redit; ex quo fit, vt à se diuersus, & veluti multiplex sol in dies videatur: quare Ethnicus ille de sole cecinit, *Aliusque & idem nasceris.* Non dissimiliter sol iustitiæ Deus, cum sæpè peccatoribus in gratiæ occasu nubilus occidat; pœnitentibus redit in gratiæ ortu clarissimus; ita vt propterea multus ad ignoscendum esse videatur.

[Horat. in carmine sæculari.]

30. Quàm proprium Dei sit delinquentibus ignoscere, indicatur Isaiæ 26. 21. *Ecce Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum.* Similiter Michææ 1. *Ecce Dominus egredietur de loco suo; & descendet, & calcabit super excelsa terræ. Calcare terram est potentes quosque conterere*, ait Hieronymus. Deus, qui est vbique, cum immittere in peccatores meritas pœnas vult, cur egredi de loco suo dicitur? Respondetur iuxta Hieronymum: *Deus, qui mitis est, & benignus, & cuius natura clementia est, peccatorum causa cogitur personam, quam non habet, crudelitatis assumere*: propterea e suo beneficentiæ, & misericordiæ solio egredi dicitur. Ad idem significandum dicitur Isaiæ 28. 21. *Dominus irascetur, vt faciat opus suum; alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Vbi benè Hieronymus ait: *Non est opus Domini perdere, quos creauit; sed facere opus alienum, quod ad crudelitatem magis, quam ad clementiam pertinet. Non est opus eius punire peccatores; sed peregrinum, & alienum ab eo, vt puniat, qui Saluator est.* Ieremiæ 18. cum in peccatorum supplicium vaticinando, non imprecando dixisset: *Da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij*, &c. addidit: *In tempore furoris tui abutere eis.* Vbi bene Hugo ait: *Populo suo, qui natus erat ad gloriam, abutitur Deus illum consumendo; quia isto vtitur ad aliud, quàm ad quod natus est. Sic erit de infernalibus: Damnatis eis abutetur in pœna; vt quos creauit ad gloriam, consumat ignominia.* Quemadmodum si quis citharam constructam ad harmoniam coniiceret in pabulum ignis, is vtique abuti cithara diceretur. Iouem manu fulmina gestantem Ethnici pingebant: ideo absolutè Tonantis nomine eum appellabant. Hinc Tertullianus in Apologetico capite 11. Gentilibus exprobrat:

[Deus puniens cur è loco suo egredi dicitur?]

[Peccatoribus abuti quomodo Deus dicatur.]

Ipsum Ianum, qua in manu eius imposuisse fulmina timuisse. Propterea, vt refert Nicephorus lib. 15. cap. 23. *Constantinopoli pistori cuidam aggresso Christum forma Iouis depingere, manus exaruit: Cumque facinus fassus esset, à Gennadio Episcopo Constantinopolitano sanatus est.* Indignatus vtique misericors Dominus est, quòd in eius manu, tamquam ad puniendum semper parata, vltionis arma pingerentur: cum potius in eius dextera ad misericordiam, & liberalitatem proposita forent cœlestium donorum præmia depingenda, iuxta Dauidis de Domino testimonium Psalm. 15. *Delectationes in dextera tua vsque in finem*; vt eas scilicet hominibus vsque ad vltimum cœlestis beatitudinis finem consequendum offerat. *Obliqui via fulminis*, dicitur à Seneca in Thieste. Tale est diuinæ indignationis fulmen; cum enim illius animum hominum peccata prouocant, vindex Dei fulmen, quia via recta est breuissima, obliquam viam tenet vt resipiscens peccator, supplicium euadendi tempus habeat, fulminisque intentatus ictus terrori sit, non initio.

31. Cum in Euangelio Dominus tam mira, tamque frequentia miracula fecisse legatur; nulla ad puniendum, omnia ad benefaciendum fuisse reperimus. Hinc de Iudæis sanctus Isidorus Pelusiota ait: *Quoniam eum in omnibus miraculis nullam cuiquam molestiam intulisse perspexerant; idcirco eum prodesse tantùm posse existimabant; & non eam vim habere, qua improbos malo afficere posset.* Hæc falsitas è Iudæorum animo, supplicium aliquod infligendo, remouenda erat; in homines tamen supplicium inferre clementissimus Dominus noluit: hinc eximiæ eius misericordiæ adinuentio fuit, vt in rem insensibilem, nempe in fici arborem puniendi potestatem ostenderet. Ideo de Redemptore Matth. 21. 19. legitur: *Videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam; & nihil inuenit in ea, nisi folia tantùm; & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum; & arefacta est continuò ficulnea.* Quo facto Dominus, vt benè Isidorus ait: *Populum ingratum admonet se vlcisci quidem ipsius scelera posse; sed pro sua bonitate nolle. Exaruit igitur arbor, vt hominibus terrorem iniiciat.* Præterea fici arborem arefaciendi causam aliam etiam ad misericordiam pertinentem addit Isidorus: posita enim Theodoreti, & aliorum sententia, quæ vetitum Adamo pomum, ficum fuisse censet, Isidorus ait: *Hanc transgressionis arborem esse, cuius etiam folijs ad corpus tegendum ij, qui mandatum violarunt, vsi sunt. Ac proinde Christus humana, ac misericordi anima hoc ei imprecatus est; ne posthac fructum, peccati causam ferret.*

L. 1. ep. 51.

Dominus fici arborē arefaciens suam in homines misericordiam indicauit.

Gen. c. 3. 7.

Vade, & iam amplius noli peccare.

32. EMendauit ream, inquit Ambrosius; non crimen absoluit. *Etenim seueriore sententia culpa damnatur, si vnusquisque crimen suum oderit, & in se incipiat condemnare delictum. Etenim cum reus occiditur, persona magis, quàm culpa punitur. Vbi verò culpa deponitur, absolutio personæ est pœna peccati.* Distinguit Ambros. inter peccatorem, & peccatum: docetque puniri peccatum, non peccatorem; cum absolutus peccator, ac sine pœna dimissus, vitam præteritam corrigit.

Suprà.

Deus in peccatū potius quam in peccatorem vindictā exercere gaudet.

33. Benè Hieronymus cap. 7. Ecclesiastæ ait: *Si iuxta eos, qui de physicis disputant, norit hirundo pullos de succo oculare Chelidoniæ; & dictamnum capræ appetunt vulneratæ: cur nos ignoremus medicinam pœnitentiæ propositam esse peccantibus?* Sicut ignis extinguitur remota materia combustibili; ita corrigendo anteactam vitam per pœnitentiam, Dei iracundia vltionem comminata cessat: propterea, vt notat Haimo, aiebat Dauid Psal. 78. *Accendetur velut ignis Zelus tuus.*

Peccatore per pœnitētiam resipiscente Dei vltio cessat.

34. Capharnaum, quæ Christi ciuitas dicitur Matth. 9. *Venit Iesus in ciuitatē suam*, Hebraïcè interpretatur *ager pœnitentium*, vel, vt ait S. Hieronymus, *Villa consolationis*; miram enim Deus ex pœnitentiæ fructibus percipit consolationem. Ad huiusmodi visendum agrum, seu villam sponsa dilectum suum inuitabat Cant. 7 *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Ad huiusmodi villam à cœlesti medico adultera mittitur, vt à lasciuiæ febri conualescat: *Iam amplius noli peccare.* In hoc agro peccatorum spinæ arescunt; virtutum flores, fructusque vberrimè germinant. In hoc agro Iudas proditor arborem ad suspendium non inuenisset. Hunc agrum in Massiliæ deserto reperit Magdalena. In hoc agro hyssopum reperit Dauid, qua aspersus mundaretur, & super niuem, gratiæ candore dealbaretur. Denique hoc in agro antidotum Adam inuenit, quo transfusum à vetito pomo venenum eiecit: vt hinc intelligere liceat quantùm felicissimus pœnitentiæ ager terrestri paradiso antecellat; cum ex illius fructu primus parens venenum hauserit; ex istius verò fructibus præsentissimam medelam exprESSERIT.

Capharnaū ager pœnitentiæ, vel cōsolationis ager interpretatur.

Plura bona germina hoc in agro nascuntur.

Tom. 3. de nominibus Hebraicis.

Ps. 50.



DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMÆ.

Abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, &c. *Joan. 6.*

Euangelij nexus, & ordo.

1. SCOPVS, huius Euangelii est, vt ostendatur Dominus destruere opera diaboli, iuxta testimonium Ioanois 1. epist. cap. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.* Ex mortifera diaboli suggestione Adam primus humani generis parens in tria mala incidit. Primo, in execrandam ambitionem appetendo indebitam diuinitatis excellentiam, dicente diabolo: *Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum.* Secundo, in famem laboriosa vita expellendam. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Tertio, in languores, & morbos ineuitabilis mortis prænuncios: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ex hac verò Euangelica historia, cum mirum in modum in Christo Domino eluceat diuina clementia, prouidentia humanæque gloriæ contemptus; fit vt aduersus prædicta mala secundus Adam Redemptor noster triplex antidotum afferat. Aduersus languores, & morbos mortis pœnam accelerantes diuina Redemptoris clementia languidis pristinam sanitatem restituit: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.* Aduersus famem diuina prouidentia turbis ad satietatem alimenta largitur: *Accepit Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: Similiter & ex piscibus quantum volebant.* Denique aduersus immoderatam gloriæ ambitionem, regii honoris contemptum Christus Dominus opponit: *Cum cognouisset, quòd venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterùm in montem ipse solus.*

Gen. 3. — Ibid. — Ibid.

Antidotum triplex aduersus tria quæ homo incurrit mala.

Trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.

2. ADrichomius de tribu Zabulon num. 50. docet: *Mare Galilææ sic dictum ab adiacente prouincia; aliàs mare Tiberiadis à Ciuitate Tiberiade; nec non stagnum Genesareth à terra continente nuncupatur Luca cap. 5. Nunc Tabariam ab accolis vocari notat Niger, & Vitriacus. Ex Iosepho 3. de bello Iudaico cap. 18. Quadraginta stadijs in latitudine, centum in longitudine patet: Ex Egesippo lib. 3. cap. 26. longius extenditur; ex Plinio lib. 5. cap. 15 latius. Toto ambitu suo viginti millia passuum complecti, scribit Niger. Aqua eius dulcis, fœcunda, atque potabilis est. Varia sunt in* A *eo piscium genera. Medium Iordanis fluuio secatur. Oppidis amœnis, & celeberrimis circumseptum est, Capharnao, Tiberiade, Bethsaida, & alijs. In nouo Testamento tum nauigatione Domini, tum vocatione, & piscatione Apostolorum, alijsque miraculis valde celebratur. Hic dum Apostoli iubente Domino in dexteram nauigij rete miserunt, centum quinquaginta tres magnos ceperunt pisces: quo numero complectente omnium piscium genera, significatum fuit per Apostolicam prædicationem nobiles, & ignobiles, diuites, & pauperes, & omne hominum genus de mari huius sæculi extrahendum esse ad salutem. Hoc in mari Iesus, cum turba irrueret in eum, vt audirent verbum Dei, ascendens in nauim, quæ erat Simonis, sedens docuit de nauicula turbas.* B *Prope hoc mare facta videtur illa ex nauicula concio, cuius meminit Matth. 13. Marcus 4. Lucas 8. Hic Petrus in verbo Domini laxans rete tam copiosam conclusit piscium multitudinem, vt rete rumperetur. Luca 5. Hic Petrus ambulauit super mare; cumque dubitans mergeretur, dextera Christi saluatus est Matth. 14.*

Maris Tiberiadis descriptio, eiusque in sacris litteris celebratio.

Ioan. 21.

Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.

3. IVxtà S. Hieronymum Isaias 60. loquens de magno hominum concursu Christum Dominum sequentium, & ad Euangelicam C fidem venientium admirans dixit: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* hoc est ad sua columbaria. Assimilantur ergo fideles turbæ columbis: quomodo autem magnus columbarum concursus ad columbaria fieri possit, sic explicat S. Basilius epist. 175. ad Iulitam: *Ars quadam est aucupandi columbas, videlicet talis. Vbi vnam ceperunt, qui capiendis illis student, cicurem illam reddunt, & ad humanum conuictum assuefaciunt. Deinde vnguento alas illius perungunt, sinuntque coniungi agrestibus. Illa verò per vnguenti fragrantiam agrestem illum, ac libero pastus gregem ad possessionem transfert eius, cuius* D *ipsa est domestica; bene olentem namque sequuntur & reliquæ, atque ita in potestatem columbarij veniunt.* Christus Dominus Ecclesiæ sponsus columbæ assimilatur Cant. 5. *Oculi eius sicut columbæ.* Sub huius cœlestis columbæ alis sanitas delitescebat: *Sanitas in pennis eius*, dicitur Malach. 4. Hinc columbæ reliquæ, nempe fideles turbæ ad

Columbæ quomodo ad columbaria alliciantur.

cum sequendum alliciebant testante Ioanne: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.* A

Subijt ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis.

4. DE hoc eodem Domini à turbis secessu ait Matth. 14. *Quod cum audisset Iesus* (scilicet Ioannem ab Herode impiè decollatum) *secessit in locum desertum seorsum*: Similiter Marcus 6. *Ait illis Iesus*, nempe Apostolis, *venite seorsum in desertum locum.* Similiter Lucas 9. *Reuersi Apostoli narrauerunt illi quæcumque fecerunt: & assumptis illis secessit seorsum in locum desertum.* Hinc ad solitudinem sectandam, & secessum à sæcularibus curis amandum, Christi Domini Apostolorumque exemplo instruimur. Et ad idem sancti viri nos hortantur: præcipuè Hieronymus ad Heliodorum dicens: *O desertum Christi floribus vernans! O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apoc. Ciuitas magni Regis extruitur: O eremus familiarius Deo gaudens. Quid agis, frater, in seculo, qui maior es mundo? Quamdiu te tectorum vmbra premet? Quamdiu fumosarum vrbium carcer includit?*

Solitudinē, & secessum à turbis, curisque secularibus suo nos Dominus exemplo docet.

Solitudinis commendatio.

5. Primo Machab. cap. 2. de pluribus ætatis illius iustis dicitur: *Tunc descenderunt multi quærentes iustitiam, & iudicium, in desertum*; scilicet cum è ciuitatibus exularet iustitia, ea Dei ductu non alibi, quàm in solitudine, ac deserto erat inquirenda. Propterea, vt recederet ab iniustis, & iustitiam reperiret, aiebat Ieremias 9. *Quis dabit me in solitudine diuersorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis? Quia omnes adulteri sunt, cœtus præuaricatorum*: hoc est, Quis me habere concedat in solitudine habitaculum Eremitarum, seu ex Hebræo, remotorum; nempe eorum, qui se procul ab vrbibus remouent. Nec immeritò Dei seruos solitudinem quærentes, vt Deo vacent, *Viatores* Ieremias appellat: hi enim cum Apostolo Paulo non habentes hîc manentem ciuitatem, cum futuram inquirant, *Viatores* certè sunt. Propterea Augustinus in sententiis sententia 17. ait: *Omnis, qui ad supernam pertinet ciuitatem, peregrinus est mundi: & dum temporali viuitur vita, in patria viuit aliena.* Similiter Hugo Victorinus ait: *Perfectus est, cui totus mundus exilium est*, lib. 3. Didasc. erud. cap. 20. Contra verò, qui in vrbium, hominumque frequentia mundanis voluptatibus dediti sunt, cum fateri cogantur, *Adhæsit in terra venter noster*, nullatenus viatores dici possunt.

Solitudinē iusti quærunt. C

Iusti cur viatores appellantur? Ad Hebr. 13. D

Perfectis viris mundus exilium est.

Ps. 43.

6. Porrò figura Christi Domini suos discipulos in solitudinem deducentis Abraham credentium Pater fuit: hîc enim suos domesticos ad solitudinem, vt Deo vacare possent, deducere consueuit. Genes. 21, 33. *Abraham plantauit nemus in Bersabee; & inuocauit nomen Dei æterni. Hoc nemus*, ait Caietanus, *fuit quasi oratorium, & templum ad colendum Deum, tam ipsi Abrahæ, quam domesticis eius, alijsque socijs verum Deum colentibus.* Similiter *ex Hebræorum traditione*, ait Tostatus, *solitus est Abraham hospites, qui domum eius frequentabant, & ducere in eum locum, vt ibi Deum laudarent, & de rebus diuinis inuicem sermocinarentur, sibique adessent sacrificanti.* Huius profectò nemoris secessu Thebaidis solitudini diuinus spiritus fidelium magister præludebat.

Abrahā domesticos, & hospites in remotum locum ad orandum ducebat. E

A 7. *Omnes quasi aquæ dilabimur in terram*, de vniuersa hominum multitudine dicitur 2. Reg. 14. Ne aqua hæc in terram dilabatur, sed sursum in cœlum affluat, procul ab vrbanis tricis solitudinis secessu occludenda est. Propterea aiebat Petrus Damiani: *Fons, qui vndequaque, ne effundatur, occluditur; vndis ad alta profluentibus eleuatur. E contra, qui per plures riuos hinc inde deducitur, mox vt super eum æstus feruentior incubuerit, exsiccatur.* Sed de hoc plura dicta sunt Dominica prima Quadr. & Fer. 5. post Dominic. 3.

Anima sōtia instar quomodo sursū assurgere debeat. Apol. de contēptu mundi c. 10.

B *Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudæorum: Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi?*

8. PRope Pascha, multiplicato per miraculum pane, ingentem multitudinem pascere voluit Dominus; vt quantùm azymis panibus, quos proximo Paschali tempore comesturi erant Iudæi, sapidissimus Christi panis præstaret, experirentur: & sic quantùm Christiana Ecclesia supra Iudaïcam Synagogam excelleret, vel ex corporali cibo per figuram indicaretur.

Dominus cur prope Pascha panē multiplicauit?

C 9. *Cum subleuasset oculos Iesus*: His verbis consuetam oculorum Domini modestiam insinuari docet Caietanus. Præterea subleuasse oculos Redemptor noster dicitur, vt eos, veluti misericordiæ fontes, aperiret. Propterea Matth. 14. dicitur: *Vidit turbam multam, & misertus est eis. Aspice in me, & miserere mei*, Dauid aiebat. Cum inter homines Dominus versaretur, adeo se ad miserandum procliuem ostendit; vt idem ei fuerit miseriam cernere, & misereri. Lunatici Pater Matth. 17. ante Dominum in genua prouolutus aiebat: *Domine, miserere filio meo.* Quod explicans Lucas ait: *Ecce vir de turba exclamauit dicens: Magister, obsecro te, respice in filium* D *meum.*

Christi Domini oculorum modestia.

Ps. 118. n. 132.

Miseriam videre, & misereri simul in Christo Domino.

Luca 9. 38.

10. Sicut ad reparandas corporales vires materiali egemus pane; ita ad reparandas ob amissam gratiam vires spirituales, non alio, quàm lacrymarum pane indigemus: de hoc pane pœnitens Dauid aiebat: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Porrò sicut, vt materialem panem elargiretur esurientibus turbis, eas Dominus respexisse dicitur, *Cùm subleuasset oculos Iesus*: ita ad lacrymarum panem Petro elargiendum, similiter eum dicitur respexisse: *Conuersus Dominus respexit Petrum, & egressus foras Petrus fleuit amarè.* Porrò Marci 8. cum similiter atque hîc: turba plurima ad Dominum accurrisset in tanta hominum frequentia præ longo itinere iam lassa E sibi indigentiæ consulere non aliis, quàm Domino curæ fuit; ideoque discipulis dixit: *Misereor super turbam; quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Similiter hîc ait: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Propterea Deo dicitur Psalm. 10. *Tu laborem, & dolorem consideras: Tu solus laborem, & dolorem consideras*, addit Ecclesia in officio Dom. 2. post Epiph. Quia hoc Dei, non hominum proprium est. Ideo Hebræi à Babyloniis in captiuitatem reducti, verè dixerunt Ierem. Thr. cap. 5. *Ceruicibus nostris minabamur*, hoc est iuxta S. Th. Rabanum, & Hugonem: Funibus ad collum alligatis, impositisque ceruicibus Chaldæorum sarcinis, trahebamur in Babylonem: & post longi itineris,

Pane lacrymarum spirituales vires restaurantur. Ps. 41.

Luca c. 22.

multique oneris laborem, *lassis non dabatur requies*; nostrumque laborem nemo erat, qui consideraret, nosque reficere vellet. Ideo cum penuria, aut calamitate quis premitur, suum ad solamen fidenter Deo sæpe dicat: *Tu solus laborem, & dolorem consideras.*

Dixit ad Philippum: Unde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat.

11. PHilippum potius, quàm Apostolos alios dominus interrogauit; quia prope erat Bethsaida Philippi patria; adeoque Philippus potius, quàm alii de cibi subsidio turbis procurando, opportunum aliquid referre poterat. Quòd si Bethsaida etiam patria erat Andreæ, & Petri; dicitur enim Ioan. 1. 44. *Erat Philippus à Bethsaida, ciuitate Andreæ, & Petri.* Respondetur Philippum tunc prope Dominum fuisse; Petrum verò, & Andream inter turbas in cibo quærendo fuisse occupatos: dixerat enim discipulis Dominus Matth. 14. 17. Marci 37. *Date illis vos manducare. Quot panes habetis? Ite, & videte.* Ideo Andreas postea Domino retulit: *Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces.*

12. Cum dicitur Dominus Philippum interrogasse *tentans eum*: tentare probare, & experiri significat; quo etiam significatu dicitur Psal. 25. *Proba me, Domine, & tenta me.* Experimentum autem hoc quamuis respectu Domini futura præscientis necessarium non fuerit; factum tamen est, tum, vt cibi penuria clarè cognita, apertè nomini cibum multiplicantis potentia, & prouidentia agnosceretur: tum, vt Philippus eum Apostolis aliis suæ fidei imbecillitatem cognoscerent. Apostoli enim velutì ironicè Domino dixerunt Marci 6. 37. *Euntes ememus ducentis denarijs panes, & dabimus illis manducare.* Philippus autem tantùm de humano subsidio cogitans dixit: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat.* Præ aliis magis etiam Philippi fides claudicauit; cùm enim dixisset Dominus: *Date illis vos manducare. Quot panes habetis? Ite, & videte*: Philippus cibi subsidium desperans, non cum aliis Apostolis ad indagandum de cibo se contulit; sed propè Dominum remansit.

Tentare est experimentum facere.

Christus omnia noscens cur discipulos interroget?

Dicit ei vnus ex discipulis eius Andreas frater Simonis Petri: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: Sed hæc quid sunt inter tantos?

13. HÆc Andreæ verba non vltrò prolata sunt; sed vt Christo Domino respondeter, qui quæsierat: *Quot panes habetis? Ite, & videte.* Largitionem enim diuinorum beneficiorum præcedere debet in homine humanæ imbecillitatis, & inopiæ cognitio. S. Augustinus docet miraculum hoc multiplicandi panem contigisse eodem die, non tamen eodem anno, quo nuptiæ celebratæ sunt in Cana Galilææ. Sicut igitur ibi aquam in vinum; ita hîc circomiacentem materiam in panem miraculosè Dominus transmutauit. Ibi autem non antea miraculosè vinum largitus est Dominus, quàm eius inopia constaret iuxtà Virginis testimonium: *Vinum non habent*: Similiter hîc panis inopia ad tantam turbam cibandam benè cognita dispositio esse debebat, quæ multiplicandi panes miraculum præcederet. Hoc optimè nouerat Dauid cum Psalm. 118. vt ad neum reditum impetraret, propriæ culpæ præmisit notitiam. *Errani sicut ouis, quæ perijt; quære seruum tuum.*

Cognitio propriæ indigentiæ diuinam beneficentiam præcedere debet. Marci. 6. 37. Serm. 1. de Epiph. Aquam in vinum conuertit, panéque Dominus multiplicat eodem die, non tamen eodem anno. Ioan. 2. verf. 176.

14. *Sed hæc quid sunt inter tantos?* Cum mirabilia Deus erga Israëlitas operatus esset, ait Dauid Psalm. 77. *Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis; vt cognoscat generatio altera? Filij, qui nascentur, & exurgent, narrabunt filijs suis; vt ponant in Deo spem suam.* Nihilominus Israëlitæ tot, tamque eximia Dei miracula cum vidissent, *obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium eius, quæ ostendit eis.* Simile quid Apostolis accidit. Israëlitæ enim, cùm in deserto diuinitus Deus eorum siti prouidisset: *Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos, velut in abysso multa; & eduxit aquam de petra; & deduxit tamquam flumina aquas*: nihilominus increduli dixerunt: *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, numquid & panem poterit dare?* Similiter Apostoli, cum diuinitus non petram in aquam, sed aquam in vinum diuinitus à nomino transmutatam fuisse vidissent; nihilominus adueniente panis penuria, mirabilis diuinæ potentiæ obliti ironicè dixerunt: *Euntes ememus ducentis denarijs panes, & dabimus illis manducare.* Et Andreas, cum quinque panes, & duos pisces reperisset, dixit: *Hæc quid sunt inter tantos?*

Diuinæ potentiæ, & beneficiorum memoriam diffidentes homines non seruant.

Psal. 77. 15.

Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere; erat autem fœnum multum in loco: Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.

15. MAnducantium fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis, ait Matth. 14. 21. Cum ergo inter tot turbas illas paruuli essent, & mulieres; vt talium custodiæ, & honestati Dominus summè prouidus consuleret, Apostolis *præcepit, vt accumbere facerent omnes secundùm contubernia super viride fœnum. Et discubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos*, vt ait Marcus 6. 39.

Domini benigna prouidentia.

16. Cum Dei Filius sub humana carne natus hominum hospitio exciperetur, de eo dicitur: *Fœno iacere pertulit, paruoque lacte pastus est.* Huiusmodi conuiuium, conuiuisque locum apud homines Dei Filius inuenit. Idem Christus Dominus, vt pro hominibus referret, homines quidem in fœno discumbere præcepit; eos tamen non exiguo lacte, sed largissimo cibo pauit; ita vt è conuiuij largitate fragmenta plurima Apostoli collegerint. Tanto eum fœnore diuina beneficentia humanis obsequiis vices rependit. Quod etiam videre est in vltima cœna, in qua Dominus discipulorum pedes abluere voluit, vt cumulata beneficio Abrahami obsequio responderet; qui olim tribus Angelis tres diuinas personas repræsentantibus pedes abluerat. *Abrahami filiorum pedes*, inquit Tertullianus, *ad probationem, quòd ipse esset abluit; reddens in filijs ius hospitalitatis, quod aliquando illi fœnerauerat patri.* Qua posita sententia perpendendum est, quantùm diuina liberalitas humano obsequio præstet. Abraham tribus Angelis sub humana specie pedes lauit: Redemptor verò noster duodecim pauperibus pedum sordes abluere dignatus est; inter quos Iudas pessimus proditor fuit; à quo etiam ablutio-

Diuina beneficentia humanum obsequium largissimè remunerarur.

Gen. 18.

Iudæ primū Dominus pedes abluit. *Genesis 18.*

ablutionem inchoare nomino placuit: *Vt medicina, vbi magis morbus vigebat, adhiberetur*, vt ait Origenes hom. 32. cui consentiunt Chrysostomus homil. 69. & Euthymius. Abraham præterea post pedum lotionem conuiuis Angelis subcinericios panes, & vitulum tenerrimum, & optimum apposuit. Dominus verò cœlestem panem, hoc est suummet corpus sub panis specie discipulis manducandum dedit: præterea & vitulum saginatum. *Vitulus saginatus, qui ad pœnitentium immolatur salutem, ipse Saluator est; cuius quotidie carne pascimur, cruore potamur*, ait Hieronymus epist. ad Damasum.

Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter & ex piscibus quantum volebant.

17. ANtequam Christus Dominus panes, & pisces multiplicaret, certò præscius æternum Patrem miraculo cooperaturum, ei gratias egit: deinde, vt Matthæus refert, discipulorum manibus panes, & pisces esurientibus tantis distribuere cœpit. Mira hinc Dei prouidentia elucet, qua hominum in eo sperantium indigentiæ consulit. Propterea benè Dominus monuit Math. 6. 25. & 31. *Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis; neque corpori vestro, quid induamini: Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis*, Ideo etiam Dauid ait Psal. 54. 23. *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*: & Psalm. 22. *Dominus regit me*: ex Hebræo: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit* Similiter Petrus Apostolus 1. epist. cap. 5. 7. *Omnem sollicitudinem vestram proyicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Quare S. Clemens initio Recognit. sancto Petro hanc sententiam tribuit; *Nos Christiani de nulla re, vel omnino solliciti sumus; sed in Dei prouidentia planè conquiescimus; scientes nos illi curæ esse, ac ab eo per omnia dirigi, vt cuncta nobis cedant in bonum.*

Prouidētia diuina nimiam sollicitudinem auferre debet.

18. S. Augustinus in illa Psalm. 39. 18 verba: *Dominus sollicitus est mei*, ait: *Qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam, cum iam hoc es, quod voluit vt esses? Nusquam tibi deest; tu illi noli deesse: tu tibi noli deesse.* Proinde idem Augustinus 3. Confess. cap. 11. exclamat; *O tu bone Omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrûm, tamquam solum cures, & sic omnes, tamquam singulos.* Dominus Lucæ 8, in sementis parabola, cum ea seminibus aliquod inter spinas cecidisse dixisset; ibidem spinas mortalis vitæ sollicitudines interpretatur. Quare in hac vita nimia sollicitudine, & cura premamur, ait Athanasius tract. de Passione: *Christus spineam gloriam gestauit, vt vita nostra curas aboleret*, Blosius in Monili spirituali cap. 11. refert Christum sanctæ Gertrudi dixisse: *Confidentia ista secura, qua fidelis se, & sua reponit in me, credendo quòd possim, sciam, & velim fideliter ipsi opitulari in re qualibet, mihi cor transfigit, tantamque vim infert pietati meæ, vt non possim non tali fauere, neque impendere; idque vt satisfaciam ei, quod sum, & amori, quo tum prosequor.*

Christus spineam coronā suscepit, vt sollicitas curas à nobis auferret.

Confidētiæ in Deo eximia vis.

19. Contra diuinam de humanis rebus prouidentiam scelestissimè inuectus est Marcion hæreticus; ita vt ad eam negandam ausus fuerit ex Euangelio expungere luculentum illud de diuina prouidentia testimonium: *Vt sitis filij Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super iustos, & iniustos.* Sed hoc quidem irrito conatu. Congruentius enim Marcion insanijsset, si infernum draconem imitatus, tertiam partem stellarum, aut etiam stellarum multitudinem omnem è cœlo trahere conatus esset: sideribus enim, veluti aureis characteribus cœlū diuinam prouidentiam prædicat. Hinc benè Tertullianus ait: *Marcion testimonium de diuina prouidentia de Euangelio eradere ausus est; sed ipse mundus inscriptus est, & omni à conscientia legitur.* Quare sub mortalis huius vitæ finem, cum cœlum suum munus impleuerit; propter quod, vt ab hominibus legatur, exponitur; veluti absoluta libri lectione plicabitur. Isa. 34. *Complicabuntur sicut liber cœli; & omnis militia eorum defluet.*

Prouidentiā diuinam Marciō impudētissimè negauit.

Matth. 5.

Apoc 12.

Lib. contra Marcionē

Prouidentiā diuinam Mundus vniuersus prædicat.

Cœli sub mortalis vitæ finē cur cōplicandi dicuntur?

20. Mirum est, quod 3. Reg. 7. de Salomone legitur: *Finxit duas columnas æreas; decem, & octo cubitorum altitudinis columnam vnam & statuit duas columnas in porticu templi & super capita columnarum opus in specie lilij posuit.* Vbi iure ab interpretibus quæritur, cur tam ingentes columnas, tam solida ea materia conflatas, sapiens rex elaborauerit, tantùm, vt singulæ lilium sustinerent? & cur lilia ingentibus illis columnis suffulta in templi aditu collocarit? Nimirum, vt lilia è columnarum culmine, veluti è suggestu, templum adeuntibus diuinam prouidentiam commemorarent, iuxta Redēptionis monitum Math. 6. *Considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniā nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis. Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc, omnia adycientur vobis.* Salomonis vestes, postquam eas induit, temporis cursu consumebantur; liliorum verò indumenta, quibus ex diuini Opificis prouidentia induuntur, temporis spatio augescunt, & perficiuntur. Porrò si eadem is in lilio ratio habetur: *Cur*, inquit Chrysostomus, *non ex auibus pauonem nobis proposuit, aut cycnum?* Respondetur id factum esse ad diuinam prouidentiam commendandam; ex eo scilicet, quòd huiusmodi aues minus obuiæ hominibus forent; secus verò campi lilia, similesque flores passim in agris à viatoribus conspici possunt: in quibus quò minus humana industria laborat, eò magis diuina prouidentia elucet. Meritò etiam de iusto dicitur: *Iustus germinabit sicut lilium plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.* Sicut enim in Ierosolymitani templi vestibulo ad diuinæ prouidentiæ commendationem insinuandam supra columnas lilium collocabatur; ita in domus Dei atriis, hoc est in Ecclesiæ adito, & in omnium conspectu vir iustus proponitur, vt omnibus tamquam lilium, diuinæ prouidentiæ largitatem, benignitatemque testetur; verbis illis sæpius proclamando: *Diuites eguerunt, & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono; Non deerit omne bonum*, legit Hieronymus. Omne bonum intelligit Hugo, illud, quod Mosi ostendendum promittitur Exodi 33. *Ego ostendam omne bonum tibi.* Vbi omne bonum Deus ipse bonorum omnium fons intelligitur ex Basilio. Quare, cum Christus Dominus, vt Dei filius bonorum omnium fons esset, meritò eum turbæ nihil de cibo sollicitæ sequebantur. Stultum est enim sitire, cum fons patet, in quo perennitas ad

Salomō cur in aditu templi supra columnas lilium collocauit?

Hom. 25. in Matth.

Ex Osee 14. & ex Ps 91. v 14.

Ps 33.

ſitim pellendam habetur. Fontem autem in hac Euangelica hiſtoria turbæ Chriſtum Dominum ſequentes ad eſuriem pellendam habuerunt. *Non enim quinque panes habebant quinque millium hominum ſaturitatem, aut ſaltem duodecim cophinos plenos; ſed omnipotentia Domini quaſi fons panis erat*, ait Auguſtinus in Ioan. Tract. 11. cap. 2.

Dei omnipotentia panis fons

22. De anima vei ſponſa dicitur Cantic. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Spinæ cum prætereuntium veſtes ſæpè trahant, mundanos ſignificant, quibus dicitur: *De veſtimento quid ſolliciti eſtis?* Spinas etiam ſollicitudines huius vitæ ipſe Dominus Lucæ 8. interpretatur. Inter has autem ſpinas vir iuſtus, quaſi lilium, à Deo tantùm opifice veſtitus, victuique neceſſaria expectans ſine ſollicitudine commoratur. De diuina prouidentia librum vnum ſcripſit Seneca, libros tres Chryſoſt. tomo 5. Ibidem etiam ſermones duos: Saluianus libros octo. De eadem egregiè differit Gulielmus Pariſienſis 3. parte primæ partis principalis de Vniuerſo. Eccleſiaſtes cap. 5. verſ. 5. monet: *Ne dicas coram Angelo: Non eſt prouidentia.* Vide ibi interpretes.

Iuſtus eſt ſicut lilium inter ſpinas.
Matth. 6.

23. Præterea antequam panes, piſceſque Dominus multiplicaret; illis benedixiſſe Lucas refert. Quamuis apud homines inter facere, & dicere, magna diſtantia ſit: ſecus apud Deum accidit; apud eum enim benedicere idem eſt, ac benefacere. Cùm Dominus igitur panibus, & piſcibus benedixit; illis ſuæ beneficentiæ virtutem exhibuit, vt multiplicarentur. Sicut Geneſ. 1. cum piſcibus benedixit dicens: *Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris*; tunc fœcunditatis virtutem illis inditam ad propriæ ſpeciei multiplicationem ſignificauit. Quæritur ibi, cum aquatilibus, & volatilibus animalibus Dominus benedixiſſe dicatur; quare non ſimiliter & terreſtribus benedixerit? Reſpondent Rabbini terreſtribus animalibus Dominum non benedixiſſe; eo quòd inter ea ſerpens mox maledicendus eſſet. E contrario hîc dici poteſt Dominum benedixiſſe panibus, eò quod non multò poſt panis in Euchariſtiæ inſtitutione, erat benedicendus: *Cum accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite; & comedite; hoc eſt corpus meum.* Præſenti enim panis multiplicatione Dominus aditum parabat, vt ad cœleſtem Euchariſtiæ panem credendum, & manducandum fideles diſponerentur. Quare infra cum turbæ iterum Dominum quærerent, *Eis Ieſus dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Operamini non cibum, qui perit; ſed qui permanet in vitam æternam; quem filius hominis dabit vobis*: nempe cœleſtem panem in Euchariſtiæ ſacramento dandum, iuxtà Cyrillum, & Auguſtinum, de quo infra Dominus loquitur dicens: *Ego ſum panis viuus, & caro mea verè eſt cibus.*

Dei benedicere eſt benefacere.
Deus cur aquatilibus & volatilibus, non autem terreſtribus animalibus benedixit?
Matth. 26.
Ioan 6.
Cyrillus in Io. l. 3. c. 28. Aug. tract. 25.

24. Porrò multiplicationem hanc panis, & piſcis non ſimul, ſed ſucceſſione quadam factam eſſe dicendum eſt: ita vt primùm multiplicari cœperint in Chriſti manibus, vt ait Hieronymus in Matth. cap. 14. Auguſtin. in Ioan. tract. 24. & Lactantius lib. 4. cap. 15. deinde in manibus Apoſtolorum, vt docet Chryſoſtom. in Matth. hom. 54. vltimò in manibus ipſorum diſcumbentium, vt teſtatur Hilarius lib. 3. de Trinit. Ambroſius verò in manibus Apoſtolorum, & diſcumbentium factam eſſe multiplicationem docet. Non ſimul quidem in Chriſti manibus multiplicatus eſt panis, & piſcis ob duplicem rationem: primò, vt omnes facilius miraculum agnoſcerent; ſecundò, ne Apoſtoli ferendo ad turbas cibum iam totum multiplicatum in Chriſti manibus nimis laborarent; & turbæ diſcumbentes nimium expectarent. Beneficentia igitur diuina ſucceſſiuè incrementa capiebat; tamquam largior fluuius, qui labendo, vndique concurrentibus riuis magis, ac magis augetur; ita vt de hac Dei beneficentia vſurpari poſſit illud Dauidis Pſalm. 64. vbi iuxtà ſacros interpretes de diuina beneficentia ſermo eſt: *Flumen Dei repletum eſt aquis; paraſti cibum illorum;* & ſubditur: *Multiplica genimina eius.* Quæ verba Cardinalis Turrecremata ſic explicat: *Dei miſericordia Flumini comparata, nec aliqua ſiccitate poteſt minui, nec petitionibus crebris poteſt expendi: de ea non tantùm potaſti, nec te tantùm cibaſti, vt conuiuium Domini in nulla parte ſit defectuoſum.*

Multiplicatio panum non ſolùm in manibus Chriſti, ſed etiā in diſcipulorum, & diſcumbentium manibus facta eſt.
Ambroſius Luca 9.
Miſericordia Dei flumini comparatur.

25. Quærunt hîc interpretes, quomodo panes illi, & piſces ex paucis multi euaſerint? Primus modus excogitabilis eſt, ſi dicatur iuſſiſſe Dominus miniſterio Angelorum alios panes vel naturali arte confectos; vel miraculosè productos ad turbas aſportari; piſceſque ſimiliter è mari Angelica manu præparatos: ſicut 3. Reg. 17. legimus coruum attuliſſe panem Heliæ: & Dan. 14. Habacuc attuliſſe pulmentum, & panes Danieli. Improbat hunc modum Salmeron. Primò, quia tali modo turbæ miraculum fieri non exiſtimaſſent; ſed conuiuium ante fuiſſe præparatum. Secundò, quia huiuſmodi panum, & piſcium aſportatio tribui à turbis dæmoni potuiſſet; cum nondum in Chriſto diuinitatem, atque adeo miraculoſam producendi vim agnoſcerent. Tertiò, quia ex tali modo diſcipuli nimium fuiſſent impediti in miniſtrando, & turbæ nimis cibum expectaſſent. Sed his omnibus difficultatibus reſponderi poſſet, ab Angelis inuiſibiliter aſportatos fuiſſe panes, & piſces eiuſdem coloris cum præexiſtentibus panibus, ac piſcibus; eoſque ſimiliter in fragmina diuiſos; quæ fragmina inuiſibiliter ſuggererentur in manibus Chriſti, & in ſinu Apoſtolorum miniſtrantium; & in ipſo loco diſcumbentium. His non obſtantibus, talis modus reiiciendus eſt; & dicendum panes, ac piſces ſupernaturaliter ſuccreuiſſe; cum proxima materia ſucceſſiuè ſemper inter panes, & fragmina diuiſi panis, ac piſcis, in panem, ac piſcem eiuſdem rationis conuerteretur. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia ſacer textus ait, turbam cibatam fuiſſe ex quinque panibus hordeaceis, atque ex illis collectos fuiſſe duodecim cophinos fragmentorum; quod verificari non poſſet, ſi aliunde aſportari, vel ſeparatim de nouo producti fuiſſent noui panes; tunc enim non ex quinque panibus, ſed ex quinque millibus turba fuiſſet ſatiata. Si verò dicantur panes quinque ſucceſſiuè fuiſſe multiplicati per conuerſionem materiæ intra ipſos diuiſos panes; verè quinque panes fuiſſe dici poteſt, multiplicatos tamen: ſicut dicitur eſſe idem indiuiduus homo, cum aſſumendo intra ſe alimentum, illud in ſuam ſubſtantiam conuertit.

Panes, & piſces quomodo multiplicati. Hîc, & ſequentibus.
Salmeron tom. 6.

26. Secundò, quia in ſacro textu expreſsè dicitur Chriſtus quinque illis panibus, & piſci-

bus benedixisse, hoc est, vt supra explicauimus, illis virtutem multiplicatiuam præstitisse: ex quo arguitur miraculosam virtutem illis panibus, & piscibus fuisse exhibitam; quod si aliunde noui panes & pisces aduenissent, benedictio paucis illis panibus, & piscibus non videbatur impertienda; cum merè naturales remanerent; atque adeo benedictionis vis ad eos non pertineret.

26. Tertiò, SS. Patres miraculum satiandi tot homines tam paucis panibus, & piscibus, multiplicationem panum, & piscium vocant: multiplicatio verò propriè fit, cum eadem substantia ex intrinseco augmento crescit; non autem ex additione, seu iuxtapositione alterius materiæ completæ substantiæ nouiter creatæ, vel merè extrinsecè aduenientis, & præexistentis. Quare ad saluandam veram multiplicationis proprietatem, valdè probabiliter in præsenti miraculo dicendum est, quinque illos panes, & duos pisces obedientialiter eleuatos fuisse ad proximam materiam in suam substantiam conuertendam. Et hæc obedientialis eleuatio per præuiam benedictionem significata est. Nam sicut Genes. 1. cum piscibus Deus benedixit; dicens: *Crescite, & multiplicamini*; per talem benedictionem naturalis vis multiplicandi illis communicata significabatur; ita in præsenti miraculo obedientialem vim, & eleuationem per benedictionem similiter significari dicendum est. Hæc autem videtur expressa Augustini sententia, cum ait: *Vnde multiplicat de paucis granis segetes; inde in manibus multiplicauit quinque panes; potestas autem erat in manibus Christi: panes autem illi quinque quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo, qui terram fecit, multiplicata.* Vbi cum panes quasi semina dicantur, illis vis actiua tribuenda est. Porrò cum ex paucis granis, seu seminibus segetes crescunt; tunc ex terræ humido multiplicantur. Quæritur ergo ex qua materia quinque illi panes, & duo pisces similiter multiplicationem acceperint? Ad id solùm adiacens aër, vt censet Euthymius, suffecisse non videtur. Nam eò quod aqua sit densior aëre, ex decem partibus aëris vnam tantùm partem aquæ fieri philosophus docet. Quare ad panem aqua longe densiorem conficiendum, multò plures aëris partes necessariæ fuerunt. Tam multis ergo ad tot panes conficiendos desumptis partibus, accurrens ad replendum vacuum aër maximam raritatem respirantibus turbis incongruam habuisset. Propterea duplex in hoc miraculo conuersio admittenda videtur: altera aëris in panes, & pisces; altera verò, quæ in aërem adiacentium corporum transmutatio fuerit.

Tract. 24. in Ioan.

Arist. 2. de Generat. ca. 4. ibiq. Auerroës.

Conuersio duplex in panis, & pisc[ium] mul[tiplicatione] fuit.

27. Porrò panes hos, & pisces, Domini benedictione, supernaturaliter multiplicatos præ cæteris sapidiores fuisse probabile, ac valde pium est credere. *Regula generalis est*, inquit Tostatus, *quod quandocumque Deus aliquam rem producit de illis, quæ aliàs naturaliter gignuntur, perfectiorem eam producit, quàm naturaliter. Sic asseritur ab omnibus de aqua, quam Christus conuertit in vinum in nuptijs, Ioan. 2. Patet hoc etiàm in manna cælitus facto per Angelos: nam delectamentum omnium saporum apparebat in illo, vt dicitur Sap. 16.* Sapidissimus præterea præ cæteris cibus fuit in deserto ab Angelis Christo Domino ministratus. Cibus enim ille, vt probabiliter asserit idem Abulensis, ex domo Deiparæ Virginis Angelorum ministerio allatus fuit. Quod si manna è materiali cœlo defluens mirificum saporem habebat; quem saporem habuisse credendum est beatum cibum illum virgineis manibus à Deipara præparatum; quem *animatum cælum* meritò Damascenus vocat?

Multiplicati a Domino panes, & pisces cæteris sapidiores fuerunt.

In 4. Reg. c. 4. q. 62.

Cibus in deserto ab Angelis Domino ministratus, B. Virginis manibus præparatus est.

In Matth. c. 4.

Orat. 2. de dormit. B. Virg.

28. Simile multiplicandi panes miraculum à Sanctulo Norsinæ Ecclesiæ presbytero factum refert S. Gregor. lib. 3. dialog. cap. 37. Cum enim ad templum ædificandum magna operariorum turba laboraret, eâque esuriens pane indigeret, *Sanctulus, cum huc, illuc anxius pergeret, deuenit ad Clibanum, in quo vicinæ mulieres pridie panes coxerant, ibique incuruatus aspexit. Tunc repentè panem miræ magnitudinis, atque insoliti candoris inuenit. Per vicinas hunc mulieres detulit; omnes, quæ pridie panem coxerant suum hunc esse negauerunt. Tunc latus vir Domini perrexit ad multos artifices cum vno pane; & vt omnipotenti Deo gratias agerent, admonuit: & quia eis annonam præbuerat, indicauit, eisque ad refectionem protinus inuitatis inuentum panem apposuit. Quibus sufficienter, plenèque satiatis, plura ex eo, quàm ipse panis fuerat, fragmenta collegit. Quæ die quoque altero eis ad refectionem intulit. Sed id, quod ex fragmentis superarat, ipsa quoque, quæ apposita fuerant fragmenta superabat. Factumque est per dies decem, vt omnes illi artifices, & Operarij ex illo pane satiati hunc & quotidie ederent, & ex eo quotidie, quod edi posset, in crastinum superesset; ac si fragmenta panis illius per esum crescerent, & cibum comedentium ora repararent.* Hac non semel panis, sed ipsorum fragmentorum per dies decem multiplicatione ostendere Dominus voluit, quod suis fidelibus promiserat Ioann. 14. 12. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.*

Multiplicatio panum à Sanctulo Nursino presbytero.

Christi promissio suis seruis facta, Maiora horum facietis, adimpleta.

29. Augustinus lib. 4. de Ciuitat. cap. 8. miratur Ethnicos Romanos tanti æstimasse frumentum, vt magnam Deitatum turbam circa illud adstare crediderint: *Sata frumenta quam diu sub terra essent præpositam habere voluerunt Deam Seiam: cum verò iam essent super terram, & segetem facerent, Deam Segetiam: frumentis collectis, atque reconditis, vt tutò seruarentur, Deam Tutilinam præposuerunt. Præfecerunt Proserpinam frumentis germinantibus; geniculis, nodisque culmorum Deum Nodotum: inuolumentis folliculorum Deam Volutinam: cum folliculi patescunt, vt spica exeat, Deam Patelenam: cum segetes nouis aristis æquantur, Deam Hostilinam: florentibus frumentis Deam Floram: lactescentibus Deam Lacturciam: maturescentibus Deam Maturam: cum runcantur, Deam Runcinam. Nec omnia commemoro, quia me piget, quod illos non pudet.* Sed cum Ethnicorum *dij opera manuum hominum sint*, vt ait Dauid Psalm. 113. mirum esse non debet, si superstiosi homines ad Deos multiplicandos suorum operum prodigi fuerint. Verè *non est Deus noster, vt dij eorum; & inimici nostri sunt iudices.* Vnum enim, quem credimus, & veneramur Deum, in sterili deserto frumenti cibum ingenti multitudini *frumenti cibum* subministrasse cernimus: & hoc quidem cum adhuc Hebræorum Synagoga persisteret. Sed quod admirationem omnem excedit, in Christiana Ecclesia verus Deus immensus, interminatus, sub frumenti, panisq; specie ad humanum cibum substare non dedignatur. Apud Ethnicos falsarum Deitatum homines prodigi erant; apud Christianos verus Deus sui ipsius clementissimè prodigus est, cum se totum in hominis cibum elargiatur.

Deut. 32.

Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducauerant.

Lib 4 c.15.

30. DE hoc miraculo, ac fragmentorum collectione expressum sequens Sibyllæ vaticinium à Lactantio Græcis versibus affertur, sic latinè interpretatum.

In panibus simul quinque, & piscibus duobus
Hominum millia in deserto quinque satiabit;
Et reliquias tollet: post fragmenta omnia
Duodecim cophinos implebit in spem multorum.

B

Fragmenta multiplicati panis cur Dominus colligenda præceperit.

In quo vaticinio quæritur, ad quam multorum spem excitandam fragmenta in cophinis collecta fuisse dicantur? Respondetur, vt fragmenta illa memoriale omnibus forent ad spiritualem cibum, cœlestemque panem à diuinis Redemptoris manibus etiam sperandum: vt paulò post Dominus insinuauit dicens: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.* Quare diuina prouidentia factum est, vt non solùm Apostoli in duodecim cophinos fragmenta collegerint; sed vt multas multiplicati cibi reliquias ipsæ turbæ sibi seruauerint, vel in cibum futurum, vel ad miraculi memoriam, & testimonium: quod quidem valdè probabiliter credi potest. Quod autem hæc ab

C

Apostolis in cophinis fragmentorum collectio ad gratam beneficii memoriam seruandam facta sit, eleganter S. Basilius Seleuciensis orat. 33. explicat dicens: *Parcum Apostolis numero sunt cophini, vt singuli singulos baiulando laborem miraculi testem subeant; humerusque dum teritur, rei gestæ sensum ingerat, & memoria fatigatione conseruetur.*

Temporalia bona à Deo dantur vt ad cœlestia speranda, & quærenda transeamus.

31. Sed profectò temporalia bona à Deo dantur, non vt in iis inhæreamus; sed vt à temporalibus bonis ad cœlestia dona & speranda, & quærenda transeamus. Genes. 41. dicitur opprimente populos fame, non solùm Ægyptum, sed etiam alias remotas prouincias ad Iosephum venisse, vt

D

empto frumento sibi cibum compararent. *Omnesque prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent.* Vbi quæritur, quomodo remotæ prouinciæ cognouerint in regiis Ægypti horreis frumenti copiam asseruari? Responderi potest ex aliquorum sententia apud Abulensem; cum Ioseph cognosceret non solùm in Ægypto, sed in remotioribus regionibus famem inualescere; misisse per fluuium paleas, & stipulas; ex quibus coniecerunt populi illi, in Ægypto, vnde fluuius dimanabat, frumenti copiam non deesse. Quidquid sit de veritate huius sententiæ: verissimum quidem est

Abulensis in c 42 Genes.

E

Deum temporalia bona veluti paleas ad nos demittere; vt inde ad comparanda cœlestia bona diuinæque gratiæ alimenta excitemur. Paleæ sunt respectu spiritualis cibi transitoria bona: has tamen ipsas paleas suis sectatoribus iusto Dei iudicio diabolus subtrahit: ita vt verè Ægypti tyranni verbis sæpius peccatoribus dicat, *Non do vobis paleas.* Ex quo frequenter mundani in egestatem non solùm spiritualium, sed etiam tẽporalium bonorũ rediguntur iuxta Dauidis vaticinium Ps. 33. 11. *Diuites eguerunt, & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Porrò in tanta cibi penoria ad reficiendum ingentem hominum multitudinem, dicenti Domino: *Vnde*

Diabolus suos sectatores in egestatem redigit.

Exodi 5.

A

ememus panes? Si quis respondisset eodem temporis puncto seriendum esse semen, vt inde messis, & cibus haberetur; huiusmodi stultum sanè consilium visum foret. In sterili enim illo deserto, vbi semen erat; vbi cultus ager; vbi debita ad serendum anni tempestas? Quòd si hæc omnia fuissent, expectandum erat plurium mensium spatium, vt maturescente segete, inde messis colligeretur. Sed qui terræ semina mandat, hic campi cultura, temporis opportunitate, temporisque spatio indiget. Qui autem in amplissimo diuinæ prouidentiæ gremio serit, is non alio, quàm semine indiget: semen autem ipsæ nostræ cogitationes, & desideria sunt. Hoc expertus Dauid aiebat Psalm. 54. *Iacta super Dominum*

B

curam tuam, & ipse te enutriet. De peccatoribus Dominus dixit Psalm. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Et Psalm. 128. *Supra dorsum meum fabricauerunt.* seu ex Hebræo, *passuerunt peccatores.* Fœcundissimus hic gratiarum campus iam fossus, iam aratus est; in illum nostrarum sollicitudinum, & desideriorum semen iaciamus, certò vberrimam cœlestium bonorum messem percepturi: *omnem sollicitudinem nostram proiicientes in eum; quoniam ipsi cura est de nobis*, vt S. Petrus monet epist. 1. cap. 5.

Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.

C

32. DEut. 18. 18. Deus Mosi de futuro Messia dixit: *Prophetam suscitabo eis*, nempe Israëlitis, *de medio fratrum suorum similem tui; & ponam verba mea in ore eius.* Quod vaticinium, vt ibi dicitur, Moses Israëlitis promulgauit; Et postea Petrus Apostolus idem vaticinium de Christo Domino intelligendum esse docuit Act. 3. 22. Hunc ergo per Mosem Israëlitis promissum Prophetam, & Messiam Christum Dominum esse benè turbæ crediderunt dicentes: *Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum*: hoc est, Propheta ille est, qui à Mose dictus est venturus in mundum; quique Mosi similis fore, prædictus est. Nam sicut Moses esurientem populum manna cibauit in deserto; ita in deserto turbæ, multiplicato diuinitus pane, ipsarum indigentiæ Dominum consuluisse viderunt. Fuit præterea Moses Domino similis. Nam sicut Dominus, vt infra videbimus, regium honorem à turbis admittere noluit; ita etiam Moses, cum teste Philone, tamquam Pharaonis vnicæ filiæ filius, adeoque vt auiti regni successor haberetur; & iam iunior Rex ab Ægyptiis appellaretur, Ægyptium regnum recusauit. Hinc de eo Apostolus ait: *Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis.* Ad Hebræos cap. 11. 24.

Moses in quo Christo similis.

D

E

Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem fugit iterum in montem ipse solus.

33. ISaiæ 3. electus ille in principem, *Princeps esto noster*, renuit principatum admittere, dicens: *Non sum medicus, & in domo mea non est panis.* Christus Dominus ad regnum reiiciendum neutrum motiuum turbis obtendere poterat; cum infirmos plurimos sanitati restituisset: *Videbant signa, quæ faciebant super his, qui infirmabantur*: Cùmque largissimè turbis in deserto alimoniam subministrasset; *Accepit*

Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter & ex piscibus quantum volebant: Renuit tamen Dominus principatum admittere; eò quòd ipsemet dicat Ioannis 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* *Audite Iudæi, & Gentes*, ait Dominus apud Augustinum; *audi circumcisio, & præputium: audite omnia regna terrena, non impedio dominationem vestram in hoc mundo; regnum enim meum non est de hoc mundo.* Non est de hoc mundo, vel in sensu composito, vel in sensu causali, & originario, vt explicat Caietanus. Non est de hoc mundo; hoc est non constat ex dominiis, gradibus, statibus, affectibus, officiis, actionibus, fauoribus, consiliis, armis, & effectibus huius transitorii mundi. Vel in sensu causali: *Regnum meum non est de hoc mundo*, hoc est, non est ab electione, potentia, arte, & reliquis huius mundi causis.

Tr. 11. 5.

Regnum Christi in quo sensu de hoc mundo non esse dicitur?

34. *Fugit iterùm in montem ipse solus.* Cum terrenum regnum Dominus fugeret, montem ascendit; in monte enim subeundo crucem, æterni regni insignia à Patre accepturus erat, iuxtà Dauidis vaticinium Psal. 95. *Dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit à ligno*, ex 70. interpretum versione; quam Ecclesia ex Ambrosij hymno amplectitur: *Impleta sunt, quæ concinit Dauid fideli carmine, Dicens in nationibus, regnauit à ligno Deus.* Quare citato Psal. cum Propheta dixisset: *Dominus regnauit à ligno*, subditur: *Tunc exultabunt omnia ligna syluarum. Illa*, inquit Theodoretus, *potissimum Deo afferent hymnum; quandoquidem ex ipsis salutare lignum fuit, in quo Saluatoris corpus suffixum fuit, per quod hominibus germinarunt bona.* Similiter Arnobius in verba Psal. 92. *Dominus regnauit, decorem in-*

Christus oblato terreno regno in montem fugit; postea in Caluariæ monte Crucis regnum assumpturus.

A *dutus est*, ait: *Dominus regnauit, & regnum assumpsit in cruce; decorem induit in resurrectione.* Idem prædixerat Isaias c. 9. verbis illis: *Factus est principatus super humerum eius*: *Quòd crucem suam portauerit*, ait Hieronymus. Quare egregiè Tertullianus contra Iudæos ait: *Quis omninò regum, insigne potestatis suæ humero præfert; & non aut in capite diadema, aut in manu sceptrum? Sed solus rex nouus nouorum sæculorum Christus Iesus, nouam gloriam, potestatem, & sublimitatem suam in humero extulit; crucem scilicet, vt secundùm Dauidis prophetiam exinde regnaret.* Rur-
B sus citato loco: *Factus est principatus super humerum eius*, alii legunt, *Et spina imperium eius.* Spineam enim coronam tamquam sui regni diadema Dominus habere voluit: *Plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius.* Spinas fortassè inter syluestria vepreta alacri animo Dominus passionis cupidus reuisebat; cum regnum fugiens, à turbis in montem secessit.

Spineam coronam tamquam regnantis diadema Christus habuit.

Ioan. 19.

35. Peruani homines cum suum regem ad aliquid impetrandum alloqui volunt, pondus aliquod humeris ferre ad reuerentiam consueuerunt; eoque onere sublato, se illi subditos esse testantur. Quod populis illis barbaries suadet;
C à Christo domino in humanum genus charitate factum est: se enim gloriæ Rex æterno Patri sub seruili specie sub crucis onere exhibuit, vt nostram ab eo redemptionem impetraret; sibique, & nobis cœleste regnum reseraret. Nos similiter Christum regem imitantes, vt nostræ saluti cooperemur, crucem nostram libentissimè subeamus, hortante Apostolo: *Exeamus ad eum extra castra, improperium eius portantes: extra castra, idest, extra mundum, eiusque splendida*, ait Theophylactus.

Vlloa in vita Caroli 5. lib. 3.

Peruani impetraturi aliquid à Rege pondus aliquod humeris ferre consueuerunt.

Ad Heb. 13

FERIA SECVNDA

POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. *Ioan.* 2.

Euangelij nexus, & ordo.

Templum Dei triplex.

1. RGA triplex templum Christus Redemptor noster in hoc Euangelio suam beneficentiam, & potentiam exhibet. Primò Deo sacratum erat Ierosolymitanum templum. Secundò Dei etiam templum est ipse Christus Dominus; quippe, *in quo*, teste Apostolo, *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Tertiò fidelium animæ Dei templum sunt, quibus Apostolus ait: *Nescitis quia templum Dei estis.* Primum templum Iudæorum auaritia profanatum diuino cultui restituit Christus Dominus: *Inuenit in templo vendentes oues, & boues, & columbas; & nummularios sedentes; & cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de tem-*

Ad Colos. 2.
Ep. prima Ad Cor. 3.

A *plo, oues quoque, & boues, & nummulariorum, effudit æs, & mensas subuertit. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc; & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Secundum templum, nempe sanctissimum suum corpus ex Iudæorum crudelitate morte violandum, instauraturum se ad vitam resurgendo Dominus spondet: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de tem-*
B *plo corporis sui.* Tertium templum sunt hominum animæ, hoc etiam templum per fidei illuminationem Christus Dominus Deo sacrat, primoque eiusdem templi fundatori restituit: *Cum esset Ierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes eius signa, quæ faciebat.*

Isaiæ 9.6. Christus quomodo verè dictus fuerit Admirabilis, Deus fortis, Pater futuri seculi? *lib. 5. Stromatum.*

A 2 Præterea ex Isaiæ vaticinio illa nomina Christo humani generis Redemptori tribuuntur: *Vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi.* Horum nominum veritatem Christus Dominus in hoc Euangelio manifestat. Ostenditur Primò *Admirabilis, Deus fortis*: solus enim nihil ingentem hominum multitudinem reformidans, eam è templo eiecit: *Omnes eiecit de templo.* Secundò Pater futuri seculi; seu ex Vatablo *Pater æternitatis* ostenditur; cum ait, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* His enim verbis se à morte ad immortalem vitam rediturum, suoque ad vitam reditu immortalitatem B mystico suo corpori, hoc est suis fidelibus daturum significat; itáque se Patrem futuri seculi, & immortalis vitæ auctorem fore pollicetur. *Pater futuri seculi est in resurrectione; princeps pacis in perpetua beatitudine*, ait cum Hieronymo Bernardus ser. 10. inter paruos. Tertiò Euangelizando *Consiliarium* se esse probat, hoc est iuxtà Clementem Alexandrinum, *creaturarum omnium magistrum, & directorem*: quod quidem munus hic exequitur illuminando animas per fidem: *Multi crediderunt in nomine eius*: *Consiliarius dictus est*, ait S. Cyprianus, *qui & alibi dictus magni consilij Angelus; eò quod secreta Dei, quæ ab hominibus erant abscondita, reuelauit; & cum nemo nosset Patrem, nisi filius, ipse arcana Dei C referans, indaginem Trinitatis explicuit.* Similiter Iustinus contra Triphonem: *Christus vocatur magni consilij Angelus; quia quæ à Patre accepit, reuelat nobis, ipse verbum Patris, ipse mundo Euangelizauit.*

S. Cyprian. vel alius antiquus auctor ser. de natiuit. Christi.

3. Denique, cùm bis Dominus ementes, & vendentes è templo eiecerit: Prima hæc eiectio contigit proximè post Christi baptismum, vt docet Irenæus. Altera, quæ habetur Matth. 21. Marci. 11. Lucæ 19. propè passionis tempus fuit. In hac igitur Euangelica historia, cùm primùm Dominus Iudæorum populo, vt eum in via salutis instrueret, manifestari inciperet; conueniens fuit, vt se tamquam verum Redemptorem, adeoque Dei filium esse ostenderet: pro D pterea diuinæ potentiæ, bonitatis, & sapientiæ argumenta dedit. Potentiæ, quidem, eiiciendo profanos negotiatores è templo: *Omnes eiecit de templo*: Bonitatis ad mortem subeundam in humani generis redemptionem paratum se offerendo: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud; ille autem dicebat de templo corporis sui.* Ad extremum diuinæ sapientiæ documenta dedit, plures Iudæos per Euangelicam fidem instruendo, & illuminando: *Multi crediderunt in nomine eius.*

Irenæus lib. 2. c. 39.

Christus simul diuinæ potentiæ sapientiæ, & bonitatis specimē dedit.

Et inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios sedentes.

E 4. ETHnicorum templa teste Strabone, Draconia vocabantur. Nec immeritò cum ibi *Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas*, coleretur. *Draconem diabolum esse nullus vestrùm ignorat*, ait Augustinus de symbolo lib. 4 cap. 1. Præterea Æsculapius sub ingentis serpentis specie Romam aduectus, in insulam, vbi ei templum dicàtum erat, tranauit; quem ibi Romani ad arcendam pestilentiam, vt Deum coluerunt, teste Valerio Max. lib. 1. c. 8. similiter Adrianus Imperator in templo Iouis Olympii, quod Athenis sumptuosissi-

Strabol. 4. Ethnicorū templa cur Draconia vocabātur? *Apoc. 12.*

A mè erexerat, pro numine draconem posuit ex India deportatum, teste Dione. Porrò sacrum Ierosolymitanum templum Iudaica sacerdotum auaritia profanatum, Draconium reddebatur: draco enim voracissimum animal, bouesque integros vorare solitum Boa dicitur: similiter teste Beda, Hebræorum sacerdotum auaritia boues, aliáque animalia in sacrificium oblata voracissimè absorbebat; non enim ea in sacrificium impii sacerdotes offerebant; sed iterùm mercatoribus in templo vendebant. Et hoc pacto Ieremiæ vaticinium implebatur: *Dabo Ierusalem in cubilia draconum.* Huiusmodi dracones è templo Dominus eiecit; non enim solùm Laïcos ementes, B & vendentes; sed ipsos impios sacerdotes è templo Dominum expulisse asserunt sancti Pontifices Anacletus, & Pius primus. Cum in Ierosolymitano templo tot animalia in sacrificium mactarentur, & cremarentur, Hebræorum Rabbinorum traditio est, ibi adstantes nullum carnis fœtorem sensisse, neque muscas vllas eò aduolasse. Quicquid sit de traditionis huius veritate; profectò Christiana templa adeò veneranda esse debent; vt in iis nullus impudicus sit, nullus lasciuus carnis fœtor sentiatur: simulque diabolus, qui Beelzebub, hoc est muscarum Dominus dicitur, procul cum suo muscarum agmine, hoc est, suis cum prauis suggestionibus arceatur.

In Adriani vita.

Cap. 9.

Ep. 2. *Ep. 1.* Ierosolymitano in templo animalium victimis fœtē, quē fœtor, neque malus odor, neque muscæ erant.

C 5. Circa templorum venerationem, & cultum valde notabile est, quod legitur 1. Reg. c. 5. *Non calcant sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur templum eius super limen*: quia scilicet, vt ibi dicitur, *inuenerunt caput Dagon, & duas palmas manuum eius abscissas super limen.* Quia ergo vt Augustinus ait tract. 48. in Ioann. *Non mouetur anima pedibus, sed affectibus*: quàm irreuerenter legerent, qui non Dagonis vanissimi idoli limen, sed veri Dei templum ingredientes, illud vel terrenæ negotiationis, vel quod peius est, lasciuiæ immundis affectibus calcant! Rursus quanta templorum cura, cultusque esse debeat, cum pudore Christiani legant, quod Liuius lib. 1. de Romulo scribit; scilicet, cum primùm Vrbis fundamenta iecit, antequam sibi D Regiam ædificaret, templa Ioui Statori, & Feretrio erexisse. Ideo iure apud fideles queritur Deus Aggæi cap. 1. *Numquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis; & domus ista deserta?* Quamuis minus indecenter Dei domus deserta relinquatur; quàm si ea ab irreuerenti multitudine frequentetur.

Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo; oues quoque & boues.

6. VT ostenderet Dominus suis ipsis peccatis peccatores puniri; scilicet auaritiæ E angustiis auarum, inuidiæ stimulis inuidum, indignationis amaritie iracundum; funes, quibus animalia alligabantur, in flagelli similitudinem adaptauit. Quare S. Hieronymus explicans verba Isaiæ 5. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum*, ait: *Quòd vincula dicantur esse peccata, crebrius legimus: è quibus illud est Prou. 5. Funibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Et Dominus arguens populum delinquentem, qui pe catis peccata sociarat, fecit flagellum de funiculis. Conuiua quoque cœna Dominica vestem non habens nuptialem, vinctis pedibus, ac manibus eiicitur in tenebras exteriores Matth. 22. Et Dominus*

Peccatoribus ip'ς culpæ pœnæ sunt.

Ps. 145. 2. Reg 17. Matt. 27.

venit, vt ijs, qui erant in vinculis diceret Exite, Isaiæ 49. *Ipse enim soluit compeditos. Achitophel, & Iudas, quorum alter Dauid, alter Dominum prodiderant, funo longissimo tranestes peccata sua, perieres suspendio,* Fune scilicet collo alligato.

Particula *Quasi*, vel similitudinem, vel proprietatẽ significat.

7. *Cum fecisset quasi flagellum.* Diuersa significatio particulæ. *Quasi*, diligenter in sacris litteris notanda est. Quamuis enim frequenter particula hæc similitudinem significet, vt hic, cum dicitur, *fecisse Dominus quasi flagellum de funiculis*: Et Gen. 9. *Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, & alibi sæpius; nihilominus interdum etiam per eamdem particulam, *Quasi*, non similitudo, sed identitas, seu vera proprietas significatur, vt Prima Petri c. 2. *Siue Regi* B *quasi præcellenti*, idest tamquam verè excellenti: & Iacobi 2. *Redarguti à lege, quasi transgressores*, hoc est tamquam verè transgressores. Portò huic particulæ *Quasi*, apud Græcos particula ὡς respondet, quæ pariter habet duplicem supra allatam significationem, scilicet interdum similitudinem, interdum proprietatem, vel identitatem significat, vt fusè notatur in Lexico. Quare valdè ineptè Ariani negantes Christum esse Dei filium, in patrocinium suæ hæresis assumere possunt verba illa Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Ibi enim particula illa *Quasi*, vt ait Chrysostomus, *non similitudinis est, & parabolæ; sed confirmationis, & definitionis certissimæ. Quasi dicat: Vidimus gloriam, qualem decet, & credibile sit habere vnigenitum, & dilectissimum omnium Regis Dei filium: neque hoc loquendi genus præter morem inuenitur.* Quod ibi pergit pluribus ostendere Chrysostomus. Significat præterea particula *Quasi*, ferè, seu circiter: vt Lucæ 3. *Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Et Ioann. 21. *Non longè erat à terra, sed quasi cubitis ducentis.*

Et nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.

8 NVmmularios istos vsurarios, seu fœneratores fuisse docet Hyeronymus. Vsurariæ autem pecuniæ mensæ, marsupia, & crumenæ veluti aspidum foramina erant: aspis enim benè vsurario comparatur; eò quòd aspis, cùm venenum in alium diffundit, quietum soporem immittit; sub saporis autem blanda quiete consopitum, veneni efficacitate perimit. Similiter fœnerator sub beneficij specie pauperum substantiam omnem absumit; ipsosque pauperes vsuræ reddendæ obstrictos sæuissimè perimit. *Similis est pecunia vsuraria aspidis morsus* (ait auctor operis imperfecti in Matth.) *Sicut enim, qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnum; & sic per suauitatem soporis moritur: sic & qui accipit sub vsuris, pro tempore delectatur, quasi qui beneficium acceperit; & sic per suauitatem beneficij non sentit quomodo captiuus efficiatur.* Rectè præterea ex Censorio Catone additur, *Quid est fœnerari? est hominem occidere.* Quarecum de Dei filio sub humana carne nato vaticinatus sit Isaias: *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis*; scilicet, vt inde aspides extrahat, & interimat; iuxta tale vaticinium in hac Euangelica historia Christus Dominus ad aspides, hoc est vsuraria lucra tollenda, *Nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.*

Hieronymus in Matth. c. 21.

Aspis venenoquietum soporem immittit.

Vsurarius cur aspidi similis? Cap. 21.

Tull. 2. de officiis. Cap. 11 8.

9. Refert Liuius à Romanis Ædilibus fœneratores fuisse punitos; & ex eorum vsuraria pecunia limina ænea in Capitolio fuisse constructa. Idque profectò sano consilio; vt scilicet populus in Capitolium ascendens vsurariam illam pecuniam in limina redactam pedibus conculcaret, & sic iuxtà Psal. 90. *super aspidem ambularet.*

lib. 7.

Vsuraria ea pecunia in Capitolio ænea limina constructa fuerunt.

10. Quæritur Gen. 19. cur vxor Loth versa fuerit in statuam salis? Respondetur ex S. Prospero: *Vt suo exemplo fatuos prudentiæ salis expertes erudiret.* Similiter ad fœneratores ab vsura retrahendos fertur olim iusto Dei iudicio vsurarij statua vsurarium morte mulctasse. Qua de re Thomas Cantapratensis Episcopus, sancti Thomæ sub Alberto Magno condiscipulus ait: *In porta frontis Ecclesiæ Cathedralis in Gallia imago vsurarij sculpta de lapide desuper, quasi cum sacculo pecuniæ euidentius præminet. Vt autem quidam maximus, ac ditissimus vsurarius ciuitatis Ecclesiam quadam vice per portam debuit intrare; imago prædicti vsurarij desuper cadens capiti intrare conantis, illisit, & repentè contritus turpiter expirauit*: Contritus quidem non corde, sed corpore. Meritò improbus fœnerator repentina morte à templi ingressu prohibitus fuit: Accipiter enim inter immunda animalia numeratur, Leuit. 11. ideoque in templum inferri non debebat: fœneratorem autem *humani corporis accipitrem* vocat Ambrosius de Tob. c. 7.

Loth vxor cur in salis statuã conuersa?

In Apiario l. 2. c. 23. Vsurarij statua cadens vsurarium interfecit.

Vsurarius humani corporis accipiter.

Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc.

C 11. AD columbarum venditores speciatim Dominus sermonem conuertit; quia hi Simoniacos, qui spiritualia dona vendunt, significabant. Audi Augustinum in Psal. 140. *Simon Magus vbi vidit per manus Apostolorum, & per orationes eorum Deum dare fidelibus Spiritum Sanctum, vt linguis loquerentur, quas non didicerant; voluit talia facere, non talis esse: & pecunia putauit comparandum Spiritum Sanctum. Erat ergo de talibus, qui in templum intrant ad emendum, & vendendum: emere volebat, quod vendere disponebat. Dominus illos expulit de templo, qui columbas vendebant. Columba autem Spiritum Sanctum significabat. Volebat ergo Simon emere columbam, & vendere columbam. Accessit Dominus Iesus Christus, qui habitabat in Petro, & flagello expulit foras malum mercatorem.*

Columbarũ venditores Simoniacos significabãt. Act. 8.

Et noluit facere domum Patris mei domum negotiationis.

12. MIrum circa diuinum cultum, rerumque sacrarum venerationem exemplum extat lib. 1. Reg. 4. in matrona sacerdotis Heli nuru. Hæc morti proxima, partus doloribus pressa; audito insuper nuncio de soceri, & viri morte; non tam proprium obitum, nec soceri, & viri mortem, quam arcam Dei in manus hostium deuenisse doluit. *Audito nuncio, quòd capta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus, incuruauit se, & peperit. Irruerant enim in eam dolores subiti: In ipso autem momento mortis eius dixerunt ei, quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit ei, neque animaduertit. Et vocauit puerum Ichabod dicens: Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei.* Qualis fuisset huius sanctæ mulieris dolor, & Zelus, si non arcam, in qua manna; sed templa, in quibus sacramentaliter sub panis specie Deus homo reperitur, profanari negotiationa, aut peiori scandalo vidisset?

Piæ matronæ erga rerũ sacrarum cultũ exemplum eximium.

13. De impiè dicitur Isa. c. 26. *In terra sanctorum iniqua gessit; & non videbit gloriam Domini.* Vbi *terram sanctorum* Iudæam dici sacri interpretes asserunt. Si Iudæa, vbi vnicum ad Dei cultum templum erat, *terra sanctorum* dicitur; & propterea; qui in ea iniqua gerebant, à diuina gloria, & cœlesti beatitudine, vt reprobi excludendi dicuntur; quantò magis sunt inde excludendi, qui Euangelicæ legis beneficio ingrati, in ipsis sacris templis iniquè & irreuerenter se gerunt? De his ergo iure dicitur: *Non videbunt gloriam Dei.* Qui lasciua sensus oblectamenta secutus impudicè vixit, corrigens impudicam vitam sperare poterit beatam vitam consequi. Suadet hoc Magdalenæ exemplum: Qui periurus Redemptorem negauerit, se omninò à cœlesti patria excludendum censere non debet: Petrus enim Apostolus post periurium, & Christum Dominum negatum, non solùm in cœlum aditum habuit; sed etiam beatæ illius patriæ claues obtinuit. Latronem rapinis assuetum æternam fœlicitatem consequi posse, Dominicæ passionis tempore pœnitens latro comprobauit. Sed de eo, qui in terra sanctorum, & in ipsis sacris templis iniqua gessit, formidabili sententia pronuntiatur: *Non videbit gloriam Domini.* Tales enim ob culpæ enormitatem, cum cordis duritiem incurrerint, sæpissimè impœnitentes moriuntur.

Templis in sacris qui irreuerenter se gerunt, impœnitentes æternam damnationē incurrere solent.

14. Eodem die, quo Euangelium hoc legitur, legitur etiam iudicium Salomonis; apud quem iudicem falsa mater puerum diuidi, vera autem mater nondiuidi postulauit. Similiter falsus pater diabolus simul Dei cultui, & profanis negotiationibus, actibusque templū diuidi vult; verus autem, & amantissimus humani generis parens Christus Dominus diuino tantùm cultui templa dicanda esse contendit. Quod si templi Dei pars diabolo detur, illud vt profanum Dominus deserens, præsentis auxilii beneficentiâ priuat. Nam, vt benè ait Apostolus: *Quæ societas Luci ad tenebras? Quæ conuentio Christi ad Belial?* hoc est ad diabolum.

Templum diuino cultui, & profanis negotiationibus diuidi Christus non patitur.

2. ad Cor 6. 14.

15. Suæ proximus passioni Zelaos templi venerationem iterum ementes, & vendentes è templo Christus Dominus eiecit: sed ibi, vt habetur Matth. 21. ementibus, & vendentibus dixit: *Domus mea, domus orationis est; vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Hic verò ait: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Vtrobique latrones sunt eiecti, scilicet tam nummularii, qui vsurarii erant iuxtà Hieronymum; quàm sacerdotes, qui oblata in sacrificium animalia iterum vendebant, vt supra cum Beda diximus. Nihilominus in hac prima eiectione eos Dominus negotiatores potius, quàm latrones nominauit; in secunda verò latrones: idque vt correctionis ordinem ab Apostolo 2. ad Tim. 4. significatum seruaret: *Argue, obsecra, increpa.* Cùm hic igitur Dominus ait: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis, arguit, & obsecrat.* In secunda verò eiectione, quam acriorem fuisse notat Chrysostomus; cùm Dominus ait: *Domus mea, domus orationis est; vos autem fecistis eam speluncam latronum*: tunc quidem increpat.

In Matth. 21.

Christus Dominus correptionis ordinem seruās, peccatores prius arguēs obsecrat, deinde increpat.

In Matth. 21

16 Notandum hic est Ps. 70. magna fiducia dixisse Dauidem: *Introibo in potentias Domini*; hoc est in cœlum, vt Hugo interpretatur. In cœlo enim diuina omnipotentia suum solium habet: *Dominus in cœlo parauit sedem suam.* Si verò quæratur à Dauide, vnde illi tanta fiducia proueniat, vt certam spem habeat de ingressu in cœleste regnum? Respondet: *Quoniam non cognoui litteraturam: Quoniam non cognoui negotiationes*, legit idem Hugo cum Augustino. Adeo terrenarum rerum negotiatio cœlesti gloriæ acquirendæ contraria est; vt qui ab huiusmodi negotiatione, vt Deo vacet, planè alienus est; ille futuram cœlestem beatitudinem fiducialiter, & certò sperare possit.

Terrenis à negotiationibus alienus fidenter cœlestem beatitudinē sperat.

Ps. 70.

17. E contrario, negotiatio, quæ ad cœlestes merces, diuinæque gratiæ thesauros acquirendos dirigitur, certum aditum ad cœlestem patriam aperit. Et sicut illa profana negotiatio è sacris templis expellenda est: ita secunda hæc diuina negotiatio sacris in templis est exercenda. In his enim veluti in sacræ mercaturæ foro, homo Deo preces, lacrymas, piosque charitatis affectus offert; Deus vicissim homini diuinam gratiam, cœlestes consolationes, & supernaturalia dona rependit. Quæ Deo exhibet homo, tanti Deus æstimat, vt suis Angelis veluti cœlestibus thesaurariis ea tradat, intra aurea vasa diligentissimè seruanda; quod Ioan. ostensum est Apoc. 5. cum Angelos vidit *Habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Æquum igitur est, vt in hac beata negotiatione, quæ à Deo homo accipit, similiter intra humanum cor, veluti intra vas aureum asseruentur. Sed de humana mente, seu corde peccatis fœdato iuxtà sanctum Thomam mysticè dicitur à Ieremia: *Quomodo obscuratum est aurum?* de qua obscuratione iuxtà Hugonem loquitur Apostolus ad Rom. 1. *Obscuratum est insipiens cor eorum.* Quare, vt iterum in auri fulgorem humanum cor redeat, Deum orat Dauid. *Vre renes meos, & cor meum.* Sic enim igne diuino purgatum cor, dignum vas erit, intra quod cœlestis gratia recondatur. Hæc quidem sancta negotiatio, non alia huic contraria in templis est exercenda. Et hoc modo iuxtà Isaiam, *Erunt negotiationes hominis, & mercedes eius sanctificata Domino.*

Negotiatio sancta, quæ in tēplis est exercenda.

Thren. c. 4.

Ps. 25

C. 23.

18. Negotiationem hanc cum experta esset fidelis anima de ea dicitur Prou. vlt. *Gustauit, & vidit, quia bona est negotiatio eius.* Vt hæc negotiatio quæstuosa nobis sit, & facilis, audiendus est Bernardus de B. Virgine sic pronuncians: *Ad illam sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium omnium seculorum respiciunt. & qui in cœlo habitant, & qui in Inferno, & qui nos præcesserunt, & nos, qui sumus, & qui sequentur; & nati natorum, & qui nascentur ab eis.* B. Virgo negotium omnium seculorum Bernardus nominauit, eò quod in ea quilibet pius mercator, quacunque ætate, quocunque seculo viuat, quascunque cœlestes merces quærere velit, inueniat. Et propterea congruenter eadem Deipara ab eodem Bernardo *Dei arca* est appellata; in ea enim tamquam in ditissima arca cœlestes thesauros Deus reposuit: vt propterea eam adire debeat quicūque cœlestem mercaturā exercere voluerit; quicumque cœlestibus mercibus ditari exoptauerit. Hanc cum humano genere negotiationem exercere mirificè Deipara gaudet; ita vt propterea de ea etiam dicatur, *Gustauit, & vidit quoniam bona est negotiatio eius.*

B. Virgo cur arca Dei, & negotium omnium seculorum dicatur.

Ser. 2. de Pentecost.

19. Ibidem subditur: *Non extinguetur in nocte lucerna eius.* Idque ob duplicem rationem: Primò post finem huius mortalis vitæ, adueniente mortis nocte, Virgo cœlestis olei defectu, misericordiæ lampadem extingui non patitur; suam enim operam impendit vita functis, qui in inferis purgatorio in igne detinentur: vt propterea dixerit Bernardus: *Ad eam sicut ad negotium omnium seculorum, non solùm qui in cœlo habitant, sed qui in inferno, respiciunt.* Secundò quoniam in peccati nocte,

B. Virgo adueniente mortis nocte, misericordiæ lampadem extingui non patitur.

nocte; ac tenebris diabolus pessimam suam exercet negotiationem, mundanas delectationes ad animas sibi acquirendas in pretium exhibens: & propterea à Dauide Ps. 90. diabolus *Negotium perambulans in tenebris* appellatur; ideo B. Virgo in peccati nocte, ac tenebris, vt peccatores resipiscant, misericordiæ lampadem extingui non sinit. *Propterea bona est negotiatio eius; non extinguetur in nocte lucerna eius.* Quare hoc etiam titulo Beata Virgo *negotium omnium seculorum* meritò appellatur. Sicut enim nulla ætas, nulla sunt sæcula, quibus homines peccatis non sint obnoxii; ita seculis omnibus B. Virgo suam negotiationem peccatoribus misericorditer exhibet, vt à peccati tyrannide redimantur.

Recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.

Ps. 68. 10. Zelus animarum gratissimū Deo sacrificium. Gregorius in Ezech. hom. 12.

20. CVm eiecisset è templo Dominus animalia, quæ in sacrificium ibi seruabantur; aliud in templo gratius Deo sacrificium offerendum docuit; scilicet sacrificium animarum, quas diuinus zelus, culparum sordibus sublatis, Deo, vt gratiores victimas offerre debet: *Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est Zelus animarum*, ait Gregor. Aliis victimis vita adimitur, & mors datur: Zelus autem animarum suis victimis mortem adimit, & immortalitatem elargitur.

Zelus in bonam, & in malā partē accipitur.

21. Reperio interpretem, qui vniuersaliter definit zelum esse vehemens studium, quæ diuini sunt honoris procurandi; & quæ ei aduersantur propulsandi. Sed vtinam zelus omnis talis esset: zelum enim reperio in sacris litteris non solùm in bonam, sed etiam in malam partem accipi; ita vt vehemens etiam studium in malum significet; præsertim liuoris, & inuidiæ affectum. Quare S. Cyprianus sermonem de zelo, & liuore scripsit; in quo latentes dæmonis insidias detegit; & vnde zelus, & quando, & quomodo cœperit, multiplicemque eius perniciem ostendit. Benè S. Ambrosius ait: *Est Zelus ad vitam, & est zelus ad mortem est zelus ad culpam, & est zelus ad gratiam.* De malo zelo dixit Apostolus 1. ad Cor. 3. *Cum sit inter vos zelus, & contentio; nonne carnales estis?* Hoc discrimen est inter bonum, malúmque zelum; bonus zelus ipsos zelantes, veluti pro cibo habet: *Zelus domus tuæ comedit me.* Contra verò zelantes malo zelo veluti venenato cibo replentur. Actorum 5. *Exurgens princeps sacerdotum, & qui cum illo erant, repleti sunt Zelo, & iniecerunt manus in Apostolos.* Quòd amarus cibus sit zelus malè zelantibus, expressè indicat Iacobus Apostolus c. 3. *Quòd si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari.* Vbi Beda ait: *Zelum amarum dicit, quia est & zelus dulcis, à quo & Simon Apostolus meritò perfecti cordis nomen accepit.* Eumdem enim Apostolum, quem zelotem Lucas appellauit: Lebbæum etiam appellatum esse, & à corde nomen hoc accepisse asserit Beda: Lebbæus enim teste Hieronymo, corculum significat; eumque homines aliquid sibi carum, & dulce esse significant, illud suum cor appellare consuerunt. Similiter Deus suum corculum nominare voluit S. Apostolum, cum diuino zelo ferueret. Cum igitur sanctus vir diuino zelo feruidus, veluti Dei cor sit, meritò de eo Christus Dominus Ecclesiæ sponsus dixit: *Ego dormio*, scilicet in æterna beatitudine quiesco, *& cor meum vigilat*; nempe fidelis seruus meus sancto zelo feruidus, quem veluti cor meum mihi carum habeo, is vigilat pro mea gloria laborando.

in Ps. 118. v. 139.
Ps. 68.
Zelus bonus zelātes comedit; zelus malus malè zelātibus venenatus cibus est.
Cap. 6.
Lebbæi nomen. Thadæo non Simoni tribuit S. Hieron. & cum eo Maldonatus Matt. c. 10.
Cor Dei quis dicatur.
Cantic. 5.

22. Rursus liuorem, & æmulationem valdè benè zelum amarum dixit Apostolus; cum è contrario diuinæ gloriæ zelus suauissimus sit; quippe qui in animarum conuersione, sanctificatas animas, veluti suauem cibum Deo præparat, & condit. Quare aurum ignitum Apoc. 3. sanctum zelum significare asserens Ambrosius ait: *Hic est Dei zelus, hic est fidei vapor, deuotionis feruor, qui nos velut suauem cibum in Christo remollit, & format. Quanta Domini gratia, vt nos in sua ore constituat, & quasdam meritorum nostrorum epuletur dapes; ac si meremur, deuoret; si nostri cibi suauitatibus delectatur? Beatus, quem sapientia deuorauerit, quem virtus hauserit, quem iustitia receperit.*

Zelus bonus fideles animas, veluti suauissimum cibum Deo præparat.
in Ps. 118. v. 139.

23 Sed dicet quispiam, quonam modo bonus, atque vtilis Dei zelus esse poterit homini, cum zelantem tabescere faciat, consumat, & enecet iuxtà Dauidis experimentum: *Tabescere me fecit zelus meus*, seu ex alia lectione, *Consumpsit, enecauit me Zelus meus.* Felix certe consumptio existimanda est, quæ consumpto homine illum in Angelum mutat. Angelorum enim supra reliquas creaturas prærogatiua, non nisi ex diuini honoris zelo oritur; quo sublato in nihilum Angelus redigeretur: sicut expertus est diabolus; qui diuino zelo carens propter superbiam, Angelica prærogatiua priuatus in nihilum culpæ abiit. Ioannis enim 1. dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*; idest factus est diabolus iuxtà Origenem. *Deus enim non fecit diabolum; sed ipse sua se fecit voluntate*, ait Basilius. Quare benè ait Ambrosius: *Angeli sine Zelo nihil sunt; & substantia sua amittunt prærogatiuam, nisi eam zeli ardore sustentent.* Ad quem zeli ardorem in Angelis significandum dicitur Ps. 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.*

Ps. 118. v. 135. Zelus bonus hominem in Angelum mutat.
Origenes in Ioann. c. 2.
Basilius Hom. quòd Deus non sit auctor malorum. Ambrosius in Ps. 118. v. 139.

24. Idem Ambrosius l. de Virg. citans ex Marci 12. Domini verba: *Qui non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Subdit: *Elias nullius corporei coitus fuisse permistus cupiditatibus inuenitur; ideo ignea curru raptus ad cœlum.* Quod Elias in cœlum raptus, extra mortalitatem, Angelicam vitam degere dignus fuerit, eiusdem pudicitiæ tribuit hic Ambros. At in Ps. 118. tribuit hanc prærogatiuam non Eliæ pudicitiæ, sed zelo: *Zelum habuit Elias, & ideo raptus ad cœlum est.* Consonat huic vltimæ Ambros. sententiæ, quod dicitur Cantic. 8. *Fortis est, vt mors dilectio; dura sicut Infernus æmulatio*, idest zelus, iuxtà 70. *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Vbi ex alia lectione dicitur: *Alæ eius, alæ ignis, atque flammarum.* His alis Elias in cœlum euolauit: fuitque illi mortis loco Dei dilectio; hæc enim eum, non mors ab hac inquieta mortali vita in trāquillissimæ quietis locū transtulit: *Fortis, vt mors dilectio.*

in Ps. 118. v. 139.
Zeli, diuinæque dilectionis alę Eliā ad cęlū eueherunt.
Eliæ fortia fuit vt mors, dilectio, & zelus.

25. Porrò, ne hæ duæ causæ transferendi Eliam, ab Ambros. allatæ, discordes inter se videantur, opportunè subdit idem Ambros. *Zelo vindicatur Ierusalem; Zelo Ecclesia congregatur; Zelo pudicitia possidetur.* Quòd zelo pudicitia possideatur, sua pernicie expertus est Salomon, qui simul & zelū diuini cultus, & pudicitiam amisit: cùm simul in lasciuiam, & in idololatriam miserrimè incidit: *Deprauatum est cor Salomonis per mulieres vt sequeretur Deos alienos. Vsque adeo laqueus illi fuit illa cupiditas, vt à mulieribus etiam idolis sacrificare cogeretur*, ait August. Benè lasciuiam laqueum appellat August. cum ab ea, veluti laqueo sapientissimus rex tamquàm inuitus ad idololatrandum raptus fuerit: *Nec Salomonem credibile est errore putasse idolis esse seruiendū; sed blanditiis fœminis fuisse compulsum*: ait idem August. lib. 14. de ciuit. 11.

Zelus diuinus, & pudicitia nexu quodam associantur.
3. Reg. 11.
August. in Ps. 126.
Lasciuia laqueus diaboli.
Salomon non mentis errore, sed fœminæis blanditiis tractus idololatrauit.

Cantic. 8.

26. Porrò quoniã de zelo agimus, quærendum hic est, cur in sacris litteris zelus Inferno comparetur? *Dura sicut Infernus æmulatio*, idest zelus iuxtà Septuaginta interpretum versionem. Respondeo, teste Geoebrardo, Inferno ex Hebræo respondere vocem *Seol*, quę interdum gehennam, & dãnatorum locum, interdum sepulchrum in sacris litteris significat. Hinc citato Canticorum loco, sepulchrum inferni nomine significari arbitrur. Cõparatur autem sepulchro zelus: 1. quia, sicut sepulchrum sepulta membra consumit; ita zelo zelantes consumi se zelo sentiunt, iuxtà illud Dauidis: *Tabescere me fecit zelus meus*, & Ps. 138. *Super inimicos tuos tabescebam*, idest ex zelo, & dolore consumebar, cùm ab impiis te, Deus meus, offendi cognoscebã. 2. Rabbi Salomon hoc Canticorum loco zeli nomine zelotypiam intelligit, qua amantes laborare solent; & sub hoc sensu zelum Deo tribui in sacris litteris docet, cum Deus zelotes, hoc est zelotypus dicitur, vt Exod. 20. *Ego sum Deus tuus fortis, & Zelotes*. Cui consonat Dionysius docens Deo zelum attribui, & zelotem dici, ad significandum amatorium eius desiderium. Hoc posito, zelus sepulchro comparatur, eò quod, sicut sepulchrum sepultum corpus mortualis arca, & terræ aggere, & superposito lapide celat; ita qui zelo, erga rem amatam afficitur, eam omninò ab omnium conspectu abscondere cupit. Quod aptissimè explicat Hieronymus ad Eustochium virginem dicens: *Zelotypus est Iesus, non vult ab aliis videri faciem tuam. Excuses licet, atque causeris, obducto velamine ora contexi. Itaque, mi Eustochium, filia, domina, conserua, germana, audi Isaiam loquentem: Populus meus intra cubiculum tuum; claude ostium tuum; abscondere pusillum, aliquantulum, donec transeat ira Domini. Foris vagentur virgines stultæ, tu intrinsecus esto cum sponso.*

Infernus id pro Gehenna, tum pro sepulchro sumitur.

Ps. 118. v. 139.

Zelotes cur Deus dicatur.

lib. de diui nis nomin. c. 4. part. 1.

Zelus cur inferno, hoc est sepulchro comparetur?

Isaiæ 26.

27. Væ animæ, erga quam Dominus zelotypus non est: maxima enim spiritualis adulterii, quo cœlestis sponsus offenditur, pœna est; cum erga adulteram animam Deo zelus non est; propterea huiusmodi animæ Ezech. 16 Deus dicit: *Auferetur zelus meus à te. Quasi dicat*, ait Theodoretus, *adhibito supplicio, lasciuiam tuam comprimam, & à cura, quam de te habeo solutus, ac liber ero. Non amplius enim me amatores tui ad Zelotypiam adducent.* Quod si, vt Dionysius ait: *Deus in sacris litteris Zelotes dicitur, eò quod rerum omnium creatarum magno zelo prouidentiam habeat*; profectò peccatur, à quo Deus suum zelum aufert, veluti à creatarum rerum numero excluditur; vt propterea verè dici possit: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus*, & cum Dauide fateri possit ipse peccator: *Ad nihilum redactus sum*. Rursus alio ex capite zelus inferno, hoc est sepulchro comparatur: *Dura sicut infernus æmulatio*, hoc est zelus. Sicut sepulchrum sepultum corpus in exiguum cinerem redigit: ita diuinus zelus erga genus humanum efficit, vt Dei filius suum corpus quamuis integrum, sub panis specie in exiguum sacræ Eucharistiæ orbem redigeret. Quare tantæ clementiæ iuge beneficium admirantes benè cum Isaia c. 9. dicere possumus: *Zelus Domini exercituum faciet hoc*. Hinc etiam Christus Dominus æterno Patri dicit: *Zelus domus tuæ comedit me*: hoc est zelus Ecclesiam cœlestibus gratiis nutriendi, meum corpus fidelibus comedendum apposuit.

Zelo Deum erga aliquē non affici magnum supplicium.

lib. de diuin. nominib. c. 4. part. 1.

Ps. 14.

Ps. 72.

2. Ratio, cur zelus sepulchro cōparetur. Cantic. 8.

28. Porrò, si Infernum gehennam significare velimus; cum dicitur: *Dura sicut Infernus æmulatio mea*, seu zelus, hoc est zelotypia, quæ zelotypiæ cum inferno similitudo est? Respondetur, Infernum hoc habere proprium, vt mortem cum quadam immortalitate coniungat; ne scilicet mors cruciando finem inueniat. Dei autem zelus erga homines effecit, vt Deus homo factus, suę diuinitatis immortalitatem cum nostra mortalitate coniungeret. Ad hoc significandum Ezechiel ductus est in Ierosolymitanum templum, vt videret idolum zeli; propter quod idolum Deus desertus à sua sponsa, nempe à Synagoga, prouocabatur ad æmulationem, & zelotypiam. *Emissa similitudo manus*, inquit Ezechiel, *apprehendit me in cincinno capitis mei, & adduxit me in Ierusalem in visione Dei iuxtà ostiũ interius, quod respiciebat ad Aquilonem; vbi erat statutum idolum Zeli, ad prouocandam æmulationem.* In hac autem visione, quomodo Deus Ezechieli visus est? *Super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper; & vidi, quasi speciem electri, velut aspectum ignis.* In huiusmodi igitur visione, qua Deus prouocabatur ad æmulationem, & zelotypiam; vidit Propheta effigiem hominis sedentis in throno ex electro ignito conflatam. *In electro*, inquit Gregorius, *dum aurum argento miscetur; argentum ad claritatem crescit, aurum verò à suo fulgore pallescit. Quia igitur in vnigenito Dei filio natura diuinitatis vnita est natura nostra; in qua adunatione humanitas ad maiestatis gloriam excreuit, Diuinitas verò à sui fulgoris potentia humanis se oculis temperauit, quasi electrum factum est. Et electrum in igne est Deus factus homo in persecutione*: in persecutione scilicet præsertim idololatriæ; qua ad zelum, seu zelotypiam prouocabatur. Per ignem enim in sacra scriptura Dei zelus significatur iuxtà Psal. 78. *Accendetur velut ignis zelus tuus*: Et apud Ezechielem Deus ait: *In igne Zeli mei locutus sum.* Iungit ergo Infernus cum immortalitate mortem, ad homines cruciandos; Dei æmulatio cum diuina immortalitate nostram vniit mortalitatem, vt homines in æternam libertatem, & gloriam assereret. Rectè igitur dicitur: *Dura sicut Infernus æmulatio.*

Zelus cur inferno, hoc est Gehennæ cōparetur?

Ezech. c. 8.

Cap. 1. n. 26. & c. 8. 2. Deus cur sub hominis imagine ex ignito electro cōflata Ezechieli visus est?

Ezech. cap. 38. 5.

29. Ad quod confirmandum, qualis erat thronus, in quo Dei filius sub humana specie insidebat? Quales erant currus rotę, quo vehebatur? *Quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni. Aspectus rotarum, & opus earum, quasi visio maris: quasi visio hyacinthi*, vertit Symmachus. Tam thronus sapphirinus, quàm rotæ hyacinthinæ cærulei erant coloris. *Hyacinthus cæruleo colore resplendet*, ait Gregorius. Color hic zelotypiæ vulgò tribuitur; idque non immeritò: cæruleus enim inter viridem, pallidumque colorem medius est. Cum autem zelotypia inter viride spei, palloremque timoris versetur, benè ei cæruleus color inter viridem, & pallidum medius tribuitur. Vt significetur ergo Dei filius ex zelotypia erga suam sponsam, hoc est erga humanam naturam ad nos descendisse, cęruleo colore suum thronum, currusque rotas insignire voluit. Quare cum Dei filii sub humana carne aduentum prophetico spiritu præuidisset Isaias dicens: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*, benè subdidit: *Zelus Domini exercituum faciet hoc. Quia coniugis castitatem*, inquit Augustinus, *Zelando viri custodire consueuerunt; illam Dei prouidentiam, per quam præcipitur, atque agitur, ne anima corrumpatur; & Deos alienos sequens quodammodo meretricetur, zelum Dei appellauerunt.*

Cap. 1. n. 16. & n. 26.

Greg. 15. Mor. c. 22.

Hyacinthinus color cœlestis est iuxtà Hesychiū Leuit. 8. & Iosephum de tunica hyacinthina sacerdotii.

Cæruleis rotis vectus cur Dei filius Ezech. visus est? Cæruleus color cur zelotypæ tribuitur?

lib. 83. q. quæst. 52.

30. Quare, cum tanto zelo erga humanam naturam Deus homo afficiatur, eodem erga propriam animam nos affici oportet. Benè igitur monet Ambrosius: *Non solùm locum Ecclesiæ Zelare debemus; sed hanc quoque interiorem in nobis domum Dei, ne sit domus negotiationis, aut spelunca latronum. Si enim lucra, quæstus pecuniæ, & emolumenta aucupemur, domum negotiationis fecimus. Si inuadamus alienas possessiones, fines viduæ, vel minorum, fecimus speluncam latronum. Veniat ergo Verbum Dei, & de hac domo proijciat fures, direptores, caupones, vt mundum sit cor tuum, pectus tuum.* Qualis prætereà esse debeat zelus, qui erga proximos est exercendus, inde docemur; quòd per ignem sanctus Dei zelus significatur, vt supra Psal. 78. *Accendetur velut ignis zelus tuus.* Ignis hoc habet proprium, vt solidis metallis auro, vel æri, vel ferro ita suum ardorem communicet; vt eis concolor, & veluti omninò similis, & par videatur. E contrario circa alia, quæ huiusmodi metallorum soliditatem non habent, talem adhibet ignis efficaciam; vt ea protinus comburat, & destruat. Similiter Sanctus, & discretus Dei zelus efficit, vt superior bonos erga subditos, veluti æqualem se exhibeat: contra verò erga præuaricantes instar ignis iustæ punitionis adhibeat efficacitatem. Quòd egregiè Gregorius explicat: *Sit rector benè agentibus per humilitatem socius; contra delinquentium vitia per Zelum iustitiæ erectus; vt & bonis in nullo se præferat; & cum prauorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat. Quatenus & honore suppresso, æqualem se subditis benè viuentibus putet; & erga peruersos iura rectitudinis exercere non formidet.* Rectè igitur de sancto zeli igne cum Ambrosio, dici potest: *Bonus ignis, qui calefacere nouit, nescit exurere nisi sola peccata. Hoc igne aurum probatur; fœnum autem, & stipula consumitur.*

In Ps. 118. v. 139.
Cordis domus interior, non solùm templi, ne profanetur curandum est.

Zelus erga proximos cur igni similis esse debeat?

In Pastor. 2. p. c. 6.

A

B

C

31. Porrò ad proximorum salutis zelum significandum ad Gal. 4. dixit Apostolus: *Filioli mei, quos iterùm parturio.* Mulieres maximè prægnantes zelotypia laborare docet Galenus in definit. Medicis. Apostolici viri, qui spiritualiter filiolos animas Deo parere debent, præ cæteris maximè diuini zeli stimulis debent vrgeri.

Zelotypia mulieres grauidæ maximè laborant.

32. Ad extremum reperio sacræ Scripturæ interpretem, alioquin non imperitum, qui ad zeli commendationem asserit zelum esse peculiare Dei donum; ad quod probandum affert Dei verba apud Ezech. *Ponam Zelum meum in te.* Sed reuera citatum Ezechielis testimonium non est ad rem: ibi enim zelus non ponitur pro studio, & vehementi affectu diuini honoris; iuxtà quam acceptionem verè est eximium Dei donum: sed per metonymiam ponitur pro vindicta; significatur enim effectus per nomen causæ: nam ea Dei zelo, hoc est zelotypia erga humanam naturam vindicta prouenit in diuinæ legis transgressores. Cum ergo à Deo dicitur: *Ponam Zelum meum in te*, sensus est: Exercebo contra te indignationem, & vltionem ex meo zelo prouenientem. Quod patet ex sequentibus verbis *Nasum tuum, & aures tuas præcident; & quæ remanserint, gladio concident.* His verbis Deus alloquitur Iudaicam gentem, quæ idololatrando cœlesti sponso adulterii iniuriam inferebat: *Fornicata es post Gentes, inter quas polluta es in idolis earum.* Quare ad meritam adulteriis pœnam significandam dicitur: *Nasum tuum, & aures tuas præcident.* Quod scilicet ex iusto Dei iudicio Ægyptii exequentur; apud quos lege sancitum erat, vt adultera naribus mutilaretur.

D

cap. 23. n. 25.
Zeli falsa interpretatio refellitur.

E

Adultera naribus, & auribus mutilanda.

Ezech. ibid.

A tur. Præciduntur etiam eidem adulteræ aures, eò quòd cœlesti sponsi vocem non audierit, dicentis: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Præterea iure optimo mutilatur huiusmodi adultera naribus, & auribus; eò quod simulacra Gentium adorauerit. *Quæ aures habent, & non audient; nares habent, & non odorabunt. Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.* Similes scilicet, malum habentes auditum præcisis auribus; malum habentes odoratum præcisis naribus.

Ps. 44.

Ps. 113.

33. Contra adulterii suspectos sacrificium illud offerebatur, de quo dicitur Num. 5. *Si spiritus Zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam, adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro illa. Non fundet super eam oleum, neque imponet thus, quia sacrificium Zelotypiæ est.* Cum in aliis similibus oblationibus thus, & oleum offerretur, iuxtà Leuit. 2. *Anima, cum obtulerit oblationem sacrificij Domino, simila erit eius oblatio; fundetque super eam oleum, & ponet thus:* Cur ergo in zelotypiæ sacrificio thus, & oleum non admittitur? Oleum mysticè misericordiam significat, iuxtà Bernard. in illud Cantic. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* Thus piam orationem significat iuxtà Dauidem: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Quare si zelotypia vt corporalis adulterii vindex, misericordiam, & orationis intercessionem excludit: multò magis timendum est, ne Sanctorum intercessionem, diuinamque misericordiam zelotypia tamquam vltrix spiritualis adulterii excludat. Valde ergo C diuina illi comminatio est metuenda: *Ponam Zelum meum in te.* Similiter metuenda sententia est, qua Deo peccatorum vindici Psal. 78. dicitur: *Accendetur velut ignis zelus tuus.* Vbi bene Halberstacensis Episcopus ait: *Indignatio pro peccatis accenditur velut ignis, qui quamdiu materiam inuenit, non deficit.* Quoniam verò in hac, & in altera vita peccata semper in impœnitentibus peccatoribus diuina indignatio reperit, ideo contra eos iustissimè Deus ait Deut. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: & ardebit vsque ad inferos deorsum*, legit Gregor. 18. mor. cap. 12. vbi addit: *Flagella ab hac vita inchoant, & in æterna percussione perdurant; quia percussio hic cœpta, illic perficitur; vt in incorrectis vnum D flagellum sit, quod temporaliter incipit, sed in æternis supplicijs consummatur: quatenus iis, qui omnino corrigi renuunt, iam præsentium flagellorum percussio sequentium sit initium tormentorum.*

Zelotypiæ sacrificium cur oleũ, & thus non admittebat.

Ps. 140.

Ezech. c. 23. n. 26.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?

34. Cum, vt supra dictum est, Dominus negotiatores omnes de templo eiecisset; Scribæ, & Sacerdotes, quia negotiationibus illis consentientes, lucrique participes erant, E quæsierunt à Domino, qua potestate templi curam aliis destinatam tàm ardenter ipse susciperet? Si enim à Deo commissa potestate id faceret, potestatem talem diuinitus datam, miraculo comprobandam esse contendebant. Hoc autem in secunda negotiatorum è templo eiectione Matthæi cap. 21. quærere omiserunt; quia secunda eiectio fuit propè passionis tempus; cum iam Domini plurima miracula visa fuerant. Sed ante hanc primam eiectionem solùm conuersionem aquæ in vinum à Domino factam legimus; quæ

cùm in priuata domo fuerit, & in Chana Galilææ, Ierosolyma procul, poterat à Scribis, & Sacerdotibus vel ignorari, vel negari. Dicendum tamen est Iudæos à Domino iniquè miraculum petiisse. Primò, quia nullo viso miraculo, sed sola vitæ sanctitate inspecta, Ioanni Baptistæ talem venerationem exhibuerunt, vt eius increpationes patienter audierint; & an Messias esset dubitantes, *Miserint ab Ierosolymis Sacerdotes, & Leuitas, vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est Ioannes: Non sum ego Christus.* Ideoque Iudæi numquam turbas, & Pharisæos prohibuerunt, ne ad Ioannis baptisma concurrerent, eique sua peccata confiterentur: *Exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem; & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Sicut igitur sanctitas Ioannis, ita Christi sanctitas ex ipso aspectu, & vitæ fama se manifestans Iudæis pro miraculo esse debebat. Secundò ad probandam Christi potestatem diuinitus datam, benè sufficere poterat Ioannis testimonium illud de Christo in magna hominum frequentia prolatum. Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei: Ecce qui tollit peccatum mundi. Vidi Spiritum descendentem, quasi columbam de cælo, & mansit super eum: Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Tertiò cum ementes, & vendentes flagello è templo eiectos nulla vi restitissent; & Christo Domino nec nobilitate, nec senectute apud eos venerabili non repugnassent, hoc profectò pro miraculo satis esse Iudæis poterat.

[Margin: Iudæi à Christo iniquè miracula petunt. — Ioan c. 1. — Matth. 3.]

Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

35. Mirum est, quòd horum verborum, quæ per calumniam mutarunt, post triennij spatium Iudæi recordati fuerint; cùm scilicet passionis tempore coram Caipha Dominum accusantes falsi testes dixerunt: *Hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud:* & rursus in Caluariæ monte, cruci affixo Domino Iudæi improperarunt: *Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas.* Falsi profectò testes testimonium illud protulerunt: quia quod Christus dixerat, ipsi malo animo, & diuerso sensu, & aliis verbis testati sunt. Christus enim non locutus fuerat de materiali Ierosolymitano templo, sed de templo corporis sui; quod quidem poterant Iudæi intelligere; credi enim debet, Dominum manuum gestu, proferendo verba illa seipsum demonstrasse; nullo autem modo Ierosolymitanum templum indicasse. Secundò, non dixit: *Possum destruere templum Dei:* sed: *Soluite templum hoc:* quæ verba non sunt præcipientis, sed permittentis, & præscientis: quasi diceret: Permitto vos soluere templum hoc, idest me occidere, vt explicat Cyrillus. Hoc modo testium falsitas explicatur ab Origene, Chrysostomo, Hieronymo, Beda, Theophylacto, & Euthymio. Tertiò, falsi testes erant, cùm dicerent: *Nos audiuimus eum dicentem: Ego dissoluam templum hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactum ædificabo.* Credibile enim est illos non audiisse tunc Dominum

[Margin: Matth. cap. 26. n. 61. — Matt. c. 27. n. 40. — Iudæorum testium falsitas. — In Ioan. 2. c. 32. — Marci 14. 58.]

A num loquentem, sed potius huiusmodi testimonium à Pharisæis eos subornantibus relatum accepisse. Quod si verè eos audiisse dicimus; adhuc falsi testes erant dicentes Dominum locutum fuisse de dissolutione templi manufacti; si enim ita Dominus esset locutus, non intellexissent discipuli de templo corporis Christi; quod certè manufactum templum non erat, sed diuinitus intra Virginis vterum efformatum.

36. Porrò adeo tenaci memoria multo post tempore Domini verba retinuerant Iudæi; quia quod ad alium finem exoptauerat Iob, ipsi Domini verba ex odio, stylo ferreo in silice sculpta

B seruauerant: in silice scilicet proprii cordis: non enim ex eorum numero erant, quibus à Domino per Ezechielem dicitur: *Auferam cor lapideum de carne vestra.* Benè igitur de Iudæis, Christum Dominum persequentibus, vaticinatus est Ieremias 17. *Peccatum Iuda*, hoc est odium in Dei Filium, *scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino.* Quænam est hæc adamantina lamina instar vnguis læuigata? Subdit Propheta: *Super latitudinem cordis eorum.* Super latitudinem cordis eorum, dixit, vt significaret, eorum cor vndequaque odii scelere occupatum.

[Margin: Ioan. 2. 21. — Iudæi ex odio, Christi verba memoria retinebant. — Iob. c. 19. 24. — c. 36. n. 26. — Ob leuitatem vnguis appellari docet Hieronymus.]

37. De triduo inter Domini mortem, & resurrectionem plura dicta sunt Feria 4. post Domin. 1. Præterea audi Isidorum Pelusiotam lib. 2.

C epist. 112. *Si debitorem aliquem, qui se creditori suo post tres dies debitam pecuniam persoluturum promisisset, ante præstitutum diem soluisse conspexerimus; vtrum tandem eum vt mentientem condemnabimus; an potiùs vt promissi fidem magis explentem admiratione prosequemur? Equidem ipse hoc posterius existimo, & vos quoque. Quid igitur absurdi est, si Christus cum se tertia die resurrecturum dixisset, citius tamen à morte ad vitam rediit; tum vt suam potentiam conspicuam redderet; tum vt custodes examinaret, ac Iudæorum ora comprimeret? Oportebat quippe assidentibus, & custodientibus satellitibus resurrectionem fieri. Nam si ex actis*

D *diebus, ac remotis custodibus extitisset, suspicionem habitura res erat. Quod si ad exactam huius quæstionis explanationem descendendum est illud dixerim. Tertio die resurrecturum se dixit. Habes parasceuen, habes sabbatum vsque ad solis occubitum. At post sabbatum resurrexit, attacto quidem vtroque die, medio autem expleto, atque confecto. In tribus autem diebus resurrecturum se dixit, non autem post tres dies. Soluite namque templum hoc, inquit, & in tribus diebus excitabo illud. Atque item Propheta vaticinatus his verbis vtebatur: Tunc mors lugebit, fortiore morte deuicta. Sanabit nos post duos dies; & in tertio resurgemus, ac viuemus in eo. Quòd si tres dies, ac noctes nobis obijciant, illud asseruerim, quod hoc ipso, quòd eas attigerit, id quod pollicitus fuerat, impleuerit.* Quod Isidorus pergit

E exemplo apertissimo comprobare.

[Margin: Oseæ c. 6. 3.]

Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc; & tu in tribus diebus excitabis illud?

38. Templum Ierosolymitanum à Salomone ædificatum, postea vel totum, vel ex parte dirutum, reædificatum à Zorobabele, vt patet Esdræ 1. cap. 13. Iterum dirutum, secundò restauratum est à Simone Oniæ filio, vt dicitur Ecclesiastici 50. Tertiò reædificatum est ab Herode Ascalonita, teste Iosepho lib. 15. antiquit. cap. 14. Salomon incipiens anno quarto

[Margin: Ierosolymitanum templum ter dirutum, & instauratum.]

Ierosolymitani tépli ædificatio quomodo 46. annos durauerit. Hic, & sequentibus.

regni, post septem tantùm annos, totidemque menses templi fabricam absoluit, vt colligitur ca 3. Regum cap. 6. ideo non videntur hinc à Iudæis primæ Ierosolymitani templi ædificationi quadraginta, & sex anni tribui. Propterea interpretes, vt hos quadraginta, & sex annos inueniant, ad alias posteriores reædificati templi fabricas confugiunt. Ex quibus aliqui asserunt Herodē anno regni decimo octauo templum instaurare cœpisse iuxta Iosephum supra citatum, & Christum Dominum sub regnantis Herodis annum trigesimum quintum natum esse. Quare cum ab initio templi ab Herode instaurati, vsque ad Domini natiuitatem sedecim anni præterierint; quibus additis 30. annis ætatis Christi, cum prædicare cœpit, anni 46. reperiuntur. Supponit autem hæc sententia ipso anno Christi trigesimo, etiam in templi constructione, & ornatu non intermisso laboratum esse; quod cum non probetur, neque huius mentio in nouo testamento reperiatur; verisimile non videtur. Verisimilitudo autem maximè minuitur ex eo, quòd tunc octodecim hominum millia in Templo laborasse allata sententia asserit. Tanti autem laboris impensæ, & tanta erga templum pietas iniquis, & auaris illius temporis pontificibus, & sacerdotibus, & Herodi congruere non videntur.

39. Secundò, aliqui asserunt Zorobabelem Templum à Chaldæis combustum reædificasse anno primo Cyri Persarum regis post reditum à Babylonica captiuitate vsque ad annum sextum Darii Histaspis, quod spatium 46. annorum fuisse docent. Sed contra benè probat Cornelius, Cyrum anno vigesimo sexto sui regni, & absolutæ monarchiæ anno primo, Iudæos liberos dimisisse; iisque reædificandi templum potestatem dedisse; templumque absolutum esse anno sexto Darii. Quod spatium quindecim tantùm annorum fuit,

40. Quare sistendo in prima templi ædificatione, in ordine ad eam construendam, & absoluendam 46. annos reperire debemus. Vt hoc temporis spatium habeatur, quod de Noë arcæ constructione, similiter de Templi fabrica est dicendum. Noë cum à Deo de arca construenda mandatum accepit, quingentos iam annos vixerat, vt patet ex fine cap. 5. Genes. diluuium autem fuit anno Noë sexcentesimo, vt patet ex initio cap. 7. Hinc communis sententia asserit centum annos ad arcam absoluendam præteriisse. Qui tamen centum anni non ita sumendi sunt, vt ex eo tempore eorum initium sumatur, quo ligna simul nectere Noë cœpit: ad hoc enim Noë multo breuius tempus impendit: sed ex eo, quo ligna cædi; & læuigari, & bitumen apparari cœptom est. Similiter ad reperiendum 46. annorum numerum, non à prima Templi fundatione initium est sumendum; sed ex tempore illo, quo ad Templum fundandum, erigendum, & ornandum apparatus fieri cœpit. De quo apparatu dicitur 1. Paralip. cap. 22. *Præcepit Dauid, vt congregarentur omnes proselyti de terra Israel, & constituit ex eis latomos ad cædendos lapides, & poliendos, vt ædificaretur domus Dei. Ferrum quoque plurimum ad clauos ianuarum; & ad commissuras, atque iuncturas præparauit Dauid; & æris pondus innumerabile. Ligna quoque cedrina non poterant æstimari, quæ Sidonij, & Tyrij deportauerant ad Dauid.* Quare aduocato filio Salomoni Dauid dixit: *Præparaui impen-*

Dauid quãtū argenti, & auri, reliquique apparatus cõgesserit ad templi fabricam.

Ibidem.

A *sas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris verò, & ferri non est pondus; vincitur enim numerus magnitudine: ligna, & lapides præparaui ad vniuersa impendia.* Idem Dauid cap. 29. ait: *Ego totis viribus meis præparaui impensas domus Dei mei: aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea; ferrum in ferrea: ligna ad lignea: & lapides onychinos, & quasi stibinos, & diuersorum colorum, omnemque pretiosum lapidem, & marmor Parium abundantissimè. Et super hæc, quæ obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum, & argentum, do in Templum Dei mei, exceptis his, quæ præparaui in ædem sanctam. Tria millia talenta auri de auro Ophir: & septem millia talentorum argenti* B *probatissimi.* Quorum vltimorum verborum sensus est: Præter ea, quæ ex hostium spoliis, regnisque subactis ad Templi fabricam præparaui; quæ constituunt centum millia talentorum auri, & mille millia talentorum argenti, vt dictum est citato cap. 22. insuper in eamdem Templi fabricam ex meo peculio, do ea, quæ iam pridem dare voui, nempe tria millia talentorum auri præstantissimi. Porrò cum Dauid dixit Prophetæ Nathan 1. Paralip. cap. 17. *Ecce ego habito in domo cedrina, arca autem fœderis Domini sub pellibus est:* Credibile est id non tum primùm, sed multò ante secum perpendisse; ideoque credi debet piissimum Regem non multò post regnandi initium, aurum, argentumque colligere cœ- C pisse; quo pietatis, gratique animi erga diuinam beneficentiam monumentum, Templumque excitaret, & exornaret. Cumque Dauid aduersus hostes multa bella gesserit, multasque opes in militibus alendis insumpserit; ideò præter bellicos sumptus, ad colligenda tot auri, argentique talentorum millia, eum plurium annorum spatio indiguisse dicendum est. Cui annorum spatio si addantur vndecim anni regni Salomonis, post quos Templum absoluit, facilè 46. anni reperiuntur; qui scilicet à primo ad Templi fabricam apparato vsque ad eiusdem finem vltimum præterierunt. Probabile est autem hunc annorum numerum ad venerationem erga Tem- D plum excitandum traditione Maiorum ad posteros fuisse transmissum.

Ille autem dicebat de templo corporis sui: Cùm ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat; & crediderunt Scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus.

41. DE immortali, & æterna Christi resurgentis vita post acerbissimam passionem iuxtà Rupertum quærit Isaias cap. 53. *Generationem eius quis enarrabit, quia abscissus est de terra viuentium?* Isaiæ autem quærenti hanc Christi generationem, *Quis enarrabit?* E Enarrabunt Apostoli, respondetur: qui eam ex Scripturis creditam, visuquè comprobatam, aliis firmissimè credendam promulgarunt. Inter sacræ Scripturæ de Christi resurrectione testimonio est illud Psalm. 15. quod proferens Petrus Apostolus Actor. 2. Iudæis de Dauide dixit: *Propheta cum esset prouidens, locutus est de Resurrectione Christi; quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem: Notas mihi fecisti vias vitæ*, eodem Psalmo æterno Patri Christus Dominus dixit. Vbi benè Ambrosius ait: *Hoc vtique in resurrectione ex persona dicitur Saluatoris; qui dum post mortem ab inferis redit ad superos, incipit*

Ambros. ser. 74.

notam habere viam vitæ, quæ antea habebatur ignota. Ignota enim erat ante Christum via vitæ, quæ nullius adhuc resurgentis fuerat temerata vestigio. At vbi Dominus resurrexit, nota facta, sole attrita est plurimorum. De quibus sanctus Euangelista ait: Multorum corpora Sanctorum resurrexerunt cum eo. Idem Psalm. 15. testimonium de Christi resurrectione affert S. Paulus cap. 13. Actor. n. 35. & n. 33. ex Psal. 2. vbi æternus Pater Christo ad immortalem vitam rediuiuo ait: *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Quæ verba de Christi resurrectione loquens addidit Dauid, cum ante de eius passione dixisset: *Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Porrò, quia scripturæ regula est, quòd interdum aliquid fieri dicatur, non cùm primùm est, sed cùm primùm innotescit; ideo cum æternus Pater ait: *Ego hodie genui te*: sensus est: Hoc præsenti Euangelicæ legis tempore, vt tua resurrectio, & regeneratio diuinitus facta, humano generi nota esset, effeci.

Matth. 27.

Fieri aliquid dicitur, cum innotescit.

Cum autem esset Ierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa quæ faciebat.

42. IN illa Iudæorum propter Paschale festum frequentia, multa miracula Christus Dominus operatus est: quæ quia ab Euangelista Ioanne non narrantur; ideo idem Ioannes in sui Euangelii fine addidit: *Sunt alia multa, quæ fecit Iesus; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Quamuis enim scriptores in quemlibet numerum libros multiplicarent, adhuc numerum diuinarum Christi actionum, quippe quæ theandricæ sunt, singillatim iuxtà earum præstantiam explicare nequirent. Nam vt benè S. Leo ait: *Excedit humani eloquij facultatem diuini operis magnitudo.* Cumque Christus omnia, quæ ad humanam salutem operabatur; iuxtà futurorum omnium, & circumstantiarum præscientiam, & prouidentiam fecerit; Quis futura omnia, eorumque circumstantias per singula scribendo æquare posset? Præterea, cum mundum libros capere non posse Euangelista dixit; mundum intellexit vsualem, ciuilem, & ad libros recipiendos aptum; non autem rudem, & incultum, & non habitatum.

Miracula Christi quàm multa, & magna fuerint.

Ser. 9. de Natiuit.

43. Porrò Paschatis tempore plures ex Iudæis ab ignorantiæ, & incredulitatis tenebris ad fidei lumen, salutisque viam Dominus traduxit; ita vt eum miracula multa operantem, verum Messiam esse crediderint. Similiter cum primum Pascha agni comestione Iudæi celebrarunt; eos Deus ab Ægyptiaca seruitute ad promissionis terram eduxit; in qua veræ religionis cultu ipse Deus noscendus, & adorandus erat.

Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis; eo quòd ipse nosset omnes: & quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine.

44. NOn credebat semetipsum eis: *Pronomen eis non demonstrat illos, qui crediderunt in nomen eius; sed in genere illos, qui in solemnitate Paschatis Ierosolymis fuerunt,* ait Caietanus. Puto tamen hoc Euangelistam dixisse de eis ipsis, qui crediderunt; quos quamuis tunc credentes, in suam tamen familiaritatem cum Apostolis Dominus non admisit, benè præscius plures ex eorum numero fore, *qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Quorum fidem, & benè agendi propositum Dominus Matth. 13. & Lucæ 8. significat per semen, quod cadens supra petram, ibi radices, humoremque non habet. Vbi benè Gregorius ait: *Petrosa terra humorem non habuit; quia hoc, quòd germinauerat, ad fructum perseuerantia non perduxit. Multi namque, cum verbum contra auaritiam audiunt, eamdem auaritiam detestantur; rerum omnium contemptum laudant; sed mox, vt viderit animus, quod concupiscat, obliuiscitur, quod laudabat. Multi cum verbum contra luxuriam audiunt, pollutiones carnis non solùm perpetrare non appetunt, sed etiam perpetratas erubescunt: sed mox vt carnis species eorum oculis apparet, sic mens ad desideria rapitur; ac si adhuc ab ea, nihil sit contra hæc eadem desideria deliberatum: ea damnanda agit, quæ quidquid egisse se meminit, iam & ipsa damnauit. Sæpe etiam contra culpas compungimur, & tamen post fletum ad easdem culpas redimus.* Quare bene Sapiens dixit: *Inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia*; sensum scilicet antea vel per pœnitentiam, vel per innocentiam, malitiæ expertem.


Caietani interpretatio refellitur.

Lucæ 8.

Gregor. hom. 15. in Euang.

Sap. c. 4. 12.





FERIA TERTIA

POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Iam die festo mediante ascendit Iesus in Templum, & docebat. *Ioan.* 7.

Euangelij nexus, & ordo.

1. IN hoc Euangelio Dauidis vaticinium Psalm. 55. de Christo Domino prolatum impletur: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis; turbati sunt omnes insipientes corde;* seù, vt legit Hieronymus, *omnes superbi corde.* Cum enim Redemptor noster Euangelica doctrina ab æternis montibus, hoc est à cœlorum sublimitate allata, hominum mentes illuminaret; Iudæi corde insipientes, & superbi turbati sunt. Quare in hac Euangelica historia Iudæorum tum cordis insipientia, tum cordis superbia manifestatur. Ostenditur primò cordis insipientia, cum mirantur. *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Hinc B enim, nisi cordis insipientia obstitisset, illuminandi erant, vt crederent Christum esse verum Messiam, Dei Filium, cum adeo mirabilem, sanctamque doctrinam afferret: ea enim cum non humano studio acquisita haberetur, sine dubio diuinitus communicata credi debebat. Bene enim ait Ambrosius: *Cum sine eruditione litterarum doceas; non quasi homo, sed quasi Deus videtur docere; qui doctrinam non didicerit, sed inuenerit.* Secundo Iudaici cordis insipientia proditur; cum hîc secundùm faciem Iudæi iudicent; non autem merita, & sanctitatem dignoscant: quibus propterea à Domino dicitur: *Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Tertiò, cordis insipientia se manifestat, cum ab iisdem dicitur: *Hunc scimus vnde sit: Christus autem, cum venerit, nemo scit vnde sit.* In quo quidem Iudaica insipientia, fit manifesta; quandoquidem nisi insipientes forent, scire debuissent testimonium Michææ 5. ipsis Iudæis antea notum, vt patet Matth. 2. *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Quare meritò Chrysostomus eos sibi contradicere existimauit, tamquam furore ebrios, & insanos.

Iudæorum insipientia tripliciter manifestatur.

Amb. ep. l. 2. de fide c. 4.

Chrysost. hom. 43.

2. Præter insipientiam Iudaici cordis, superbia hîc ostenditur, cùm ex falso zelo Domini miracula Iudæi calumnientur: *Nonne Moyses dedit vobis legem; & nemo ex vobis facit legem? Mihi indignamini, quia totum hominem saluum feci in Sabbato:* ex superbia enim calumnia oritur iuxtà verba Psal. 118. *Non calumnientur mihi superbi.* Secundo cordis superbia proditur, cum iidem Iudæi per summam impudentiam in Dominum blasphemiam iaciant. *Dæmonium habes; quis te quærit interficere?* Tertio cordis manifestatur superbia, cum Dominum vinctum suæ potestati subiicere quærerent: *Quærebant eum apprehendere.* Quare in toto hoc Euangelio, veluti in martiali campo, conflictus inter Christum Dominum cœlesti doctrina mentes hominum illuminantem, & inter infernas tenebrarum potestates apparet. Ex quo conflictu tandem Redemptoris victoria existit; tum quia aduersariorum audacia cohibetur: *Nemo misit in illum manus:* tum quia Iudæi plures illuminantur: *De turba multi crediderunt in eum.*

Iudæorum superbia triplex.

Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat.

3. CVm Tabernaculorum festi dies celebrarentur, iique septem essent, vt præcipitur Leuitic. 23. 42. Dominus quarto die in templum, vt ibi doceret, ascendit: hoc enim significat Euangelista dicens: *Die festo mediante:* hoc est die medio totius festiui septenarii, qui vtique quartus erat. Tres igitur præcedentes dies Dominus in occulto mansit; non quòd diuina, quæ in eo erat sapientia, ad docendum præuia meditatione, & apparatu indigeret; sed vt Apostolicis viris suo Dominus ostenderet exemplo, priusquam docendi, & prædicandi munus aggrediantur, ipsis longiore meditatione, secretoque cum Deo colloquio opus esse; vt ea, quæ C prædicanda, & docenda sunt, auditoribus feruenter, efficaciter, pièque proponant.

Apostolici viri ante prædicationē pia meditatione se munire debent.

Et mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?

4. MAtth. 3. 7. & Ioan. 1. 23. cum Ioannes Baptista ex eremo veniens, neque antea inter homines visus, turbis ad eum accurrentibus, & Pharisæis ipsis scientiam apprimè profitentibus, pœnitentiam prædicaret; itsque ex sacris litteris testimonium proferret dicens: *Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta:* non propterea admirantes Iudæi dixerunt: *Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?* Quare si D quæratur, cur non de Ioanne, sed de Christo Iudæi hanc admirationem habuerint? Respondetur, non aliunde, quam ex animi nequitia, qua ne Christo populus crederet, suspectam eius doctrinam, quia litteras non didicerat, reddere contendebant.

Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.

5. HÆc verba à Christo Domino, & tamquam vero Dei Filio, & tamquam homine, verè dici potuisse pluribus, & acutè docet August. tom. 3. a. de Trinit. cap. 11.

Cōparatio per negationem interdum exprimitur, negādo scilicet quod in re minus est, affirmādo quod maius.

6. Præter ea, quæ ibi Augustinus docet, ad allatam Domini sententiam benè intelligendam spectat regula desumpta ex Chrysostomo, & Euthymio in Matth. cap. 9. vers. 13. & ex August. 10. de Ciuit. cap. 5. qua docemur in sacra Scriptura sæpè iuxta phrasim Hebræam compa- B rationem, per negationem exprimi; ita vt, quod in aliqua re minus est, negetur; quod potissimum affirmetur. Sic 1. ad Cor. 15. vers. 10. Apost. ait: *Abundantius illis omnibus laboraui; non ego autem, sed gratia Dei mecum*: seu ex Græco textu: *Non ego, sed gratia Dei, quæ mecum est.* Vbi cum iuxta Catholicam fidem contra Lutherum certum sit liberum arbitrium diuinæ gratiæ cooperari debere; Apostolus verbis illis non negat se vllo labore diuinæ gratię cooperatum esse; sed tantùm asserit bonum opus minus sibi; magis verò, & præcipuè diuinæ gratiæ liberum arbitrium excitanti, & adiuuanti esse tribuendum. Similiter intelligenda sunt Apostoli verba 1. ad Cor. 3. *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid; sed qui incrementum dat Deus.* Iuxtà hanc regulam, C cum à Christo Domino dicitur: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me*, comparatiuus, non absolutè negatiuus sensus est; ita vt Dominus significet docere quidem se Euangelicam doctrinam ex vera, quam ipse in se habet, scientia: sed scientiam, adeoque doctrinam illam potissimùm æterno Patri, qui illius præcipuus auctor est, esse tribuendam.

7. Cœlestem ergo doctrinam, quam auditoribus Christus Dominus communicabat, æterno Patri acceptam referebat, non eam ad suam gloriam transferebat; vt nos doceret nostris verbis, & operibus omnibus diuinam gloriam, non propriam esse quærendam. De Redemptore ab D æterno Patre ad nos misso vaticinatus est Isaias:

Cap. 30.

Dominus non faciet auolare à te vltra doctorem tuum; & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum; & aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Ex Hebræo legit Vatablus: *Non alabitur*; idest non auolabit doctor tuus. Quare non auolabit? Quia inani gloria non extolletur: quia humilitatis basi benè fixus, non suam, sed æterni Patris gloriam quęrit. *De omni bono, quod faciunt, idcirco viri sancti, semper laudem Creatori reddunt; vt vera stabilitate persistant in ea virtute, quam acceperunt*, ait Gregor. Propterea hîc subdit Dominus: *Qui à semetipso loquitur*, quasi propriam doctrinam ostentans, *gloriam propriam quærit.* Quare cùm Petrus Apostolus, vt claudus benè E incederet, effecisset: *Apprehensa manu eius dextera, alleuauit eum, & protinus consolidatæ sunt bases illius, & plantæ*: subdidit Apostolus: *Viri Israelitæ, quid miramini in hoc? Aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, & potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus Patrum nostrorum glorificauit filium suum.* Deo miraculi gloriam tribuit Petrus, ne ipse ex humilitatis basi deiiceretur, cum claudo plantarum bases consolidasset. Porrò citato textu subdit Isaias. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum; & aures tuæ audient verba post*

Gloria nostris in operibus Deo tribuatur.

Gregorius Hom. 5. in Ezech. sub finem.

Act. 3.

A *tergum monentis*: Post tergum Iudæos monens Dominus dicitur; eò quod Iudęi Christi monita, veluti terga vertentes aspernarentur, dicentes: *Dæmonium habes. Quasi terga in præceptoris faciem vertimus, cum verba despicimus, cuius præcepta calcamus: & tamen nos vocare non cessat*, ait Gregorius.

Hom 41. in Euang.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.

8. AD Christianæ fidei mysteria, Euangelicamque veritatem cognoscendam, optima via est obedientia, & obsequium erga di- B uinam voluntatem: propterea aiebat Dauid: *Lex Domini immaculata conuertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis, Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Cibus Iustorum est diuina voluntas iuxtà Redemptoris testimonium: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Hoc cibo oculi ad veritatem aperiuntur. Vetiti quidem pomi cibus primorum parentum diuinæ legis transgressorum oculos aperuit: *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile; & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo: qui comedit, & aperti sunt oculi amborum.* Fuit tamen talis cibus infidelis; per illum enim aliud à diabolo promitti videbatur; C aliud verò longè diuersum primi parentes consecuti sunt: promitti videbatur aperiendos esse oculos ad omnimodæ sapientiæ claritatem; & tamen aperti sunt ad propriæ culpæ confusionem. Similiter promitti videbatur scientia boni, & mali; ita vt nihil tamquam Dij Ignorarent: & tamen scientiam boni, & mali consecuti sunt, non alio modo, quàm per priuationem boni, & per miserrimam mali experientiam: *Cum diabolus diceret: Eritis scientes bonum, & malum; hoc moliebatur*, inquit Rupertus, *vt eos habere faceret, & boni perditi memoriam, & mali inuenti experientiam; cum hoc aliud vellet intelligi; quod omnem per illum cibum consecuturi essent scientiam, & nihil eos lateret, quæ profectò scientia solius Dei est.* D *Sub eadem pollicitatione, cum dicitur: Aperientur oculi vestri; hæc*, scilicet mulier, *Sapientiæ altitudinem, ille cogitat conscientiæ confusionem. Item sub eadem pollicitatione scientia boni, & mali, hæc plenitudinem scientiæ; ille cogitat experimentum miseriæ. Molestissimum hoc fallaciæ genus est.* Propterea, vt ab hac infideli diaboli pollicitatione diuinæ legis promissio contra distinguatur, dicitur: *Testimonium Domini fidele. Quemadmodum* (vt Didymus explicat) *nominamus fidelem Deū, quia fide dignus est; & ei fidere tutè possumus propter firmitatem, atque constantiam: sic lex, ac sermo Domini appellatur fidelis; quoniam digna sunt, quibus fides adhibeatur. Testimonium ergo Domi-* E *ni fidele est; sapientiam præstans paruulis.* i. humilibus, non inani superbia tumidis, quales primi parentes fuerunt, per vetitum cibum, serpentisque promissionem Diuinitatem temere affectantes: quales prætetes in hoc Euangelio Iudæi se ostendunt Dominum Pharisaica superbia calumniantes, & blasphemantes; non his enim; sed humilibus sapientiæ veritas elucet: *Vbi est humilitas, ibi est sapientia*, ait Salomon Prouerb. 11.

Ps. 18.

Ioan. 4.

Gen. 3.

Diaboli primos parentes decipientis astutum mendacium.

Gen. 3.

9. Præterea Dauid citato Psal. quo diuinam legem commendat, *Iudicia Domini dulciora super mel, & fauum esse* testatur. Diuinæ voluntatis

Diuina mādata cum iudicia dicantur?

mandata

Iuxta Beda, & Isidori interpretationem Mādata diuina quomodo dulciora super mel, & fauum.

mandata in sacris litteris Iudicia dicuntur; quòd iuxtà eorum caecutionem, vel transgressionem homines iudicandi sint. Hæc autem Dei mandata verissimè *super mel, & fauum dulciora* esse dicuntur. Nam si Ionathas, cum parum mellis gustasset, oculos aperuit, qui præ inedia, & prælii defatigatione caligauerant, & penè defecerant. *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis; & conuertit manum suam ad os suum; & illuminati sunt oculi eius:* multò magis Iusti obtemperando diuinis mandatis melle dulcioribus, velut mellea diuinæ voluntatis dulcedine gustata, mentis oculos illuminant; vt fidei mysteria cognoscant. Benè igitur Dominus, ait: *Si quis voluerit voluntatem eius, qui misit me, facere; cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar.*

1. Reg. 14.

10. Porrò, cùm Ionathas mel gustasset, significatum ei est, gustato melle transgressum eum esse patris mandatum: *Iureiurando constrinxit pater tuus populum dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie.* Cur autem pro eodem in hac historia panem, & mel accipi reperimus? Quoad litteram respondeo primò in sacra Scriptura panem pro quolibet cibo sumi: dixit enim Dauid Miphiboseth Ionathæ filio: *Tu comedes panem in mensa mea semper:* & tamen certum est in mensa regia cibos alios lautissimos præter panem fuisse appositos.

1. Reg. 14. Panis pro quolibet cibo sumitur.

2. Reg. 9.

11. Respondeo secundo quoad mysticum sensum, panem, qui simul mel dici potest, significare cœlestem panem Eucharistiæ: cum enim Dominus post resurrectionem vnà cum discipulis panem simul, & fauum mellis comedisset, ait Gregor. *Dominus in fauo mellis vtramque naturam exprimi voluit personæ suæ. Fauus quippe mel in cera est; mel verò in cera est diuinitas in humanitate. Prætor fauum comedit, & panem; pane nos reficis ex diuinitate, qui ait; Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Huius panis comestione aperiuntur oculi, ad diuina mysteria cognoscenda: *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Benè igitur in hunc locum ait August. *Ne quisquam se Christum agnouisse arbitretur, si eius corporis particeps non est; idest Ecclesiæ; cuius vnitatem in Sacramento panis commendat Apostolus, dicens: Vnus panis, vnum corpus multi sumus; vt cum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, & agnoscerent eum.* Similiter ait S. Leo: *In fractione panis conuescentium aperiuntur obtutus, Multò feliciùs eorum oculis patefactis, quàm illorum generis nostri Principum, quibus præuaricationis sua est ingesta confusio.* Ad huius igitur cœlestis cibi conuiuium fideles accedant, obtemperando diuinæ voci, eos inuitanti: *Comedi fauum cum melle meo. Bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi.* Sic ad diuina mysteria cognoscenda illuminabuntur iuxtà Dauidem dicentem: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Benè igitur Dominus ait: *Si quis voluerit voluntatem eius, qui misit me, facere, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar.*

Ioan. 21. Luc. 24. Ioan. 6. Eucharistiæ cœlesti cibo manducantibus oculi ad diuina mysteria cognoscenda aperiuntur. Hic, & sequen. *Luca 24. l. 3. de cōsensu Euangelist. c. 25. 1. ad Cor. c. 10. Serm. 3. de Ascensione. Cantic. 5. Ps. 33.*

12. De Dei filio sub humana carne nato dicitur ab Isaia cap. 7. *Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. Hisce verbis,* inquit Tostatus, *significat Isaias, quòd*

Cap. 7. Tract. in verba Isaiæ Ecce Virgo concipiet.

Christus qua homo, futurus sit valdè prudens, & intelligens; & ad huius indicium additur esus mellis, & butyri, quæ solent homines facere valdè acutos, & intelligentes. Cui sententiæ suffragari videtur sapiens Prouerb. 24. *Comede fili mi mel, quia bonum est; & fauum dulcissimum gutturi tuo. Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ, idest, sic senties sapientiam in anima tua,* iuxtà 70. Quare August. ait: *Mel sapientia est, primatum dulcedinis tenens in escis cordis.* Porrò quicquid sit de efficacitate mellis, & butyri, an ad sapientiam acquirendam valere dictum fuerit ab Isaia: Certum est Christum Dominum, veluti cœleste mel, & butyrum datum nobis in cibum humanam mentem ad diuina mysteria cognoscenda illuminare. Quare Gregor. in illa verba Iob: *Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri,* ait: *Cum summi Patris Vnigenitus nos dulcedine diuinitatis suæ, & mysterio Incarnationis repleuerit, melle nos pariter, & butyro satiauit. Isti fluminis riuuli torrentes mellis simul, & butyri esse memorantur; quia de cognitione Dei alta mentem suauitate reficiunt.* Cum igitur diuina vox ad cœleste Eucharistiæ conuiuium nos inuitet: *Comede, fili mi, mel; comedite amici, & bibite:* obtemperemus diuinæ voluntati: & hoc modo ad diuina mysteria cognoscenda illuminabimur. Benè igitur in hoc Euangelio Dominus ait, diuinæ voluntatis executione humanæ mentis illuminationem acquiri.

Augustinus in Psal. 80. 15. Mor. c. 10. Iob 20.

13. Verissimè de diuina lege, Dei voluntatem nobis manifestante, pronunciatur: *Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Præceptum Domini lucidum.* Quod præcipuè de Euangelica lege debet intelligi; in qua, teste Matth. cap. 13. impletum est, quod dictum erat per Prophetam: *Aperiam in parabolis os meum: Eructabo absconditа à constitutione mundi.* Ad id confirmandum, in parabola, qua à patrefamilias varii operarii ad vineam suam excolendam mittuntur; operarii illi diuinæ legis promulgatores significant, à quibus fidelium multitudo ad diuina præcepta seruanda exculta est. Operarii autem, qui primo mane, & tertiâ hora mittuntur, veteris testamenti doctores, & Prophetas significant: per eos verò, qui mittuntur sexta hora, & deinceps, Euangelicæ legis Prædicatores significantur. Si verò quæratur, cur hora sexta ad Euangelii promulgationem pertineat? Respondet Cyrillus Alexand. hoc dici ad significandam maiorem diuinæ legis illuminationem, per Euangelium hominum mentibus esse diffusam; quandoquidem hora sexta meridiana est, quæ scilicet largiori luce Sol supra terram irradiat. Propterea de Dei Filio, iustitiæ Sole dicitur: *Visitauit nos oriens ex alto:* cum enim Sol non ex Orizonte, sed ex alto cœlo terras illuminat; tunc meridies est, adeoque vberior solaris lucis effusio. Quare peculiariter de Euangelica lege dictum esse putat Cyrillus. *Præceptum Domini lucidum:* & de Euangelicæ prædicationis tempore fuit vaticinium Isaiæ 58. *Orietur in tenebris lux tua; & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.*

Ps. 18. Ps. 77. Matth. 20. Operarii ad excolendā vineam sexta hora vocati cur Euāgelicos Doctores significant. *Cyrillus in orat. de parabola vineæ. Luc. 1.*

Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in eo non est.

14. COelestem doctrinam ab æterno Patre communicatam, veramque fidem auditoribus à se proponi, firmo satis argumento Christus Dominus probat dicens: *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit*, &c. Similiter affectando humanam gloriam, veræ fidei illuminationem impediri Dominus supra docuit, cùm Iudæos alloquens dixit: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis; & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* De quo textu acutè disserit Caiet. Ientaculo.

Ioan. c. 5. 44.

Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere?

15. IN allatis verbis dilemma continetur, quo sic Dominus in suos arguit aduersarios: Me, cui mortem inferre quæritis, vel vt transgressorem legis, vel non vt talem habetis. Si non vt transgressorem, *quid me quæritis interficere?* Contrà verò si in me tamquam legem transgredientem ex ipsius legis zelo inuehimini; cur ex eodem zelo vos ipsos Mosaicam legem transgredientes corrigere non satagitis?

16. Porrò cum intra se Iudæi mortem Domini inferre cogitarent, dicens eis Dominus: *Quid me quæritis interficere?* prauas, & occultas Iudaici cordis machinationes cognoscere, adeoque Dei Filium se esse demonstrat. De humano enim corde Deus ait apud Ieremiam 17. *Prauum est cor omnium*, idest præ omnibus; *& inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor.* Rectè ait Bernardus. *Conscientia hominis abyssus multa. Sicut enim abyssus exhauriri non potest; sic cor hominis à cogitationibus suis euacuari non potest, sed continua volubilitate in eo voluuntur: Mare magnum, & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus. Sicut enim reptile latenter repit, & sinuosis anfractibus huc, & illuc deambulat; ita conscientiam hominis venenatæ cogitationes intrant, & exeunt; vt nesciat homo, vnde veniant, aut quò vadant. Hoc benè cognouerat, qui dicebat. Prauum cor hominis, & inscrutabile; & quis cognoscet illud?* Hoc mare quicumque præter Deum nauigare ausus fuerit, ad iustitiæ scopulos allisus naufragabitur. Quare, sicut, maris elementum Christum Deum esse indicauit, cum per illius vndas sicco vestigio Redemptor incessit; *Mare*, inquit Gregor. *Deum cognouit, quia sub plantis eius calcabile se præbuit*: ita Iudæi Christum verè Dei Filium credere debuissent, cum & humani cordis cogitationes, & versutias, veluti maris vndas peruias esse cognoscerent. Quod vel Ethnici ipsi naturali lumine cognouerunt, testante Seneca: *Nihil Deo clausum est: interest animis nostris, & cogitationibus medijs interuenit.*

Cor humanú abyssus, & pelagus soli Deo scrutabile.
Bernard. de interiori domo c. 44.
Ps. 103 25.
Greg. hom. 10. in Euág.

Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes. Quis te quærit interficere?

17. COntumelia hæc in Dominum prolata à Iudaici cordis superbia prodiit. *Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia*: ait Sapiens Prouerb. 11. Plutarchus in Moralibus, superbum nimbo ventorum impetu coacto similem esse docet; eò quòd superbiæ oribus pro tonitruis, & fulminibus contumelias iaculetur. Cum nimbus tonitrua, & fulmina euibrat, sæpè aliis innoxius est; se autem semper lacerat, & disrumpit. Sic superbum cor sæpè in alios irrito conatu contumelias iacit; cum iusti superborum contumeliis non lædantur: contra verò contumelias iaciendo superborum cor furore disrumpitur. Propterea Sap. 4. dicitur: *Inflatos*, hoc est superbia tumidos, *disrumpet Dominus*.

Superbia cur fulmineo nimbo cóparetur.

Respondit Iesus, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini.

18. CVr vnum opus fecisse se Dominus dicit, cum Ioan. 10. dicat: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo?* Præterea cur obiurgantur turbæ, quòd Domini opus admirentur; cum Dauid dicat: *Tu es Deus, qui facis mirabilia?* Pro solutione notandum est primo in sacris litteris copulatiuam particulam; *Et*, interdum esse particulam causalem, & æquiualere particulæ, *Propterea*, vt Lucæ 24. *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam*, idest, propterea in nomine eius pœnitentiam prædicari. Similiter Ioann. 4. *Spiritus est Deus; & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate, oportet adorare*, idest, propterea in spiritu, & veritate oportet eum adorare. Ioann. 5. *Sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est*; idest, propterea iudicium meum iustum est. Secundo notandum est ex Chrysost. mirari hîc in malam partem accipi, & significare perturbari, tumultuari: ita vt admiratio sit, tamquam de re insolenti, & detestanda. His positis allatæ sententiæ sensus est: *Vnum opus feci*, scilicet paralyticum Sabbati die curaui; de quo dicitur cap. 5. propter hoc opus peculiariter vos turbamini, & in me contumelias iacitis, & interficere quæritis, quasi Sabbatum violauerim, opus seruile exercendo.

Ps. 76.
Particula copulatiua & interdú causalis est.
Hom. 46.

19. Obiicere possent Iudæi, non tam scandalizari, quod paralyticus Sabbato curatus fuerit; sed quod Sabbato Christus à paralytico grabatum portari iusserit: *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Ad quod respondetur ex Christi mandato paralyticum grabatum tulisse, non ad seruile opus exercendum; sed vt miraculum, diuinitus factum, ad Dei gloriam promulgaretur. Quare si cum animalia in templum inferebantur, & mactabantur, Sabbatum non violabatur; quia tale opus, & labor sacrificio deseruiebat. Similiter gestatio illa grabati, veluti sacrificium laudis erat; ad quod sacrificium fideles hortatur Dauid Psalm. 49. *Immola Deo sacrificium laudis.* Hoc sacrificium aliis cessantibus, Messiæ, tempore non cessaturum Rabbi Kimhi refert. De huiusmodi laudis sacrificio, quod grabatum gestando, paralyticus Deo offerebat, vaticinatus est Dauid, cum citato Psalm. dixit: *Sacrificium laudis honorificabit me; & illic iter,*

Ioan. 5.
In Ps. 100.
Sacrificium laudis cessantibus sacrificiis aliis nõ cessauit.

quo ostendam illi salutare Dei. Quasi dicat: Tempus erit, cum quis sacrificium laudis Deo offeret, & diuinam gloriam promulgabit; quo in sacrificio iter, & aditus patebit ad cognoscendum Dei salutare, hoc est Christum humani generis Saluatorem. Quod quidem in paralytico impletum est, de quo dicitur: *Is, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi; Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abijt ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Iesus esset qui fecit eum sanum.* Ecce quomodo propter seruatum Redemptoris mandatum illi aditus apertus est ad Dei salutare cognoscendum. — Ioan. c. 5.

Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus: & in Sabbato circumciditis hominem: Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, vt non soluatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem saluum feci in Sabbato?

20. SEnsus est: Propterea, quòd Moses non ex se, sed ex Patribus, nempe Abrahamo, Isaac, & Iacob circumcisionis legem dedit; iden cum idem Moses de Sabbato seruando legem tulit, ea non derogauit antiquæ Patrum legi: qua Abrahæ dictum est Genes. 17. *Infans octo dierum circumcidetur:* atque adeo, si octauo die Sabbatum continget, Sabbato infantulus circumcidetur. Quare si vulnificum circumcisionis opus Sabbatum non violat; multò minus salutare curationis opus solo imperio factum, Sabbatum violare dicendum est: Et si Sabbato licet secundùm partem hominem circumcisione imminuere; cur Sabbato non licet totius hominis integritati consulere, eum à morbo vndique diffuso liberando?

21. Obiicere possent Iudæi circumcisionem, cum per eam originalis macula deleatur, ad spirituale bonum dirigi; quod spirituale bonum diuino cultui, cui Sabbatum est dicatum, non efficere: secus verò de corporali morbi curatione esse dicendum. Respondetur ipsam paralysis curationem ad spiritualem paralytici sanitatem Dominum direxisse. Redemptor enim noster vnà cum corporali spiritualem etiam sanitatem ægris conferre consueuerat. *Totum hominem saluum feci:* scilicet quoad corpus, & animam, iuxtà Augustinum, Euthymium, & Bedam. Propterea paralytico per communicatam diuinam gratiam iustificato dixit: *Ecce sanus factus es; iam noli peccare.* — Christus cũ corporali spiritualem sanitatem ægris conferre solebat.

Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.

22. SVpra dixerat Dominus: *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Quare vt Mosaicæ legis transgressores, cuius zelum ostentabant, Iudæos esse ostenderet; reuocat Dominus illis in memoriam Mosis mandatum Deuter. 10. *Quod iustum est iudicate. Nulla erit distantia personarum; ita paruum audietis, vt magnum: Nec accipietis cuiusquam personam.* Verba illa, *Nulla erit distantia personarum*, ex Hebræo textu leguntur: *Non agnoscetis facies in iudicio.* Rursus verba illa: *Nec accipietis cuiusquam personam*, ex Græco textu leguntur: *Non distingues faciem hominis.* Quare iudicare secundum faciem, est iudicare secundùm acceptionem, vel distinctionem personarum; ita vt ad tale, vel tale iudicium iudex moueatur ex honorabili, vel contemptibili alicuius aspectu: Ex quo fiat, vt vni causa adiudicetur, altera verò damnetur; idque non ex causæ æquitate, sed ex animi propensione in vnum; & ex contemptu, & auersione in alterum. Cum igitur ex animi auersione in Christum, Iudæi eum, vt Sabbati violatorem damnarent, quòd paralyticum Sabbato curasset; & è contrario Mosen Sabbatum violare negarent; quamuis in Mosaica lege circumcisio, & circumcisionis vulneris curatio Sabbato fieret: talis iudicii discrimen ex acceptione personarum fiebat. Propterea Dominus Iudæis ait; *Nolite iudicare secundùm faciem*, hoc est nolite habere acceptionem personarum: *sed iustum iudicium iudicate.* Propterea etiam antea dixerat: *Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, vt non soluatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem saluum feci in Sabbato.* — Iudicare secundum faciem quid sit.

23. Christi Domini monitum: *Nolite iudicare secundùm faciem; sed iustum iudicium iudicate:* Hoc ab ipsis Ethnicis seruatum fuisse legimus. *Thebani*, inquit Alexander ab Alexandro, *vt incorruptam iustitiam signarent, nec variari gratia; iudicum imagines sine manibus; Principis verò sine oculis in foro proposuêre; vt signis ostenderent, iudices affectibus capi non oportere.* Vtinam ab huiusmodi pictura iudices, Principesque plurimi non discreparent; & non se potius Argos, & Centimanos præstarent. Centimanos in muneribus extorquendis; Argos in potentium fauores oculos defigendo. Quare benè monet Ambrosius: *Pronum est genus humanum fauere honoratioribus, ne læsos se putent; ne victi doleant. Idcirco cum res dubia est, præstat in pauperis partes inclinare.* Quare de cœlesti iudice dixit Dauid: *Oculi eius in pauperem respiciunt; palpebræ eius interrogant filios hominum.* Pauperes quidem apertis oculis dicitur respicere, alios verò à pauperibus contradistinctos, adeoque potentes, veluti clausis oculis interrogare; hoc est in ordine ad iudicium examinare; eo quòd in personam hominis non respiciat, ita vt potentium fauore moueatur; fatentibus ipsis aduersariis de Dei Filio: *Scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces; & non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum.* Hinc Christus Dominus iustitiæ sol, Malachiæ vaticinio dicitur: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ.* De quo Cyprianus: *Si dies æqualiter omnibus nascitur; si sol erga omnes æquali, & pari luce diffunditur; quantò magis Christus sol, & verus dies in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari æqualitate diffundit?* — Lib. 3. c. 5. Iudicia imaginem sine manibus, Principis sine oculis, cur Thebani exprimebant? — Ambros. 2. de offic. c. 24. — Ps. 10. — Matth. 22. — Malachiæ c. 4. Cyprianus op. 76.

24. Ex Apostolo ad Hebr. 9. apud Israëlitas intra Sancta Sanctorum simul asseruari Deus voluit virgam Aaronis, & manna. De manna autem, cum è cœlo descendit; dictum fuit Exod 16. *Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficiat ad vescendum; gomor per singula capita. Collegerunt alius plus, alius minus, & mensi sunt ad mensuram gomor; nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus parauerat, reperit minus.* Fuit igitur apud Israëlitas ex hoc capite manna veluti monumentum iustæ æqualitatis in omnes sine acceptione personarum. Propterea manna Deus vna cum Aaronis virga, quæ erat Principatus, & regiminis insigne, asseruari voluit; scilicet vt con- — Manna Hebræis datũ iustitiæ Symbolum. Manna vnà cũ Aaronis virga cur Deus asseruari voluerit?

iungendo cum virga manna, moneret eos, qui alios regunt, iustè, & æqualiter erga omnes se gerere debere, non iudicando secundùm faciem, hoc est respiciendo personas, sed merita. Audiamus de hoc Cyprianum, de Christo enim, vt sole loquens ait: *Cuius æqualitatis sacrum ortum videmus in Exodo celebratum; cum de cælo manna difflueret, & futurorum præfiguratione alimentorum Panis cælestis cibum Christi venientis ostenderet. Illum enim sine discrimine sexus, & ætatis, gomor à singulis æqualitate colligebatur. Vnde apparebat Christi indulgentiam, & gratiam cælestem postmodum secuturam æqualiter omnibus diuidi sine sexus varietate, sine annorum discrimine, sine acceptione personæ.*

Cyprianus ep. 56.

A B

25. Quàm difficile sit non iudicare secundùm faciem, & acceptionem personarum non habere, grauissimis his verbis Bernardus ad Eugenium Pontificem explicat: *Non paruì te reum peccati existimes, si faciem peccatorum sumis, & non potius causas iudicas meritorum. Est enim vitium, cuius, si te immunem sentis, inter omnes, quos noui ex his, qui cathedras ascenderunt, sedebis me iudice solitarius; quia veraciter, singulariterque leuasti te supra supra te.* Alludit Bernardus ad illud Ieremiæ: *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit super se.* Talem esse ait, qui iustè non secundùm faciem iudicat: Talis autem est ex Ieremia, *qui portauerit iugum ab adolescentia sua.* Ex quo patet illum bene iudicare alios, qui antea obedire didicerit; benè enim imperare non poterit, nisi parere quis antea discat. Aurea est illa Plutarchi sententia: *Non est cadentis alium erigere; nec ignorantis docere; nec incompositi componere; nec ordinare inordinati; nec imperare eius, qui non pareat imperio.*

Li. 2. de Cõsiderat.

Ieremias Thr. c. 3.

Thr. c. 3.

De doctrina Principum

Imperare iustè solet, qui parere antea didicit.

C

26. *Apud Athenienses Areopagitæ iudices*, ait Alexander ab Alexandro supra citatus, *noctu, & obscura luce, numquam die iudicabant, vt procul ab omni affectu, qui animos in diuersum agit, tantummodo facta cognoscerent, personas non viderent.* Talem Dauid describit cœlestem Iudicem, de eo humano more loquens; scilicet intra caliginis, & tenebrarum spatium; vt significetur apud Deum merita, & demerita iudicari, mundanam personarum dignitatem, aut fauorem nullatenus, respici. Propterea Psal. 17. vbi de aduentu cœlestis Iudicis iuxtà sacros interpretes sermo est, dicitur: *Inclinauit cælos, & descendit; & caligo sub pedibus eius: posuit tenebras latibulum suum.* Tenebræ etiam istæ inter iudicem, & reum, inexorabilem fore cœlestem iudicem, & irreuocabilem eius sententiam significant. Quod miserrimo experimento peccatores extremo iudicio fatebuntur iuxtà Ieremiam: *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es. Operuisti in furore, & percussisti nos: occidisti, nec pepercisti: opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Ex qua materia compleatur hæc nubes, explicat Isaias cap. 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.* Quod si apud Ieremiam dicitur *opponi nubem, ne transeat oratio:* E contrario apud Ecclesiasticum dicitur: *Oratio humiliantis se penetrat nubes.* Magnates huius seculi curruum pompa se præ cæteris honorabiles ostentant; & sic apud iudices fauorem aucupantur: *Hi in curribus, & hi in equis*, dicitur Psal. 19. Contra verò sancti viri humilitatis vehiculo suis precibus aditum ad Deum aperiunt: *Orationis vehiculum est humilitas*, ait Chrysostomus in Psal. 9 vers. 13.

Iudices Athenienses cur noctu iudicabant?

D

Index cœlestis cur in tenebris latere dicitur?

Thr. 3.

E

c. 35. v. 21.

Humilitas est Orationis vehiculum.

A

27. Rursus iuxtà Christi Domini monitum, ne secundùm faciem iudicetur, apud Ægyptios, teste Pierio, Iustitiæ simolachrum acephalum repræsentabatur; non quod re vera capite careret; sed vt illud inter sidera abditum habere significaretur; vt à cœlo iustè iudicandi normam ediscerent. Talis visus est Cæsariensis Ecclesiæ Præses Magnus Basilius: Cum enim S. Ephrem Syrus quanta esset sanctitas, adeoque in iudicando Iustitia Magni Basilii scire cuperet; *In extasi vidit columnam ignis, cuius caput pertingebat ad cælum, & vox de sursum dicens: Ephrem, Ephrem. quemadmodum vidisti columnam hanc ignis; Talis est & Magnus Basilius.* Si iudices ad cœlum erectam mentem haberent, eorum oculos non auri, argentique fulgor perstringeret.

Iustitiæ simulacrum cur acephalum Ægyptii repræsentabant?

In vita S. Basilij Amphilocio attributa.

B

28. Hoc Domini monitum: *Iustum iudicium iudicate*, non solùm ad publicos iudices; sed ad vnumquemque priuatim, & intra se alios iudicantem spectat. Hinc benè Augustinus serm. 202. de tempore ait: *Audiuimus Euangelistam dicentem: Nolite iudicare, vt non iudicemini. Quid est hoc, cum ipse Dominus in alio loco Euangelij dixerit: Nolite iudicare secundùm faciem; sed iustum iudicium iudicate: Et alibi dicatur: Iudicium verum iudicate? Non enim sibi diuina lectio contraria esse potest. Sunt aliqua, quæ rationabiliter reprehenduntur: sunt verò quædam, quæ non sine peccato iudicantur. Aperte enim mala & iudicari, & argui debent. Illa verò, quæ ignoramus, & vtrùm bono, & malo animo fiant, scire non possumus, iudicare penitus non debemus.*

Matth. c. 7.

Zacharia c. 7.

C

29. Idem Augustinus explicans verba Psalm. 118. concione 12. *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum; quia iudicia tua iucunda;* seu, vt ipse legit: *quia iudicia tua suauia*, ait: *Quis est, qui suum opprobrium suspicetur? Suspicari enim potiùs alienum potest homo, non suum: quoniam quod suspicatur, ignorat; in suo autem opprobrio non est cuiusque suspicio, sed scientia, vbi loquitur conscientia.* Respondet idem Augustinus, bene quempiam opprobrium suum appellare id, quod in aliis suspicatur, quia *quod in seipso agitur, hoc de alijs suspicatur, vnde hic cum dixisset: Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, addidit: Quia iudicia tua suauia, idest iudicia tua vera. Hominum iudicia de occultis hominum non suauia, quia temeraria: & ideo suum dixit opprobrium, quod de alijs est suspicatus. Hoc enim proclivius homo suspicatur in alio, quod sentit in seipso. Hoc itaque opprobrium suum potebat auferri, quod in se senserat, & in alijs fuerat suspicatus: vt non esset diabolo similis; qui de occultis sancti Iob suspicatus est, quod non gratis Deum coleret.*

D

Iudicat malè de alijs, qui ex sua conscientia malus est.

Hic & n. 30. & 34.

Iob. c. 1.

30. Temerè iudicantes diabolum imitari benè asserit Augustinus. Cum enim Dominus Satanæ dixisset: *Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Diabolus temere iudicans respondit: *Numquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum; operibus manuum eius benedixisti; & possessio eius creuit in terra?* Quibus verbis cum innocentis Iob exteriora opera calumniari non posset, temere satan de sancto viro iudicans significauit illius erga Deum cultum fuisse quæstum; & pietatis opera ad temporalium rerum lucrum direxisse; quasi sancti viri erga Deum veneratio fuerit mercenarii, auidique hominis inexplebilis cupiditas; propriæque studium vtilitatis. *Quod non ad vsum Domini substantiam possideret, sed ad vsum*

Iob. c. 1.

E

Iudicãs temere diabolo similis.

substantia Dominum coleres, ait Gregorius. Benè hinc Didymus ait: *Proprium eorum est, qui virtuti sunt inimiciores, cæterorum bona minimè vera esse existimare; sed potiùs per calumniam dicere. Hic quidem ob ereptam sibi nocendi potestatem iustus est: ille verò frugi, ac temperans propter stoliditatem; ille alter pecunijs, opibusque caret, quia ijs parandis haud est idoneus. Denique nemo improbus cuiusque virtutem vt legitimam, solidamque admittit.*

Iudicantur virtutes tamquam vitia, & vitia tamquam virtutes ab iniquis.

31. Porrò sicut ab iniquis hominibus virtutes tamquam vitia iudicantur; ita è contrario de vitiis tamquam de virtutibus iudicium fertur. De his Basilius orat. 7. de virtute, & vitio, ait: *Multi hominem dicacem, scitum, ac lepidum nominant; eum, qui turpia profert; ciuilem; amarulentum, ac iracundum minimè contemnendum appellant: auarum, quasi rei familiari studentem laudibus efferunt: prodigum, tamquam liberalem in cœlum tollunt: scortis deditum, & petulantem, vt hominem voluptati studentem, atque animi remissi eximia laude ornant. Denique tales omni vitio per speciem virtutis adblandiuntur.*

B

32. Nemo est, qui vt amentem Luciferi audaciam non damnet; eo quòd impudenter dixerit: *Similis ero Altissimo.* Eiusdem etiam amentiæ prima parens Eua arguitur, eò quòd serpenti crediderit dicenti: *Eritis sicut Dij.* Benè enim dicitur Iob 22. *Numquid Deo potest comparari homo?* Nam *homo videt ea, quæ parent; Dominus autem intuetur cor*, dicitur 1. Reg. 16. 7. Homo ergo interna cordis iudicare præsumens, superbi Luciferi imitatorem se profitetur; cum interna iudicando exercitè dicat: *Similis ero Altissimo.*

Isai. 14. 14.

Gen. 3. 5.

C

Iudicans temere se Deo præfert.

33. Sed temere iudicantes, non solùm se Deo comparare, sed eidem quodammodo præferre se audent: cum enim iudicant, illud ipsum, quod de Deo scriptum est, imitari non student. Chrysostomus hom. 42. in Genes. explicans verba illa: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est; & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint; an non est ita, vt sciam*, ait: *Dominus docens omne hominum genus, licet magna valde, & clara sint peccata, non antea pronunciandam esse sententiam, quàm manifestè demonstrationes fiant, inquit: Cum descenderim, videbo vtrùm iuxtà clamorem ipsorum, qui ad me venit, perficiunt, vel non, vt sciam. Quid sibi vult: Cùm descenderim, videbo? Numquid de loco in locum transit vniuersorum Dominus? Absit. Non hoc dicit; sed docere nos vult, quòd opus sit magna diligentia: & non auditu solo peccatores damnandi sint; neque sententia ferenda, nisi comprobatio præcedat. Audiamus hæc omnes: non enim solùm ij, qui pro tribunali sedent, obseruare hanc legem debent; sed nullus vnquam ob nudam accusationem proximum condemnet. Idcirco sanctus Moses Spiritu sancto afflatus admonet Exodi 23. Auditum vanum ne accipias: & Beatus Paulus ad Rom. 14. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? Et Christus Matth. 7. Nolite iudicare, ne iudicemini. Cur ante tempus inuadis iudicia sua? Cur præuenis diem illum terribilem? Vis iudex esse, iudica teipsum, & tua delicta.*

Gen. 18. 20.

D

E

Iudiciũ temerarium oriũ ex conscientia propriæ nequitiæ, cum ea auersione erga proximum, prouenit.

34. De iudicio circa alios benè disserit S. Antoninus 2. p. tit. 3. cap. 8. & S. Thom. 2. 2. quæst. 60. vbi art. 3. prauas suspiciones, & inde temerarium iudicium prouenire docet Primò, *Quod aliquis malus est; & ex hoc ipso quasi conscius suæ malitiæ faciliter de alio malum opinatur secundùm illud Ecclesiastæ cap. 10. 3. In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Idem confirmat Apostoli sententia ad Rom. 2. *Inexcusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.* Apostolo subscribens Cassianus ait: *Qui alicui vitio subiacet, pronus est, vt eidem alios subiacere iudicet.* Similiter Aristot. 3. Politic. cap. 6. *Qualis quisque est, tales & alios iudicat.* Similiter Seneca: *Omnis affectus hoc habet; vt in quo ipse insanit, omnes furere putet.* Ideo; teste Suetonio cap. 29. *Nero libidinibus oppletus certò sibi persuadebat neminem esse castum, aut vlla sui corporis parte pudicum.* Secundò iuxtà S. Thomam prauæ suspiciones, & inde temerarium iudicium *prouenit ex hoc, quod aliquis malè afficitur ad alterum. Cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut irascitur, aut inuidet ei, ex leuibus signis opinatur malè de ipso: quia vnusquisque faciliter credit, quod appetit.* Si enim erga proximum pia dilectione afficeremur, eius culpæ nostræ mentis oculis difficilè apparerent. *Nam charitas operit multitudinem peccatorum*, vt Petrus Apostolus ait 1. epist. cap. 4. 8. Quomodo charitas proximorum peccata operiat, ea scilicet non seuerè, & subtiliter iudicando, sed beneuolè excusando, modum tradit S. Bernard. serm. 40. in Cantic. dicens: *Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omninè dissimulationem rei certitudo recusat; suade nihilominus ipse tibi, & dicito: Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem?* Similiter Seneca lib. 2. de ira cap. 30. vt excusando aliorum culpas operiamus, ait: *Naturam excutiemus, voluntatemque facientium. Puer est? ætati donetur; nescit, an peccet: Mulier est? Errat. Iudex est? Plus illius credat sententia, quàm tuæ.*

Excusanda quomodo sint proximorum peccata.

Temerariũ contra iudiciũ remedium.

35. Denique remedium contra temerarium iudicium tradit Apost. ad Roman. cap. 14. vers. 4. & 10. dicens: *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit*: hoc est, si tibi alicuius delicti suspicio subrepat; de eo iudicium ne feras; ad unum enim omnium hominum id spectat; apud cuius iustum tribunal vnusquisque aut stat, aut cadit; aut innocens absoluitur, aut reus damnatur. Fortassè de quo suspicaris, vt innocens absoluetur à Deo, apud quem sincera cognitio, & legitima potestas est: *Stabit autem; potens est enim Deus statuere illum.* Proinde à iudicando abstinere sollicitus debes. Reus suorum criminum benè conscius, apud iudicem statuendus, de se potiùs, quàm de aliis cogitat. Propterea subdit ibi Apostolus. *Tu quid iudicas fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.*

Dicebant autem quidam ex Ierosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere? Et ecce palam loquitur; & nihil dicunt. Numquid cognouerunt Principes quia hic est Christus?

36. EO quòd Christo palam loquenti, & Iudæos, vt legis transgressores arguenti nemo mortem, quàm antea machinati erant, inferre auderet, malè Ierosolymitæ arguunt. *Numquid cognouerunt Principes, quia hic est Christus?* Si enim cognouissent esse Christum, cur non ei sacerdotum Principes summam venerationem exhibendam esse censebant? Cur in templo adstantes sacerdotes in turbas Domino dicentes, *Dæmonium habet*, non inuehebantur?

Denique cur Dominus sacerdotum indignationem adhuc perdurare significans dixit: *Mihi indignamini?* Malè ergo Ierosolymitæ arguerunt. Benè aliter sic arguissent: Cùm tot ex Iudæis, in quibus Scribæ, & Pharisæi sunt, Iesu mortem machinati sint; & adhuc in eum ipsorum indignatio perseueret; nec tamen eum lædere, nec ei, dicere quidquam audeant; benè hinc deducitur in Iesu diuinam esse potestatem; quæ suorum aduersariorum conatus cohibendo, & restringendo mirificè præualet.

Sed hunc scimus vnde sit, Christus autem, cum venerit, nemo scit vnde sit.

37. IN his verbis duplex contradictio est soluenda: prima est, quia Ioan. 9. à Iudæis de Christo dicitur: *Hunc nescimus vnde sit*: hic autem dicitur: *Hunc scimus vnde sit*. Respondetur Primò ex Euthymio Iudæos ex odio, & malitia excæcatos sibi ipsi non constare; ita vt propterea idem interdum affirment, interdum negent: Ex quo apparet communis prouerbij veritas: *Oportet mendacem esse sui memorem*. Respondetur Secundò Ioan. 9. sermonem esse de spiritu, & auctoritate, cùm dicitur, *Hunc nescimus vndè sit*; scilicet an à Deo sit missus; cum verò hic dicitur: *Hunc scimus vnde sit*; id Iudæi intelligunt quoad patriam, genus, & parentes. Secundò contradictio videtur esse cùm dicitur: *Christus cùm venerit, nemo scit vnde sit*; & tamen hoc ipso capite non multò post dicitur: *Nonne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethleem castello, vbi erat Dauid, venit Christus?* Respondetur, prima illa verba fuisse imperitæ turbæ, ignorantis testimonia scripturarum; quę propterea quoad Principum iudicium suspendit sententiam. *Numquid verè cognouerunt Principes, quia hic est Christus?* Posteriora verò verba sunt doctiorum, quibus Prophetarum testimonia innotuerant. Quod si vtraque sententia à Scribis, & Iudaïcæ legis peritis prolata dicatur; adhuc contradictio tolli potest: constabat enim ex Scripturæ testimonio futuri Messiæ patriam fore Bethleem, & ex Dauidis progenie nasciturum: modus autem ipsius generationis ignorabatur propter vaticinium Isaiæ c. 7. dicentis: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*: & c. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Ex hoc autem fiebat, vt Iudæi dubii dicerent: *Christus cum venerit, nemo scit vnde sit*. Quare cum putarent Iudæi Domini generationem, & parentes benè cognoscere dicentes: *Nonne hic est filius Ioseph, cuius nouimus patrem, & matrem?* Hinc illis deceptionis, & incredulitatis causa proueniebat: id tamen culpabiliter; cum Christi Domini operibus, & miraculis credere debuissent. Porrò de huiusmodi incredulis est vaticinium Christi Domini apud Dauidem: *Qui videbant me, foras fugerunt à me.* In Psalterio Romano legitur, *foris*; & ex Hebræo ponitur interpunctio post particulam, *foris*; Ita vt legatur: *Qui videbant me foris, fugerunt à me.* Quid est videre Christum foris? Est eum cognoscere tantùm iuxtà externam humanam apparentiam, non credendo Deitatem in eo latentem, vt explicat Turrecremata. Isti igitur, scilicet increduli Iudæi, sic Christum cognoscentes, à Christo Domino auerterunt se; ita vt eius doctrinam, & miracula auersati sint, & calumniati. Iudæos hos incredulos praui Christiani imitantur, qui internam Euangelicæ legis suauitatem non considerantes, Christianæque obseruantiæ difficultati-

Michæ 5.

Ioan. 6.

Psal. 10.

Christiani quomodo incredulos Iudæos imitantur?

bus territi, procul à Christo Domino ad viuendi licentiam, quò sensus eos trahit, aufugiunt. Denique de his, & sequentibus huius Euangelij verbis, vide Augustinum egregiè disserentem tom. 9. tract. 31. in Ioan.

Clamabat ergo Iesus in templo, docens, & dicens: Et me scitis, & vnde sim scitis: & à meipso non veni; sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit.

38. CVm Isaiæ 42 de Christo Domino prædictum fuerit: *Non clamabit, neque audietur vox eius foris.* Cur hic clamasse Dominus dicitur? Respondetur, in Isaiæ vaticinio negari de Christo clamorem contentiosum, ad præsignificandam Christi Domini mansuetudinem. Quare S. Matth. c. 12. 19. citans allatum Isaiæ vaticinium ait: *Non contendet, neque clamabit; neque audiet aliquis in plateis vocem eius*; vocem scilicet contentiosam, & à mansuetudine alienam. Ad ostendendam autem tum Euangelicæ doctrinę præstantissimam veritatem; tum imperterritam contra iniquos aduersarios sacerdotes loquendi libertatem, non in plateis, sed in templo clamasse hic Dominus dicitur.

Isaiæ, & Euangelistę Ioannis cōtradictio soluitur.

39. *Et me scitis; & vnde sim scitis.* Non sunt tantùm permissiua verba concedentis id, quod Iudæi dicebant; sed verba sunt affirmantis; ita tamen, vt ex parte tantùm affirmatiuè intelligatur. Verè enim Iudæi Christum, vt hominem multo tempore cum iis versatum cognoscebant: & qua ex patria, qua ex familia foret, quam matrem haberet, sciebant. Nihilominus, quia quomodo ab æterno Patre prophetarum vaticinia veraciter adimplente ipse Dei filius per Incarnationem ad homines missus sit, increduli Iudæi ignorabant; eis Dominus ait: *Et à meipso non veni; sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis*; cognitione scilicet practica, qua Deus à cognoscentibus est colendus. Vel, *quem vos nescitis*, scilicet esse Patrem meum. Ideo si ignotam originem Messiæ esse dicitis; non est cur propterea me promissum vobis Messiam esse negetis: cum satis ignota mea ab æterno Patre diuina origo; & temporalis per incarnationem in mundum missio vobis sit. Mihi verò maximè nota est; *quia ego scio eum, quia ab ipso sum; & ipse me misit.* Quod autem ab æterno Patre missus sim, Ioannis in Iordane, & ipsius æterni Patris testimonium comprobauit: idemque meæ vitæ innocentia, & meum ipsum testimonium miraculis confirmatum bene etiam comprobat.

Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in eum manus; quia nondum venerat hora eius.

40. CHristi horam tempus eiusdem passionis, & mortis significare communi consensu asserunt Sancti Patres, Augustinus, Cyrillus Alexandr. Beda, & alii. Voluit autem Redemptor noster passionis tempus horam suam dici ex triplici capite; Primò; vt intelligeremus Dominum liberè, non coactum constituisse passionis suæ tempus. Quare Augustinus hominem mortalitati subiectum alloquens ait: *Si tua hora voluntas est illius, illius hora, quæ est, nisi voluntas sua? Non ergo horam dixit, qua cogeretur mori; sed qua dignaretur occidi.* Secundò; quia talis hora præ aliis, maximo desiderio à Domino expete-

Passionis tempus triplici ex capite horam suam Christus appellauit.

In Ioan. tr. 31.

batur; quòd enim alicui cariſſimum eſt, id ſuum peculiari titulo appellare ſolet. Quare cùm Domini mors vehementer etiam à Iudæis expeteretur; adueniente ſuæ mortis tempore Iudæis Dominus dixit: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Cum igitur multò maiori deſiderio, quàm ipſi Iudæi Dominus ſuæ mortis tempus expeteret; hinc tale tempus ſuam horam nominare voluit. Tertiò quia iuxtà Cyrillum in ſacris literis hora ſignificat opportunum cuiuſque rei agendę tempus, iuxtà illud Apoſtoli: *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.* Ideo Chriſtus Dominus conſtitutum à ſe tempus ad mortem ſubeundam horam ſuam dici voluit, eò quòd tali tempore opportunitatem moriendi eſſe iudicaret. Sed quænam erat talis opportunitas; & cur ea præ aliis eligebatur? ſcilicet, vt ad ignominiam maiorem in cruce Redemptor noſter haberet Barabbæ prælationem; latronum conſortium, & frequentiſſimum Iudæorum concurſum ad paſſionis ſuæ ſpectaculum; cum Paſcha Ieroſolymis Iudęi celebrarent. Denique, vt ab Herode tunc temporis Ieroſolymis commorante, veſte alba tamquam ſtultus contemneretur. Alioquin opprobriorum Dominus ſaturitatem non habuiſſet: quam iuxtà ipſius Redemptoris deſiderium Ieremias prædixerat: *Saturabitur opprobriis. Diem perdidiſſe te puta, quo non ſuſtinueris opprobria*, ait Climacus. Diem igitur, & horam ſuam peculiari titulo vocari voluit eadem Chriſtus Dominus, quam per opprobria ſibi peragendam eſſe decreuit.

Lucæ 22. 53.
Cyrillus in Græca catena citatus.
Ad Rom. 13.
Thr. 3.
Climacus cap. de humilitate.

De turba autem multi crediderunt in eum.

41. Quomodo multi in Chriſtum crediḋiſſe dicuntur; ſi iijdem immediatè poſt adhuc venturum Chriſtum expectare ſe ſignificent dicentes: *Chriſtus cum venerit, numquid plura ſigna faciet, quam quæ hic facit?* Reſpondet primò Toletus allata verba non prolata fuiſſe à credentibus poſtquam crediderunt; ſed antea, velut argumentum inductiuum ad credendum; quaſi ſecum ipſi ita differerent. Chriſtus, qui iuxta communem Iudęorum ſententiam venturus ſperatur, non faciet plura ſigna, quam hic; ergo hic, & non alius venturus, eſt Chriſtus. Sed hæc interpretatio non benè verborum ordini, plauſuque eorum ſignificationi videtur aptari.

42. Reſpondetur Secundò, iſtorum credentium fidem fuiſſe imperfectam, vt Chryſoſtomus, & Euthymius aſſerunt. Ex fide autem imperfecta credebant quidem iſti Ieſum à Deo miſſum; & veram, ſanctamque doctrinam afferre: an autem alius expectandus eſſet, qui eſſet Chriſtus ille, & Meſſias in Moſis lege promiſſus, quoad hoc dubii iudicium ſuſpendebant.

43. Reſpondetur Tertiò, allata verba non ex proprio ſenſu credentes protuliſſe; ſed potius alloquendo alios non credentes, verbis illis vſos eſſe, tamquam ad hominem argumento, quaſi dicerent: Chriſtus, cùm iuxtà veſtram expectationem venerit, *Numquid plura ſigna faciet, quàm quæ hic facit?* Allata ergo verba verè à fidelibus, poſtquam crediderunt, prolata fuiſſe dicendum eſt: non autem ex ſenſu abſoluto, ſed ſuppoſitiuo, quaſi dicerent: Chriſtus cùm venerit, hoc eſt poſita communi veſtra ſuppoſitione, quòd Chriſtus venturus eſſet, certum eſt, cum plura miracula his, quæ videmus, non facturum: Ergo hunc potiùs verè Chriſtum eſſe vos nobiſcum credere debetis.



FERIA QVARTA

POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Præteriens Ieſus vidit hominem cœcum à natiuitate. *Ioan. 9.*

Euangelij nexus, & ordo.

1. ad Cor. 6.

1. *Va ſocietas luci ad tenebras*, ait Apoſtolus? Nulla profectò; ſed perpetua diſſentio. Quod certè maximè in hac Euangelica hiſtoria elucet; euius partes eò rediguntur, vt mirificam contentionem inter illuminati cæci cœleſtem lucem, & inter Phariſęorum obſtinatas tenebras referant. Porrò illuminatus cæcus, cum poſt furentes aduerſatiorum procellas victor, & incolumis ad Domini pedes prouolutus dixit: *Credo, Domine, procidens adorauit eum*; tunc *gubernaculum fidei viriliter tenens, ancoram ſpei tranquilla in ſtatione compoſuit; & plenam cœleſtibus diuitiis, & æternis mercibus nauem optato in littore collocauit*, vt loquitur S. Maximus.

Hom. 58.

Præteriens Ieſus vidit hominem cœcum à natiuitate.

2. IN magos hominum frequentia ſolùm in mendicum, & natiuitate cœcum Dominus oculos fixiſſe dicitur; vt quod Iſai. 62. ipſe Dominus prædixerat, adimpleretur: *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu?* hoc eſt ſpiritu, & corde afflictum; qualis mendicus hic erat propter paupertatis, & cœcitatis calamitatem. Similiter Pſ. 10. de Deo dicitur: *Oculi eius in pauperem reſpiciunt.*

Chriſtus erga pauperes, & calamitatos præcipuè benignus.

3. S. Auguſt. lib. 1. contra Pelagium, & Cœleſtium cap. 45. in illud Lucæ 22. *Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum*, ait: *Legant Euange-*

Petri Apostolum post negationem Dominus interna illuminatione, non corporis oculis respexit.

lum, & videant Dominum Iesum tunc intus fuisse, cùm à Sacerdotum principibus audiretur; Apostolum verò Petrum foris ad focum nunc sedentem, nunc stantem. Vnde non potest dici, quòd corporalibus oculis eum Dominus visibiliter admonendo respexerit. Et ideo, quod ibi scriptum est: Respexit eum Dominus, intus actum est: in mente actum est; in voluntate actum est. Misericordia Domini latenter subuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiore gratia sua visitauit Petrum. Idem docet Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum cap 6. ibique concludit: *Intelligamus illam respectionem à Iesu non humanis oculis, sed diuinitus factam.* At Domini visionem circa cœcum natum, tum corporeis oculis, tùm diuinitus factam dicendum est. Quandoquidem B cœcum Dominus non solùm corporeis oculis vidit; sed eumdem etiam diuinitus respexit; cum misericorditer interius eius mentem illustrauit, eiusanimum ita corroborando, vt aduersus Pharisæorum calumnias se benè constantem, & interius illuminatum ostenderit.

Et interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cœcus nasceretur?

Ep 75. Interrogatio discipulorum circa cœcum natū stultitiæ non est arguenda.

4. HÆc discipulorum interrogatio, vt stolida arguitur à S. Ambrosio, quòd *Debilitates corporum referant ad merita delictorum.* Sed contra est, quòd discipuli bis paralysim ad peccata referri à Domino cognouerint. C Primò Matth. 9. *Offerebant ei paralyticum iacentem in lecto: & videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Datur,* inquit Hieronymus, *intelligentia, propter peccata plerasque euenire corporum debilitates. Et idcirco forsan remittuntur prius peccata, vt causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur.* Rurius Ioan. 5. alteri paralytico in porticu Probaticę piscinæ sanitati restituto, dictum à Domino est: *Ecce sanus factus es; iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.*

Interrogatio discipulorum circa cœcum natū absurda existimāda non est. Hic, & n. 15. & 16. & 17.

5. Secundò eadem discipulorum interrogatio, vt absurda arguitur à Theophylacto; non enim peccare poterat ipse cœcus ante natiuitatem: & D rursus neque in ipso ex parentum peccatis cœcitas prouenire poterat; cum Ezech. 18. dictum sit: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Sed contra est, quia Exodi 20. dicitur: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios vsque ad tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Et Exodi 34 Moses Domino ait: *Qui reddis iniquitatem patrum filijs, ac nepotibus in tertiam, & quartam progeniem.* Similiter Deut. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam, & quartam generationem his, qui oderunt me.* Deut. 28. 18. diuinę legis transgressori dicitur: *Maledictus fructus ventris tui.* E Ibidem vers. 45. & 46. *Venient in te omnes maledictiones istæ,* &c. *Et erunt in te signa, atque prodigia,* hoc est insignes, & portentosæ calamitates; *& semine tuo;* hoc est in filiis tuis, *vsque in sempiternum; eò quod non seruieris Domino Deo tuo.* 4. Reg. 5. in auaritiæ, & mendacii pœnam Giezi Elisæus dixit: *Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum.* Tobiæ c. 3. 3. ait: *Ne vindictam sumas de peccatis meis; neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.* Psal 108. contra peccatorem dicitur: *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Do-* A *mini; & peccatum matris eius non deleatur.*

Filii quomodo propter parentum peccatum puniantur? Hic, & sequētibus. Deut. c. 5.

6. De hoc quid Sancti Patres doceant, audiamus S. August. in Enchiridio cap. 46. *Parentum peccatis paruulos obligari, non solùm primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe diuina sententia: Reddam peccata patrum in filios; tenet eos vtique antequam per regenerationem ad Testamentum nouum incipiant pertinere. Quod Testamentum prophetabatur, cum diceretur per Ezechielem 18. non accepturos filios peccata patrum suorum, nec vlterius futuram in Israel parabolam illam: Patres manducauerunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Ideo enim quisque renascitur, vt soluatur in eo quidquid peccati est, cum quo nascitur.* B

Deut. 24. 16.

7. Idem August. quæst. 42. in Deuteronomii verba: *Non morientur patres pro filijs; & filij non morientur pro patribus: vnusquisque in suo peccato morietur. Ecce non solùm Prophetæ hoc dixerunt; verùm etiam lex dicit sua culpa quemque interimendum, non autem patris sui, aut filij sui. Quid est ergo, quod alibi dicitur: Deus reddens peccata patrum in filios in tertiam, & quartam progeniem? An de filiis nondum natis illud intelligitur propter originale peccatum, quod etiam ex Adam traxit genus humanum: hic autem de filijs iam natis est facta distinctio, vt vnusquisque in suo peccato moriatur? Non enim trahit aliquid ex patre, qui iam natus erat quando pater eius peccauit. Sed cum etiam* C *dicit: ijs, qui oderunt me: manifestum est etiam illam conditionem posse mutari, si filij parentum suorum facta, non fuerint imitati.*

8. Idem August. in Psal. 84. *Ea peccata parentum non pertinent ad filios, quæ faciunt parentes iam natis filijs. Iam enim nati filij ad se pertinent, & parentes ad se pertinent. Itaque illi, qui nati sunt, si tenuerint vias parentum suorum malas; necesse est, vt portent & merita ipsorum. Si autem mutauerint se, & non fuerint imitati parentes malos; incipiunt habere meritum suum, non meritum parentum suorum. Vsque adeo non tibi obest peccatum patris tui, si te mutaueris; vt nec ipsi patri tuo obsit, si se mutauerit.*

9. Idem August. in Psalmi 105. verba: *Pec-* D *cauimus cum patribus nostris; iniustè egimus; iniquitatem fecimus. Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ,* ait: *Qui fuerunt eo tempore, cùm psalmus iste conscriptus est, longè aberant ab ætate illorum, qui in Ægypto peccauerunt non intelligentes mirabilia Dei. At sic accipiendum est, quod ait, Peccauimus cum patribus nostris, tamquam diceret: Peccauimus sicut, & patres nostri; eorum videlicet imitando peccata.*

10. Idem explicans psalmi 108. verba: *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini; & peccatum matris eius non deleatur,* ait: *An intelligendum est, vt reddantur ei peccata etiam* E *parentum suorum? Ei quippe non redduntur, qui fuerit mutatus in Christo; & cœperit esse non filius iniquorum, non imitatus mores illorum: quia illud verissimè scriptum est: Reddam peccata patrum in filios; & illud, quod per prophetam dicitur: Anima patris mea est; & anima filij mea est. Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Hoc quippe dictum est his, qui conuertuntur ad Deum, & non imitantur mala parentum suorum. Quod ipse Propheta euidenter ostendit: dicit enim parentum iniquitates eis non obesse, qui iustitiam faciendo dissimiles fuerint. Ad illud autem, quod dictum est: Reddam peccata parentum in filios, additum est: Qui oderunt*

Exod. c. 34. Ezech. 18.

me?

me: hoc est, sicut me oderant parentes eorum: vt quemadmodum bonorum imitatio facit, vt etiam propria peccata deleantur; sic malorum imitatio faciat, vt non solum sua, sed etiam eorum, quos imitati sunt, merita sortiantur. A

11. Gregor. 15. moral. c. 22. explicans verba Iob. c. 21. *Deus seruabit Filiis illius dolorem patris,* ait: *Quisquis praui parentis iniquitatem imitatur, etiam ex eius delicto constringitur. Quisquis autem parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam delicto illius grauatur. Vnde fit, vt iniquus Filius iniqui patris non solùm sua, quæ addidit, sed etiam patris peccata persoluat: cum vitiis patris, quibus iratum Dominum non ignorat, etiam suam adhuc malitiam adiungere non formidat. Et iustum est, vt qui sub districto iudice vias parentis iniqui non timet imitari, cogatur in vita præsenti etiam culpas parentis iniqui persoluere.* B *Quid est quòd paruuli filii plerumque à dæmonibus arripiuntur; nisi quod caro filii ex patris pœna mulctatur? In semetipso percutitur pater iniquus, & percussionis vim sentire contemnit. Plerumque percutitur in Filiis, vt acrius vratur; & dolor patris carni filiorum redditur; quatenus per filiorum pœnas mens patris iniqui puniatur. Cùm verò non paruuli, sed iam prouectiores filii ex parentum culpa feriuntur, quid aliud apertè datur intelligi, nisi quod illorum etiam pœnas luant, quorum facta secuti sunt? Vnde rectè dicitur: Vsque ad tertiam, & quartam progeniem. Quia vsque ad tertiam, & quartam progeniem, eorum quam imitantur filii parentum vitam possunt videre: vsque ad* C *eos vltio extenditur, qui viderant, quod male sequerentur.* De eodem lege Theodor. q. 40. in Exodum.

12. Quod Sancti Patres docent de punitis filiis ob paternam nequitiam, cuius vel socij, vel imitatores fuerunt, habetur Daniel. 6. 24. *Iubente Rege adducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem, & in lacum leonum missi sunt ipsi, & filii, & vxores eorum; & non peruenerant vsque ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt.* Quia filii parentes, vxores maritos ad scelus incitarant, adiuuerant, aut consenserant, ait Pintus. Horum ergo punitio fuit ex Dei instinctu. *Hoc diuinæ iustitiæ opus est, & sapientiæ,* ait Theodoretus. Genes. c. 9. cum Cham pater Chanaan erga Noë patrem suum D dormientem irreuerenter se gessisset; *Euigilans Noe ait: Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.* Vbi iure quæritur, cur cum Cham deliquisset, eius filius Chanaan maledictus fuerit? Respondet Ambrosius lib. de Noë cap. 30. *Pater in filio, & in patre filius redarguuntur, habentes stultitiæ, nequitiæ, impietatis commune consortium. Nec poterat fieri, vt bonum generaret filium, qui bono patri nequam filius, & naturæ, & eruditionis degener extitisset.* Tam perniciosum est filio praui patris exemplum. Veruntamen cum Cham tres alios filios habuerit, nempe Chus, Mesraim, & Phuth, his, quòd patris imitatores non fuerint, Noë non maledixit. Contra verò Noë maledictio non solum ad Chanaan, sed ad Chananeos ab impio Chanaan prognatos, eiusque imitatores se extendit; cum eos Hebræi vel deleuerint, vel seruitute subegerint. Præterea legitur 2. Reg. 21. *Facta est fames in diebus Dauid tribus annis iugiter. Et consuluit Dauid oraculum Domini: dixitque Dominus: Propter Saul, & domum eius sanguinum; quia occidit Gabaonitas. Dixit ergo Dauid ad Gabaonitas: Quid faciam vobis? Qui dixerunt Regi: Dentur nobis septem viri de filiis eius,* nempe Saulis, *vt crucifigamus eos Domino. Et ait Rex: Ego dabo. Et dedit eos in manus*

A *Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos in monte coram Domino.* Vbi Gabaonitis ad vindictam Saulis filios petentibus, vt crucifigerent, quæritur cur Dauid rex iustus eos tradiderit? Respondetur Dauidem id fecisse consulendo prius per pontificem diuinum oraculum, sicut antea consuluerat circa famem à Deo immissam. Deus autem Dauidi iustè significauit puniendos esse Saulis filios; 1. quia ad Gabaonitarum fundendum sanguinem paternæ sæuitiæ cooperati fuerant: & propterea, vt supra vidimus, familia Saulis vocatur *domus sanguinum.* quia etsi illorum aliqui à Gabaonitarum cæde abstinuerint, adhuc Deus propter alia ipsorum peccata punire eos poterat; & vt sic simul Saulis peccata in filiis punirentur; futurisque seculis exem-B plum daretur; quo patres, ne ipsorũ familia funditus à Deo sit delenda à sceleribus, & sæuitie se cohibeant. 3. quia sæpè contingere potest, vt calamitates & mortes à filiis toleratæ, quæ respectũ parentũ pœnales sunt, respectu ipsorum filiorum non tam pœnales, quàm medicinales sint. Hinc Deus prouidere potuit acceleratam Saulis filiorum mortem illis profuturam, vel quòd patienter illam subituri erant; vel quòd longior eorum vita pluribus peccatis, & etiam damnationi præuideretur obnoxia.

Dauid an iustè septẽ Saulis filios crucifigendos Gabaonitis victoribus dederit?

13. Quare S. Thomas 1. 2. q. 87. ar. 8. sic egregiè disserit: *Si loquamur de pœna, quæ habet rationem medicinæ, contingit, quòd vnus punitur pro peccato alterius. Detrimenta enim corporalium rerum, vel* C *etiam ipsius corporis sunt quædam pœnales medicinæ ordinatæ ad salutem animæ. Vnde nihil prohibet talibus pœnis aliquem puniri pro peccato alterius, vel à Deo, vel ab homine, vt pote filios pro patribus, & subditos pro Dominis, in quantùm sunt quædã res eorum. Ita tamen, quòd si filius, vel subditus est particeps culpæ; huiusmodi pœnalis defectus habet rationem pœnæ quantum ad vtrumque; scilicet eum, qui punitur, & eum, pro quo punitur. Si verò non sit particeps culpæ; habet rationem pœnæ quantùm ad eum, pro quo punitur; quantùm verò ad eum, qui punitur, rationem medicinæ tantùm, nisi per accidens, in quantum peccato alterius consentit. Ordinatur enim ei ad bonum animæ, si patienter sustineat. Pœnæ verò spirituales non sunt medicinales tantùm; quia bonum animæ non ordinatur ad aliud melius bonum.* D *Vnde in bonis animæ nullus patitur detrimentum sine culpa propria. Et propter hoc etiam, talibus pœnis, vt dicit Hieronymus, in ep. ad Auitum, vnus non punitur pro alio, quia quantùm ad animam, filius non est res patris. Vnde & huius causam Dominus assignans dicit Ezech. 18. Omnes animæ meæ sunt.* Quare concludit Sanctus Doctor allata verba ex Exodo, *Visitans iniquitatem patrum in filios,* intelligenda esse quoad pœnas tẽporales, vel corporales, iuxta sensum supra allatum. Quòd si referantur ad pœnas spirituales, intelligenda esse ex suppositione, quòd filii patrũ culpas imitentur. Quòd si parentum peccata filii non imitantur, tunc in iis verificatur Ezech. te-E stimoniũ: *Filius non portabit iniquitatem patris,* neque quoad pœnam spiritualem, neque quoad corporalem pœnam, quæ ipsi medicina non sit.

Pœna alià merè pœnalis est ob commissam culpam; alià medicinalis est ad culpã vitandam.

Pœna merè pœnali puniuntur filii ob parentũ peccata, quorũ imitatores sũt. Pœna medicinali interdum puniuntur filii ob parentũ peccata, ne ea imitentur.

Exodi 20.

Cap. 18.

14. Porrò ex supra allato Exodi 20. capite testimonio mirificè nobis summa Dei misericordia cõmendatur. Cum enim diuina punitio vsque ad tertiam, & quartam generationem extendi dicatur; è contrario de diuina misericordia ibidẽ dicitur: *Faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Idem repetitur Deut. 5. *Faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, & custodientibus præcepta mea. In scriptura sancta, millenarius numerus pro vniuersalitate*

Misericordiæ, & beneficentiæ Dens limites non præfigit; secus verò pœnæ. Millenarius numerus pro vniuersalitate positus.

Q

solat intelligi. Hinc per Ioann. dicitur: Et regnabunt cum illo mille annis; quia videlicet regnum sanctæ Ecclesiæ vniuersitatis perfectione solidatur, ait Gregor. Diuinũ ergo supplicium quartæ generationis limites habet: Diuina verò misericordia, & beneficentia benefaciendo, meritisque præmia largiendo, ad multa millia se extẽdens, limites nullos habet. Propterea Ps. 102. dicitur: *Misericordia Domini ab æterno vsque in æternum super timentes eum; & iustitia illius in filios filiorum his, qui seruant testamentum eius.* Vbi iustitiæ nomine iusta retributio præmiorum meritis respondentium, iuxtà sacros interpretes significatur. *Attende mihi quæso*, inquit Athanasius, *quatenus visionem protendat; minimùm non vltrà quartam generationem. Nunc vide quo fine humilitatem claudat: Misericordia mea in mille prosapias, siue generationes diligentibus me.*

4. Moral. c. 2.

Athanas. de naturali cõmunione essentiæ, inter patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.

15. Sed vt ad Euangelicum cœcũ reuertamur; ex dictis patet potuisse filium propter parentum peccata cœcum nasci, ita vt filii cœcitas parentum culpæ pœna foret; ipsi autẽ filio medicina tantùm. Medicina quidem tantùm, si ipsum cœcum à noxiis obiectis mundanarum illecebrarum cœcitas retraxerat.

16. Rursus neque absurda fuit, vt Theophylactus censet, discipulorum interrogatio, quòd cœcitas ipsius cœci culpæ tribui posse existimarent. Potuit enim 1. ignorari à discipulis, cœcum fuisse. 2. potuit huiusmodi cœcitas originalis peccati pœna esse. Etsi enim, teste Apostolo, *Omnes in Adam peccauerunt*; respectu tamen huiusmodi originalis culpæ omnibus cõmunis, potest pœna diuersimodè à Deo pro libera sua volũtate decerni. Quare ipsi Iudæi originali peccato huiusmodi cœcitatem tribuisse vidẽtur; cum infra ipsi cœco dixerunt: *In peccatis natus es totus*, scilicet tàm quoad animã propter originalem culpam, quàm quoad corpus eiusdem peccati labe notatum. Pomi igitur vetiti comestio, ex qua originale peccatum in posteros emanauit; sicut primis parentibus oculos ad confusionem aperuit: *Tulit mulier de fructu illius, & comedit; deditque viro suo, qui comedit; & aperti sunt oculi amborum*: ita ex eadem culpa originaliter transfusa potuisset Euangelico huic cœco cœcitate oculi operiri.

Ad Rom. 5.

Gen. 3.

17. Respondet 3. Leontius discipulos interrogãdo, an ipse cœcus peccasset, & propterea in cœcitatẽ incurrisset; intellexisse, non de peccato natiuitatem eius antecedente, sed subsequente post rationis vsum; ita vt propter præuisum futurum peccatum cœcitate punitus fuerit. Neque in hoc nimius diuinæ iustitiæ rigor tribueretur, quòd pœna culpam præcederet. Potuit enim huiusmodi pœna simul medela esse ad futuræ culpæ correctionem; sine qua diutius in peccato cœcus perseuerasset. Quare ea cœcitate cœcum hoc beneficium accepisse ait Chrysost. Claudere igitur potuisset Euangelico huic cœco Deus oculos, ne peccati mors, quæ aliquando ad ipsius cor aditum sibi aperuisset; iterum, atque per oculos, veluti per fenestras ascenderet, testante Ierem. *Ascendit mors per fenestras* Quare Seneca cœcum consolator dicens: *Quàm multis cupiditatibus via incisa est? quàm multis rebus, quas ne videres, vel eruendi erant oculi: Non intelligis partem innocentiæ esse cæcitatem? Huic oculi adulterium monstrant; huic incestum, huic domum, quam concupiscat; huic vrbem, & mala omnia: certè irritamenta sunt vitiorum, ducesque scelerum.* Sed supra citata Ieremiæ verba egregiè sic differit S. Gregorius: *Cum sit inuisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quod inhærens corpori quadam egrediendi foramina eiusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, auditus, odoratus, & tactus, quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras veniat; & ea, quæ extra eius sunt substantiam, concupiscat. Per hos autem corporis sensus, quasi per fenestras quasdam exteriora quæque anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc etenim Ierem. ait. Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras. Mors quippe per fenestras ascendit, & domum ingreditur; cum per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis. Quisquis autem per huius corporis fenestras incautè exterius respicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens cadit; atque obligatus desideriis incipit velle, quod noluit. Semel species formæ corde per oculos illigata, vix magnis luctaminis manu soluitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, prouidendum nobis est; quia intueri non decet, quod non licet concupisci. Vt enim munda mens in cogitatione seruetur, à lascivia voluptatis suæ deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Pensandum est quantè debeamus moderamine erga illicita visum restringere nos, qui mortaliter viuimus; si & mater viuentium Eua per oculos ad mortem venit.*

Tom. 3. Hom. 55. Ieremiæ c. 9. n. 21. Cæcitatis corporalis vtilitas. Hic, & n. 22. lib. de remediis fortuitorum.

21. Mor. c. 2.

Cap. 9. 21. Sensus cohibendi ne animã polluant. Hic, & n. sequẽ.

18. *Respexit oculus*, ait Ambrosius, *& sensum mentis euertit: audiuit auris, & intentionem inflexit: inhalauit odor, & cogitationum impediuit: os libauit, & crimen reddidit. Tactus contigit, & ignem adoleuit. Intrauit mors per fenestram, dixit propheta: fenestra tua est oculus tuus.*

Initio de fuga sæculi. Ieremias 9. 21.

19. Quàm multiplici industria, & custodia oculum naturæ auctor Deus formauerit, & obuallauerit, sic egregiè considerat idem Ambrosius. *Adhærent velut quibusdam montium superciliis oculi; vt & protegente montis cacumine tutiores sint, & tamquam in summò collocati de quadam scena superiore vniuersa prospectent. Neque enim oportebat eos humiles esse, sicut aures, vel os, ipsosque narium inferiores sinus. Specula enim semper in alto est, vt aduenientium cateruarum hostilium explorari possit aduentus, ne improuisè occupent otiantem, vel vrbis populum, vel Imperatoris exercitum. Sic latronum quoque cauentur incursus; sic exploratores in muris, aut turribus, aut montis excelsi supercilio sunt locati; vt desuper spectent plana regionum, in quibus insidiæ latronum latere non possint. Si specula editior necessaria fuit; cur non supra summum verticem capitis oculi constituti? Nobis in summa propemodum corporis parte constitui oculos oportuit tanquam in arce, & ab omni vel minima offensione defendi: quæ duo sibi compugnantia videbantur. Nam si in humili essent propter tutamen, munus impediretur: si in vertice, paterent ad iniuriam. Itaque ne vel visui muneris aliquid detraheretur, vel aliquid ad propulsandam iniuriam non prospiceretur, eo loco oculos constituit, cui supercilia desuper non minimum protectionis impertiant: subter malæ aliquantulùm eleuatæ haud exiguum munitionis adiungant. Et licet ossium compage connexa, & æquata confinia circumuallare videantur; inter hæc medii sunt oculorum orbes, & tuti ad cauendum, & ad intuendum liberi, & decori ad gratiam, vt potè in crystalli specie refulgentes. In quorum medio pupillæ sunt, quæ videndi munus operantur. Hæ ne qua incidentis iniuriæ offensione lædantur, pilis hinc inde consertis, velut quodam vallo per circuitum muniuntur.*

Ambros. lib. 6 Hex. c. 9. O[illegible] confectio, & a caturã custodia.

Oculorum optimus custos Dei timor.

20. Sed hęc omnis custodia irrita est, nec diaboli insidias propulsare potest, peccatique mortem arcere, ne per oculorum fenestras ascendat. Ad occludendum huic aditum, timor Dei oculis custos statuendus est: hic vnus potest diaboli insidias, peccatique mortem ab oculorum aditu propulsare. Sicut ad voluptatis Paradisum nullus serpenti aditus patebat; Euæ enim cum serpente cōgressus extra Paradisum fuit, teste Ruperto: ita vbi Dei timor custos assidet, nullus peccato, eiusque auctori diabolo patet ingressus. Hoc indicare voluit Sapiens, cum Dei timorem voluptatis Paradiso comparauit: *Timor Domini sicut Paradisus benedictionis*, Ecclesiastici 40.

in Genes.

Oculus ipse quas ingerit animæ sordes, lacrymis abluit.

21. Quòd si semel peccato per oculos ad animam patuerit ingressus; est ex oculis ipsis ad illud expellendum medela. Nam lacrymas doloris, ac pœnitentię indices oculis tantùmmodo natura dedit; redditque egregiè rationem Seneca; *Ingenti prouidentia posuit Deus in oculis visum, & fletum; vt qui delictum committunt videndo, pœnas exoluant plorando.* Fecit hoc diuina prouidentia, vt vnde sordes in animam immitterentur, inde etiam lauacrum foret; & vnde iactura cœlestium diuitiarum proueniret, inde pretium ad eas redimendas existeret: *Oculus meus deprædatus est animam meam*, ex Gregorio peccatrix anima apud Ieremiam ait: Effundat igitur oculus pœnitentiæ lacrymas, vt iis veluti pretiosis margaritis asportatam ipsius oculi culpa prædam redimere facilè possit: *Oculus meus inquinauit animam meam*, Rabbi Salomon legit: Quòd si oculus vana aspiciendo, peccati sordibus animam inquinauit, plorando easdem sordes lacrymis abstergere facilè poterit. Ne oculus animam deprædaretur, veluti clauso hostibus ostio Democritus Abderites spontè oculis se priuauit, tutius animi contemplationem fore; si eum oculorum illecebris, & impedimentis liberasset. Id fecit Ethnicus: sed S. Audomarus, Teruanæ Episcopus, Redemptionis anno 658. non seipsum, sed Deum suæ cæcitatis auctorem esse voluit; vt cęcitas descendens à Patre luminum, multò clariùs animum illuminaret. Cum enim S. Episcopus Atrebati in eleuatione corporis Sancti Vedasti, eius meritis lumen recepisset; ægro animo id tulit; oransque pro cæcitate, eam rursus impetrauit.

Oculus deprædatus animam, eiusdemque lacrymis, veluti pretiosis gēmis præda est redimenda.
Thr 3. Gregor. supra
Gellius lib. 10.
Teste Iacobo de Vitriaco.
S. Audomarus ex cœco illuminatus, iterum cæcitatem à Deo precibus impetrauit.

22. Iacobus Gutberius cæcitatis encomiū scripsit.

Respondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parentes eius; sed vt manifestentur opera Dei in illo.

Cæcitate sæpe peccatores puniuntur.

23. PEccatorum pœnam sæpè cęcitatem fuisse legimus. Gen. 19. 11. de Angelis punientibus infames Sodomæ ciues dicitur: *Percusserunt cæcitate à minimo, vsque ad maximum.* Deut 28. 28. legis transgressori dicitur: *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate.* 4. Reg 6. 18. cum iniqui Regis Syrię milites Eliseum quærerent; *Eliseus orauit ad Dominum dicens: Percute obsecro, gentem hanc cæcitate: percussitque eos Dominus, ne viderent.* Secundò Machab. cap. 10. 30. de iniquis Thimothei militibus contra pium ducem Iudam Machabæum pugnantibus dicitur, *Cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant.* Act. 13. 11. impio Elymę mago Apostolus Paulus dixit: *Ecce manus Domini super te; & eris cæcus non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit super eum caligo, & tenebræ.* Nihilominus, quamuis hic Euangelicus cæcus, sicut etiam eius parentes, peccasset; cum tamen propter peccata cæcitatem incurrisse Dominus negat. Dicendo enim: *Neque hic peccauit, neque parentes eius*; subintelligi debent superiora verba; vt propterea cæcus nasceretur.

24. *Sed vt manifestentur opera Dei.* Cum Dei dicit; *de se, non de Patre dicit*, ait Chrysostomus; *Patris enim gloria manifesta erat*: cæci autem nati illuminatio, oculorumque formatio ad Dei filium spectabat. *Fiant luminaria in firmamento cœli*, dixit Deus in mundi creatione. Vbi ait Ambros. *Quis hoc dicit? Deus dicit, & cui dicit, nisi filio? Deus ergo Pater dicit: Fiat sol, & Filius fecit Solem. Dignum enim erat, vt solem mundi faceret sol iustitiæ. Ipse ergo eum in lucem adduxit; ipse eum illuminauit; ipse ei dedit fundendi luminis potestatem. Factus est ergo sol. Sol oculus est mundi iucunditas diei, cœli pulchritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ.* Ad eumdem autem solis conditorem spectabat oculorum formatio; vt in vtroque se Dei filium ostenderet. Nam, vt ait idem Ambros. *Quod sol, & luna in cœlo; hoc sunt oculi in homine. Sol, & luna duo mundi lumina: Oculi autem quadam in carne sidera fulgent desuper, & inferiora claro illustrant lumine; nec patiuntur noctis quibusdam nos tenebris implicari.*

Gen. 1.
4. Hexam. c. 2.
4 Hexam. c. 1.
Oculi encomium.
6. Hexam. c. 9.
Oculi Soli, & lunę cōparantur.

25. Cum iuxta Ambrosium, *Deus Pater dicit: Fiat sol, & filius fecit solem*: per huiusmodi verba à solis, aliorumque creatione neque Pater; neque Spiritus Sanctus debet excludi; cum omnia opera ad extra toti Trinitati communia sint. Nam Ioannes c. 1. cum similiter de diuino Verbo ait: *Mundus per ipsum factus est*, bene ibi Cyrillus ait: *Cum per filium factum esse mundum affirmat, ad Patris nos facile reducit memoriam: cum enim per quem, dicitur; ex quo etiam intelligitur. Vniuersa enim ex Patre per Filium in Spiritu Sancto sunt.* Tribuitur autem à Ioanne ibi expresse mundi creatio diuino Verbo; quia ibi de Verbi Diuinitate nos docere Ioannes voluit. Rursus, quia diuino Verbo à Patre per intellectum procedenti sapientia tribuitur, sapientia autem veluti spiritualis lux est; ideo materialem etiam creati solis lucem, & illuminationem diuino Verbo speciatim ab Ambrosio tributam esse dicere possumus.

Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

26. HÆc sententia explicatur Fer. 6 Dom. 4. in illa verba: Si *quis ambulauerit in die*, &c.

Quamdiù sum in hoc mundo, lux sum mundi.

27. COnsonat huic sententiæ illud de Christo Domino apud Isaiam vaticinium c. 42. *Dedi te in lucem gentium; vt aperires oculos cæcorum.* Porrò cæcorū illuminatio tam quoad cæcitatem spiritualem, quàm corporalem, pluribus sacræ Scripturæ testimoniis futuro Messiæ tribuitur. Primò à Dauide Ps. 145. *Dominus illuminat cæcos.* Quo in loco legit Hieronymus iuxta Septuaginta: *Dominus sapientes facit cæcos*: Et Hilarius: *Dominus sapientificat cæcos.* Iuxta quā lectionem Dauidis vaticinium in hoc Euangelico cæco impletum benè intelligimus; si perpendamus quantò hic fidei lumine, & argumentorum acumine aduersus incredulos Pharisæos pro præsentis miraculi veritate, & magnitudine disputauerit. 2. ab Isaia c. 29. dicitur: *Audient in die illa surdi verba*

in Isaiam 54.

libri; & de tenebris, & caligine oculi cæcorum videbunt. Et c. 35. *Deus ipse veniet, & saluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum.* Præterea c. 42. à futuro Messia dicitur: *Ducam cæcos in viam, quam nesciunt; & in semitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem. Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum.* Denique cap. 61. *Spiritus Domini super me, eò quod vnxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me; vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam; clausis apertionem: & cæcis visum,* legit Theodoretus. Quæ omnia vaticinia, vt dixi, tàm de spirituali, quàm de corporali cæcitate iuxtà sacros Interpretes, & sanctos Patres, præcipuè Græcos, debent intelligi. Quibus vaticiniis testimonium additur, quod de seipso Dominus protulit, & Ioanni referendum iussit: *Euntes, renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Vbi ait Ambros. *Non humana ista, sed diuinæ virtutis insignia sunt. Cæcis perpetuæ tenebras noctis aperire, defossorumque oculorum vulnera, infusa luce, sanare: auditum insinuare auribus surdorum: Laxatis soluta membra reformare compagibus: in lucem quoque, refuso vigore viuendi, reuocare defunctos. Hæc ante Euangelium, vel rara, vel nulla. Receperit licet Tobias oculos; vnus est in exemplo; & tamen Angeli fuit illa medela, non hominis.*

Cæcorum illuminationem præcipuè, et futuri Messiæ signum Prophetæ prædixerūt.
Theodoretus in Psal. 45.
Matth. 11.
Luca. 7.
in Luc. c. 7.

28. Quærit Abulensis, cur inter miracula alia primum posuerit Christus, *Cæci vident?* Et similiter Isaias, cùm dixisset: *Deus ipse veniet, & saluabit nos,* statim ante alia addidit, *Tunc aperientur oculi cæcorum.* Respondet idem Abulensis id factū esse, eò quod Christus Dominus præ aliis sublatis languoribus plurimos cæcos illuminauerit: quare Lucæ 7. dicitur: *In ipsa hora multos curauit à languoribus, & plagis, & spiritibus malis; & cæcis multis donauit visum.* Multi quidem languidi, diuersis tamen languoribus à Domino liberati sunt: Sed ex cæcis à Domino illuminatis solummodo multitudo magna numeratur. Veruntamen rursus quæri potest, cur frequentius erga cæcos Domini clementia suam miraculorum potentiam exhibuit? Respondeo, ne cæci Domini aspectu priuarentur; qui quidem aspectus efficacitatem miram habebat homines ad se, adeoque ad Euangelicam lucem, animæque salutem trahendi *Certè fulgor ipse, & maiestas diuinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat; ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu,* ait Hieronymus. Quare Matth. 20. cum duo cæci, vt à Christo Domino illuminarentur, efflagitassent; de iis dicitur: *Confestim viderunt, & secuti sunt eum.* Si *oculi sunt raptores ad culpam,* vt loquitur Gregorius; cæcis istis oculi raptores ad salutem fuerunt. Tam efficax fuit illis primus Christi Domini illos illuminantis aspectus.

In Matth. c. 11.
supra.
Cæcos cur frequētius, quàm alios languores curauerit, Christus illuminauit.
in Matth. c. 9.
Gregorius 21. Mor. c. 2.

Hæc cum dixisset; expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius.

29. IN hoc excellentior fuit Euangelici huius cæci illuminatio, quàm restitutio visus Tobiæ seniori facta. In illa enim piscis felle ex Angeli consilio iunior Tobias vsus est: *Sumens Tobias de felle piscis, liniuit oculos patri suo; & sustinuit quasi dimidiam ferè horam, & cæpit albugo ex oculis eius, quasi membrana oui egredi: quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, statimque visum recepit.* Sed Euangelicus hic cæcus non felle illuminatus est; sed melle potius, nempe Domini saliua: de sanctissima enim Christi Domini humanitate, primaria Dei sponsa, dicitur Cant. 4. *Fauus distillans labia tua, sponsa: mel, & lac sub lingua tua.* De Angeli beneficentia patrem alloquens iunior Tobias ex Augustini verbis ait: *Bone pater, totam domum nostram, illuminatis oculorum tuorum lampadibus illustrasti.* Illuminatione tamen huius Euangelici cæci domus Israël, nempe perfida Iudæorum Synagoga illustrari noluit; cum tanti miraculi efficaciam Pharisæi cæci, & cæcorum duces agnoscere recusauerint.

Cæli nati illuminatio cum cæci Tobiæ illuminatione cō paratur.
Tobiæ. 11.
Ser. de tempore 126.

30. *Et liniuit lutum super oculos eius.* Ad cæcum illuminandum, lutum Christus Dominus adhibere noluit; idque ad diuinæ suæ potentiæ efficaciatem indicandam. Creata enim agentia non nisi aptis instrumentis suos effectus producere possunt; Deus verò ineptis etiam, immo contrariis. Sic 4. Reg. cap. 2. cum à Ierichuntino fonte mors in potantibus, & sterilitas in irrigatis agris proueniret, Deus per Eliseum, fontem illum salubrem, & dulcem reddidit, immisso sale; quod tamen ex se potius exsiccare, sterilitatem, & amaritiem parere aptum est. *Misit in illum sal, & ait: Hæc dicit Dominus, sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas.* Sic è medio Babylonicæ fornacis, & voracissimi ignis frigidissimam auram Deus eduxit ad tres pueros illuc immissos recreandos. *Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Ignis illis murus factus est, & vestis flamma, & fons fornax,* ait Chrysostomus. Sic 3. Reg. c. 18. Elias ad euocandum ignem è cælo super altare, & sacrificium; ter super idem altare quatuor aquæ hydrias effundi præcepit. Similiter Machab. 2. c. 1. 21. *Sacrificia iussit sacerdos Nehemias aspergi aqua, & ligna, quæ erant super posita. Vtque hoc factum est, & tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.* Sic rursus Elias ad diuidendas aquas Iordanis vsque ad fundum, pallium, quod ex natura sua supernatare debebat, adhibuit. 4. Reg. c. 2. 8. *Tulit Elias pallium suum, & inuoluit illud, & percussit aquas, quæ diuisæ sunt in vtramque partem; & transierunt ambo per siccum;* nempe ipse Elias, & Eliseus. Sic denique, vt ait Salmeron, *aquas Mara, ligno aloes immisso, vt tradunt Hebræi, Moyses edulcauit.* Cui consonat Abulensis secutus Rabbi Salomonem dicens: *Hoc lignum est Adelpha vulgò nominata, quæ ex se amara est, & mortifera. Voluit ergo eam Deus adhibere ad dulcorandum aquas; vt eo maius esset miraculum, quia amaritudo eius dulcori magis est contraria.* Quamquam videtur potius dicendum cum Caietano, & aliis, ligni illius amaras aquas dulcorantis virtutem naturalem fuisse: Cum enim Ecclesiasticus de naturali proprietate herbarum, & lignorum, aliorumque similium verba faceret; inter illa ligni illius, per quod Moses amaras aquas dulcorauit meminit: *Altissimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam: Nonne à ligno indulcata est aqua amara?* Fuisse tamen in hac eduleoratione miraculum censeo; eò quod diuinitus factum sit, vt ligni innata actiuitas à contrariis aquæ qualitatibus nihil reparetur; quò expeditior edulcoratio foret ad tot Hebræorum sitim sedandam. Et hoc modo conciliantur auctores; quorum alii talem aquæ edulcorationem naturalem, alii miraculosam fuisse contendunt.

Lutum Dominus cur ad cæcum illuminandū adhibuit.
Hier. 4. 2. 31.
Dan. 3.
Hom. 4. ad populum Antioch.
Salmeron t. 6. Tract. 14.
Exodi 15.
Moses amaras aquas immisso ligno aloës an naturaliter, an miraculosè dulces reddiderit.
Cap. 38.

31. *Liniuit lutum super oculos eius:* Iuxtà naturalis historiæ scriptores, Aquila, vt aues, ser pen-

tes, & ceruos facilè prædetur; in eorum oculos puluerem alis collectum conijcit. Rursus, quia Aquila inter immunda animalia numeratur Leuitici cap. 10. & vt ibi Origenes ait: *Et mortuorum corporum cibus est; & ex mortuis cadaueribus viuit; & de excelsis ad carnes mortuas, & fœtidas delabitur*; ideo, vt benè Gregor. ait: *Aquilarum nomine insidiatores spiritus exprimuntur.* Sicut ergo igitur Dominus ad cæci oculos illuminandos è terreno puluere collyrium fecit; ita è contrario diabolus ad excæcandos mentis oculos, animasque decipiendas, terrenum puluerem, hoc est terreas opes adhibet fraudulenter.

Aquila pulueris in oculos animalium, quæ prædari vult, inijcit. Similiter diabolus. Gregor. 26. Mor. c. 33. Aquilarum nomine immundi Spiritus significantur

32. Præterea benè S. Ambrosius lib. de viduis ait: *Dominus cæci oculos luto illiniuit, vt videre posset: Creatorque omnium docet nos nostra memores debere esse natura, & corporis cernere vilitatem. Nemo enim magis potest videre diuina; nisi qui humilitate conscia sui, nescit extolli.* Qui humiliter Deo dicat cum Isaia 64. *Domine, pater noster es tu; nos verò lutum.* Propterea mortalis homo mysticè monetur Nahom cap. 3. 14. *Aquam propter obsidionem hauri tibi; intra in lutum.* Hoc est, dum in hac mortali vita ab immundis spiritibus, prauisque suggestionibus obsideris. *Hauri aquam*; hoc est, ex intimo corde pœnitentiæ lacrymas extrahe: *intra in lutum*: hoc est: Temetipsum, fragilitatem, & vtilitatem tuam diligenter considera; & hinc te despicere, & terrena omnia disce.

Luto cæci illuminans Dominus, humilitate mentis oculos illuminandos docuit.

33. Simile per lutum miraculum B. Macrina S. Gregorii Nysseni soror edidit; quod ipse Gregorius in Epistola ad Olympium apud Sorium tomo 4. in eiusdem virginis vita refert. *Cum acerbe intumuisset pectoris pars; & periculum esset, ne tumor secundus asset; aut ne latius serpens malum fieret immedicabile, si ad loca cordis appropinquasset; rogauit sæpius, & obsecrauit mater, vt medicis manum admitteret. Illa verò, cum aliquam corporis partem alienis oculis aperire morbo ipso grauius iudicaret, in sacellum sanctissimum ingressa, totam noctem prostrata Deo supplicauit; & quæ ex oculis destuebat, aquam cum terra commiscens, lacrymarum lutum morbo medicamentum adhibuit: matri autem hortanti, vt medico vteretur; sibi ad expellendum morbum satis esse respondit, si manu mater ipsa locum sancto signo muniret. Cum ergo mater in sinum eius manum intulisset, signum egit; morbus autem abijt.*

Modestiæ, & pudicitiæ exemplum eximium.

Lato ex puluere lacrymis misto, B. Macrina sibi noxium pectoris tumorem curauit.

34. De luto ingeniosum encomium scripsit M. Antonius Maioragius; vbi Euangelici cæci oati miraculum celebrat.

Luti encomium.

Et dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloe, quod interpretatur missus.

35. *Siloam fontem esse ad radices montis Sion, qui non iugibus aquis, sed in certis horis, diebusque ebulliat, & per terrarum concaua, & antra saxi durissimi cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus, nos præsertim, qui in hac habitamus prouincia*, ait Hieronymus in Isaiam 8. Sed si magno sonitu ebollit, & labitur, cur ab Isaia dicuntur *aquæ Siloe, quæ vadunt cum silentio?* Respondetur huiusmodi aquas, vt Hieronymus asserit, non semper, sed interruptis vicibus patenter fluere cum sonitu; deinde sub terra abscondi; ita vt tunc silere videantur, cum earum murmur non audiatur. Præterea eiusdem fontis aquæ per canales in piscinam, Siloe similiter dictam deferuntur: vnde per tubos cum silentio, & suauiter in hortos deriuantur. Sed cur huiusmodi fons, *Missus* dictus est?

Siloë fontis descriptio.

36. Respondent primò aliqui, hunc fontem Siloë, hoc est *Missum*, dictum esse, eò quod illuc cæcus à Domino missus sit. Sed contra est, quia antiquitus, multò antequam illuc cæcus mitteretur, fons idem nomen habebat, vt patet ex Isaia citato. Respondent secundò alii, huiusmodi aquis Siloë, hoc est Missum, nomen fuisse, vel ex eo, quod è fonte in piscinam, vel ex eo, quod ex ipsa piscina ad hortos irrigandos aqua immitteretur. Respondent tertiò, & verius ex Epiphanio, qui in vita Isaiæ Prophetæ sic ait: *Fontem Deus Siloam causâ Prophetæ effecit; quoniam priusquam moreretur, pusillum precatus est, vti vndas illic erumpere dignaretur; & confestim dimisit illi cælitus aquam viuentem; vnde sortitus est locus ille appellationem Siloam; quod si quis interpretetur, sonat Dominum.* Cum Epiphanius demissam cœlitus aquam dicit: non intelligi debet eam è cœlo defluxisse; sed potius fuisse subterraneam scaturiginem, quæ Isaiæ precibus, cœlestique ope eruperat; ita vt propterea cœlitus demissa dici potuerit. Porrò id non immediatè ante Isaiæ obitum contigisse censendum est, cum eius meminerit Isaias paulò post initium suæ prophetiæ, nempe cap. 8. cumque tam citò canales construi, & piscina fabricari non posuerit; ratione cuius dicuntur ab Isaia aquæ Siloë fluere cum silentio, vt supra diximus.

Siloë fons cur missus dictus sit

37. Quærunt hic Interpretes cur Dominus ad Siloë natatoriam cæcum miserit? Pluresque huius afferunt rationes. Huic tamen quæstio respondendum simili modo mihi videtur, quo respondetur 4. Reg. cap. 5. vbi etiam quæritur, cur Elisæus ad mundandam Naaman Syrum à lepra, eum ad Iordanem miserit dicens: *Vade, & lauare septies in Iordane; & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* Respondet primò Abulensis *hoc fecisse Elisæum ad magnificandum miraculum, vt cum Naaman ad Iordanem iret, admiraretur magis de potentia Dei Israel; quia per aquam, in qua nulla virtus sanatiua erat, curabat lepram. Quia erat nimis contra rationem hoc; nam meliores aquæ erant in terra Syria, quàm in terra Israel. Et sic semper reddebatur miraculum excellentius, quantò minùs verisimile erat. Adde quia minùs verisimile erat de aqua Iordanis, quod sanare posset, quàm de alia aqua; eò quod fortè erat turbida, & lutulenta propter alluuionem. Nam quolibet anno in principio messis hordeaceæ Iordanis intumescit, liquefactis niuibus libani, ad cuius radices est caput Iordanis.* Idem dici potest de natatoria Siloë, quam natantium frequentia potius sordidam fuisse, quàm mundam credibile est; atque adeo tum ex sua natura, tum ex sordibus omninò ineptam ad oculos illuminandos fuisse est dicendum. Respondet secundo Abulensis: *Forte hoc fecit Elisæus ad probandam obedientiam Naaman, quia Iordanis aliquantulum inde distabat: Si autem iussisset, quòd aspergeretur aqua in loco, in quo erat Elisæus, Naaman tamen fecisset promptè; quia hoc non erat difficile.* Similiter ad probandam cæci obedientiam, eum ad natatoriam Siloë Dominus misit: præsertim cum cæco ad Siloë pedestre iter multò difficilius fuerit; quàm fuerit Naamo iter ad Iordanem curru vehente.

Cur mittat ad Siloë natatoriam Dominus miserit?

Abiit ergo, & lauit, & venit videns.

Obedientialis potentia præter naturalem in creaturis, est ad Dei eas eleuantis imperio obtemperandum.

38. HVius cæci illuminatio ex duplici obedientia prouenit: scilicet tum ex ipsius cæci obedientia, qua Domini verbis firmiter credens, eius mandatum promptè perfecit: tum ex obedientia aquæ, cuius obedientiali potentia tamquam instrumento ad cæcum illuminandum vsus est Dominus. In omni enim creatura obedientialis potentia est ad agendum id, ad quod eam Deus eleuare velit; quamuis id exequi naturaliter nequeat. De qua potentia benè Theologi disserunt; præcipuè Suarius cap. 1. 3. p. disp. 31. sect. 5. & 6. De eadem obedientiali potentia dicitur Sap. 16. *In aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* Cum scilicet iuxtà Philonem contra Ægyptios Dominus ignitas sagittas, ardentesque prunas, imbrium, & grandinum immistas procellas euibrauit. de quo dicitur Exodi 9. 24. *Et grando, & ignis missa pariter ferebantur.* Et Psalm. 104. 32. *Posuit pluuias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum.* Subdit citato capite Sapiens: *Quodam tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur, quæ ad impios missa erant animalia?* Cum enim Ægyptii ignem vbique accenderent, vt illo obiecto se à canis, muscis, & sciniphibus in eorum pœnam à Deo immissis liberarent; tunc vim nullam ignis in molesta illa animalia exercebat, vt ea diuinæ voluntati in Ægyptiis cruciandis omninò pareret. Subditur denique de Manna Israëlitarum cibo in deserto: *Panem de cælo præstitisti illis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Manna enim, vt ibidem dicitur, *Deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quodcunque volebat, conuertebatur.* Nam manna Deus, vt per obedientialem potentiam iuxtà comedentium voluntatem saporem varium haberet, efficiebat. Quare de mirabilibus tot effectibus benè ibi sapiens Deo dicit: *Creatura tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos; & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.* Ideo ergo natatoriæ Siloë aqua, quæ sordida, alioquin oculorum aciem læsisset; per imperium non noxia, sed lenior, & vtilis reddita cæcum illuminauit.

Itaque vicini, & qui viderant eum priùs, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant, quia hic est: alij autem: Nequaquam: sed similis est ei.

Adam, & Euangelicus cæcus apertis oculis non nosci videtur, seù diuersimo dè ob apertos oculos. Matth. 25.

39. DE primis parentibus post diuini mandati transgressionem dicitur Genes. 3. *Aperti sunt oculi amborum:* & ibidem subditur: *Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit ei: Adam vbi es?* Quibus verbis indicare Deus voluit Adamum propter peccati contractam immunditiem, adeò fuisse mutatum, vt iam ex eorum numero esset, quibus Deus ait: *Nescio vos.* Ex eo ergo, quòd peccando Adam oculos aperuisset; ignorari quodammodo videbatur, an Adam esset. Quod ex peccati miseria Adamo accidit; id ex maxima felicitate Euangelico cæco contigit. Cum enim oculos aperuisset, à vicinis ignorabatur, an ille idem esset, qui vt mendicus, & cæcus notus antea fuerat.

Peccatores, & Euangelicus cæcus non sunt cogniti in plateis sed illi ex culpæ caligine, iste ex fidei oculorumque illuminatione.

40. De peccatoribus mysticè dicitur Ierem. Thr. 4. *Denigrata est super carbones facies eorum,* seu iuxtà Septuaginta: *Obtenebrata est facies eorum,* scilicet caligantibus oculis: *& non sunt cogniti in plateis.* Sicut ergo eos, qui antea innocen-

A teserant, & postea in culpas decidunt; peccati nigredo, mentisque obtenebratio reddit ignotos, ita è contrario fidei candor; & ex fide oculorum illuminatio, ne Euangelicus hic cæcus ab aliis agnosceretur, efficiebat.

Ille verò dicebat: Quia ego sum.

41. VEtè Euangelicus hic cæcus de eo dubitantibus dicere potuit cum Dauide Psalm. 39. 18. *Mendicus sum, & pauper: Dominus sollicitus est mei,* seu: *Dominus curam habet mei,* iuxta Augustinum. Quòd autem antea cæcus, ex diuina beneficentia oculos ad lucem videndam aperuisset; ex gratitudine os ad diuinam potentiam, & clementiam prædicandam aperuit:
B ideoque Deo dicere potuit, vt citato Psalm. dicitur: *Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo.* Quare de eo Chrysostomus ait: *Non verecundatus est de priori cæcitate; neque formidauit furorem plebis, neque renuit ostendere seipsum, vt prædicet benefactorem:* Duplici eloquio benefactorem suum cæcus prædicauit; eloquio scilicet oris, & oculi. oculo enim suam etiam loquelam Propheta tribuit dicens: *Ne taceat pupilla oculi tui.* Cæcum ergo se antea confessus; postea benè formatos, acutosque oculos ostendens, non solùm ore, sed oculis veluti oris æmulis, sui benefactoris potentiam celebrauit.

Cæci nati erga Dominum gratus animus.

Ier. 2. Thren.

C *Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?*

42. CVm huic Euangelico cæco non solùm visiua potentia, sed etiam ipsum videndi organum deesset, illud ex luto formatum fuisse docet ex Cypriano Toletus. Ait etiam Chrysostomus: *Cum ex limo formatum hominem audissent; ideo Christus nunc ad eum modum oculum finxit, vt creaturæ opifex crederetur.* Nihilominus increduli Iudæi, & inuidi, & ex his præcipuè Pharisæi infra, ad imminuendum Redemptoris miraculum non interrogant: *Quis tibi oculos finxit?* Sed quasi oculos iam præhabuisset,
D sciscitantur, *quomodo aperti sunt tibi oculi? Paruulum occidit inuidia,* dicitur Iob. 5. Cur inuidus, qui inani proprij meriti æstimatione tumidus, atque elatus esse solet, paruulus, seu pusillus dicitur? scilicet, quia propter inuidentiam aliorum virtutes, & facta pusilla animo dimensus, semper imminuit.

Cæco nato Dominus oculorum orbes ex luto formauit.

Hom. 55.

Inuidus cur paruulus dicitur.

Respondit: Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit; & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad Natatoria Siloe, & laua. Et abij, & laui, & video. Et dixerunt ei: Vbi est ille? Ait: Nescio. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat.
E *Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset? Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video.*

43. CVr ad Pharisæos maximam legis peritiam profitentes cæcus ductus fuerit; & cur tam diligenti examine de eius illuminatione interrogatus fuerit, causam indicat Euangelista dicens: *Erat Sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius.* Superstitiosis enim Iudæis, & erga Dominum malè affectis Dominus Sabbati aliquo modo violator videbatur; quòd

eo die lutum fecisset, cæcumque curasset. Sed quàm tale iudicium inane, & peruersum fuerit, illuminatus cæcus ostendit. Cæci enim sincerum veritatem commendant hîc S. Chrysostomus, S. Thomas, & Hugo Cardinalis; eò quòd omnia, quæ circa suam illuminationem scire poterat, fideliter referat. Nihilominus Sabbati ab eo mentio nulla facta est; eo quòd in suspicionem nullam violati Sabbati ob suam illuminationem venisset.

Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. Alij autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos.

44. ALibi etiam ad Sabbati obseruantiam Iudæi confugiunt, vt Christi miracula calumnientur. Sic Lucæ 13. Cum Christus Dominus mulierem infirmitatis spiritu inclinatam, diuinitus expulso malo spiritu erexisset, *Archisynagogus indignatus, quia Sabbato curasset Iesus, dicebat turba: Sex dies sunt, in quibus oportet operari; in his ergo venite, & curamini, non in die Sabbati.* Sic Ioan. 5. cum languidum Probaticæ piscinæ Dominus curasset, iussissetque grabatum tollere, *persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in Sabbato.* Sic Matthæi 12. *cum Christi Domini discipuli transeuntes per sata Sabbato cœpissent vellere spicas, & manducare; Pharisæi videntes, dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis.* Sed de his suo loco.

Cæci nati ex luto illuminatione Sabbatum violari inepte & ridiculè Pharisæi asserebant. Hic, & n. 47.

45. In hac Euangelica historia quatuor in huius cæci illuminatione facta reperimus. Primò lutum; secundò lutum cæci oculis applicatum; tertiò cæci iter ad Siloë natatoriam; quartò cæci oculorum ablutionem. Quæcumque ex his Sabbatum violasse asserentes, non superstitiosi solùm, sed insuper ridiculi existimari sanè debent. Primò cum in puluerem aliquis expuit, profectò ex puluere, & sputi mistione lutum fit. Nisi ergò ridiculè affectatur Sabbato in puluerem spuere vetitum fuisse; ex luto facto Sabbati violatio deduci non potest. Secundò, neque luto cæci oculos inungere Sabbatum violare sano iudicio censeri potest. Nam Sabbato non excepto, *omni tempore sint vestimenta tua candida; & oleum*, hoc est odoratus liquor, *de capite tuo non deficiat*, dicitur Ecclesiastæ 9. 8. Si ergo omni tempore, quocumque die odoriferos liquores capiti applicare licebat; cur salutaris luti oculis facta applicatio omni tempore, & ipsi Sabbato licita censenda non fuit? Tertio, breue iter ad Siloe Ierosolymæ proximum licitum fuisse, negare nemo potest. Quarto, teste S. Marco cap. 7. *Pharisæi, & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant.* Si ergo Sabbato manducare, adeoque crebrò manus lauare non solùm licitum, sed ex traditione præcipiebatur; cur non etiam faciem, oculosque abluere non licebat? Verumtamen non solùm ex dictis; sed etiam ex miraculi magnitudine benè alii asseruerunt Christum Dominum Sabbatum non violasse; si enim violasset, peccator fuisset; talia autem edere miracula peccator omninò nequit.

46. Sed, vt Pharisæi non solùm cæci essent, sed etiam duces cæcorum, Marcionitæ hæretici Pharisæos sequentes, patrem Christi esse alium à Deo veteris Testamenti asseruerunt; quòd Christus Sabbatum non seruasset, vt refert Tertullianus in Marcionem lib. 4. Ita etiam Marcionitæ asserere potuissent, Deum à seipso diuersum esse; eò quod aliquando Sabbati requiem non seruandam præcepisset. Iosue enim 6. *Dixit ad Iosue: Circuite Vrbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum vsus est in Iubilæo, & præcedant arcam fœderis. Septiesque circuibitis ciuitatem, & sacerdotes clangent buccinis.* Benè igitur Epiphanius ait: *In Sabbato euellebant discipuli spicas, & in Sabbato Dominus curauit: & non hoc solùm, verum etiam, Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam, dixit. Quando enim non ob bonam causam Sabbatum solutum est? Iesus enim Naue successor Mosis, qui inter Prophetas numeratur; qui electus est à Deo; qui per orationem detinuit Solem, & Lunam, vbi dixit: Stet Sol iuxtà Gabaon, & Luna iuxtà vallem Aialon: Statim reperitur Sabbatum soluere propter bonam actionem. Nam per septem dies circumdat muros Ierichontis ipse Iesus: & non licebat ire in Sabbatis vltra mensuram sex stadiorum definitorum. At mensura ambitus Ierichuntis stadia viginti excedit. Cum autem per septem dies circundederint ipsi ciuitatem, omninò incidit Sabbatum in vnum ex his diebus.* Quod si tunc septimum diem Sabbatum fuisse dicamus, vt valdè probabiliter asserit R. Salomon apud Abulensem, Lyranum, Dionysium, & alios; tunc septem vrbis circuitiones excedent 140. stadia. Præterea præter laborem circuitionis additus est Sacerdotibus labor portandi arcam, & buccinas vehementer inflandi. Nihil est igitur, cur Sabbati violationem Domino Iudæi, vt Marcionitæ hæretici tribuant.

Sabbatum quod violabatur, cum consueto longius iter Deus præcipiebat.

In catalogo hæresum Manich.

Iosue 10.

47. Præterea si in templo diebus omnibus, etiam Sabbato ex Dei mandato septem candelabri lucernas accendere, earumque sordes emungere sacerdotes poterant; vt patet Exodi 25. & 27. cur non in templo Dei viuo, cuiusmodi fidelis anima Euangelici cæci erat, sine Sabbati violatione duas oculorum lucernas ad diuinam gloriam accendere non licuit Christo summo sacerdoti; qui Matth. 6. dixit: *Lucerna corporis tui est oculus tuus?* Fuerit illuminatio oculorum pro lucernarum accensione; & luti ablutio in Siloe facta pro Ellychniorum in ipsis lucernis emundatione. Sed quod ad Pharisæorum calumniam spectat, hoc improborum proprium est, vt bonis abutendo, ea vt media ad malum vsurpent. Sic de Iudæorum gente dictum est Oseæ 8. *Factæ sunt ei aræ in delictum.* Aræ, quæ ad diuini cultus venerationem institutæ fuerant; ad sacrilega delicta, & scelera, gens perfida illa conuertebat. Sic in præsentia Sabbati obseruantiæ zelum Pharisæi obtendunt, vt Christi miracula sub boni specie calumniari possint.

Peccatores bonis rebus abutuntur ea vt media ad malū adhibentes.

Dicunt ergo cæco iterùm: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta est?

48. SAncti viri, quos Deus ad diuinam legem inculcandam, suamque voluntatem Israëlitico populo significandam mittebat, Prophetæ dicebantur. Hinc Ier. 7. 25. à Deo dictum legimus: *Misi ad vos omnes seruos meos Prophetas, per diem consurgens diluculo, & mittens; & non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam, sed indurauerunt ceruicem suam.* Ideo Ioan. cap. 1. Sacerdotes, & Leuitæ à Ioanne interrogarunt: *Propheta es tu?* hoc est; Homo missus à Deo es tu? Sic Lucæ 7. cum Dominus viduæ fi-

Prophetæ nomen cui in sacra Scriptura tribuatur.

A lium ad vitam reuocasset. ex tali miraculo Dominum à Deo missum adstantes cum crederent, dixerunt: *Propheta magnus surrexit in nobis.* Idem de Christo Domino testimonium illuminatus cæcus hîc præfert, dicens: *Propheta est.*

Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset; donec vocauerunt parentes eius, qui viderat; & interrogauerunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est: quomodo ergo nunc videt?

49. CVm cæcum post Christi miraculum clarè tam videre à Pharisæis negari non posset; vt ad miraculum calumniandum aditum sibi aliquem aperirent, B ad cœci parentes confugerunt, sperantes à parentibus filii cæcitatem à natiuitate negandam, eumque antea aliquo modo vidisse affirmandum. Qua in re verè Pharisæi suam mentis cæcitatem ostenderunt. Cum enim visio actus vitalis sit; profectò non alio, quàm ipsius videntis, vel non videntis testimonio standum est: ipsius autem cæci testimonium, quo se antea cæcum fuisse testatus est, falsum fuisse nullatenus dici potest. Cum enim tot annos ad templi ianuam à prætereuntibus mendicans visus esset; cumque vt supra ex Cypriano, & Chrysostomo diximus, ipso videndi organo caruisset, vtique cæcitatem ab eo fingi potuisse sano iudicio existimari non potuit.

C 50. Porrò supposita Iudæorum nequitia cùm dicitur: *Non crediderunt, donec vocauerunt parentes eius:* non hinc sequitur Iudæos postea credidisse: nam *donec*, interdum quidem excludit antecedens, & includit consequens: vt Iosue 7. cum Deus Israëlitico populo dixit: *Non ero vltra vobiscum, donec conteratis eum, qui huiusmodi sceleris reus est.* Quo in loco excluditur Dei protectio erga populum antequam contereretur reus; includitur, seu affirmatur, postquam contritus est. Eadem verò particula, *donec*, etiam in sacra Scriptura interdum ita excludit antecedens, vt non propterea includat subsequens: vel ita includit antecedens, vt non propterea subsequens excludat. D Isaiæ 46. n. 4. iuxtà lectionem sancti Hieronymi Deus ait: *Ego sum, qui sum; & donec senescatis ego sum. Numquid postquam illi senuerint Deus esse desistet?* ait Hieronymus, & subdit: *Paulus Apostolus Corinthijs scribens, ait: Oportet illum*, scilicet Christum, *regnare, donec ponat inimicos sub pedibus eius. Numquid tamdiu regnaturus est Dominus, donec incipiant esse inimici sub pedibus eius? & postquam illi sub pedibus fuerint, regnare desistet: cum vtique tunc magis regnare incipiet, cum inimici cœperint esse sub pedibus? David quoque in quarto graduum Psalmo sicut oculi ancillæ, ait, in manibus dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri: Ergo tamdiu Propheta oculos habebit ad Dominum; quamdiu misericordiam impetret; & post* E *impetratam misericordiam oculos torquebit in terram? qui alio in loco dicit: Oculi mei defecerunt in salutare tuum; & in verbum iustitiæ tuæ.* Similiter intelligenda est particula, *donec*, cum de diuina Sapientia dicitur: *Hæc venditum iustum non dereliquit; donec afferret illi sceptrum regni.* Non enim post allatum regni sceptrum à diuina Sapientia derelictus est Ioseph; sed tum magis ab ea est adiutus. Similiter Genes 8 7. cum de Noë dicitur: *Dimisit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur donec siccarentur aquæ. Non enim postea reuersus est; quia dictum est; non reuersum, donec*

Particula *donec*, vel *vsque* aliæque limitatiuæ particulæ ita excludunt antecedens, vt nō propterea includant subsequens, vel ita includūt antecedens, vt nō propterea subsequens excludant.

ad Heluidium.

1. ad Cor. c. 15.

Ex Ps 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Ps. 122.

Ps. 118.

Sap. 10 13.

A *siccarentur aquæ*, ait Augustinus tom. 3. lib. 1. locutionis de Genesi. Similiter iuxtà Hieronymum intelligenda sunt verba Matthæi 1. de B. Virginis sponso: *Non cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Vbi sicut per particulam, *donec*, excluditur tempus antecedens; ita subsequens tempus non includitur. *Euangelista*, ait Hieronymus, *id indicat, de quo scandalum poterat moueri, non eam cognitam esse à viro suo vsque ad partum: vt multò magis intelligeremus cognitam non fuisse post partum: à qua tunc se abstinuit, cùm adhuc de visione poterat fluctuare.* Quod de particula, *donec*, diximus, idem de particula, *vsque*, dicendum est; scilicet ex eo, quod excludat, vel includat antecedens; non propterea includere, vel exclu- B dere subsequens. Tria afferuntur ex sacris litteris testimonia à S. Hieronymo: *Saluator in Euangelio ad Apostolos, Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi; ergo post consummationem seculi Dominus à discipulis suis abscedet; & tunc quando in duodecim solijs iudicaturi sunt duodecim tribus Israel, Domini consortio fraudabuntur?* Præterea Gen. 35. *Tradiderant Iacob Deos alienos, qui erant in manibus eorum, & inaures, quæ erant in auriculis eorum? & abscondit ea Iacob subter Terebinthum, quæ est in Sichimis, & perdidit ea vsque in hodiernum diem.* Item in fine Deuter. *Defunctus est Moyses seruus Domini in terra Moab per Verbum Domini: & se-* C *pelierunt eum in Geth prope domum Phogor, & nemo scit sepulchrum eius vsque in diem istum: Certè hodiernus dies illius temporis existimandus est, quo historia ipsa contexta est; siue Moysen dicere volueris auctorem Pentateuchi siue Esdram eiusdem instauratorem operis, non recuso. Nunc hoc quæritur, an id, quod dictum est: Vsque ad diem istum, an ad illam referatur ætatem, quâ libri editi, siue conscripti sunt? Doceat igitur post illam diem tot iam annorum vsque ad nos voluminibus exactis; aut idola, quæ sub Terebintho condita fuerunt, reperta; aut Moysis tumulum inuestigatum; quia obnixè asserit post donec, & vsque, esse incipere quod tamdiu non fuit, quàm, vsque, compleretur, & donec. Quin potius animaduertat, Scripturæ sanctæ idioma, &* D *nobiscum, in quo hæsitabat, intelligat ea, de quibus posset ambigi, si non fuissent scripta, signari, cætera verò nostra intelligentiæ derelinqui. Si enim adhuc recenti tempore viuentibus ijs, qui viderant Moysen, sepulchrum eius potuit ignorari; multò magis tot seculis prætereuntibus.* Quod de *donec*, & *vsque* dictum est, idem dicendum est de alijs limitatiuis particulis, *priusquam, ante*, & *antequam*. Quare cum Matth. 1. dicitur: *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*: ibi ex eo, quod excludatur conuenisse ante Iosephum cum Maria, non includitur conuenisse postea. Huiusmodi enim particulæ, vt benè aduertit Hie- E ronymus; *licet sæpè consequentia indicent, tamen nonnumquam ea tantùm, quæ priùs cogitabantur, ostendunt. Vnde nec necesse sit, vt cogitata fiant, cum aliud ideo interuenerit, ne ea, quæ cogitata sunt, fierent.* Benè igitur sic contra Heluidium Hieronymus arguit. *Quasi si quis dixerit, antequam in portu pranderem, ad Africam nauigaui, non possit stare sententia; nisi ei in portu prandendum quandoque sit. Aut si velimus dicere: Paulus Apostolus antequam ad Hispanias pergeret, Romæ in vincula coniectus est: aut certè illud: Heluidius antequam pœnitentiam ageret, morte præuentus est: Statim, aut paulò post vincula ad Hispanias sit eundum, aut Heluidio pœnitentia agenda post mortem. Cum*

scriptura

Matth. 28. 20.

Deut. c 34.

A *Scriptura dicat: In inferno autem quis confitebitur tibi?* Denique limitatiuis particulis iuxtà allatam intelligentiam addi potest particula, *Amplius:* hæc enim particula negationi coniuncta; ita interdum futurum tempus excludit, vt non propterea præteritum tempus includat. Sic Tobiæ 3. Saræ, quæ cum virgo foret, nondum filius habuerat, dicitur: *Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum.* Similiter Act. 13. de Christo dicitur: *Suscitauit eum à mortuis amplius non reuersurum in corruptionem;* Vbi excluditur à Christi corpore post mortem futura corruptio; cum tamen antea in Christi corpore corruptio nulla præcesserit. Nec dicas per corruptionem intelligi passionis, & mortis subiectionem; cui antea Christus obnoxius fuerat: id enim repugnat citato ibidem textui ex Psal. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem;* hoc est putrefactionem. Quod sic Rabbi Isaac explicat: *Non dominabitur post mortem scolex, aut vermis.* Denique cum Apoc. 3. de iusto dicitur: *Foras non egredietur amplius:* ita eius futurus egressus negatur, vt non propterea præteritus affirmetur.

B

Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus, quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est.

51. INuiti Iudæi miraculi certitudini inseruierunt; cum enim sperarent ipsius cæci genitores metu perterritos testimonium vel falsum, vel dubium prolaturos; & hinc posse calumniam contra præsens miraculum struere; factum est, vt manifesto parentum testimonio illuminati cæci veritas clarior, & certior eluceret. Quare benè Sapiens dixit: *Qui fodit foueam, incidit in eam; & qui voluit,* ex Hebræo, *Qui iacit lapidem, reuertetur ad eum.* Obstinatio Iudæorum velut lapis in Christum Dominum iaciebatur; recidit tamen in ipsos; cum aduocatis illuminati cæci parentibus ex eorum testimonio magis confusi fuerint. Egregiè ait Chrysologus: *In se vadit, qui vadit in Deum:* & Salomon: *In insidijs suis capientur iniqui.*

Prou. 26 n. 27.

Ser 152. Prou. 11 v. 6.

Quomodo autem nunc videat, nescimus; ipsum interrogate; ætatem habet; ipse de se loquatur.

52. CRedibile non est illuminatum cæcum, quod Iudæis dixerat, suis etiam parentibus non narrasse; scilicet de luto ipsius oculis Domini manibus superposito, & de oculorum in Siloë ablutione. Quod quamuis benè parentes audiissent, non tamen mendaciter dixerunt: *Quomodo nunc videat, nescimus.* Mirabilem modum, quo diuina potentia per lutum, & Siloë aquas oculos illuminauerit, ignorabant. *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua Domine?* ait Dauid Psal. 87. 13. in tenebris scilicet, quibus Iudaicus populus subiacebat; de quo post Euangelicam lucem Isaias ait cap. 9. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.*

Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate.

53. SYnagoga, hoc est Congregatio, formali, & materiali sensu accipi potest. Formali sensu Synagogę nomine fidelium Iudæorū vnum, verumq; Deum credentium cœtus significabatur: sicut apud nos vniuersa Christianorum congregatio Ecclesia dicitur. Hoc sensu Num. 4. 14. *Principes Synagogæ.* & Num 16. 2. *Viri proceres Synagogæ,* hoc est Iudæorum Reipublicæ Primates dicuntur. Materiali autem sensu locus, seu, vt ait Philo, Oratorium, quod præcipuè Sabbato Iudęi ad orandum, diuinamq; legem addiscendam frequentabant, Synagoga dicebatur, eiusque præses Archisynagogus. Idem præterea Synagogæ locus erat, in quo Iudæi eos, quos legis transgressores putabant, publicè puniebant. Hinc Dominus Matth. 10. 17. Apostolis prædixit: *In Synagogis suis flagellabunt vos:* & Act. 22. 19. Paulus de se Domino fatetur: *Ego eram concludens in carcerem, & cædens per Synagogas, qui credebant in te.* Quia autem in Synagogis peccata puniebantur, & diuina lex addiscebatur, Synagoga à Philone *Virtutum schola* appellatur.

Synagogæ nomine quid significetur?

Lib. 3 de vita Mosis. Synagogia ad quid Iudæi vtebantur?

Supra.

54. Porrò quamuis in templo etiam diuina lex explicaretur, & ideo de Domino dicatur Lucæ 19. 47. *Erat docens quotidie in templo.* Quia tamen in vniuersa Iudæa vnicum Ierosolymitanum erat templum; illudque singulis Sabbatis aliarum vrbium incolæ adire nequibant; cumque templum sacrificiorum frequentia occuparetur; hinc factum est, vt tum Ierosolymæ, tum in aliis vrbibus Iudæi Synagogas plures extruxerint: ita C vt Ierosolymitani excidii tempore Ierosolymæ quadringentas, & octoginta Synagogas fuisse legamus. Quare Iacobus Apost. Act. 15. 21. dixit: *Moyses à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur.* A temporibus antiquis, nempè non multò post quàm Iudæi promissionis terram habitare cœpissent. De Synagoga enim intelligi debet, quod Iudicum 20. 2. legimus: *Omnes anguli populorum, & cunctæ tribus Israël in Ecclesiam populi Dei conuenerunt, quadraginta millia peditum pugnatorum.* Quod contigit in Masphat; arca autem Dei erat in Silo, vt patet ex 1. Reg. 1. Porrò multiplicato Iudæorum po- D pulo, multiplicatis etiam Synagogis, ex illis aliæ exteris, aliæ ciuibus sunt attributæ. Ideo Act. 6. 9. de multiplici Ierosolymæ Synagoga dicitur: *Surrexerunt quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum; & eorum, qui erant à Cilicia, & Asia.*

Synagogæ quadrigētæ & octoginta Ierosolymæ fuerūt.

Synagogæ aliæ ciuibus, aliæ exteris tribuebantur.

55. His explicatis, qui extra Synagogam fiebat, exclusus à fidelium cœtu, vt ethnicus habebatur; eumque consequenter ab ingressu in Synagogam, & Oratorium prohibebant. Sed cum in huiusmodi Synagogis iniqui, & increduli Pharisæi dominarentur; qui inde Christum credentes eiiciebantur, è Synagoga illa eiici dicendi erant, de qua dicitur Apoc. 3. 9. *Ecce dabo de* E *Synagoga Satanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt.*

Vocauerunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo: Nos scimus quia hic homo peccator est.

56. DA gloriam Deo. Formula est cohortandi aliquem ad veritatem fatendam. Sic ait Iosue ad Acham: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel; & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.* Quæritur igitur, cur ad ver-

Cap 7. Veritatem qui fatetur, dare gloriā Deo dicitur ex quo.

R

ciendam veritatis confessionem, dicatur specia- tim: *Da gloriam Deo?* Respondetur 1. *Omnis homo mendax*: Non est homo verax, *nisi in quo loquitur Deus*, ait Augustinus. Cum ergo homini dicitur: *Da gloriam Deo*, idem est, ac diceret: Exhibe linguam tuam vt instrumentum non tuæ, sed Dei loquelæ deseruiens: ex diuina autem loquela non nisi veritas, & Dei laus, & gloria prouenire potest.

duplici capite Hic, & sequentibus. Ps. 115. 11. Augustinus in Ps. 118.

57. Respondetur 2. Qui veritatem fatetur, & ex corde loquitur; solùm Deum humani cordis, hoc est animæ conditorem ad eius gloriam esse testatur. Ps. 32. De eo hominum Creatore Dauid dixit: *Qui finxit singillatim corda eorum*: vbi ex Hebræo, & Græco texto, apud sanctũ Basilium, & Caietanum legitur: *Qui finxit solitarie cor eorũ.* Solitariè à Deo creatum humanum cor benè dici potest; eò quod illud non duplici corde conflatum creauerit; cuiusmodi mẽdax, & dolosum cor est. *Dolus*, ait Augustinus, *fraus est, simulatio est. Quando aliquis aliud in corde tegit, & aliud loquitur, dolus est; & tamquam duo corda habet. Vnum quasi sinum cordis habet, vbi videt veritatem, & alterum sinum, vbi concipit mendacium. Et vt noueritis hunc esse dolum, dictum est in Ps. Labia dolosa: sequitur: In corde, & corde locuti sunt mala. Quid est in corde, & corde, nisi duplici corde?* Huiusmodi autem duplex, & dolosum cor, vt tale à Deo non est: non enim Dei Creatoris partus est cor, vt mendax, sed adulterinus partus est ex diabolo: *Non amat falsum auctor veritatis; adulterum est apud illum omne, quod fingitur*, ait Tertullianus. Dat igitur Deo gloriam, qui resecto mendacio veritatem fassus, simplicis cordis vnum Deum auctorem esse testatur.

Augustinus Tract. 7. in Ioan. Mẽdax duplex cor habere videtur. Ps. 11. Tertullian. de spectaculis.

58. Respondetur 3. Cum veritas, Dei sit simulacrum; qui veritatem profert, Dei simulacrum ad diuinam gloriam se in corde habere testatur. Quàm autem hoc simulacrum diuino suo prototypo simile sit, ex Augustini verbis elegantissimè veritatis præstantiam repræsentantis liquidè patet. *Veritatis pulchritudo nec à multitudine audientium constipata secluditur, venientes; nec peragitur tempore; nec migrat loco; nec nocte intercipitur; nec vmbra intercluditur; nec sensibus corporis subiacet. De toto mundo ad se conuersis, qui diligunt eam, omnibus proxima est, omnibus sempiterna. Nullo loco est, nusquam deest. Foris admonet, intus docet cernentes se: commutat omnes in melius; à nullo in deterius commutatur, nullus de illa iudicat; nullus sine illa iudicat benè. Veritas nec quadra est, nec rotunda, nec longa: vbique præsens est, si cordis oculus ad eam pateat*, ait idem August. in Psal. 30.

To. 1. lib. 2. de lib. arbit. c. 14. Veritatis descriptio. Idem Aug. in Ps. 30.

59. Respondetur 4. Qui veritatem profert, ad Dei gloriam cœlestis sponsi labia imitatur, de quo dicitur: *Labia eius lilia distillantia myrrham primam.* Lilia dicuntur labia proferentis veritatem propter animi candorem labiis manifestum; distillare verò myrrham dicuntur propter veritatis amaritiem; amara enim prauis animis veritas esse solet; & sæpè etiam is, qui veritatem profert, persecutionis amaritiem experitur. *Amara est veritas; & qui eam prædicant, replentur amaritudine. In azymis enim veritatis, & sinceritatis Domini Pascha comeditur*, ait Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. Similiter lib. 1. contra Pelagianos: *Veritas amara est, rugosa frontis, ac tristis, offenditque correptos. Vnde & Apostolus loquitur: Inimicus vobis factus sum, veritatem dicens vobis.* Iudæorum auribus, atque animis, quàm amara fuit veritas Euangelici huius cæci ore probata ex eo patet, quod in conuicia statim aduersus illuminatum cæcum eruperint dicentes: *In peccatis natus es totus, & doces nos? & eiecerunt eum foras.* Fuisset etiam ipsi cæco illuminato propter Iudæorum conuicia, & maledicta amara veritas, nisi amaritiem diuinæ gratiæ dulcedine condiuisset. *Amara est veritas sine condimento gratiæ*, ait Bernardus.

Cantic. 5. 1. ad Cor. c. 5. Veritas amara est, eius tamen amaritiem expellit diuinę gratiæ condimentum. ad Gal. 4. In Cant. serm. 74.

60. Quæritur præterea hic quidnam fateri Iudæi illuminatum cæcum volebant, dicentes: *Da gloriam Deo?* Respondetur 1. ex Toleto his verbis Iudæorum voluntatem fuisse, vt cæcus vnà cum ipsis crederet, & assereret Christum esse peccatorem; & propterea dicunt: *Da gloriam Deo: nos scimus, quia hic homo peccator est.* Hæc responsio non satisfacit: nisi enim prius cæcitatis expulsio, oculorumque illuminatio aliis, quàm Christo tribuenda esse suaderetur; non poterat cæcus Christum peccatorem existimare.

Cæcum an cæcit quid exiorquere Iudæi cupiebant? Hic, & sequentibus.

61. Respondent s. Chrysostomus, & Gregorius, quibus subscribit Euthymius, Iudæos dicentes: *Da gloriam Deo*, dicere voluisse. Hoc miraculum tuæ illuminationis, Deo acceptum referas, eique huius miraculi gloriam tribuas; non huic homini, quem scimus esse peccatorem. Sed contra est, quia posito, quòd cæcus suam illuminationem nec opus fuisse crederet; non poterat Christum, cuius opera, & consilio cæcitatem expulerat, peccatorem esse censere: Nam neus peccatore, vt proximo miraculi instrumento non vtitur; præsertim si peccator ad suam doctrinam, vitamque comprobandam, miraculis vti velit.

Hom. 57. l. 2. in lib. 1. Reg. 2.

62. Respondent 3. Iudæos non credidisse cæcum à natiuitate oculos, visiuamque potentiam non habuisse; sed tantùm eius cæcitatem fuisse, quòd ex impedimento aliquo, noxioque humore palpebris contectos oculos haberet: propterea non ei dixerunt: Quomodo oculos, visumque adeptus est? sed potius: *Quomodo aperti sunt tibi oculi?* Fateri ergo volebant cæcum, non ex miraculo oculos, visumque habuisse; sed naturali aliqua via, & medicamine impeditum oculorum vsum apertis palpebris acquisiuisse. Ad hoc extorquendum aiunt: *Da gloriam Deo; Nos scimus, quia hic homo peccator est*; atque adeò miraculosè tibi visum tribuere non potuisse. Benè hoc loco Augustinus ait: *Quid est: Da gloriam Deo? Nega quod accepisti. Hoc planè non est gloriam Deo dare, sed potiùs Deum blasphemare*: Blasphemia igitur, incredulitas, & calumnia improbis Pharisæis Dei gloria videbatur. His comminatur Isaias 5. *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Hostis noster tanta se arte palliat, vt culpas nostras virtutes fingat, vt inde quisque quasi expectet præmia, vnde dignus est æterna subire tormenta*, ait Gregor. hom. 8 in Psal. 100.

63. Contra allatam explicationem opponi potest, quòd Euangelista eodem cum Iudæis loquendi modo vtatur: *Erat Sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius*: Eodem etiam ipse cæcus vtitur: *A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.* Respondetur alia intentione, eodem loquendi modo vsos esse Euangelistam, cæcumque illuminatum; & alia Pharisæos: Euangelista enim, & Euangelicus cæcus apertos fuisse oculos affirmant, non negantes vnà cum oculorum apertione miraculosè fuisse communicatam visiuam potentiam: quod Pharisæos negasse ex eorum calumnia patet: cum contra i-

luminatus cæcus de suorum oculorum apertione A tamquam de re miraculosa loquatur: *A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati: nisi esset hic homo à Deo, non poterat facere quidquam*, scilicet miraculosum.

Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: vnum scio, quia cum cæcus essem, modo video. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi, quomodo aperuit tibi oculos?

64. ILluminatus cæcus dicens: *Si peccator est, nescio*, aditum prolixius contendendi, & peruersè calumniandi præcludere Pharisæis voluit. Prætetea sicut cæci parentes prudenter de Christi miraculo testimonium proferre noluerunt; B sed illud multò melius ipsi filio miraculum eaperto proferendum reliquerunt, dicentes: *Ipse de se loquatur*: similiter illuminatus cæcus, non ex suo de Christo iudicio, cui Pharisæi non credebant; sed ex ipso miraculo testimonium petendum esse existimans, dixit: *Si peccator est, nescio: vnum scio, quia cum cæcus essem, modò video*. Illuminatis ergo oculis potius, quàm ore, & lingua, de Christo testimonium sapienter satis protulit. Sic Christus Dominus interrogatus à Ioannis discipulis Matth. 11. *Tu es, qui venturus es; an alium expectamus?* cum verbis bene respondere potuisset, miraculis respondere maluit, dicens: *Renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi* C *audiunt, mortui resurgunt*. Dominum ergo illuminatus cæcus est imitatus. Sed increduli, obstinatique Pharisæi, vt calumniam struerent, quod antea iam audierant, iterum interrogarunt: *Quid fecit tibi; quomodo aperuit tibi oculos?*

Cæci nati prudentia.

Cæci illuminati prudentia.

Operibus melius, quã verbis respondetur.

Respondit eis: Dixi vobis: iam & audistis; quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli eius fieri?

65. BEnè Moses Deuter. 32. 4. pronunciauit: *Dei perfecta sunt opera*. Cæcum ergo illuminando Christus Dominus, tam perfectos ei oculos efformauit; vt constanti, & irretorto obtutu minaces Pharisæorum aspectus, D censoriumque supercilium perferre omninò potuerit. Dicendo autem illuminatus cæcus, *Numquid & vos vultis discipuli eius fieri?* quòd Pharisæorum animum à Christo Domino valdè auersum satis benè cognouerat; verba hæc ironicè protulisse videtur. Rursùs dicendo: *Numquid & vos vultis discipuli eius fieri?* supplendum est: *Sicut & ego volo discipulus eius fieri*, ait Hugo Cardinalis, cui subscribit Caietanus, vterque Augustini interpretationẽ secutus. Genuinè magis videtur supplendum: sicut plures iam discipulos eum sequentes habet. Cum enim cæcus ad templi ianuam mendicans diù fuisset; cumque Dominus comitantibus discipulis templum E sæpiùs frequentasset, ibique docuisset; sicut ex fama cæcus Iesu nomen didicerat; ita eumdem Dominum discipulos plures eum sequentes habere iam audierat.

Cæcus illuminatus impauidè per ironiam Pharisæos irridet.

Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus.

66. POst increpationes, & maledicta in illuminatum cæcum, addiderunt Pharisæi: *Tu discipulus eius sis*. Quare simile hic contigit, quod Ioannis cap. 11. vbi ex impio Caipha

Maledicto ex ore Deus benedictionẽ elicuit.

Christo mortem machinante, & dicente: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*: Deus prophetiam elicuit: *Quia Iesus moriturus erat pro gente; & non tantùm pro gente; sed vt Filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*. Similiter hîc ex maledico Pharisæorum ore Deus benedictionem extorsit; cum scilicet illuminato cæco dixerunt: *Tu discipulus eius sis*. Quid enim beatius, quàm eius discipulum esse, qui *verba vitæ æternæ habet*: cuius *eloquia dulciora sunt super mel, & fauum*: qui verissimè ait: *Beati, qui custodiunt vias meas. Beatus homo, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie; & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino*. Quare benè Iudith 16. 17. Deo dixit: *Tibi seruiat omnis creatura; non est, qui resistat voci tuæ*. Diuina enim vox: & imperium ab impia mortis machinatione vaticinium; è maledicente ore benedictionem; è luto oculorum illuminationem; è tenebris lucis splendorem elicuit. Quare, quæ Pharisæis pessima imprecatio videbatur, optima precatio erat; diuinaque liberalitas verba illa euentu carere noluit. Nam vt scribit Petrus de Natalibus lib. 5. c. 102. *Illuminatus hic cæcus ab aliquibus dicitur fuisse vnus ex 72. Christi discipulis. Siue autem ex numero illorum fuerit, siue non; planum habetur ex chronicis, & gestis discipulorum, quòd Christi discipulus fuit.*

Ioan. 6. 69.
Ps. 18. 11.
Ps. 118. 103.
Prou. 8. 32. 34.

2. ad Cor. c. 4. 6.
Cæcus natus vnus ex septuaginta duobus discipulis fuisse traditur.

Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus vnde sit.

67. HIs verbis Pharisæi perfidiæ conuincuntur. Nam benè eis Dominus dixit Ioan. 5. 46. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Vbi *forsitan*, pro vtique ponitur, & ita alii legunt. Scripsit autem satis apertè de Christo Moses Genes. 49. 10. Patriarchæ Iacob vaticinium referens. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est*. Quod iam contigerat: sceptrum enim de Iudæ stirpe defecerat, ad Herodem alienigenam iam translatum. Præterea idem Moses diuinum oraculum de Christo sibi manifestatum scripsit Deut. 18. 15. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam*. Cum ergo in allatis Euangelii verbis Iudæi Mosem admittere, & Christum reiicere se dicant; hinc eorum falsitas, & perfidia apertè detegitur.

Iudæorum perfidia detegitur.

Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos.

78. QVòd duo inter se valdè discrepantia simul coincidant, rem sanè admiratione dignam esse meritò illuminatus cæcus asserit. Duo autem discrepantia erant; quod Pharisæis circa res diuinas se valdè illuminatos profitentibus, an Christus à Deo esset, ignotum foret; & quòd idem Christus cæcum à natiuitate tam mirabiliter illuminasset.

Scimus autem, quia peccatores Deus non audit.

69. HOc intelligendum est primò de peccatoribus impœnitentibus. 2. De peccatoribus, si eorum merita respiciantur, vt tales enim à Deo exaudiri non merentur: quamuis ex

Peccatores quomodo dicatur Deus non audire.

sua clementia eorum preces Deus exaudiat: vt patet 4 Reg. 13. *Regnauit Ioachaz super Israel; & fecit malum coram Domino; secutusque est pecca-ta Ieroboam. Iratusque est furor Domini contra Israel; & tradidit eos in manus Regis Syriæ. Deprecatus est autem Ioachaz faciem Domini, & audiuit eum Dominus; vidit enim angustiam Israel, quia attriuerat eos Rex Syriæ. Veruntamen non recesserunt à peccatis domus Ieroboam, qui peccare fecit Israel.* 3. Magis aptè ad Euangelicum textum, hypocritas peccatores Deus non exaudit, cum ad sanctitatem, qua carent, simulandam, Deum signo aliquo cooperari vellent. Nam, vt bene dicitur Sap. c. 1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*; seu ex Syriaco textu: *Spiritus sanctus fugit à fraude.* Cum ergo Deus purissimus spiritus sit, ab hypocritæ peccatoris fraudibus maximè abhorret; adeoque Deum nullatenus hypocritæ peccatoris fraudulentam simulationem signis fouere dicendum est. Ideo de eo sub humana carne venturo prædictum est Malachiæ 4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ.* Deus enim, vt iustus rerum omnium æstimator, qualis quisque est, cognoscit, & detegit. Benè autem Clemens Alex. ait 3 Stromatum, *Hypocrisis est instar niuis; & hypocrita est quasi sterquilinium niue contectum; vtpote qui vitia omnia candore simulatæ virtutis velut niue contegit.* Quare sicut Solis radii immunda loca niuis candore contecta, niuem liquefaciendo, qualia sunt, detegit: ita Deus iustitiæ Sol fraudes dissipando, ficta sanctitate contectos homines, quales verè sunt, sua luce demonstrat.

Hypocrita est sterquilinium niue contectum, quod sua efficacia Sol iustitiæ detegit.

70. Obijci hîc potest, quod de Deo erga prævaricantes, & incredulos Israëlitas dicitur Psal. 77. 29 *Desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo.* Ergo etiam peccatores Deus ita audit, vt eorum desiderio satisfaciat. Respondetur sæpè temporalia peccatoribus à Deo concedi, sed in eorum supplicium, vt citato Psal. patet, vbi post concessas carnis escas, dicitur: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos; & occidit pingues eorum.*

Peccatoribus interdũ tẽporalia in supplicium dantur.

Sed si quis Dei Cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudiet.

71. TAm promptè, & liberaliter Deus iustos, diuinæque voluntati obsequẽtes exaudit; vt eorum preces non expectet: sed dum quid à Deo petituri sint, meditantur, eis suam Deus beneficentiam celerrimè largiatur. Ideo dicitur Psal. 9. 17. *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Vbi ex Hebræo legitur: *Præparas cor eorum: auscultabit auris tua.* Deus enim iuxta S. Thomam internis illustrationibus ita iustorum corda præparat; vt non nisi Deo grata, ipsisque petentibus salutaria petere meditentur: & hinc fit, vt Deus celeriter, quæ ipsemet inspirauit, exhibeat. Propterea Psal. 20. 3. idem Dauid ait: *Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.* Similiter Isaiæ 65. 24. Iustis Deus pollicetur: *Antequam clament, ego exaudiam.* Quare non est semper necesse Deum cum Dauide rogare Psal. 16. 6. *Inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.* Quia vt idem Dauid testatur Psal. 33. 16. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Vbi ideo erga iustos Deus intentos habere oculos, & aures dicitur; quia statim vt aliquid petierint, illud libentissimè exhibet.

Liberalitas Dei quàm celeris ad beneficia largienda sit.

A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non posset facere quidquam.

72. A Seculo, hoc est, ab orbe condito. Sic Genes. 6. 4. de gigantibus dicitur: *Isti sunt potentes à seculo viri famosi.* Benè autem illuminatus cæcus arguit: Christo Iudæi credere debetis; non solùm, quia me cæcum à natiuitate illuminando miraculum edidit antea ctis seculis inauditum; sed quia nihil omnino supra naturæ vires, & miraculosum operari posset; nisi à Deo esset, à quo solo miracula operandi potestas dari potest.

Responderunt, & dixerunt ei? In peccatis natus es totus; & tu doces nos?

73. QVod dubitantes Domini discipuli interrogarunt: *Quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Eamdem cæcitatis causam Pharisæi certò asserentes cæco exprobrarunt; quòd ob sua, & parentum peccata ex animæ maculis in oculorum etiam deformitatem incurrisset. Existimarunt enim non solùm ob originale peccatum; sed etiam ob actualia parentum peccata, & ob propria futura hominem in ipsa natiuitate interdum à Deo puniri. Idque significarunt dicentes: *In peccatis natus es totus.* Quasi ita dicerent: Sapiens de se testatur: *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam*, idest bonæ indolis, & ad bonum omne propensam: & hinc Salomon deducit: *Veni ad corpus incoinquinatum.* At tu è contrario rude ingenium, & prauæ indolis animam sortitus es; cui propterea corpus cæcitate deforme respondit. Cur ergo non te pudeat, quòd nos aliter natos docere tu audeas?

Sap. c. 8. 19.

Et eiecerunt eum foras.

74. CÆcum extra Synagogam eiecerunt, in qua Scribæ, & Pharisæi tamquam Mosaicæ legis periti, & ad eamdem legem rerum spectantium iudices suum tribunal habebant. Fuit hoc tertium à Christo Domino in cæcum collatum beneficium. Primum fuit oculorum illuminatio. secundum fides, constantia, ingeniique acumen, quibus Dominum à Pharisæorum calumniis acerrimè defendit. Tertium fuit à Synagoga eiectio. Quod tertium beneficium simile illi fuit, quod in Loth Deus contulit; cum eum à Sodomæ incendio liberauit. Genes. 19. Nam, vt benè Ecclesiasticus ait 21. 10. *Stuppa collecta Synagoga peccantium; & consummatio illorum flamma ignis.* Sicut enim eodem in loco stuppa plurima collecta statim à proximo igne corripitur: ita peccantium Iudæorum Synagoga citò à diuinæ vindictæ igne corripienda, & consumenda erat. *Et consummatio*, hoc est finis, *illorum flamma ignis*, scilicet Gehennæ; in quam post vitæ finem iomqui Synagogæ iudices ex iusta Dei vltione sunt eiecti.

Beneficium triplex in cæcũ natum Domini contulit.

Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras: & cum inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum; & qui loquitur tecum, ipse est.

75. CVm Dominus illuminatum cæcum è Synagoga eiectum scientia sibi diuinitus communicata benè nosset; cur non potiùs

ad diuinam scientiam, quàm ad auditum ex aliorum sermone Domini auditum Euangelista refert. Huius ratio reddi potest; quia cum Dominus illuminatum cæcum foras à Synagoga eiectum, adeoque, vt excommunicatum plurium sermone publicè diffamari, & traduci audisset; inde motus est ad ei per fidem perfectam cœli ianuam aperiendam. Si enim *Qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ipsorum est regnum cælorum*: vtique cæci propter iustitiam persecutionem patientis regnum cœlorum erat; ideoque ei cœlestis regni ianua erat aperienda. Aperta est autem ei cœli ianua; cum ei se Dominus, vt Dei filium manifestauit; qui de se verissimè dixit Ioa. 10. 9. *Ego sum ostium; per me si quis introierit, saluabitur.* [Matt. 5. 10.]

At ille ait: Credo, Domine: & procidens adorauit eum.

76. CVm Dominus illuminatum cæcum alloquens illuminationis à se diuinitus factæ mentionem nullam fecerit; quæri hic potest, an illuminatus cæcus Dominum, vt talis miraculi auctorem agnouerit; & hinc ad Christi verbis credendum; & ad eum, vt Dei filium adorandum motus fuerit? Censet Caietanus à cæco Dominum, vt suæ illuminationis auctorem fuisse cognitum: cuius sententiæ subscribo, addens illuminatum cæcum ex interno lumine diuinitus communicato id cognouisse; cum non antea, sed tunc primùm Dominum vidisset. Nec probabiliter dici videtur ex paucis illis verbis ante à Domino prolatis: *Vade, laua in natatoria Siloe*, postea Dominum à cæco ex voce, & loquela fuisse cognitum. Porrò piè, & probabiliter credi potest, cæcum post illuminationem vehementer exoptasse suum benefactorem agnoscere, eique gratias agere: cuius pio desiderio Dominus vt satisfaceret, ad se viuendum, & agnoscendum obtulit. Si enim teste Isaia, & Apostolo Dominus ait: *Inuentus sum à non quærentibus me; palàm apparui ijs, qui me non interrogabant*: multò magis Dominus quærentibus eum se libentissimè præsentem exhibet. [Isaia c. 65. 10. ad Rom. 20.]

78. Dices: si illuminatus cæcus ex interno lumine Dominum, vt miraculi auctorem tandem agnouit; cur non statim ei, tamquam eximio benefactori gratias egit? Respondeo cæcum, internum illud lumen, sub finem Domini verborum habuisse, & ideo simul cognoscens Dominum, vt suæ illuminationis auctorem, & vt Dei filium *procidens adorauit eum.* [Matth. 2. Cæcus nonus Dominũ adorãs, Magis regibus cõparatur.]

79. Magi Reges Dominum recens natum procidentes adorauerunt. *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Illuminatus cæcus mendicus procidens, & adorans Dominum, sanctos illos reges est imitatus; non quidem auri, thuris, & myrrhæ munera; sed supernaturales fidei, spei, & charitatis actus offerendo. Ad Dominum adorandum stellæ lumine ducti sunt Magi; cæcus verò à suis ipsis illuminatis oculis ductus est.



FERIA QVINTA

POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, &c.

Euangelij nexus, & ordo.

1. DVO sunt, quæ homines maximè ad benè viuendum excitare possunt; mors imminens; & post mortem ad vitam resurrectio: hæc spe excitat, illa verò timore. Hæc duo in præsenti Euangelica historia mentis oculis proponuntur. Primò mors imminens proponitur, quæ ita mortalibus omnibus communis est; vt eam neque adolescentia; neque ingens materni amoris sedulitas, neque nobilitas, & opulentia ob. Euangelico hoc defuncto auertere potuerint. Ad hoc enim indicandum defunctus adolescens dicitur matri viduæ vnicus: & ad nobilitatem, opulentiamque eius testandam, multâ ciuium turbâ dicitur comitatus. Secundò ad insinuandam ex Dei imperio futuram ad vitam resurrectionem, defunctus adolescens Domini imperio ad vitam reuocatur coram ingenti hominum multitudine: *Adolescens, tibi dico, surge; & resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui.* Hinc benè S. Th. ex Gregorio Nysseno ait: *Resurrectionis experimentum non ita verbis, sicut operibus à Saluatore didicimus, qui ab inferioribus inchoans opus miraculi, fidem nostram assuefecit ad maiora. Primò quidem in ægritudine desperata serui Centurionis, resurrectionis incepit potestatem: post hæc altiori potestate ducit homines ad fidem resurrectionis, dum suscitauit filium viduæ, qui ferebatur ad monumentum.* [S. Th. in Luc. c. 7. Greg. disp. de anima, & resurrectione. Matth. 8.]

Ibat in ciuitatem, quæ vocatur Naim; & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa.

1. PLurimam hominum multitudinem sæpè Dominum sequi consueuisse alibi etiam legimus. Lucæ 8. *Cum turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Iesum.* Lucæ 6. Dominus stetisse dicitur *in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & Maritima, &*

Tyri, & Sidonis: qui venerant vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis: & qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Duabus igitur veluti manibus ad Dominum hominum multitudo trahebatur; eius scilicet cœlesti doctrina propter medelam animarum; & languores curandi potestate propter medelam corporum.

Ingratus Iudæorum animus erga Dominũ, eiusque præcursorẽ Ioannem.

3. Sed ex tam ingenti hominum multitudine, cùm impijssimè Dominus ad mortem damnaretur, quis aduersus iniquos Scribas, & Pharisæos pro Domini innocentia verbum vllum protulisse legitur? Similiter cum de Ioanne Baptista dicatur Matth. 3. *Exibant ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem:* Nihilominus pro sanctissimo viro ab impio Herode detento in carcere, neminem intercessisse legimus. Benè ergo dicitur Ier. 17. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum*, cui scilicet innitatur, *& à Domino recedit cor eius.* S. Augustinus ser. 82. de tempore afferens Iosephi verba dicta Pharaonis Pincernæ Gen. 40. 14. *Memento mei, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere*, ait: *Quia nondum scriptum erat: Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in homine; cum in omnibus Dei gratiam meruisses, subreptum est illi, vt ab homine auxilium peteret. Pro qua re additi sunt duo anni; quibus adhuc teneretur in carcere; tamquam diceret ei Deus: Ego tibi ostendo, vt magis à me, quàm ab homine debeas auxilium postulare. Sine vlla enim dubitatione credendum est, quod pro castigatione sancti Ioseph non permisit Deus magistrum pincernarum, vt in mente haberet, quod ei sanctus Ioseph, quando de carcere dimissus est, supplicauerat.* Idem docet Chrysost. hom 6. in epist. ad Tim.

Ps. 11. Iosephi liberatio in duos annos differtur, quòd ad humanum auxilium confugerit.

Religiosorum exemplum alios ad Deum trahere debet.

4 Præterea in allatum Euangelii textum moraliter benè notat Hugo Cardinalis: si hoc etiam tempore Domini discipuli, idest Ecclesiastici, & religiosi viri, prout eorum status exigit, spirituali virtutum progressu Dominum sequerentur; vnà cum ipsis eorum exemplum sequens, Dominum etiam copiosa populorum multitudo sequeretur.

Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ, & turba ciuitatis multa cum illa.

5. Comitandi funus consuetudo tum ad defuncti honorificentiam, tùm maximè ad ipsorum comitantium vtilitatem inducta est: excitantur enim prosequentes funus ad mortis memoriam hominibus apprimè proficuam, & necessariam. Gen. 3. dicitur: *Collocauit Deus ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Vbi sacri interpretes volunt, hanc Angelorum custodiam flammeos gladios vibrantium adhibitam esse, tum ad homines, tum ad dæmones arcendos. Quæritur autem cur opus fuerit Paradisi custodia aduersus dæmones: non enim immundi spiritus eò ingredi contendissent, vt homines iterùm ad culpam allicerent; cum humanum genus inde omninò fuerit eiectum. Rursus neque eò ingredi conati dæmones essent visendi loci amœnissimi curiositate: Angeli enim etiam praui, cum naturalium rerum ingenitas species habeant, ad naturalia obiecta videnda, accessu ad ipsa obiecta non indigent. Respondetur arceri debuisse à Paradisi aditu dæmones, ne

Mortis memoria quãtùm profit. Hîc, & sequentibus.

Dæmones à terrestris

A inde arboris vitæ fructum decerpentes, eo dono hominibus imminentis mortis metum adimerent. Adeo mortis metum ad humanum profectum conferre; adeò propulsandæ mortis securitatem hominum perniciem parere certum est.

Paradisi aditu arcentur, ne decerpto arboris vitæ pomo hominibus mortis metum adimerent.

6. Matth. 8. de Redemptore dicitur: *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes.* Vbi quæritur quare in mortuorum sepulchris immundi spiritus dæmoniacos habitare coëgerint? Expressè enim Marcus de horum vno dæmoniaco ait: *Statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis.* Respondet primò Chrysost. *Quia perniciosam opinionem ingerere hominibus conantur, quòd hominum, qui obierunt, animæ dæmones fiant.* Quem errorem Tertullianistas B asseruisse testatur August. lib. de hæresi ad Quoduultdeum c. 86.

Ita Porrom & alii. Dæmones cur energumenos in sepulchris habitare cogebãt. Hîc, & n. sequẽti.

Cap 5.

In Matth. hom 19.

Defunctorũ animas dæmones fieri Tertullianistæ perperã asserebant.

7. Respondetur Secundò propositi quæsiti efficaciorem rationem indicari à Sancto Matthæo, à quo huiusmodi dæmoniaci dicuntur fuisse *sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam.* Arcebant igitur immundi spiritus viatores à sepulchrorum aspectu, ne monumentis visis imminentis mortis memoria moniti ad meliorem viuendi formam excitarentur.

8. Primò Regum 6 de vaccis non antea iugo subactis, arcam Domini asportantibus, dicitur. *Ibant in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames; & itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes; & non declinabant neque ad dexteram, C neque ad sinistram.* Vbi quæritur, cuius ductu vaccæ illæ, alioquin indomitæ, quamuis à mugientibus vitulis retrorsum reuocarentur, nihilominus rectà perrexerint? Respondet Origenes, hanc directionem belluarum fuisse *operatione quadam dæmonum ministratam, qui persenserint arcæ Domini virtutem, quâ non solum affligebantur, & puniebantur Allophyli; verùm & cultus ipse dæmonum destruebatur, vt pote simulacris eorum, templisque ad ingressum arcæ Domini corruentibus.* Extra igitur Philistæos fines arcam Domini dæmones expulerunt, ad idololatriam seruandam. Cui addi potest, ne simul cum destituta idololatria ab aliis etiam peccatis Philistæi deterrerentur; deterrebantur autem, quia D vt sacer textus ait: *Fiebat pauor mortis in singulis vrbibus.* Vt igitur mortis pauorem expellerent, arcam Domini dæmones expulerunt: adeo dæmonibus noxia, hominibus proficua est mortis formido; quæ mirum in modum à peccando homines deterrentur.

Vaccas portantes arcã impulerunt dæmones extra Philistæos fines, vt ab eorũ mortis timor remoueretur

1. Reg c. 2.

9. Mira est vox illa Sancti Iob, cum in hac mortali vita tot culpis obnoxia ait: *Non peccaui.* Si verò quæratur, vnde tanta innocentia illi prouenerit? Respondet ex imminentis mortis consideratione; ita vt propterea dixerit: *Spiritus E meus attenuabitur; dies mei breuiabuntur; & solùm mihi superest sepulchrum: Non peccaui.* Ex illo antecedente hoc consequens prouenit. Subdit proximè Iob: *In amaritudinibus moratur oculus meus.* Quænam est ista amaritiea, in qua sancti viri mentis oculus perpetuò versabatur? Vtique est assidua mortis memoria, de qua dicitur: *Siccine separat amara mors?*

Iob c. 17. Mortis memoria perẽnis innocẽtem Iob fecit.

1. Reg 9.

10. *Puluerem, in quo se mula volutauerit, corpori inspersum mitigare ardores amoris*, docet Plinius. At multò magis sepulchri puluis, si assiduè ante mentis oculos obuersetur, prauos concupiscentiæ æstus, ad peccandum incitantes omninò sedabit. Porrò quàm verè Sanctus Iob supra dicat: *Solùm mihi superest sepulchrum*, testatus est

Plinius lib. 30 c vlt. Puluis ex mulæ volutabro libidinem concupiscentiam sedat: Similiter sepulchri puluis mentis oculis obiectus.

Cyri tumulus.

Cyrus in illa sui tumuli inscriptione: *Ego sum Cyrus, qui Persarum Imperium acquisiui: non inuideatur huic exigua terra, operienti meum pauperculum corpus.* Quæ verba ab Alexandri magni oculis lacrymas expressisse eius testatur historia.

Grues arenas deglutiunt, vt volatum temperent. Homo sepulchralem cinerem meditetur, vt recta ad cælū tendat.

Teste Plinio lib. 10. cap. 23. Grues, & Otides aues ne ventorum vi instabili volatu ferantur, gutture arenas assumunt, earumque pondere propriam leuitatem temperant. Nos similiter, ne inanis gloriæ vento, terrenæque prosperitatis tumore à recto in cælestem patriam volatu retardemur, quotidiana mortis, & sepulchralis cineris meditatione Dauidem imitari debemus, qui inter regios honores, & delicias de se testatur: *Cinerem tamquàm panem manducabam.* Vbi benè Hugo ait: *Cinerem tamquam panem manducat, qui de memoria infirmitatis suæ reficitur. Et hoc multùm roborat contra peccata*: Idque iuxtà Hieronymum, qui ait: *Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum*: Hieronymo consonat Epictetus Philosophus in Enchyridio c. 28. *Mors, & exilium, & omnia, quæ in malis habentur, ob oculos tibi quotidie versentur: omnium verò maximè mors. Sic nihil vmquam humile cogitabis, nec impensè cupies quidquam.*

Ps. 101. 10.
Hieronymus t. 3. ep. ad Paulin. sub finem.
Epicteti sententia de mortis meditatione.

11. Gen. 3. dicitur: *Fecit Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Tunicæ hæ tam viles fuerunt, vt eas Dei opificio indignas censuerit Rupertus; ac propterea *Fecisse*, idest faciendi necessitatem illis imposuisse interpretatur. Nihilominus cùm tam vilia fuerint pellicea huiusmodi indumenta, illa *vestimenta honoris*, Chaldæus paraphrastes vocat. Cur honoris vestimenta dicuntur, cum potiùs vt vilia, ad ignominiam fuerint? scilicet quia huiusmodi pelliceæ tunicæ ex mortuis animalibus detractæ memoriam mortis primis nostris parentibus assiduè reuocabant. *Talibus oportebat indui peccatorem, quæ essent mortalitatis indicium*, ait Origenes. Cum igitur mortis memoriam reuocarent, benè poterant *honoris vestimenta* dici: quandoquidem ea frequenti mortis memoria potest homo ad immortalitatis honorem iterùm acquirendum aspirare; vnde iuxtà Dauidem deiectus est: *Homo cum in honore esset, non intellexit.* Isaiæ 61. 3. ad homines se missum Redemptor ait: *Vt darem eis coronam pro cinere.* Homo enim posito ante mentis oculos cinere, in quem mortuus reuersurus est, coronam gloriæ benè viuendo facilè consequi potest.

Rupertus lib. 3. de Trinit. oper. c. 27.
Tunicæ pelliceæ primorum parentum cur vestimenta honoris dicantur?
Origenes Homil. 6. in Leuit.
Ps. 48.

12. Psal. 77. 34. de Deo, & præuaricantibus Israëlitis dicitur: *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Vbi quæritur, si delinquentes occidebantur, quomodo de iam occisis dici potuit: *Reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum?* Benè respondet Augustinus: *Quærebant eum non vtique ij, quos occiderat; sed qui exemplo eorum occidi timebant.* Adeo ad Deum quærendum, & à peccatis se auertendum, mors imminens homines excitat.

Morte frequenti aliorum visa, superstites se corrigunt.

13. Eodem Psalmo de peccatoribus dicitur: *Defecerunt anni eorum cum festinatione.* Quare festinanter ad mortem properare peccatores dicuntur? Huius ratio petenda est à Salomone, qui Sap. 5. 12. peccatorum vitam voluptatibus peractam, *Sagittæ in destinatum locum emissæ* comparat. Sagittarius quò magis arcum tendendo, sagittam à scopo retrahit; eò velocius ad destinatum locum sagitta peruenit. Destinatus finis, ad quem humana vita tendit, mors est: quò magis à mortis memoria homo retrahitur, eò velociùs ad eam properat; nimis scilicet voluptatibus, in voluptuosi hominis supplicium, mortem accelerantibus.

Sagittæ vitam peccatoris cur Salomon comparat?

14. Ad idem indicandum Ecclesiastæ c. 8. dicitur: *Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius; sed quasi vmbra transeant, qui non timent faciem Domini.* Vmbra cum longior apparet, tunc propior fini est, & breuiori tempore euanescit. Similiter cum peccatores longiorem sibi vitam fingunt, tunc in criminum pœnam ad vitæ finem magis accedunt, citiùsque esse desinunt.

Peccator cū longiorem sibi vitā fingit, tunc citius ad vitæ finem accedit.

15. Ecclesiastæ c. 1. 4. dicitur *Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat.* Quæ verba ad litteram de terreno orbe, non vt cælum circumacto, sed immoto intelligenda sunt. Per derisionem tamen de terra, nempe de homine accipi possunt; cui dictum est Gen. 3. *Terra es; & in terram reuerteris.* Homines enim, maximè peccatores se diù stare posse præsumentes, animum ab imminentis mortis cogitatione auertunt; & tamen semper ante mortalium oculos *Generatio præterit, & generatio aduenit.*

iuxtà 70.
Peccator diuturnam vitam sperans deridetur.

16. In Canonica epistola S. Thadæus Apostolus peccatores *Arbores infructuosas, & eradicatas* vocat. Quæritur quænam sint talium arborum radices, & vnde erutæ; vt propterea bonorum operum fructum nullum afferant? Respondetur ex Gregorij verbis: *Quod radix arbori, hoc vnicuique hominum cogitatio sua est.* Vt autem cælestes fructus educantur, humana cogitatio intra mortalitatis terram, in quam homo reuersurus est, obrui debet. Mirum sanè est hoc, quomodò ex radicibus intra mortalem terram obrutis cælestes fructus immortalitatis oriantur: hoc tamen Isaiæ vaticinium de iusto apertè testatur: *Mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.* Hinc S. Chrysost. nos hortatur, vt ad cælestes bonorum operum fructus pariendos, sursùm ad cælestem patriam mentis oculos attollamus: *In cælum*, inquit, *paululùm suspiciamus.* Sed si à sancto quæratur quanā via mētis oculos ad cælestia aspicienda dirigere debeamus? immediatè respondet: *Mortuorum monumenta, & tumulos consideremus; & nos eumdem exitum manere, eamdem migrandi necessitatem nonnumquam ante vesperam imminere in mentem veniat.* Quare ex Chrysost.; vt sursùm mentis oculi eleuentur; deiiciendi sunt corporis, mentisque oculi intra sepulchrum; nempè intra tumulorum tenebras cæli claritas animo mirum in modum affulget. Qui sibi ipsi sæpius repræsentat futurum mox suum corpus aridorum ossium congeriem intra sepulchrum; is ad audiendam diuinam vocem apprimè aptum se reddit. *Ossa arida, audite verbum Domini*, dicitur Ezech. 37. Quare non solùm verè mortui, sed etiam ij, qui adhuc viuentes tamquam mortuos quotidie se considerant, tales sunt; vt de iis verè dici possit: *Mortui audient vocem Filij Dei.* Idque etiam Moses mysticè insinuauit; cum Deut. 32. dixit: *Audiat terra verba oris mei*: is enim ad eximium animæ profectum cælestia verba audire dignus est; qui assiduè se è terra formatum, in terram citò reuersurum esse cognoscit; iuxtà irreuocabilem Dei sententiam Gen. 3. *Terra es, & in terram reuerteris.* Hinc Ieremias rerad diuinā vocem audiendam, terram aduocat: *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini.* Is enim, qui assidua suæ mortalitatis consideratione se terram fuisse, esse, & mox omninò fore cognoscit, diuinis certè illustrationibus idoneus est: qui autem à terrena

12. Mor. c. 22.
Arbores infructuosæ, & eradicatæ ne homines sint, intra sepulchrum cogitationem veluti radicem figant.
Isaiæ c. 37.
Hom. 2. in Parasc. tom. 2 Biblioth. PP.
Cælum vt animo, ac desiderio suspiciamus mentis meditatio intra tumulos versari debet.
Mortē meditantes diuinam vocē audire digni sunt.
Io. 5.
Ieremias c. 22.

mortalitate cogitationem auertit, infructuosa arbor est, Gehennæ incendio destinata.

Eburnea domus à Rege Achab ædificata quid mysticè nos docet?

17. Lib. 3. Reg. c. 22. 39 dicitur Achab ædificasse sibi domum eburneam; parietes scilicet ebore incrustando ad delicias, & opulentiæ ostentationem. Sed qui æternæ saluti acquirendæ studet, non ex ebore ad inanem magnificentiam; sed ad assiduam mortis memoriam, rerumque temporalium contemptum ex mortuorum ossibus in mente domicilium sibi multò vtilius construere debet. Contra verò qui superba domicilia ingenti sumptu magnificè sibi construunt, se ipsos perniciosè decipientes, mortalis vitæ breuitatem ignorare videntur. Agrigentinis, qui magnis impensis magnifica sibi domicilia excitabant teste Æliano lib. 12. c. 29. Plato dixit: *Agrigentini ædificant quasi semper victuri.* Similiter apud Plutarchum lib. de cupiditate diuitiarum, Rhodiorum damnans luxum, eos, vt immortales ædificare, Stratonicus dixit. Ioannes Cuspianus de Turcarum moribus ait: *Simplicitatem ostendunt Turcæ in ædificiis construendis, licet sint ditissimi: rarò ex lapidibus, frequenter ex ligno construunt: rident mirum in modum Christianos, cum tanta vident ædificia, quæ ideo putant extructa, quia credant se perpetuò victuros.*

18. Ad mortis memoriam, præcipuè in huius vitæ prosperitatibus habendam, ait Beatus Petrus Damiani opusc. 13. c. 5. *Apud Græcos hæc teneri consuetudo perhibetur; vt cum Imperator quis in dignitate creatur, mox vt imperialibus fuerit infulis redimitus, corona simul, & sceptri gloria decoratus; cum denique procerum vallatur obsequiis; cum excipitur modulaminibus & psallentium choris, quidam ei præsto fiat obuius, qui videlicet vna manu vasculum plenum mortuorum ossibus, ac pulueribus offerat: in altera verò stuppam lini subtiliter pexam, ac pilis pensilibus molliter demolitam, cui proximus ignis adhibetur; & repente in ictu oculi flamma subito vorante consumitur. Vt in altero debeat considerare quod est; in altero valeat videre quod habet. In cineribus siquidem se cinerem recognoscit; in stuppa iam colligit in die iudicii quam subito mundus ardebit:* adeoque, quòd omnis mundana possessio conflagratura sit.

Imperatorio prim vm creato Græci offerebant vas mortuorum ossibus plenum, & stuppam admoto igne cremandam.

Agrippæ Regi ex eadem volucre, prius regni, deinde mortis præsagium.

19. De Agrippa Iudæorum rege à Tiberio in carcere detento narratur bubonem, auem funestam propè ipsum Agrippam insidentem ei primò restituendum regnum; deinde aliquot transactis annis proximam mortem præsagisse. Quidquid sit de præsagiis ex se fallacibus; quibus interdum vel casu, vel dæmonum opera respondet euentus: profectò ex allato Agrippæ præsagio, humanæ felicitatis simul, & mortis affinitas cognosci facilè potest. Audiamus Iosephum lib. 18. antiq. c. 8. *Agrippa vinctus ante regiam stabat, inter alios æque vinctos, incumbens in quamdam arborem: cui cum insedisset bubo, vnus è vinctis natione Germanus alitem conspicatus, sciscitatus est à milite, quisnam esset ille purpuratus; & cognito Agrippam esse: ô iuuenis, inquit, fieri non potest, quin confestim euadas ex his vinculis; & mutatis rerum vicibus ad amplissimam dignitatem, simul, atque potentiam peruenias. Memineris autem quando hanc alitem iterùm videris, quintum ex eo diem fatalem tibi futurum.* Agrippa ergo à Caio regno restitutus, cum annos aliquot feliciter regnasset, tandem, vt idem Iosephus refert lib. 19. c. 7. *vidit suprà caput suum bubonem funi extento insidentem: mox vt sensit hunc esse calamitatis nuncium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit. Cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil se remittente, confectus, vitam finiit.*

20. Dauid Ps. 89. cum de humanæ vitæ breuitate locutus esset, addidit: *Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur.* Ex August. legitur: *Quoniam superuenit mansuetudo, & erudiemur.* Quænam est ista mansuetudo, qua ad salutem erudimur? Est profectò sub vitæ finem appropinquantis mortis per languores, & morbos accessus: mortis enim propinquitas mansuetudinis nomine appellatur; tum quia humanæ superbiæ tumorem, & iracundiæ spiritus comprimit; tum quia à diuina clementia, & mansuetudine prouenit mortis propinquitas, vt nos ad salutem erudiat. *Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur;* hunc habet sensum, inquit S. Hieron. *Cum venerit Domini mansuetudo, & dies nobis mortis ingruerit, quæ putatur correptio esse, eruditio est, & doctrina.* Consonat Bellarminus dicens: *Ex ærumna senectutis,* (hoc est propinquæ mortis) *hoc boni consequimur, vt deposita superbia, & fastu humiliemur, & mansuescamus.* Porrò quòd mansuetudinis nomine propinqua mors sit intelligenda, satis Hebræa lectio indicat, in qua pro mansuetudine *tonsio*, hoc est vitalis staminis recisio legitur. Præterea vbi Vulgata habet *Corripiemur*, ex Hebræo legitur, *Auolabimus*; scilicet terrenorum affectuum vinculis expediti ad cœlestia amanda elato corde volabimus.

Mors imminens cur mansuetudo vocatur.

ep. 139. ad Cyprianum.

21. Si quis solem, mirabile Dei opificium contemplatus, quærat quem ad finem à Deo sol conditus sit? Respondetur statim: Ad mundum illuminandum. Sed iam ad mundi illuminationem primo creationis die lux prodierat Deo imperante: *Fiat lux, & facta est lux.* Cur igitur post productam lucem primo die, quarto deinde die sol creatus est? Respondetur ex sacra Genesi. *Dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem; & sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Ob hunc igitur præcipuum finem cum luna creatus est sol; vt suo cursu metirentur, & quodammodo hominibus numerarent tempora, dies, & annos: atque hinc fieret, vt suo ortu, & occasu sol, suisque defectibus luna quotidie monerent homines de mortalis vitæ lapsu, & defectu: ita vt quotiescumque solem occumbere videamus, quoties lunam minui; toties imminentis mortis accessum magis instare meminerimus. Adeo igitur proficuam hominibus mortis memoriam Deus esse censuit; vt ad hoc munus obeundum clarissimos monitores, nempe solem, & lunam mortalibus præficere voluerit. Hanc diuinæ prouidentiæ curam in solaris lucis productione insinuare voluit Dionysius, cùm ait: *Lux est mensura, & numerus horarum, dierum, totiusque labentis temporis.* Propterea etiam dixit Ecclesiasticus: *Sol in aspectu annuncians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi.* Quid suo in exitu sol mortalibus annunciat, nisi mortalis vitæ exitum semper magis, ac magis accidere? Simile munus tribuitur lunæ, cùm de ea ab eodem sapiente dicitur: *Luna ostensio temporis, & signum æui.* Hæc igitur mentis illustratio, vt cognoscamus vitæ fugam, mortisque accessum, principalius est à sole beneficium, quàm materialis, & corporea mundi illuminatio: Et propterea de hac posterius mentio fit, de illa prius: quandoquidem dicitur: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem: & sint in signa, & tempora, & dies, & annos; vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.* Alcuinus Flaccus de disputatione cum Pipino Caroli Magni filio, *Mortem hominis latronem esse* dixit:

Gen. 1.

Gen. 1. 14. Solem, & Lunam, et monitores humanæ vitæ ... prope ... præ ... Deus condidit.

De diuin. nom. c. 4. p. c. 4. 43.

Gen. 1. Mors ... dæ tamquam latronis quomodo vocatur.

dixit: hic latro, ne per tenebrarum insidias homines adoriretur, solem, & lunam veluti vigiles Deus posuit; vt hinc homines non imparati aduenientem mortem præsentirent. Ps. 118. v. 109. Dauid dixit: *Anima mea in manibus meis semper.* Animam in manibus semper habere, est in continuo mortis discrimine versari; atque adeo ante mentis oculos imminentem mortem habere. Iuxta hunc significatum Iob. 13. dixit: *Quare lacero carnes meas dentibus meis, & pono animam meam in manibus meis?* similiter Iudic. 12. *Posui animam meam in manibus meis.* 1. Reg. 28. *Posui animam meam in manu mea:* hoc est manifesto mortis periculo me exposui. Quare citato psalmi loco Chaldæus Paraphrastes ait: *Anima mea periclitatur, ac si in superficie manus mea esset semper.* Hinc autem Dauid bene deducit: *Et legem tuam non sum oblitus;* sed eam memori corde seruaui. Tantùm ad diuinæ legis custodiam imminentis mortis cogitatio magno animę profectu cōducit.

22. Gen. 47. 29. de Iacob dicitur: *Cum appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocauit filium suum Ioseph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo; & facies mihi misericordiam, & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto; sed dormiam cum patribus meis; & auferas me de terra hac, condasque in sepulchro maiorum meorum. Cui respondit Ioseph: Ego faciam quod iussisti. Et ille: Iura ergo, inquit, mihi. Quo iurante adorauit Israël Deum.* Similiter Gen. 50. 24. *Ioseph locutus est fratribus suis: Post mortem meam Deus visitabit vos; & ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob. Cumque adiurasset eos, atque dixisset: Deus visitabit vos; asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Quæritur ergo, cur tàm enixè Sancti isti Patriarchæ flagitauerint, vt inde eorum ossa asportarentur? Respondet Tostatus: *Sciebat Iacob, quòd Ioseph, nisi eum tàm arctè obligasset, intendebat facere ei sepulchrum pretiosum, & memorabile in Ægypto. Iuramentum ergo ab eo exigit, vt eo se obligatum sentiens, omninò à proposito absistat; & in auito patrum sepulchro modestè eum sepeliat in Chanaam.* De Iosepho respondet Chrysost. Iosephum petitione illa duplicem finem intendisse: *Vnum ne Ægyptij memores beneficiorum eius, cum pro more suo facile ex hominibus Deos appellent, corpus iusti haberent in impietatis occasionem. Alterum, vt securi, & certi omninò sint se redituros.* Respondet Rabanus: *Ioseph incolatum terræ Ægypti detestans, terram repromissionis desiderabat; vt quamdiu sumus in hac peregrinatione, veram patriam terram viuentium iustis promissam desideremus, & in eam transferri post mortem velimus.* Allatæ causæ vtriusque petitionis Iosephi, & Iacob verissimæ sunt. Sed ad rem nostrā dici etiam benè potest Deum Israëlitarum spirituali bono consulentē desiderium illud sanctis illis Patriarchis inspirasse; scilicet, vt dum Israëlitę per desertū ad promissionis terrā pergerent, suorū Patriarcharū ossa ante mentis oculos, veluti itineris duces perpetuò haberent; & hinc mortis memoria à diuinę legis præuaricatione, & ab Ægyptiarū carnium cupiditate auerterentur; itinerisque per desertum incommoda facilè superarent. Ossa enim arida carnis cupiditates mirificè comprimunt, ærumnarumque meritoriam tolerantiam mortalis vitæ proposito fine suadent. Vide Senecam libro de breuitate vitæ.

Iacob, & Ioseph cur, vt sua ossa ex Ægypto transferrentur tam enixè flagitarunt?

23. Apud Narsindos Magni Cataii, seu Tibetensis regni populos veræ religionis luce nondum illustratos, mos esse dicitur; vt eorum sacerdotes,

Ex litteris annuis Patrum Societ.

cum suorum cœtum ad preces conuocant, osseas tubas ex defunctorum brachiis, vel tibiis adhibeant. Similiter ad vocales preces certo numero fundendas globulis ex humanis craniis tornatilibus vtuntur. Idque, vt tam tibiarum illo sonitu, quàm globulorum vsu, mortis omnibus imminentis memoria excitetur. Non è defunctis corporibus osseus globulus; sed ex illorum capitibus capillos nostri seculi mulieres gestantes, possent non multò dissimilius recentem imminentis mortis seruare memoriam: quàm qui ritè seruant, promissionem illam consequi merentur: *Capillus de capite vestro non peribit.* Ad Ephes. 5. 17. fideles hortatur Apostolus, vt sint *redimentes tempus;* illud scilicet vt ad bona opera meritoria impendatur; redditque rationem: *quoniam dies mali sunt.* Ex Græco textu habetur: *Quoniam dies πονηροί,* hoc est *maligni sunt.* Malignum dicitur, quod parcè communicatur: hoc significatu *colles malignos, lucem malignam* Latinus poeta dixit. Dierum ergo parcitas mortalis vitę breuitas, atque adeo mors valde proxima, ad bene operandum, iuxta Apostolo stimulus esse debet.

Iesu anno 1626. Narsindi populi quomodo ad mortis memoriam excitentur. Hic, & n. sequenti.

Luca 21. Virg. Geor. 2. Æn. 6.

24. Apud eosdem Narsindos populos supra memoratos interdum conuiuæ mortuorum craniis ad potum, tamquam cyathis vtuntur; vt mortis memoria recenti, minus, vt ipsi aiunt, fluxis voluptatibus capiantur. Huiusmodi potandi more homines illi student, ne de iis dicatur: *Abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Eorumdem populorum mos est, vt quoties est iurandum; is, qui iurat, manus admoueat simulachro, quod ex terra mortuorum ossibus commista conflatur; scilicet, vt à mentiendo iurans deterreatur; cum ex huiusmodi Idoli simulachro ex mortuorum ossibus conflato se moriturum, & ante Deum iudicem statuendum esse recordari debeat.

Iob. 15.

25. Illud Ps. 117. *Circumdederunt me, sicut apes,* Pampolitanus interpretatur, de blanditiis, & oblectationibus falsæ voluptatis. Quam similitudinem elegantissimè explicat Boëtius 3. de consolatione metro 7. dicens:

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furentes:
Apiumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit; & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Apes furentes pulueris aspersione sedantur. Voluptatis stimuli sepulchralis pulueris meditatione cohibendi.

Sed ad apum vel inter se, vel in alios pugnam sedandam, vtilissimam iacti pulueris aspersionem apiarii experiuntur. *Dimicatio iniectu pulueris tota discutitur,* ait Plinius. Idem ad terrenæ voluptatis stimulos sedandos, mortales experientur; si mortis memores, in animum sepulchrorum puluerem cogitatione conspergent. Quod si iuxta communiorem Patrum interpretationem citato Psalmo, persecutores apibus comparantur; ne à persequentibus illatæ iniuriæ christianum animum turbent, sed eas patienter toleret, multùm mortis memoria iuuat. Ideo Ier. Thr. c. 3. dicitur: *Ponet in puluere os suum: Dabit percutienti se maxillam; saturabitur opprobriis.* Is in puluere os suum ponit, qui puluerem, in quem reuersurus est, sepè ante mentis oculos habet. Cum Petrus Apostolus iniurias vlcisci gladio vellet, ei Dominus dixit Matth. 26. 52 *Conuerte gladium tuum in locū suum.* Similiter minaci gladio dicitur Ezech. 21. 30. *Reuertere ad vaginam suam, in loco, in quo creatus es:* Tunc minax iracundiæ gladius, ne iniurias vlciscatur, ad vaginā suam reuertitur; cum homo ob imminentem vnicuique mortem, suam,

lib. 11. c. 17

Hugo in Isai. c. 49.

vt Hugo ait, terrenitatem, & fragilitatem considerat. Epulo diues ex eo maioris culpæ reatum incurrit, quòd ex Lazari vlceribus imminentem sibi, & vnicuique mortalium per morbos varios mortē ante mentis oculos habere debuisset; ideoque à crapula, aliisque vitiis eiicerat abstinendum. Quare Chrysost. in Lucam c. 16. sic Epulonem alloquitur: *Infelicissime hominum, mortem corporis tui vides iacere ante ianuam, & non misereris? Si Dei præcepta non consideras, saltem miserere conditioni tuæ; & time ne & ipse talis efficiaris.* Visi ergo languores, & morbi, siue in nobis, siue in aliis, mortis sint nobis proximæ monitores.

Vltio quę sanctè expeti potest?

B 26. Contra allatam citati psalmi interpretationem obiici potest, quòd ibi Dauid tantùm abest, vt ab vltione se alienum ostendat; vt in ea etiam exultare videatur, dicens: *Circumdederunt me sicut apes; & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.* Sed huiusmodi vltio sanctissimè expeti potest. *Vltus sum in eos*, idest, *conuersi sunt; & conuersi pœnas à se pœnitentia exigentes, vltionē sumpserunt de hoc quod circumierant me*, scilicet persequendo, ait Hugo.

27. Porrò quamuis adeo proficuum sit viuidam ab hominibus mortis memoriā seruari; ex nimio tamen mortalis vitæ amore factū est, vt hominum plerique mortis memoriā procul à mente repellere conentur. Lodouicus XI. Galliæ Rex ægrotus prohibuit, ne adstantium quisquam sub ipsius vitæ exitum mortis nomen pronunciaret: tantus ei solo mortis nomine timor incutiebatur. Benè C exclamauit Sapiens: *O mors quàm amara est memoria tua pacem habenti in substantiis suis.* Vnde mortis amarities prouenit? Plerumque à peccati conscientia: si quis autem admissæ culpæ conscius sibi non sit, à mortis amaritie liber erit. Benè ait Chrysost. *Vis scire causam, cur mortem timeamus? Non viuimus cum diligentia; non habemus conscientiam puram; quòd si hoc esset, nihil nos mors terruisset.* Bene etiam pronunciauit Tertullianus: *Non est timendum, quod nos liberat ab omni timendo. Si times vitā decedere, quia optimam nosti, certè mortem timere non debes, quam malam nescis. At cùm times, scis malam. Non scires autem malam, quia nec timeres; si non scires aliquid esse post mortem, quod eam malam faciat, vt timeas.* D Similiter Cyprianus ait: *Mors planè timeat; sed qui ex aqua, & spiritu non renatus, Gehennæ ignibus mancipatur: mori timeat, qui non Christi cruce, & passione censetur: mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit: mori timeat, quem de seculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit: mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, vt cruciatus eius, & gemitus interim differatur. Mortalitas ista, vt Iudæis, & Gentibus, & Christi hostibus pestis est; ita Dei seruis salutaris excessus est.* S. Ambros. lib. 7. in Lucam, explicans Redemptoris verba illa: *Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei*, remedium affert, quo mortem non timeamus, dicens: *Si fortis es; contemne mortem, si imbecillis, fuge. Sed nemo potest fugere mortem, nisi vitam sequatur. Vita tua Christus est, ipse est vita, quæ mori nescit. Itaque si volumus mortem non timere, stemus vbi Christus est; vt de nobis dicatur: Verè sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem. Soli enim non queunt gustare mortem, qui possunt stare cum Christo. Licet ex verbis ipsius perpendere, nec tenuem quidem mortis sensum habituros, qui Christi videantur meruisse consortia. Certè si mors corporis libando gustetur; vita animæ possidendo teneatur. Sed quis est homo, qui non morietur? Non hic mors corporis, sed animæ denegatur. Sunt enim, qui mortui viuant; quoniam sunt, qui viuentes mortui sunt; iuxta Apost. 1. ad Timoth. c. 5.*

Ludouicus Rex moriturus, mortis nomen exhorruit. Philipp. Comines l. 6. c. 12.

Mors quibus amara est, mortisque memoria horrorē incutiat? Eccli. 41.

Mortis metus quomodo vitetur? Hom. 5. ad pop. Antioch.

Lib. de testimonio animæ.

Ser. de mortalit.

Luc. c. 9. 27

A *de vidua. Quæ in delicijs est, viuens mortua est. Sunt profectò, quibus nec in morte corporis interruptus sit ordo viuendi. Sicut Abraham, Isaac, & Iacob, quos viuere diuina sententia auctoritate comperimus: quoniam, cum sit Deus Abraham, Isaac, & Iacob, non vtique mortuorum est Deus, sed viuentium, vt dicitur Matth. 22. 32. Neque enim Petrus mortuus est; cui inferi portæ præualere non potuit. Nec Iacobus, & Ioannes mortui, filij tonitrui; quibus in vsum gloriæ cælestis assumptis, non præualent terrena, sed subiacent. Esto ergo & tu Petrus, deuotus, fidelis, pacificus; vt portas Ecclesiæ aperias; portas mortis euadas. Esto filius tonitrui: potes esse, si non* B *in terra, sed in pectore Christi recumbas. Potes esse filius tonitrui; si te terrena non moueant, sed ipse potius ea, quæ terrena sunt, mentis tuæ virtute concuties. Tremat te terra, non capiat; vereatur caro potestatem animi tui, & concussa subdatur.*

Exodi. 3. 6

Matth. 16. 18.

Marci 3. 17. Ioannis 21. 20.

28. Vltimo loco notandum est, benè dixisse Senecam: *Nihil est iam sacrum, quòd sacrilegum non inueniat.* Cum enim mortis memoria ad rerum terrenarum contemptum, & ad sanctitatem acquirendam adeo proficua sit; nihilominus ob imminentem vnicuique mortem, breui hoc mortalis vitæ tempore voluptatibus auidè perfrui aliqui voluerunt. Hinc refertur ex Seneca epist. 12. *Pacuuius prætor in Syria fuit, qui quotidie splendide conuiuatus, cum se copioso vino de die ingurgitasset, solitus est vespere funus sibi adaptare, accersere tibicines, qui funebres modos canerent, & hoc* C *genus alia curare, ad funeris speciem repræsentandam. A cœna cum iam se sustinere ebrius non posset, iubebat se lectulo impositum, tamquam funus inferri in cubiculum, & cantari funebres modos. Βεβίωκε, βεβίωκε. Vixit, vixit. Indicabat enim eum demū diem præclarè se vixisse, quo ita esset conuiuatus; nec ducebat esse vitam appellandam, cum non liceret huiusmodi voluptatibus perfrui.* Profectò de Pacuuio hoc, eiusque similibus benè pronunciauit Iob. 21. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* E conuiuiis scilicet ad suppliciū; è mensa ad Gehennam; à saturitate ad æternam famem.

Mortis memoria, vitæque breuitate, aliqui ad voluptuosam vitam peragendam vtuntur.

29. Vt ad infernū descensus vitetur, & ad cœlum ascensus pateat; aliunde quàm à conuiuiis, & vo- D luptatibus, cū ex hac vita migramus, discedēdum est. Qui mare nauigāt, non ita portus inter se respondere experiuntur, vt qui ex tali portu soluit, certus esse possit ad alium destinatum portum sine naufragio peruenire. At quod in maris nauigatione non experimur, in spirituali nauigatione possumus reperire. In hac mortali vita tanquam in mari ad cœlestis patrię portū nauigamus. At quis mortalium firmā spem habere potest aduenientе morte ad æternum salutis portum appellendi? Firmam hanc spem sub vitæ exitum religiosi viri habere possunt è religionis portu soluentes. Hoc Bernardi oraculū affirmare epist. ad fratres de mōte Dei: *Monachus moriens aut vix, aut numquam è cella in infernum descendit; quia vix vnquam aliquis nisi cœlo prædestinatus in ea vsque ad mortem* E *persistit.* Dum in hac mortali vita ab inuisibilibus hostibus vndiq; obsidemur; vt ab obsidione tandem liberi ad æternam patriam ascendamus, duo nobis facienda Propheta Nahum, c. 3. mysticè monet: *Aquam propter obsidionem hauri: intra in lutum.* Aquam hauri, hoc est, ex intimo corde pias pœnitentię lacrimas elice: *intra in lutum*; attento scilicet animo profundam considerationem ingredere cogitando humanum corpus ex fragili materia, veluti è luto compactum, citò in terram dissoluendum. Hinc profectò fiet, vt terrena despiciendo, ad cœlestia animus dirigatur; cœlestique tandem regno potiri feliciter detur.

Portus est Religio, ex quo discedens ad cœlestem patriam peruenit.

Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam.

50. IOb 31. 16. de se testatur: *Si oculos viduæ expectare feci:* hoc est, vt Nicetas interpretatur: *Non sum passus viduæ oculos lacrymis contabescere:* statim enim S. Iob ad lugentem viduam solandam, eique opem ferendam accurrebat. Multò benignius Dei filius miseratione motus ad lacrymantem Euangelicam hanc viduam miserandam, & consolandam accurrit. Sed cur potius propter superstitis matris luctum, quàm ob defuncti adolescentis filii obitum commiseratione motus fuisse Dominus dicitur? Resp. Cardinalis Toletus, quia adolescens filius per mortem, non autem eius mater, ab huius seculi calamitatibus ereptus erat. Qui igitur quot malis præsens vita subiaceat, benè considerat, multa in morte homini bona aduenire cognoscet; ita vt etiam Menander Ethnicus dixerit: *Quem amat Deus, moritur iuuenis.* Hinc Sanctus Cyprianus serm. de mortalitate ait: *Quid aliud in mundo, quàm pugna aduersus diabolum quotidie geritur? Quàm aduersus iacula eius, & tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est; cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua, & iugis, & molesta luctatio est. Si auaritia prostrata est, exurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam Zelus abscindit.* Idem argumentum prosequitur S. Ambros. de bono mortis; & Seneca ad Marciam de consolat. Porrò cum iterùm ad mortalia vitę ærumnas adolescens hic Euangelicus à Redemptore renocatus sit; piè credi potest vlteriorem vitam ei ad præteritæ vitę correctionem, & ad spiritualium bonorum profectum tributam esse: diuina enim beneficia ad spiritualem animę vtilitatem tendunt.

Matri luctu potius, quàm defuncti filii morte cur Dominus miseratione motus dicitur? Mortalis vitæ calamitates plurimæ.

Dixit illi: Noli flere.

51. CVr ob filii mortem huic mulieri largius lacrymæ manarent, rationem eleganter reddit Nyssenus lib. de creatione hominis cap. 26. *Quia non erat spes vlla, qua posset filios recreare, tantæque leuamen orbitatis assumere. Vidua quippe erat, nec habebat alterum, quem pro defuncto conspiceret; nam partus ei exstiterat singularis. Solum hunc in doloribus genuerat; solum suis lactauerat vberibus; solus illustrabat eius conuiuium; solus erat causa lætitiæ. Cùm luderet, aut aliquid ageret, cum instrueretur, & ornaretur cum coæuis, in deambulationibus, in palæstris, in conuentibus iungeretur; omne quidquid matris oculis dulce, pretiosumque fuerat, solus vnicus afferebat. Iamque nuptiale tempus aduenerat, stirps videbatur generis, ramusculus successionis, baculus senectutis, & ætatis incrementum. Qui iuuenem retulit, florem simul, qui marcuerat, indicauit; cuius adhuc vultus lanugine vestiretur, & genarum decor grato fulgore nitesceret. Quid igitur super huius obitum mater pertulit? Quanto viscera eius igne percussa sunt! Quàm copiosissimas, & amarissimas super eum lacrymas fudit. Tabescens quodammodo, & cadauer eius amplectens, ne properaretur sepultura eius, tantoque casu satiari desiderans, diù longas in fletu voces emittere cupiebat.* Ad tantam ergo miserrimæ viduæ mœstitiam, calamitatémque solandam, ei Dominus dicit: *Noli flere*; eò quod fletus causa per vitam filio mox restituendam auferenda iam foret.

Viduæ ob filii mortem iustus mœror.

52. Præstereà quamuis ad vitam reuocandus defunctus non sit, moderatio etiam lacrymis ponenda est, vbi æternam salutem à fideli defuncto obtinendi spes esse debet. *Lugeatur mortuus*, ait sanctus Hieronymus; *sed ille, quem Gehenna suscipit; quem Tartarus deuorat; in cuius pœnam æternus ignis æstuat. Nos, quorum exitum Angelorum turba comitatur; quibus obuiam Christus occurrit; grauemur magis, si diutius in tabernaculo isto mortis habitemus. Quia, quandiù hic moramur, peregrinamur à Domino. Illa nos cupido teneat: Hei mihi, quia peregrinatio mea prolongata est: habitaui cum habitantibus Cedar, multùm peregrinata est anima mea.* Porrò lacrymæ, quæ ex charitate moderatè funduntur, erga consanguineos, vel proximos vitæ functos reprehensibiles non sunt. Quare S. Paulinus epist. ad Pammachium de obitu vxoris ait: *Bonæ lacrymæ charitatis, in quibus pater Abraham matrem repromissionis educit. Bonæ lacrymæ pietatis, quas Ioseph iustus impendit patri. Bonæ & lacrymæ orationis, quibus & Dauid stratum suum per singulas noctes rigabat. Sed quid sanctorum mortalium prædicem fletus? Fleuit & Iesus amicum; hanc etiam passionem de nostra infelicitate dignatus; vt mortuo infunderet lacrymas, & quem resuscitaturus erat virtute diuina, infirmitate lugeret humana. Licet in illo vno totam conditionem generis humani misericors, & miserator Dominus deplorauerit; & illis lacrymis peccata nostra fleuerit, & lauerit. Idcircò & tua, frater, lachrymæ sanctæ, & piæ; quia simili affectione manarunt, & dignam casti cubilis fleuere consortem; non diffidentia resurrectionis, sed desiderio charitatis.* Paulino consonat Ecclesiasticus dicens: *Fili, in mortuum produc lacrymas*, cap. 38. Extat egregia Chrysostomi epistola ad viduam de minuendo luctu, superioribus annis Flaminio Nobilio interprete impressa.

Lacrymæ in consanguineorum fidelium obitu cohibendæ, non tamen prohibendæ.
Ep. 25.
2. ad Corint. c. 5.
Ps. 119.
Gen. 23. 3.
Ps. 6.
Ioan. 11.

53. *Noli flere.* Ob commiserationem, vidua defuncti filii mater flere à Domino prohibetur. Alteri similiter matri dictum est: *Noli flere*; non tamen ad solatium, sed in pœnam. Etenim Synagoga Christi mater à Sancto Bernardo vocatur: de hac enim matre intelligit verba illa: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* Quæ verba de coronatione spineæ coronæ interpretatur. Huic etiam matri post sanctissimi filii mortem prohibitus est fletus; dictumque ei fuit: *Noli flere*; non tamen, vt dixi ad solatium, sed in pœnam. Nam post captam, & dirutam Ierosolymam prohibebantur Iudæi ab Ethnicis dominantibus ad dirutæ vrbis ruinas flere: quòd si id sibi permitti voluissent, erat ea flendi libertas pecuniæ pretio emenda. Quare de Iudæis ait Hieronymus: *Ut ruinam suæ eis flere liceat ciuitatis, pretio redimunt. Ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas: & ne fletus quidem eis gratuitus sit. Videas in die, quo capta est à Romanis, & diruta Ierusalem, venire populum lugubrem; confluere decrepitas mulierculas, & senes annis, pannisque obsitos: in corporibus, & habitu suo iram Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum; ac patibulo Domini coruscante, ac radiante anastasi eius, de Oliueti monte quoque crucis fulgente ve-*

De Passione c. 4.
Cantic. 3.
Iudæi flendi facultatem à Romanis victoribus pretio emūt.
In cap. 1. Sophoniæ.

xillo, plangere ruinas templi sui populum miserorum; & tamen non esse miserabilem. Adhuc fletus in genis, & limida brachia, & sparsi crines; & miles mercedem postulat, vt illis flere plus liceat.

Et accessit, & tetigit loculum, (Hi autem, qui portabant, steterunt) & ait: Adolescens tibi dico, surge.

34. TAngendo feretrum, & defunctum ad vitam reuocando, ad aliud maius miraculum in cruce patrandum Dominus veluti proludebat. In cruce enim pendens Dominus, cum sui sanguinis guttis Adami ibi sepulti ossa contigisset; ei ad vitam mox resurgendi vnà B cum ipso Domino, sanctisque pluribus, qui à monumentis rediuiui exierunt, vim communi-

Cap. 27.

cauit; testante Matthæo: *Monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.*

Ad Eph. 5.

Quare verba illa Apostoli iuxtà Ambrosij, aliorumque lectionem: *Surge, qui dormis; & exurge à mortuis, & continget te Christus,* Adamo dicta esse autumant Origenes, Athanasius, Cyprianus, & Epiphanius:

Lib. 3. Hæres. Heresi 46.

Caluariæ mons vnde dictus? Adamo super Caluariæ monte sepulto Domini sāguis fluens, resurgendi vim cōmunicauit.

qui expressè docet Adamum in Caluariæ monte sepulchrum habuisse; atque ab eiusdem Adami caluaria ibi inuenta, iterumque sepulta, monti illi nomen inditum fuisse; deinde Adamum Dominici lateris respersum sanguine, & aqua, viuificam resurgendi vim habuisse. Idem sic insinuat Augustinus: C *Verè, fratres, non incongruè creditur, quòd ibi erectus sit medicus, vbi iacebat ægrotus. Et dignum erat, vt vbi ociderat humana superbia, ibi se inclinaret diuina misericordia: & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter puluerem antiqui peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.*

Ser. 91 de tempore.

Redemisse scilicet è peccati, & mortis captiuitate. Idem indicat Tertullianus lib. 2. carminum contra Marcionem c. 4.

Hic hominem primum suscepimus esse sepultum.
Hic patitur Christus: pio sanguine terra madescit;
Puluis Adæ vt possit veteris, cum sanguine Christi D
Commistus, stillantis aquæ virtute lauari.

Idem ex aliorum sententia refert sanctus Hieronymus explicans citata verba Apostoli: *Surge, qui dormis; & exurge à mortuis, & continget te Christus. Testimonium hoc ad Adam dicitur in loco Caluariæ sepultum, vbi crucifixus est Dominus. Qui Caluaria idcircò appellatus est, quòd ibi antiqui hominis esset conditum caput. Illo ergo tempore, quo crucifixus Dominus super eius pendebat sepulchrum, hoc prophetia* E *completa est, dicens: surge Adam, qui dormis, & exurge à mortuis, & continget te Christus. Quia videlicet tactu sanguinis ipsius, & corporis dependentis viuificetur, atque consurgat: & tunc typum illum veritate complere, quo Elisæus mortuus mortuum suscitauit.*

4 Reg. 13. Elisæi ossiū cōtactu defunctus reuixit.

De quo dicitur 4. Reg. 13. 21. *Quidam sepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisæi. Quod cum tetigisset ossa Elisæi, reuixit homo, & stetit super pedes suos.*

Ser. 103.

35. *Adolescens tibi dico, surge.* Chrysologus in illa Apostoli verba 1. ad Corinth. 15. *Canet tuba, & mortui resurgent incorrupti:* Tu- A bam hanc, vocem Filii Dei esse affirmat. Hac certè tuba in præsenti Euangelio defunctus adolescens excitatur ad vitam. *Quæ est ista tuba?* inquit Chrysologus: *Illa, quam Dominus dixit: Mortui audiunt vocem Filij Dei. Tuba non quæ arctato spiritu per concauum cornu ligni, vel æris, tristem bellantibus dat mugitum: sed quæ de corde Patris, ore Filij, vitalem simul, & inferis, & superis dat clamorem. Tuba, quæ in principio mundum vocauit ex nihilo, ipsa in nouissimo mundum reuocabit ex perdito; & quæ initio hominem suscitauit ex limo, ipsa in fine hominem suscitabit ex puluere. Fratres sic credimus, quia tuba diuinæ vocis Chaos diuisit, collegit orbem, mundauit elementa, distinxit mundum, suspendit cælum, fundauit terram, mare vinxit, mersit inferos.*

Tuba mortuos ad vitā excitās Dei Filii vox & imperium. Ioan. 5. 25.

36. Porrò defunctus hic, quem surgere Dominus iubet, signanter adolescens fuisse significatur; ne quis adolescentiæ viribus fretus longiorem sibi vitam pollicitus, imminentis mortis metu liber, præsentis vitæ voluptate capiatur. Propterea Iob 14. de homine dixit: *Quasi flos egreditur, & conteritur,* seu *succiditur* ex Hebræa lectione. Florum duplex interitus esse potest; vel ab intrinseco, cùm ex se vitalis succi defectu flos arescit; vel ab extrinseco, cum alioquin adhuc victurus, conteritur, aut succiditur: Floris interitus ille naturalis est; hic verò violentus. Homo autem generaliter non flori ex se arescenti; sed ei, qui ab extrinseco C conteritur, aut succiditur, comparatur; vt significetur hominibus mortem violentam frequentissimè accidere: ab hac autem nulla vel florentissima ætas, vires nullæ liberæ esse possunt. Iobi sententiæ consonat Dauid Psal. 102. *Homo sicut fœnum dies eius; tamquam flos agri sic efflorebit,* hoc est, *deflorebit,* vt Glossa, & Haymo explicant. Vbi quæritur cur homo potius flori, qui in agro floret, quàm qui in prato, vel in horto nascitur, comparatur? Respondet S. Bruno hominem comparari potius flori in agro; eò quòd huiusmodi flos facilè, & frequenter succidatur, vel eradicetur, dum ager aratur: similiter homo facilè, D & frequenter violentum interitum subeat: *Purpureus veluti cum flos succisus aratro languescit moriens.*

Flori succiso potius, quàm arescenti, ob frequentem violentam mortē homo comparatur.

Æn. 9.

Ad humanæ vitæ breuitatem per florem expressam ostendendam, Dauidi eius filius Salomon subscribere videtur Cantic. 2. cùm enim dixisset: *Flores apparuerunt in terra nostra;* statim subdidit: *Tempus putationis aduenit,* idest tempus eos decerpendi, vt explicat Gregorius Nyssenus. Quare sicut in floribus apparere, & decerpi parùm distant; ita & humanæ vitæ ortum proximè subit interitus.

E 37. S. Gregorius in Iob cap. 19. Hominum multitudinem arbori comparat: hac in arbore adolescentes sunt veluti fructus prope apicem arboris collocati: qui tamen ne se à morte distare putent, ad eos carpendos vnicum pomorum mors habere dicitur: ad quod significandum Amos 8. Dominus dixit: *Quid tu vides Amos? dixi: Vncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: venit finis.* Vbi pomi cum homine similitudinem sic benè Cornelius explicat: *Vides arborem florentem, & floribus comptam imò onustam: Aduerte, ex quinquaginta floribus quibuslibet, vix vnus in pomum maturum euadet: ante quàm enim*

gemmescans, plurimi vel vento decussi, vel æstu arefacti, vel à vermibus arrosi, vel humore deficiente marcescentes decidunt, ex ijs verò qui gemmescunt, plurimi pariter, antequam in poma maturescant, similibus casibus in terram corruunt. Ita ex quinquaginta infantibus, qui nascuntur, vix vnus in virum euadit; sed alij in infantia, alij in pueritia, alij in adolescentia moriuntur. Præterea ne iuuenes iuuenilium virium agilitate, velut auolant aues mortis ictum effugere, se posse censerent; vbi legimus *vnanum pomorum*, Septuaginta legunt. *Vas, seu instrumentum aucupum*: Arabicus legit: *Sagittā venationis*. Sicut enim aucupes etiam auolantes aues sagitta figere norunt; ita etiam iuuenes iuuentutis agilitate mortem fugientes configere mors solet. Bene Tullius dialogo de senectute ait: *Ex ipsa vita discedimus tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo: commorandi enim nobis Natura diuersorium, non habitandi dedit. Quis est, quamuis sit adolescens, cui sit exploratum se ad vesperam esse victurum?* Galenus lib. Introduc. in solo hominis oculo morbos centum numerat: vt vel hinc nostra mortalitas, corruptio, & mors imminens ante mentis oculos habeatur.

Tomo 6. Dominus prius puellam, deinde iuuenem, deinde virū ad vitam reuocauit. Nyss lib. de creatione hominis. 26. Lib 2. hæres 66.

38. Præterea progressum quemdam in mortuis ad vitam reuocandis Dominum fecisse notat hic Salmeron. Primò enim ad vitam reuocauit Archisynagogi filiam duodecim annos natam, vt habetur Marci 5. *Puella, tibi dico, surge; & confestim surrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim.* Secundò hunc viduæ filium, qui vt Nyssenus ait: *Ex pueritia in iuuentutem iam iamque profecerat; cuius vultus lanugine vestiebatur.* Tertiò, è tumulo defunctum Lazarum excitauit, de quo Epiphanius ait: *Intra duuenibus inuenimus, quod 30. annorum tunc erat Lazarus, quando est suscitatus.* His ad Christi Domini sanguinis efficacitatem indicandam additur Adam, qui post vitæ annos nongentos, & triginta mortuus, & in Caluariæ monte sepultus, ex Dominici sanguinis contactu post tria annorum millia ad vitam est reuocatus; vt supra vidimus.

Et resedit, qui erat mortuus.

Animæ ad corporalem vitá reuocatæ, vbi detentæ fuerint: Hîc, & n sequenti. Tom 6. pag. 204.

39. QVæri hîc potest, quo in loco huius defuncti, aliorumque animæ, quos Dominus suscitauit, antequam ad informandum corpus à Domino reuocarentur, immoratæ fuerint? In Purgatorio respondet Salmeron, dicens: *Beati, quos Christus Dominus suscitauit; quia verisimile non est eos postea fuisse damnatos; sed è Purgatorio detractos, vt minus hic purgarentur; & vt viderent Christum, & suscitati argumentum essent ipsius potentiæ. Nec enim à Limbo statu salutis ad miseriam reuocarentur; neque de inferno, vbi nulla est redemptio.* Quæ in sententia difficultas occurrit; quia si improbabile est eas animas è Sanctorum Patrum Limbo, adeoque è statu salutis ad huius vitæ miseriam fuisse reuocatas, improbabile etiam videtur easdem reuocatas huc esse è Purgatorio: Purgatorium enim etiam statum salutis includit, certamque spem æternæ gloriæ, certitudinemque vlterius non peccandi. Animas autem huiusmodi certitudine non peccandi, certaque æternæ gloriæ spe priuari maximum malum esset; adeoque diuinæ beneficentiæ non tribuendum. Quare ne reuocatione ad mortalem vitam tanto bono priuatæ esse animæ dicerentur; necesse esset asserere eas cum beneficio restitutę vitæ certitudinem etiam suæ salutis, & confirmationis in gratia non amisisse; idque ex diuina reuelatione cognouisse. Quod quidem sine certo fundamento assereretur: præsertim si huiusmodi priuilegium non solùm mortuis à Domino suscitatis; sed etiam aliis Sanctorum impetratione rediuiuis negandum non videatur; cum in cuiuslibet mortui suscitatione Deus semper principalis causa sit habendus.

40. Quare dicendum potius videtur mortuorum animas ad hanc mortalem vitam reuocandas, neque ex Purgatorio, neque ex Limbo, & multo minus ex inferno aduocari; sed alio ex loco intra terram iuxtà Dei imperium, vbi veluti depositum, vsque ad proximam vitæ restitutionem detentę antea fuerint. Dixi intra terram, eò quòd Ecclesia Lazarum ab inferis resuscitatum asserat in oratione, quæ in S. Mariæ Magdalenæ solemnibus recitatur. Inferorum autem, seu inferni nomine posse intelligi alium subterraneum locum à Limbo, Purgatorio, & Gehenna diuersum, nemo dubitauerit, qui in sacris litteris inferni nomine sepulchrum etiam appellari nouerit, vt Iob 17. *Si sustinuero, infernus domus mea est*: & Psalm. 140. *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum*: Et Ecclesiastici 28. de lingua maledica: *Vtilis potius infernus, quàm illa.* Nisi potius velimus dicere, cum ex inferis suscitatus Lazarus dicitur, inferorum nomine absolutè mortem intelligi iuxtà frequentem acceptionem in sacris litteris: vt 1. Reg. 2. *Deducit ad inferos, & reducit.* Tob. 13. *Deducis ad inferos, & reducis*: & alibi.

Defuncti, quos Dominus ad vitā reuocauit, æternā salutē consecutos esse piè creditur.

41. Cæterùm quod asserit Salmeron verisimile esse mortuos à Domino ad mortalem vitam reuocatos, postea non fuisse damnatos, pium est credere. Certè id asseri debet de Lazaro, quem in Sanctorum numerum relatum Catholica Ecclesia 17. Decembris celebrat, & de eo S. Epiphanius ait: *Postquam suscitatus est, & alios 30. annos vixit; & sic ad Dominum profectus est.* De Adamo id etiam asserendum esse pluribus argumentis docent SS. PP. Irenæus lib. 3. cap. 34. Epiphanius contra Hæresim 46. quibus additur Alphonsus de Castro lib. 2. aduersus Hæreses. Epiphanius quidem loquens de Caluariæ monte, vbi sepultus erat Adam, sic ait: *In quo crucifixus Dominus noster Iesus Christus per aquam, & sanguinem, qui fluxit ab ipso per compunctum ipsius latus in ænigmate salutem nostram ostendit ab initio massæ, primi patris reliquias respergere auspicatus; quo etiam ostenderet respersionem sanguinis ipsius ad mundationem nostræ inquinationis, & animæ pœnitentis, & in exemplum rigationis, & purificationis sordium peccatorum nostrorum factam esse, effusam videlicet aquam super iacentem sub loco, & sepultum in spem ipsius, & nostram, qui ex ipso geniti sumus. Quare & hic implebatur, quod dictum est: surge, qui dormis, & resurge à mortuis, & illucescet tibi Christus.* Oppositam sententiam, scilicet de Adami damnatione asseruit Tacianus Encratitarum hæreticorum caput; vt videre est apud Augustinum lib. de hæresibus num. 25. apud Epiphanium supra citatum, & Irenæum lib. 1. aduersus hæres. cap. 31. In eamdem Taciani sententiam pendere videtur ex Catholicis Rupertus affirmans *nusquam Scripturam aliquam Canonicam Adami pœnitentiam, nec vllum eius bonum opus commemorare.* Sed Ruperto responderi potest ex Augustino, qui ait: *De illo quidem primo homine patre generis humani, quòd Christus cùm descendit ad inferos, inde eum liberauerit. Ecclesia*

Adam post præuaricationem resipiscēs, æternā salutem consecutus est.

Rupertus in Gen. c. 11. Aug ep 99. ad Euod.

ferè tota consentit. Quod eam non inaniter credidisse credendum est; vndecumque hoc traditum sit; etiamsi canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. Quamquam illud, quod in libro Sapientiæ scriptum est: Hæc (Diuina Sapientia) *illum, qui primus factus est à Deo, patrem orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit; & eduxit illum à delicto suo; & dedit ei virtutem continendi omnia:* hoc est in omnia dominandi.

Cap. 10.

42. Dices: Gregorius hom. 19. in Euangelia ait: *Deus habet Vineam, vniuersalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.* Vbi enumerationem electorum ab Abele, non ab Adamo inchoasse Gregorium patet. Quod si Adam electus censeretur à Gregorio, ab illo potius incipiendum erat. Nec dicas ab Adamo non incepisse, quia præcepti transgressor, adeoque peccator fuit: nam etiam vltimus electus poterit esse peccator, & deinde conuerti; peccatum enim si deleatur, non excludit electionem. Respondetur sanctum Gregorium enumerationem illam inchoasse potius ab Abele, quàm ab Adamo; quia illum apud omnes liquidò sine vlla tergiuersatione constabat semper fuisse iustum, adeoque electum. Secundo, inter mysticæ vineæ palmites, electosque Ecclesiæ Gregorius non numerauit Adamum; non quia Adam verè electus, saluusque non foret; sed quia illi radicis potiùs, quàm palmitis nomen conueniebat.

Electos enumerans cur ab Abele, & non ab Adamo Gregorius cœpit?

Et cœpit loqui.

43. Piè aliqui meditantur adolescentem hunc, cùm primùm reuixit, pronunciasse verba illa Psalm. 117. *Dextera Domini fecit virtutem; dextera Domini exaltauit me; dextera Domini fecit virtutem: non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini.* Satis congruè huiusmodi verbis acceptum à Christo Dei filio tetriturae vitæ beneficium tediuiuus adolescens contestari potuit: quandoquidem eo Psalmi versu sub nomine *Dexteræ* Dei filius significatur iuxtà Athanasium. Quare in manuum encomio allata interpretatione vtitur Ambrosius, dicens: *Manus est, quæ præclaris emicat factis; quæ conciliatrix diuinæ gratiæ sacris inseruit altaribus; per quam offerimus, & sumimus sacramenta cœlestia. Manus est, quæ operatur pariter, & dispensat diuina mysteria; cuius vocabulo non dedignatus est se Dei filius declarari, dicente Dauid: Dextera Domini fecit virtutem; dextera Domini exaltauit me. Manus est, quæ fecit omnia, sicut dixit Deus omnipotens: Nonne manus mea fecit hæc?*

Dei dextera Dei filium significat. Athanas. Disp. cum Ario in Cõc. Nicæno. Ambros. 6. Hexam. c. 9. Manus filii nomen. Act. 7. n. 50.

Et dedit illum matri suæ.

44. Rediuiuus adolescens, ex tanta mutatione, qualis est mortis ad vitam repentina mutatio, attonitus, Domini ductu indiguit, vt se matris amplexibus daret. Huius figura fuit Viduæ puer ab Elia è morte etiam ad vitam reuocatus, de quo dicitur 3. Reg. 17. *Elias expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, reuertatur, obsecro, anima pueri huius in viscera eius. Exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit. Tulitque Elias puerum, & tradidit matri suæ.* Fuit tamen inter figuram, & figuratum discrimen; quod enim ter iacentem puerum complectendo, & ad Dominum clamando Elias fecit, id solo imperio, scilicet dicendo *Surge*, Christus Dominus fecisse dicitur. Sareptana vidua, quòd Eliæ panem subministrauerit, filii resurrectionem obtinere meruit. Sed Naimitis vidua, vt sibi filii vita restitueretur, non pane, sed lacrymis à Domino eius fletum commiserante impetrauit. Benè ergo dicere potuit: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes.*

Eliæ, & Christi Domini in defunctis ad vitam reuocando discrimen.

Psal. 41. 4.

Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis.

45. Timor pro humili veneratione hîc, & alibi sæpè in sacris litteris vsurpatur. Prouerb. cap. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis.* cap. 22. *Finis modestiæ timor Domini.* Ecclesiastici cap. 1. *Corona sapientiæ timor Domini.* cap. 25. *Gloria illorum timor Dei.* Malachiæ cap. 1. *Si Dominus ego sum, vbi est timor meus?*

Timor pro veneratione vsurpatur.

46. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Quilibet vir sanctus à Deo missus ad populum circa diuinam legem instruendum, & in salutis via dirigendum, Propheta in sacris litteris dicitur. Hinc de Prophetæ officio Apostolus ait 1. ad Cor. 14. *Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.* Præterea & miracula operanti prophetæ nomen in sacris litteris est attributum. Hinc prophetare, miracula edere significat. Hoc sensu Ecclesiastici 48. de Eliséo dicitur: *Mortuum prophetauit corpus eius:* seu, vt vertit Vatablus: *Corpus eius prophetiam egit etiam post obitum.* Nam vt Dionysius interpretatur, *Corpus Elisæi sepultum suscitauit quemdam à latrunculis interfectum, qui in sepulchrum Elisæi proiectus, dum sacra eius ossa tetigisset, diuina virtute reuixit,* vt suprà dictum est ex 4. Reg. 13. 20. Quare vbi legimus: *Mortuum prophetauit corpus eius:* Arabicus habet *Viuificauit mortuum mortuus.* Similiter Ecclesiastici 49. 18 de Iosepho, dicitur: *Ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetauerunt.* Vbi Palacius ait: *Ego credo ossa Ioseph prophetasse, quia aliquod miraculum per ea Deus operatus est, aliquem mortuum viuificando, aut languidum sanando.* Vtroque allato sensu adstantes turbæ de Domino post viduæ filium ad vitam reuocatum dixerunt: *Propheta magnus surrexit in nobis.*

Propheta virû sanctû ad populû circa diuinâ legem instruendû à Deo missû significat.

Prophetare miracula edere significat.

Et quia Deus visitauit plebem suam.

47. Viso tam insigni miraculo, turbæ cognouerunt Iudaicum populum à Deo visitari misso eximio propheta, qualem Christum Dominum cognouerunt. Visitare in sacra Scriptura interdum in bonum, vt hîc; interdum etiam in malum dicitur. In bonum, sæpè ad consolandum dicitur Genes. 21. *Visitauit Dominus Saram, sicut promiserat:* Exod. 4. *Audierunt, quòd visitasset Dominus filios Israel:* Exodi 13. *Visitabit vos Deus; efferte ossa mea:* Psal. 64. *Visitasti terram, & inebriasti eam:* Ezech. 34. *Requiram oues meas, & visitabo eas.* In malum visitare dicitur Isai. 13. *Visitabo super orbis mala:* Ier. 15. *Visitabo super sculptilia Babylonis:* Amos 3. *Visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* Quamquam hæc ipsa Dei visitatio, quæ in pœnam videtur, ex Dei clementia in me-

Visitare vel consolari, vel punire significat.

Visitatio Dei punientis, velut Medici visitatio est, adeoque beneficia.

dicinam est; ita vt Dei punitio veluti medici vulnus curare volentis visitatio sit. Quare de Diuina vltione ait Hieronymus: *Omnis vltio visitatio est, quasi ægrotantis, quasi habeatis vul-* A *cera, quasi medicas expectantis manus.* Ita vt peccator diuina correctione resipiscens, verè dicere possit: *Visitatio tua custodiuit spiritum meum.*

In Ezech. c. 9. — *Iob. 10.*



FERIA SEXTA

POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Erat quidam languens Lazarus à Bethania. *Ioan. 11.*

Euangelij nexus, & ordo.

Basilius l. de Spiritu sancto c. 8. Chrysostom. hom. 72.

1. Res sibi titulos Christus Dominus Ioann. 14. meritò tribuit, dicens: *Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Via est iuxtà Basilium per illuminationem fidei, qua ad beatum finem, nempe ad Dei cognitionem, tendimus. Veritas est iuxtà Chrysostomum, quia in eius pollicitis non est mendacium, & ea, quæ promittit exequitur. Denique Vita est, quia in mortem potestatem habet iuxtà testimonium Ioannis 5. *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat; sic & filius quos vult viuificat*: ex quo Apocalypsis cap. 1. 18. *Claues mortis* habere dicitur. Triplicis huius tituli specimen in præsenti Euangelio Dominus ostendit. Primò, vt veritatis specimen exhibeat, erga Lazari sorores Magdalenam, & Martham, ea, quæ in illarum gratiam circa fratris languorem, & mortem pollicetur, exequitur, scilicet: *Infirmitas hæc non est ad mortem; sed pro gloria Dei. Lazarus amicus noster dormit; sed vado vt à somno excitem eum. Resurget frater tuus. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet; & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Si credideris, videbis gloriam Dei.* Circa hæc omnia promissa Dominus veritatem se esse ostendit. Secundò, Vitam se esse, viuificandique vim habere demonstrat in quatriduani Lazari resurrectione: *Voce magna clamauit: Lazare, veni foras: & statim prodijt, qui fuerat mortuus ligatus manus, & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit Iesus: Soluite eum, & sinite abire.* Tertiò denique salutis Viam se esse ostendit, Iudæos plures illuminando per fidem: *Multi ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderunt, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum.* Meritò igitur Augustinus miraculum hoc Lazari resurrectionis, miraculum omnium, quæ in suæ diuinitatis manifestatione Christus gessit, maximum esse pronunciauit serm. 52. de Verbis Domini.

Erat quidam languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ, & Marthæ sororis eius.

Bethaniæ descriptio.

2. DE hoc castello Adrichomius in Ierosalem ait: *Bethania nobile castellum Mariæ, & Marthæ sororum Lazari, & adibus frequens; quod vltra montem Oliueti situm, quindecim à Ierusalem stadijs distat, hoc est duobus milliaribus Italicis: ex quo quidem loco, licet perexiguo interuallo, ob interpositum Oliueti montem ciuitas Ierusalem videri non potest, sed conscenso quodam monticulo videtur inde pars montis Sion. Hic Christus in domo Marthæ sæpè fuit hospitatus. Vbi Maria ad pedes eius sedente prædicauit verbum Dei. Hic Lazarum quatriduò sepultum, iamque fœtentem flens in vitam reuocauit. Hic in domo Simonis Leprosi mensa vnà cum Lazaro accumbens, & Martha ministrante, à Maria pretioso perfusus est vnguento. Hic ascensurus in cœlum, vale, dixisse eisdem videtur: Ætate Hieronymi domus Marthæ, & Mariæ; & domus Simonis Leprosi magna pietate à fidelibus inuisebantur. Atque marmoream Lazari monumentum, à quo à Saluatore fuit resuscitatus, ob tam celebre miraculum ab Helena Imperatrice insigni Ecclesia circumdatum est: quod etiam hodie non solùm à Christianis, sed à Saracenis, ac Turcis ingenti deuotione honoratur.*

Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur.

3. CVm Maria Magdalena describatur ex eo, quòd vnxerit, & capillis abstersserit Domini pedes; quæritur, cur etiam à lotione Domini pedum per lacrymas non describatur? Nam Lucæ 7. de ea dicitur: *Stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat; & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.*

Maria Magdalena Lazari soror an peccatrix illa fuerit,

4. Responderi primò potest ex Origene tract. 35. in Matth. ex Chrysost. hom. 61. in Ioann. Nyceph. lib. 1. Histor. cap. 27. asserentibus peccatricem, quæ Domini pedes lacrymis lauit, non

q. æ Domini ped. & lacrymis lauit. Hie, & sequentibus.

A esse eamdem, quæ hîc describitur. Hanc autem, quæ hic Lazari soror dicitur, non illam esse aiont, quæ Lucæ 7. Domini pedes vnxit; sed illam, de qua Ioann. 12. post Lazari resurrectionem dicitur: *Maria accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis pedes eius.* Vbi pedum ablutio per lacrymas nulla fuit. Ad hanc distinctionem Mariæ Magdalenæ à Maria Lazari sorore confirmandam oculatum testimonium est apud Clementem Romanum lib. 3. Constitutionum cap. 6. *Erat nobiscum mater Domini, & sorores eius; præterea Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Martha, & Maria sorores Lazari; & Saloma,*

B *& quadam aliæ.* Quare Hieronymus in Matthæi verba cap. 26. *Accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput eius recumbentis*, ait: *Nemo putet eamdem esse, quæ super caput effudit vnguentum, & quæ super pedes. Illa enim & lacrymis lauat, & crine tergit; & manifestè meretrix appellatur. De hac autem nihil tale scriptum est: nec enim poterat statim caput Domini meretrix digna fieri.* Similiter Theophylactus in præsens Euangelium ait: *Neque hoc ignorandum est, quòd non erat ista Maria, quæ vnxerat Dominum vnguento, meretrix, quæ apud Lucam, vel Matthæum; sed alia non meretrix;*

To. 4. q. 94. veteris, & noui Testa.

C *honesta autem, & religiosa, & officiosa.* S. Augustinus, si eamdem sententiam non affirmat, saltem in dubium reuocat; cum enim eamdem esse Mariam Magdalenam, de qua hîc, & Luc. 7. scribitur, indicasset, subdit deinde: *Si tamen est eadem.*

5. Responsio hæc, & allata sententia non probatur: Primò, quia certum esse debet Mariam, quæ cognominata Magdalena est, Lazari fuisse sororem: ita enim in eius festo Ecclesia Deum precatur: *Beata Mariæ Magdalenæ suffragijs adiuuemur; cuius precibus exoratus quatriduanum fratrem Lazarum viuum ab inferis resuscitasti.* Hoc posito Magdalenam Lazari sororem

D peccatricem illam fuisse, quæ Luc. 7. Domini pedes lacrymis lauit, idem Lucas indicat sequenti capite, dicens: *Maria, quæ vocatur Magdalena, de qua septem dæmonia exierant*: per septem autem dæmonia, vitiorum vniuersitatem intelligunt Gregorius, & Beda. Quòd si, vt sonant verba, verè septem dæmones Magdalenæ corpus obsidentes inde fuisse eiectos dicamus, huiusmodi etiam septem dæmonum hospitium peccatrici mulieri conuenire non incongruè existimari potest; ita vt simul dæmonas per seipsos Magdalenæ corpus, & per peccata, ipsius animam sua sub potestate habuerint. Sed quòd dubitationem omnem auferre potest, est, quod in hymno in Magdalenæ solemnibus Ecclesia canit, Re-

Hom 33. in Euang.

E demptoris enim opem implorando ait: *Spes vna pœnitentium, per peccatricis meritum. Peccati solue vinculum*: & in eodem festo homiliæ Augustini, & Gregorii recitantur: quorum primus ait: *Vidistis mulierem in ciuitate famosam, mala vtique fama, quæ erat peccatrix*, &c. Secundus similiter ait: *Maria Magdalena, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, amando veritatem, lauit lacrymis maculas criminis.* Quod si opposita opinio multos habet, magnique ponderis auctores; sia opponimus Augustinum, Gregorium, & Bedam supra citatos: præterea eumdem Augustinum idem sentientem lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 78. & 79. Quibus additur Innocentius lib. 1. de Sacramento Altaris cap. 56. Superest, vt Hieronymi ratio, & Clementis auctoritas supra allatæ

Tom. 10. Hom 23.

Hom 25. in Euang.

A soluantur. Et primùm Hieronymus, vt distinguat peccatricem à Magdalena, quæ Matthæi 26. super caput Domini vnguentum effudit, ait: *Nec enim poterat statim meretrix capite Domini digna fieri.*

6. Respondetur multò plus æstimandum fuisse, antequam de Magdalena diceret Dominus: *Remittuntur ei peccata multa*; permisisse sibi pedes ab ea osculis, manu, & capillis tangi: hoc, inquam, maius fuit, quàm deinde permisisse eamdem Magdalenam non amplius peccatricem supra ipsius caput alabastrum pretiosi vnguenti effunderet; quod quidem non statim fuit, vt Hie-

Luca 7.

B ronymus ait; sed multo post tempore; scilicet propè Domini passionem, & post suscitatum Lazarum: vbi expressè, dicitur: *Diligebat Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum.* Quæ autem manifesta Domini dilectione dignabatur; poterat etiam non indigna iudicari, vt in Domini obsequium super illius caput pretiosum vnguentum effunderet. Quod si Hieronymus omninò distinctionem inter vngentem pedes, & vngentem caput ponendam esse contendat; benè dici potest iam moraliter alteram, ac diuersam fuisse Magdalenam vngentem Domini caput à seipsa, cùm ad Domini pedes tamquam peccatrix accessit. Quare Chrysologus se-

Ioan. 11.

Ser. 75.

C moto tantisper litterali sensu sumens occasionem ex verbis Matthæi 28. *Venit Maria Magdalena, & altera Maria: Maria, & Maria*, inquit, *sic altera, vt ipsa; ipsa vt altera.* Similiter Ambrosius ait: *Altera est illa, vel persona, altera vel profectu.* Nam, vt idem ibidem ait: *Et si anima non mutat personam, mutat profectum.* Similiter prædicente Ionas *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*; altera quidem subuersa Niniue est, & altera mansit; nimirum subuersa est Niniue iniqua; Niniue verò pœnitens mansit. *Euersa est Niniue, quæ mala erat; & bona ædificata est, quæ non erat*, ait Augustinus.

In Luc. c. 7.

Iona c. 3.

Lib. 21. de Ciuit. c. 14.

7. Sed ad nostram sententiam confirman-

D dam, egregium testimonium habetur Marci vltimo; vbi dicitur de Christo Domino. *Surgens mane prima Sabbati apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia. Illa vadens nunciauit his, qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus.* Illa ergo, cui primò Dominus post resurrectionem apparere dignatus est, poterat non indigna esse, quæ propè Domini passionem eius caput vngerat. *Ideo*, inquit Caietanus, *Magdalenam Marcus descripsit à septem dæmonijs; vt denotaret dignitatem hominum peccatorum, qui ad Christum conuersi sunt, per hoc, quod Christus mulieri olim tam peccatrici resurgens primò apparuit.* Prætereà congruenter etiam Magdalena, quæ tam piè in Domini pedibus suas lacrymas abster-

E serat; digna fuit, vt ad abstergendas Apostolorum lacrymas nuncia Domini resurrectionis mitteretur: *Nunciauit his, qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus.* Sed respondere ad testimonium à Clemente allatum difficile videri potest: ibi enim cum oculatus testis ea, quæ viderat, narraret, ait: *Erat nobiscum mater Domini, & sorores eius; præterea Maria Magdalene, & Maria Iacobi; & Martha, & Maria sorores Lazari, & Salome.* Respondendum tamen videtur ex S. Epiphanio hom. 30. Clementem ipsum testatum esse suum opus, quod circuitus Petri inscribitur, ab hæreticis fuisse deprauatum. Idemque dici debet de constitutionum libris eiusdem Clementis; nam in Concilio Trullano can. 2. Constitutiones S. Clementis, vt ab hæreticis

Li. 3. Clem. c. 6.

deprauatæ

deprauatæ improbantur. Huius enim depravationis indicia multa afferri possunt. Primò lib. 3. cap. 2. dicitur: *Id, quod supra trigamiam fit, manifesta fornicatio indicatur.* Quòd tamen est falsum; licitæ enim sunt etiam quartæ nuptiæ. Secundò eodem libro cap. 10. dicitur: *Neque laicos concedimus aliquod sacerdotale munus exercere, veluti Sacrificium, Baptismum, &c.* & tamen Baptismus à Laico validus est, & licitus: licitus, inquam, dummodo ad Sacerdotem, aliumque Ecclesiasticum recurri non possit. Tertiò lib. 6. cap. 14. dicitur: *Nunc in vnum conuenientes Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi, vnà congregati scripsimus ad vos hanc catholicam doctrinam.* Quod etiam est falsum, cùm Iacobus Zebedæi filius, antequàm hæc gererentur, ab Herode fuerit interfectus, vt in Actis Apostolorum cap. 12. legitur. Quartò eodem lib. 6. cap. 15. absolutè improbatur Baptismus à ministris non Catholicis datus. *Neque verò baptizati ab ijs initiati censentur, sed potiùs inquinati*: & huius ratio ibidem redditur dicendo: *Non enim ij sunt Sacerdotes.* Quod etiam est falsum; quandoquidem Baptismus datus à ministro non Sacerdote, neque catholico, validus est; dummodò per veram aquam, & formam, & intentionem fiat. His igitur deprauationibus positis, idem iudicium ferendum est de allatis verbis, quibus inter Mariam Magdalenam, & Mariam sororem Lazari distinctio ponitur. Dices, quo motiuo hæretici deprauare voluerint hunc textum, vt Mariam Magdalenam à Maria sorore Lazari distinguerent? Respondeo primò id fecisse vel ex animi prauitate, vt Euangelicam historiam confunderent, vel etiam ex ignorantia; sicut in textu supra allato Iacobum Zebedæi filium addiderunt. Secundò ne peccatricem postmodum ex diuina gratia adeò sanctam admitterent, ob peccatorum pœnitentiam; pœnitentiæ enim tantùm deferri hæretici negant. Quare Nouatus hæreticus spem pœnitentiæ tollebat, vt S. Hieronymus in Amos cap. 5. asserit.

8. Respondendum vltimò videtur ad difficultatem initio positam; cur scilicèt describendo Magdalenam ab vnctione, & abstersione Domini pedum, lotionem per lacrymas Ioannes omiserit? Respondetur; consultò Euangelistam pœnitentis lacrymas non commemorasse; ne iterum Magdalenæ iam sanctæ malè antè acta vita indicaretur; atque adeo, vt Dei misericordia ostendatur; qui Exech. 18. ait: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est; & custodierit omnia præcepta mea: Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Lacrymarum igitur commemoratio omittitur, ne culpæ lacrymarum causæ commemorarentur. Dices: S. Marcus de Magdalena post Domini resurrectionem loquens, ab ea anteà Dominum septem dæmonia eiecisse commemorat; adeoque eam antea peccatricem fuisse indicare non omisit. Respondeo ob aliam rationem supra ex Caietano allatam S. Euangelistam id omittere noluisse.

Culparum veteris oblitus se Dominus ostendit, cùm per pœnitentiam delentur.

Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes: Domine, ecce, quem amas, infirmatur.

9. Imperfectam fidem in his verbis Toletus agnoscit, dicens: *Tamquam ad mortuum hominem mittunt nuncium, eum certiorem facientes, quasi nescium infirmitatis.* Sed contra respondeti potest ex Ioanne cap. 2. vbi beipara cognito in nuptiali conuiuio vini defectu, illum filio proponit, dicens: *Vinum non habent: Non precatur Dominum,* inquit Bernardus, *non imperat filio, defectum vini tantùm nunciasse contenta. Cum beneficus, & ad liberalitatem propensus ita est agendum: non enim gratia violenter exprimenda, sed proponenda occasio.* Similiter in eundem Ioannis locum de B. Virgine Toletus ait: *Nec nunciat vt ignaro; quem enim Dei filium credebat, omnia ei nota esse non dubitabat: sed simul, dum nunciat, suam interponit intercessionem.* Simili igitur affectu sorores fratris Lazari infirmitatem nunciasse Domino dicendum est; scilicet, non vt ignarum monerent; sed vt potentem modestè rogarent, beneficii tantùm indigentiam proponendo. Quòd profectò ex eo maximè dicendum est; quòd infrà Martha præclarissima confessione testetur: *Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti:* & Lucæ 7. ob eximiam fidem à Domino Magdalenæ dictum est: *Fides tua te saluam fecit.* Quare idem Toletus Ioannis 2. cum deiparæ verba illa explicasset: *Vinum non habent,* subdit; *Simile quid Ioannis 11. de illis sororibus legitur: Ecce, quem amas, infirmatur.* Præterea sicut Ananias Christo Domino iam in cœlesti gloria regnanti, omniaque prænoscenti, dixit Act. 9. 13. *Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem: & hic habet potestatem à principibus sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum:* Similiter Lazari sorores non ignotum aliquod nunciando, sed diuinam opem flagitando Domino dixerunt: *Ecce, quem amas, infirmatur.* Vbi non omittendum est in fratris infirmitate nuncianda, vsurpasse sanctas illas sorores particulam *Ecce,* quæ vsitatius adhibetur, cum quispiam præsentem alloquitur: præsentem igitur Christum secundùm diuinitatem agnoscentes, benè veluti ostensiuo modo dixerunt: *Ecce, quem amas, infirmatur.* Quare Augustinus tract. 49. in Ioan. ait: *Non ausæ sunt dicere: Ibi iube, & hic fiet. Cur enim non & istæ, si fides Centurionis inde laudatur? ait enim: Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.*

Lazari sorores an ex imperfecta fide fratris languorem Domino nunciauerint? Ser 46. in Cantic.

10. Cum istos, Deoque dilectos, qualis Lazarus erat, langoribus, ærumnisque huius vitæ premi frequenter aspicimus, recordari debemus Salomonis sententiæ, quæ iustum alloquitur: *Disciplinam Domini, fili mi, ne abijcias; neque deficias, cùm ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi:* Vbi nos legimus: *Neque deficias, cùm ab eo corriperis*; ex Græco textu legit Theodotion: *Neque reprehendas, cùm ab eo corriperis.* Stultum enim esset cum medicus molesta, sed salutaria nobis medicamenta adhibet, illius operam veluti sæuitiem reprehendere. At longè maioris amentiæ indicium est; si de Deo

Calamitates à Deo immissæ medicaminis instar ex se salutares sunt. Prov. 3.

queramur, cùm in nostræ salutis bonum nos vitæ ærumnas subire cogit. Benè enim ait Augustinus: *Intellige, ô homo, medicum esse Deum & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem.* Verè enim de Deo dici potest cum Ecclesiastico cap. 6. *Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis.* Prouenit enim à Dei amicitia immortalitatis medicamentum; nam sicut Ioannis 9. Christus Dominus tamquam cœlestis medicus ad oculorum lumen cæco nato dandum, lutum, quod alioquin excæcasset, adhibuit: ita ad immortalitatem nobis largiendam nostræ mortalitatis ærumnas Deus adhibet; ideoque medicamentum immortalitatis exhibere Deus dicitur, cùm suos amicos per calamitates, & languores affligit. At hoc immortalitatis pharmacum amarum est; sed esuries vim habet amaros cibos dulces reddendi: *Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet*, ait Sapiens. Si igitur per spiritualem esuriem ad immortalem vitam anhelemus, inde cordis nostri satietatem expectando: *Satiabor cum apparuit gloria tua:* tunc sancta hæc fames calamitates omnes, & ærumnas dulces reddet. Et hoc pacto fidelis *anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.*

In Ps. 21. — *Prou. 27.* — *Ps. 16.*

Deus quomodo laborem, seu dolorem in suæ legis præcepto fingat. *Gregor. 28. Mor. c. 13.* Calamitates Deus immisit, vt eò vagantes homines ad se trahat.

11. De Deo dicitur Psalm. 93. *Qui fingis laborem in præcepto:* & iuxtà Augustinum, Arnobium, Cassiodorum, & Gregorium legitur: *Qui fingis dolorem in præcepto.* Vbi quæritur, quomodo ad suæ legis obseruantiam à Deo dolor fingitur? Respondetur eo modo, quo parentes, ne paruuli filii à se discedant, terricula fingunt; vt iis territi pueri ad paternum, maternumuè sinum accurrant: ita Deus in hac mortali vita suos in filios ærumnas immittere videtur; non vt ærumnis subiaceant, iisque premantur; sed potius ne longius ad creaturas vagentur; & vt frequentius ad Deum tamquam ad amantissimum patrem oratione confugiant. Quare Chrysostom. homil. 10. in Matth. ait: *Deus tribulationes fieri permittit, vt ad ipsum frequentius confugiamus. Tale aliquid faciunt amantiores filiorum parentes, cùm paruulos suos vident à se quidem sæpè discedere, & coæuorum suorum lusibus detineri. Præcipiunt, famulis terribilia multa simulare, vt eos terreant; vt exagitati etiam metu periculi ad maternum sinum confugere festinent. Item Deus non modo ab aliis sæpè tribulari sinit; sed nonnumquam etiam ipse sæpè plagam minatur, non vt eas in nos inducat; sed vt nos ad se potius adducat, & continuò dissoluit timorem.*

Ad Hebr. 12. Calamitatibus Deus homines, quasi legitimos filios erudit.

12. Allatam supra Salomonis sententiam Apostolus repetit, dicens: *Fili, noli negligere disciplinam Domini; neque fatigeris, dum ab eo argueris; quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quod si extra disciplinam estis; ergo adulteri, & non filii estis.* Pro *Disciplina* hîc ex Hebræo, & Græco textu legitur *Eruditio*; iuxtà id, quod dicitur Prouerb. 1. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui:* Hoc autem discrimen inter legitimos, & illegitimos filios esse solet; quòd illegitimos filios diligenter erudiri paterfamilias non nimium curet; secus verò in erudiendis legitimis filiis diligentiam omnem adhibeat. Propterea dixit Paulus: *Quod si extra disciplinam estis*, hoc est extra eruditionem illam, quam Deus sæpè per tribulationes communicare solet; nam *Vexatio intellectum dabit:* tunc *non filii, sed adulteri*; hoc est, non verè filii Dei estis. Hinc benè Chrysostomus ait: *In domibus patrum familias nothos filios negligunt patres; etiam si nihil doceantur; etiam si non fiant gloriosi: pro filiis autem propriis valdè verentur, ne eos malum opprimat negligentia. Si igitur non castigari nothorum est filiorum; oportet nos gaudere cum castigamur: siquidem hoc filiis propriis adhibetur: propterea nobiscum, sicut cum filiis agit Deus.* Quare Deuter. 8. cum Moyses Israëlitico populo ærumnas, quas in 40. annorum peregrinatione per desertum tolerarat, commemoraret; *Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te, atque tentaret:* subdit deinde: *Vt recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te.*

Isaiæ 28. n. 19. — *Hom. 29. in ep. ad Hebr. c. 12.*

Audiens autem Iesus dixit: Infirmitas hæc non est ad mortem; sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.

13. MOrtis nomine hîc intelligere debemus omnimodum, & vltimatum mortalis vitæ finem; cuiusmodi finem cùm Lazarus habiturus non esset; verè dici potuit *Infirmitas eius non esse ad mortem.* Secundò, quia Lazari infirmitas non fuit directa ad mortem, tamquam ad finem; sed tam ipsa infirmitas, quàm mors ad diuinam glorificationem ordinata fuit, *Vt glorificetur Filius Dei per eam*; ideo dictum est Lazari infirmitatem non fuisse ad mortem. Tertiò non fuit ad mortem, quatenus fuit ad spiritualem multorum vitam, qui viso Lazaro diuinitus suscitato, in Dei Filium crediderunt; animæque mortem vitarunt: *Multi ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham; & viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. Non est ad mortem*, inquit Augustinus, *quia ipsa mors non erat ad mortem; sed potiùs ad miraculum; quo facto crederent homines in Christum, & vitarent veram mortem.* Quartò aliqui sacri interpretes, inter quos Andreas Cretensis, cùm dicitur, *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed vt glorificetur Filius Dei per eam*, per glorificationem Dei Filii intelligunt ipsius Redemptoris passionem, & mortem, per quam ad cœlestem gloriam introiuit. Lazari enim suscitatio ad vitam, causa fuit, vt ad opprimendam irrito tamen conatu, tanti miraculi celebritatem, & Christi gloriam, decreuerint Iudæi Christum Dominum occidere. Coacto enim immediatè post miraculum concilio: *Ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum.* Quare, cùm Christi Domini mors ipsius mortis mors fuerit iuxtà Oseæ vaticinium: *Ero mors tua, ô mors:* propterea infirmitas Lazari occasionem datura ad Christi mortem, dicta est non esse ad mortem; cùm potiùs fuerit ad mortis mortem.

Lazari infirmitas seu ex capitibus ad mortē non fuisse dicitur. — *Tract. 49.* — *Cap. 11.*

14. Quod si ad moralem sensum deflectere velimus; cùm de Lazari infirmitate dicitur: *Infirmitas hæc non est ad mortem*, vera ostenditur Apostoli sententia: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Nam cuilibet Dei seruo

Ad Rom. 8. quæcumque calamitas non ad mortem; sed ad vitam, hoc est ad gratiæ augmentum esse debet; ita vt ærumnis numquam succumbat. Hinc Augustinus, ait: *Quadrati lapidis similis esse debet Christianus; in omni tribulatione non cadit, etsi impellitur: & si quà vertitur, numquam cadit. Nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat semper; stantem te sic inueniat omnis casus.* Quare quadratus vir fortunæ totæ subiecere nequit, cùm inuicem hæ figuræ repugnent; ita vt verè dici possit: *Flagellum non appropinquabit tabernaculo eius*; flagellum scilicet aduersæ fortunæ, quam iustus procul repellit; quia *omnia ei cooperantur in bonum.*

In Ps. 86. Christianus quadrato lapidi similis esse debet.

Ps. 90. *Ad Rom. 8.*

Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum.

15. PRæclarissimum hoc elogium est, quo maius esse non potest; cùm excogitari nihil gloriosius possit, quàm diuinæ dilectionis terminum dici. Hoc elogium sanctarum sororum Marthæ, & Mariæ veracitatem, & modestiam insinuat. Veracitatem, nam comprobat non ex inani iactantia, sed ex veritate de fratre eas dixisse: *Ecce, quem amas, infirmatur.* Insinuat præterea modestiam; cùm enim verissimè dicere potuissent: Ecce nos, quas cum fratre amas, fratre ægrotante, nos eius sorores fraterno languore cruciamur. De seipsis tamen reticuerunt; seque Christi Domini dilectione dignatas dicere erubuerunt.

Lazari sorores iactātiā modestè vitant.

Vt ergo audiuit, quia infirmabatur; mansit in eodem loco duobus diebus.

16. CVm amor, teste Gregorio, *calcaribus non indigeat*; vt statim ad opem ferendam ei, quem amat, aduolet: cur Dominus Lazarum amans, antequàm ad eum iret, biduum moratus est? Primò, vt Lazaro maius beneficium impenderet. *Dilecto non languoris medicinam, sed resurrectionis gloriam parauit*, ait Chrysologus. Secundò, ad maiorem suæ potentiæ efficacitatem ostendendam, noluit Dominus cum morte, tamquàm cum imparato hoste dimicare; sed dare morti tempus voluit, suas vt vires omnes colligeret: cumque inter eos, qui singulare certamen ineunt, maior gloria eius sit, qui cum aduersario non in alieno, sed in proprio eiusdem solo pugnare non recusat; propterea Dominus, vt in ipso sepulchro cum morte confligeret, biduum expectauit. *Dat locum morti; licentiam dat sepulchro, corruptioni posse permittit; negat nil putredini; nil fœtori; atque vt Tartarus rapiat, trahat, habeat, admittit*, ait Chrysologus.

6 Mor. c. 17. Lazari resurrectionē cur ad biduū Dominus distulit? Hic, & n. 24. & 26. *Serm. 63.*

Serm. 63.

Deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterùm. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterùm vadis illuc?

17. AD Lazari resurrectionem bis à lapidibus impedimentum poni tentatum est. Hîc, vbi lapidationis timor obiicitur: infra, vbi Martha, ne è sepulchro lapis tolleretur, suadere conatur: *Ait Iesus: Tollite lapidem dicit ei Martha: Domine iam fœtet; quatriduanus est:* Verè lapides isti non credentibus *lapides offensionis erant.* Quod si Apostoli fidei defectu non laborassent; non solùm Iudæorum lapides, sed vel ipsos montes omni metu liberi, repellere poterant; testante Domino Matth. 27. 21. *Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis; & si monti huic dixeritis, Tolle, & iacta te in mare, fiet.*

Lazari resurrectioni bis à lapidibus impedimentum. *1. Petri c. 2.*

Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit; quia lucem huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

18. DIfficilem intellectu hanc Christi Domini responsionem ad Apostolus, sancti Patres, sacrique interpretes vel signanter dicunt, vel exercitè; dum in ea interpretanda valde discordes sunt. Germano tamen sensui lucem afferri posse censeo ex illa Redemptoris sententia Ioannis 9. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox quando nemo potest operari. Quamdiu sum in hoc mundo, lux sum mundi.* In hac sententia suæ vitæ tempus diem Dominus vocat iuxtà Augustinum, & Bedam in hunc locum, & iuxtà Cyrillum, & vtrumque Theodorum, Heracleensem, & Mopsuestiensem in catena Græca. In eadem sententia tempus suæ passionis, ac mortis, noctem Dominus vocat iuxtà illud, quod idem ipso passionis suæ tempore Iudæis dixit: *Hæc est hora vestra, ac potestas tenebrarum.* Ait igitur ibi Dominus tempus operandi miracula, & ostendendi diuinam suam omnipotentiam esse dum adhuc viueret, ante passionem: adueniente autem passionis nocte, sibi ostendenda esse potius patientiæ, quàm potentiæ documenta: ita vt tunc imitari videatur eos, qui noctis tempore ab operatione cessant. Quare cum hæc verba Dominus protulit, cæcum illuminauit, suæ autem passionis tempore sibi oculos à pessimis satellitibus velari permisit: & quamuis antea defunctos ad vitam reuocasset; passionis tamen tempore à Iudæis sibi mortem inferri passus est. Quod si dicas etiam passionis tempore miracula Dominum operatum esse; E. g. cum Malcho aurem restituit: respondeo per hoc non tolli noctis similitudinem, quamuis enim dicatur nocte nemo posse operari; id intelligitur de frequenti diurna operatione; cum adhuc noctu aliqua etiam operatio fieri possit. Rursus cum dicitur: *Nemo potest operari*, illud respectu Christi Domini intelligendum non est absolutè, sed ea suppositione ipsius Redemptoris se taliter determinantis; cum tali modo passionem subire decreuerit, vt à miraculis abstinere voluerit. Denique passionis tempore adhuc quidem lux mundi Dominus erat; ita tamen, vt sibi à Iudaica sæuitie tenebras offundi non recusauerit.

Dominus diei nomine, suæ vitæ tempus, noctis verò nomine passionis tēpus intelligit. Hîc, & n. sequenti. *Lucæ 22. 53.* *Marci 14.* *Luc. 22.*

19. His explicatis in præsenti etiam sententia, cum Dominus sit: *Si quis ambulauerit in die, non offendit; quia lucē huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo*; suæ vitæ tempus diei; nocti verò passionis tempus simile esse significat. Sicut autem, qui diurno tempore ambulat, timere non debet, ne in lapides offendat; ita neque suis discipulis timendam esse sit Iudæorum, ipsum paulò ante lapidare volentium, persecutionem. Nam sicut diurna lux efficit, vt offendicula facilè vitentur; ita Christus Dominus efficere se posse significat, vt sui

discipuli pericula omnia facillimè vitent: idque A iis dicitur, cum formidolosos se ostenderent dicentes, *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare. & iterum vadis illuc?* Cum autem dicitur: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* id veluti prouerbialiter vsurpatur; significatque verbis iis Dominus; sicut dies duodecim horas habet; ita suæ vitæ determinatum esse spatium, illudque non esse completum. Denique cum dicitur: *Si ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo;* præsignificat Dominus discipulorum lapsus, & fugam suæ passionis tempore; sicut prænunciauit etiam Matthæi 26. *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.*

Hoc ait, & post hoc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit; sed vado, vt à somno B *excitem eum.*

Amicitiæ vtilitates. 20. Plus hic Domini affectus ad amicum Lazarum vitæ restituendum benè comprobat Augustini sententiam, dicentis: *Amicitia est diuitibus pro eleemosyna, exulibus pro patria, pauperibus pro censu, ægrotis pro medicina, mortuis pro vita, sanis pro gratia, imbecillibus pro virtute, robustis pro præmio.* Sed cur Lazarus verè mortuus dormire, eiusque mors somnus dicitur? Respondet Toletus somnum vocari mortem illam breuem, ex qua citò Lazarus excitandus erat. Sed contra est, nam mors etiam, ad quam non statim, sed multo post tempore excitatio ad vitam consequitur, etiam somnus vocatur: & absolutè in C sacris litteris dormire pro mori dicitur; & mortui dormientes dicuntur. Exempla frequentissima sunt in Genesi, & Deuter. & in libris Regum, vbi passim *dormire cum patribus suis* mori significat. Iob etiam 7. dixit: *Ecce nunc in puluere dormiam, & si mane me quæsieris, non subsistam.* Et Psal. 87. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris.* Somnus similiter mors appellatur Iob. 3. *Quare non in vulua mortuus sum? Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem.*

August. vel alius qui auctor l. de amicitia c. 5.

Mors Lazari cur sõnus appellatur? Hic, & sequentibus.

21. Respondere secundo posset, dictum esse Lazarum dormire, eiusque mortem somnum esse dictam; vt Lazarus mortuus tamquam iustus, & amicus Dei significaretur. Iustorum enim mors D somnus dicitur, eò quòd ex huius vitæ ærumnis ad alterius vitæ quietem; tamquam à laboriosa vigilia ad somnum proficiscantur. Propterea dicitur Psal. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum.* Vbi de iustorum morte sermo est iuxtà Gregorium, Bernardum, & Bellarminum. Sed contra est, quia absolutè respectu cuiuslibet hominis mori dormire, & mors somnus dicitur Iob. 14. *Sic homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur cælum non euigilabit, nec consurget de somno suo.*

Greg. Hom. 27. in Euāg. 10 mag. 1. vel 21. Bernardus serm. de SS. Petro. & Paulo.

22. Respondendum est igitur cum Hieronymo, Chrysostomo, & Theophylacto Matthæi E 50. Dominum scripturarum more esse locutum, quæ, vt diximus, mortuos dormientes, somnumque mortem vocare solent. Addi tamen potest Christum metaphoricis potius verbis, quàm propriis ad Lazari mortem significandam vsum esse, modestiæ causa; & ad quamlibet ostentationis vmbram fugiendam: maluit enim modestè dicere: *Lazarus dormit; vado vt à somno excitem eum,* quàm apertè dicere: Lazarus mortuus est; vado ad suscitandum eum à morte. Confirmatur hoc, nam cum deinde apertè dixisset: *Lazarus mortuus est*; non subdidit; Vado, vt à morte suscitem eum; sed tantùm: *Eamus ad eum.* Simile mode-

Christi Domini in loquēdo modestia, abena ab omni iactantiæ vmbra.

stiæ specimen alibi etiam in Redemptoris loquendi modo reperitur; cum scilicet tam paralytico, quam Magdalenæ dixit: *Remittuntur tibi peccata tua*: non autem: Remitto tibi peccata tua. Similiter cum de seipso loqueretur, seque Dei filium vocare posset; se tamen filium hominis, hoc est Adam filium, iuxtà Nazianzenum frequentissimè vocat.

Matth. 9. Luc. 7. 48. Orat. 4. de Theol.

Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte, illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret.

23. In ægrotantibus sæpè somnus, vel quòd nimius sit, & in lethargum vergat; vel quòd inquietos, & melancholicis somniis perturbatus, non conualescendi, sed malè habendi argumentum est. Hinc Iob cap. 7. Somni inquietudinem, turbationesque expertos, suas *noctes laboriosas* fuisse dixit; & in iis somnum non continuare, sed abrumpere exoptasse: *Si dormiero dicam; quando consurgam?* Nihilominus, quia quod cupimos, esse volumus; Apostoli cupientes Dominum à profectione in Iudæam remouere, Lazari somnum in sanitatis indicium acceperunt; vt sic necessitatem eum adeundi nullam esse significarent.

Sõnus non semper sanitatis indicium.

Tunc ergo dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est; & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi: sed eamus ad eum.

24. Gaudeo, inquit, quòd mea absentia differendum fuerit miraculum circa Lazarum operandum: idque, vt credatis; tale enim miraculum, vt dilatum, maius, & mirabilius erit; & viam sternet, vt facilius meam resurrectionem, cum contigerit, credatis. *Gaudeo propter vos. Quare propter vos,* inquit Chrysologus. *Quia in morte, & in resurrectione Lazari figura tota mortis, & resurrectionis Dominicæ pingebatur: & quid erat secuturum mox in Domino, iam præcedebat in seruo. Ideo mortem Lazari vsque ad quatriduanum tempus protendit, vsque ad fœtorem prævalere permittit; vt discipuli dubium non haberent posse Dominum post triduum adhuc recentem surgere; cum seruum vidissent post quatriduum surgere iam fœtentem: & crederent illum facilè posse sibi vitam reddere, qui alium taliter reuocarat ad vitam.*

Serm. 63.

Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo.

25. Verba hæc ex ironia prolata putat Theophylactus; sed sine fundamento. Chrysostomus autem, Euthymius, & Theodorus Mopsuestiensis satis congruè putant dicta esse ex amore erga Christum; ita vt verba hortantis sint, non deterrentis. Porrò semel facilè, semel etiam difficilè credendo, fidei imbecillitatem Apostolus Thomas ostendit. Difficilè credendo Domini resurrectionem, se circa fidem imbecillem Thomas præstitit, dicens: *Nisi videro non credam.* Contra vero hîc facilè credendo imminere Domino, sibi, & condiscipulis certa mortis pericula, similiter fidei defectum præ se tulit; cum recogitare debuisset facillimum Christo Domino fore, vt à se, & ab aliis mortem repelleret.

Thomas hortans Apostolos ad Dominum in Iudæam sequendum, amáter, non ironicè est locutus. Ioan. 20.

Venit itaque Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.

Quadruplex peccatoris status.

26. VT miraculum esset euidentius, ad quartum diem post sepultum Lazarum, eius suscitationem Dominus distulit. Moraliter autem quatuor diebus significatur peccator intra peccati foueam primo die sepeliri prauæ cogitationis delectatione: secundo consensu: tertio opere: quarto consuetudine, frequentiaque peccandi.

Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadijs quindecim. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo.

27. NOn solùm viros, sed mulieres etiam ad Martham, & Mariam solandas venisse censendum est. Quamuis autem earum mentio non fiat; nihilominus dicendum est cum Cypriano libro de disciplina, & habitu Virginum: *Quoniam fœmina viri portio est, & ex eo sumpta, atque formata est, in Scripturis ferè omnibus ad Protoplastum Deus loquitur, quia sunt duo in carne vna; & in masculo simul significatur & fœmina.* Porrò ex his, qui ad orbas sorores solandas venerant, plerosque Ierosolymis venisse indicat Euangelista; cum modicam distantiam, nempe quindecim stadiorum, hoc est duorum milliarium, paulominus, inter Bethaniam, & Ierosolymam refert.

Viri sub nomine sæpe etiã fœmina comprehenditur. Hîc, & n. 51.

28. Bethania iuxtà Bernardum serm. ad milites templi cap. 13. *Domus obedientiæ* interpretatur, Ierosolyma verò *Visio pacis*; seu *Visio perfecta*. Bethania ergo religiosam congregationem, vbi obedientia viget; Ierosolyma verò cœlestem patriam, vbi æterna pace beati perfruuntur, significat. Moraliter ergo inter religiosam domum, & cœlum modicam intercedere distantiam significatur. Quindecim autem stadia, per quæ à Bethania Ierosolymam, hoc est à Religione ad cœlum ascenditur, sunt duodecim Spiritus sancti fructus, qui ab Apostolo ad Galatas 5. numerantur: *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Qui quindecim numerum, tribus religiosis votis additis, complent. Hoc enim in via Domini mirum est; quòd viator, quo magis religiosis vinculis obstringitur, eò velocius ad cœlestem patriam properat.

Bethania à Ierosolyma parũ distans religiosam vitam cœlo proximam mysticè indicat.

Martha autem, vt audiuit, quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat.

29. MArtha Domino obuiam itura, sororem non vocauit; ne inurbanè exteri, qui ad eas solandas venerant, soli desererentur. Præterea moraliter docemur prius vnumquemque ad Deum ire debere, vt ab eo diuinis vocibus secretè instruantur; deinde ab anima diuinitus benè instructa alios exemplo, & exhortatione ad Deum esse aduocandos. Quod bene sponsa Cantic. 1. 3. indicauit cœlesti sponso dicens. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Vbi benè iuxtà Bernardum Sponsa ait: *Non curram ego sola, & si solam me trahi petierim: current & adolescentulæ mecum. Curremus pariter, curremus simul: ego odore vnguentorum tuorum: illæ meo excitatæ exemplo, & hortatu: ac per hoc omnes in odorem vnguentorum tuorum curremus. Habet sponsa imitatores sui; sicut & ipsa est Christi.*

Spiritualiter prius quisque instrui debet, vt alios ad Domini ũ vocet.

Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.

30. IN his verbis plerique interpretes modicam Marthæ fidem agnoscunt: quippe quæ ad Lazari mortem impediendam Domini præsentiam exigebat: cum credere debuisset etiam absentis Domini imperio fratris mortem impediri potuisse. Dicendum tamen mihi videtur non protulisse allata verba Martham, eò quòd ex defectu fidei ad curandum Lazarum Dominum præsentem esse necessarium duceret: cum paulò post apertè restetur: *Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei viui.* Ex quibus verbis Hilarius affirmat Martham credidisse Christum esse verum Dei filium, sicut & nos credimus. Dei autem filius, etiamsi non tam clara fide cognitus, sicut eum nos post prædicationem Apostolicam cognoscimus; adhuc congruenter credi debuit posse eius imperio mortem impedire, quãuis corporaliter præsens non foret. Confirmatur hoc, quia probabile est Marthæ innotuisse fidem Centurionis Domino dicentis: *Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Ad quod comprobandum paralytico Centurionis puero sanitas absente Domino est restituta, dicente Domino: *Vade, sicut credidisti fiat tibi; & sanatus est puer in illa hora.* Quare Augustinus eamdem fidem in Lazari sororibus fuisse non dubitat: *Cur non & ista, si fides Centurionis inde laudatur? ait enim: Non sum dignus, vt intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Similiter probabile est innotuisse Marthæ sanitatem decem leprosis à Domino restitutam; cum illi iam à Domini præsentia discessissent, testante Luca 17. *Factum est, dum irent, mundati sunt.* His igitur cognitis miraculis; & in familiari domo (qualis erat Marthæ domus) ab Apostolis celebratis; improbabile est, Martham adhuc tanto fidei defectu laborasse, vt præsentem Dominum ad Lazarum curandum necessariò exigeret. Cur igitur sub conditione locuta est dicens: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus?*

Martha fratris mortem nõ Domini absentis impotẽtiæ, sed etiã spem voluntati tribuit. Hîc, & n. 31. & 115.

Matth. 8.

Tract. 49 in Ioan.

31. Respondetur his verbis Martham indicare voluisse quid de diuinis beneficijs ipsa sentiret; scilicet illa diminuta non esse, sed planè perfecta. Hinc benè sic arguebat: Si Dominus ægrotum Lazarum sua præsentia solatus esset; hoc beneficium diminutum non fuisset; sed potius sanitate languido restituta planè completum. Sicut si Princeps vinctum inuisit, eum vtique in vinculis non relinquit, quòd si illum à vinculis liberare nolit, ab eo potiùs inuisendo abstinet. Si igitur Principi vinctus diceret: Domine si me inuiseres, in vinculis non retinerer; non proinde significaret se à Principe non inuisente, sed absente liberari non posse. Potest hoc è naturæ arcanis petito exemplo commodè explicari. De Charadrio aue maritima sic ait Hugo Victorinus: *Quisquis ægritudine detinetur; per hanc volucrem agnosci solet, vtrùm viuere, an mori debeat. Si enim infirmitas adest ad mortem, mox faciem suam Charadrius auertit ab illo homine, & non dubitant, quin moriatur homo ille. Si autem conualescere, & sanari debet; intendit in eum diligenter Charadrius, & accedens os suum ponit super hominis os, afflatu-*

Charadrij auis circa ægrotos mira proprietas.

Lib. 2 de bestijs, & alijs rebus c. 13.

quo suo abstrahit omnem infirmitatem. Similiter Christus nominus, cum inuisere Laaarum adhuc viuentem noluerit, significauit Lazarum ionc à morte non esse liberandum: contra verò si adhuc viuentem inuisisset, significasset, & reipsa effecisset, vt mortem omninò Lazarus vitaret. Hoc autem indicare voluit Martha, dicena: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Modus ergo iste conditionatè loquendi eò dirigitur, vt conditio non ad Christi potentiam, sed ad eius voluntatem referatur. Quasi dicat, Domine, si dignatus esses velle te præsentem meo fratri languido ea hibere; voluisses etiam consequenter eum à morte liberare.

32. Porrò ex allatis verbis Marthæ Chrysologus considerans generaliter fœmineum sexum, sermonem conuertit ad Euam, dicens: *Non moreretur Lazarus, si tu Paradiso tu mulier non fuisses. Mulier, tu quæsisti lachrymas; tu inuenisti gemitus; tu mortem gulæ pretio comparasti: & accusas præsentiam Dei, quando causam mortis fuisse tuam præsentiam non recusas? Mors quando à te promissa est, tunc lamentandi materia fuit: nunc verò facta est virtutis occasio; quia tunc ad pœnam peccantis data est; nunc permissa est resuscitantis ad gloriam, sed iam quære per fidem, mulier, quod per perfidiam perdidisti.*

Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.

33. HIc etiam Chrysostomus, & Chrysologus imperfectam Marthæ fidem fuisse asserunt, quasi verò poscendi necessitatem Christus, non autem vitam restituendi potestatem haberet: *Quid affers moras, mulier, supplicandi; cum iam præstiturus adsistat? In hoc dantis potestas est, non necessitas est rogantis*, ait Chrysologus Serm. 63. Sed cur potius non dicatur Martha, iuxtà orthodoxam fidei veritatem, his verbis Christo Domino humanitatem tribuisse; sequentibus verò Diuinitatem in eo agnouisse, dicens: *Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei viui?* Quid si talis loquendi modus à Martha vsurpatus, *Quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Christo Domino displicuisset; non eumdem modum paulò post comprobasset, orando ad Patrem verbis illis: *Eleuatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me: ego autem sciebam, quia semper me audis: sed propter populum, qui circumstat dixi, vt credant, quia tu me misisti.* Vsurpauit autem Martha modum illum loquendi, eò quòd videret Christum Dominum per corporalem præsentiam, ipsam, sororemque Mariam solari voluisse; propterea Christum tamquam hominem, vt reuera erat, est allocuta: nam si idem Dominus absolutè tamquam Deus operari voluisset, siue accessu ad eas, fratrem Lazarum à languore, vel etiam à morte liberasset. Quare cum Martham Chrysologus sic arguit: *Mulier, iudex ipse est, quem tu desideras aduocatum: in hoc dantis potestas est, non necessitas est rogantis*: pro Martha responderi potest, quamuis Dominus iudex sit, non proinde eum nomen, ac munus aduocati respuere, teste Ioanne: *Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum.* Vbi Augustinus hominem sic alloquitur: *Committit se homo diserta lingua, & non perit: committis te Verbo, & periturus es? Clama, aduocatum habemus apud Patrem.* Similiter Ambrosius, ait: *Filius, vt formam hominis impleret,*

Martha Christũ, vt Deũ, & hominem agnoscit. Hil. , & n. 75.

Ep. 1. c. 2.

Lib. 5. in Luc. c. 6.

A *obsecrandum patrem putat esse pro nobis; quia aduocatus est noster.*

Dixit illi Iesus: Resurget frater tuus: Dicit ei Martha: Scio, quia resurget in resurrectione in nouissimo die.

34. POst Domini passionem Marthæ soror Maria errauit; cum rediuiuum Dominum præsentem habens, eumdem vt absentem, & mortuum quæreret, Ioan. 20. 14. *Vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est. Existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam.* Non dissimiliter errauit Martha, cui benè Chrysologus
B serm. 63. ait: *Martha ante te est resurrectio, quam tam longè mittis*, scilicet in nouissimum iudicii diem. Sed si errauit Martha de fratris resurrectione iam proxima, tamquàm de re longinqua cogitando; multò magis plerique hominum errant de proxima ipsorum morte, tamquàm multum distante cogitantes.

Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio, & vita.

35. EST Christus Dominus secundùm Diuinitatem causa efficiens resurrectionis, & vitæ; secundùm humanitatem Diuinitati vnitam, est causa meritoria. Dicitur ergo à Christo: *Ego sum resurrectio, & vita*; hoc est: Ego sum,
C qui, vt mortui resurgant, & viuant efficio. Debet igitur huiusmodi sententia in sensu causali intelligi; sicut aliæ plures in sacris litteris; vt cap. 1. ad Corinth. de Christo Apostolus ait: *Factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*: & Psalm. 17. & 30. à Dauide, dicitur: *Dominus fortitudo mea*: idest Dominus est, qui me fortem efficit. Psalm. 70. *Tu es patientia mea, Domine; Domine spes mea à iuuentute mea.* Quod clarius in sensu causali explicatur Psal. 61. *Quoniam ab ipso patientia mea.* Quod si citato Psal. 70. patientia pro expectatione sumatur, vt legit Hieronymus; tunc patientia Dauidis Deus dicitur; quia obiectum, seu terminus erat eius expectationis; iuxtà illud
D Genesis 49. *Salutare tuum expectabo, Domine.* Similiter in sensu obiectiuo, & terminatiuo dicitur, Spes Sanctorum Deus; quamuis id etiam in sensu effectiuo explicari possit; cum Deus supernaturalem spei habitum infundat, & ad spei actus eliciendos effectiuè cooperetur. Sed circa supra allata Domini verba plures controuersiæ esse possunt. Et primò;

Christus vt Deus, humanũ resurrectionis causa efficiens idẽ vt homo causa meritoria.

Quibus Dominus futurus sit resurrectio, prædestinatis ne tantum, an omnibus?

36. QVod ad causam effectiuam spectat, per realem influxum nulla debet esse
E controuersia, quòd Christus per Diuinitatem sit respectu omnium resurrectio: omnes enim animæ tàm bonorũ, quàm malorum iterum suis corporibus sunt vniendæ; iuxta expressa Pauli verba Act. 24. *Spem habens in Deum resurrectionem futuram iustorum, & iniquorum*: & iuxtà Redemptoris testimonium prolatum Ioannis 5. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei; & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. His verbis resurrectionis omnium tempus significatur*, ait Cyrillus; & subdit: *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei. Nam, qui à nihilo*

Resurrectio per reunionem animæ cũ corpore bonis, & malis, infantibus, & adultis, communis erit. Hic, & sequentibus. Lib. 2. in Ioan. c. 145.

cuncta produxit; quomodo non poterit, quæ semel producta sunt, ab interitu ad vitam rursus reuocare? Porrò nomine monumenti quicumque locus, vbi mortui iaceant, est intelligendus: dictum est autem in monumentis, vt argumentum nobis esset à maiori ad minus; si enim mortuos, qui in monumentis in puluerem redacti sunt, diuinæ vocis imperio, & efficacitate ad vitam resurgere posse credimus; multò magis est id credendum de iis, qui paulò ante vniuersale iudicium mortui fuerint. Denique, qui mala egerunt, dicuntur resurgere in resurrectionem iudicii; quia eorum resurrectio erit, vt animæ cum corporibus criminum sociis ante æternum Iudicem statuantur; & inde simul damnationis sententiam subeant. Sed contra hæc plurima obiici possunt.

A

37. Primò in verbis supra citatis Ioann. 5. non videntur includi pueri, qui ante vsum rationis obierunt; cùm sermo tantùm ibi sit de iis, qui bona, vel mala egerint. Ergo contra id, quòd diximus, non respectu omnium Christus Dominus dici potest resurrectio. Hoc argumentum sanctus Iustinus Martyr ita proponit. *Si sit re-*

B

Quæst 13. ad Gentiles. *surrectio, vt vnicuique reddatur pro vt vixerit; qui fit, vt infantes, & fœtus in vtero defuncti resurgant; cum nec operum mercedem reportent; nec requietis, aut angustiæ sensum propter ætatis immaturitatem*

1. ad Cor. 1. 15. *capere possint?* Respondet Iustinus: *Credentis verum esse illud: Seritur in infirmitate, resurgitur in potestate: hoc & possibile, & decens est credere etiam infantium resurrectionem. Qui enim eis immortalitatem præstat, potest eis etiam vires sentiendi præsentia bona largiri. Quorum si non sit resurrectio, inuenietur Deus frustrà finxisse eos: quòd si Deus nihil facit frustra, necesse est etiam infantes adduci in esse per resurrectionem. An verò non est ineptum Herodem damnare ad pœnas ob interfectos infantes, si infantes non sunt, qui vindicentur?* Idem indicat Augustinus 22. de Ciuit. cap. 13. Præterea ex aliis Scripturę locis infra citandis satis constare debet, mortuorum resurrectionem futuram esse vniuersalem respectu omnium etiam decedentium sine vsu rationis.

C

38. Obiiciuntur secundo Apostoli verba 1. ad Corinth. 15. *Caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt; neque corruptio incorruptelam possidebit.* Respondet pluribus huic obiectioni Tertullianus lib. de resurrect. & tandem concludit: *Carnem, & sanguinem nomine culpa, non substantia arceri à Regno Dei; nomine tamen forma resurgere in iudicium.* Addit præterea: *Caro, & sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt: Meritò sola, & per semetipsa; vt ostenderet ad hoc spiritum illis necessarium: Spiritus enim est, qui viuificat in regnum Dei.*

D

39. Obiiciuntur tertio verba Psalm. 1. *Non resurgent impij in iudicio.* Respondetur sensum illorum verborum esse multiplicem; nullo tamen verborum illorum vero sensu negari impiorum corporalem resurrectionem. Primus sensus est: Impii ea suorum scelerum conscientia coram cœlesti Iudice, confusione, & formidine obruti cogentur oculos, & caput ad terram deiicere; neque vnquam formidina, & confusione liberi sese poterunt sursum ad intuendum cœlestem Iudicem attollere; ideoque dicitur: *Non resurgent impij in iudicio.* Secundus sensus primo similis est: *Non resurgent impij in iudicio*, hoc est, ita condemnabuntur, vt ea iusta æterni Iudicis sententia causa cadant, & caput attollere nequeant; caput autem attollere, seu leuare, est in spem erigi,

E.

A iuxtà illud Lucæ 21. *Respicite, & leuate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra.* Quia igitur lata damnationis sententia, spem nullam reuocationis habere damnati poterunt; ideo de illis dicitur: *Non resurgent impij in iudicio*, hoc est illis sperandi aditus omnis præcluderur. Tertius sensus est: In vniuersali mortalis huius vitæ fine, iudicium duplex fiet; alterum de iustis ad dexteram positis, vt iis præmia tribuantur; alterum de reprobis ad sinistram detrusis, vt iis pœnæ infligantur. Cùm igitur negatur resurgere impios in iudicio, non negatur absolutè resurgere; sed negatur taliter resurgere, vt ad primum illum præmiorum locum, & iudicium aspirare possint, postquam ad sinistram, reiecti fuerint: & propterea subditur: *Neque peccatores in concilio*

B *iustorum.* Quartus sensus est, vt ibi impiorum nomine infideles intelligantur: quoniam verè de his Dominus Ioan 3. pronunciauit: *Qui non credit, iam iudicatus est*; ideo dicuntur hi non resurgere, scilicet in iudicium discussionis, & examinis; quamuis in iudicium damnationis verè resurgant. *Non veniunt, vt communicantur; sed vt ferant damnationem*, ait Basilius in Psal. 1. *Sanctus ad iudicium venit, impius non venit; quoniam non resurgunt impij in iudicium. Hic petit, vt absoluatur, & coercitus dimittatur. Qui autem non iu-* Ambros ser. 20. in Psal. 118.

dicatur, non credidit, sed impietatis sua iudicio ipse punitur, ait Ambrosius. Similiter Augustinus August. 3. de Symbolo c. 10.

ait: *Nec sibi frustra blandiantur increduli, qui audiunt in Psalmo: Non resurgent impij in iudicio: in iudicio dictum est; id est: non, vt iudicentur, resurgent; quia per infidelitatem olim iam damnati*

C *sunt secundùm illam sententiam Dominicam: Qui non credit, iam iudicatus est.* 5. Quia reprobi resurgentes non beatam in cœlo, sed miserrimam in inferno vitam habebunt, quæ potius mors est dicenda, quàm vita; ideo eos resurgere negatur. Iuxta quem sensum Machabæus adolescens impio tyranno dixit: *Tibi resurrectio ad vitam non erit.* Ioan. 3.

2. Machab. c. 7.

40. Obiiciuntur quarto verba Apostoli 1. ad Thess. 4. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aera; &*

D *sic semper cum Domino erimus.* Primò in his verbis, vbi de resurrectione agitur, nulla reproborum fit mentio, sed tantùm iustorum. Deinde sub persona viuentium ipso die Iudicii, ait Apostolus: *Nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera:* vbi cum de viuentibus loquatur, eorumdem mortis, & resurrectionis non meminit; sed potius eos immediatè rapiendos obuiam Christo in aera affirmat. Respondetur verbis illis Apostolum resurrectionis reproborum non meminisse; sed tantùm iustorum, qui in Christo moriuntur; eò quòd ibi Apostoli intentum sit tantùm pios fideles resurrectionis spe consolari. Præte-

E. rea licet ibi expressè mors, & resurrectio eorum, qui sub finem mundi viuent, non habeatur; id tamen certum esse debet ex aliis Scripturæ locis, vt 1. ad Corinth. 15. *Ecce mysterium vobis dico; omnes quidem resurgemus; sed non omnes immutabimur*; scilicet per mutationem ad vitam gloriosam, & impassibilem, qualis mutatio tantùm iustorum est. Porrò ipsi iusti, qui mortem Iudicii die nondum subierint, antequam ad gloriosam, & impassibilem vitam obuiam Christo in aera August. 2. de Ciuit. 1. 20.

rapiantur, in ipso aëreo raptu iuxta Augustinum, Anselm. ser.

& Anselmum prius morientur; deinde prope Heruen. 18

Christi thronum immortales resurgent. Vel, vt hüc locum.

probabilius placet sancto Thomæ, antequam in aëra rapiantur, in terra morientur; vnde resurgentes rapientur in aërem. Atque hinc Christus Dominus in Apostolorum & in Athanasii Symbolo, dicitur: *Venturus iudicare viuos, & mortuos;* idest tum eos, qui prius mortui fuerint, tum etiam illos, qui aduentante ipso Iudicii die, viui reperientur, & modico temporis spatio mortem subeuntes statim resurgent. Quare ad indicandum superstites die Iudicii à morte non omninò forè liberos, subdit Athanasius de Christo Iudice: *Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis; & reddituri sunt de factis propriis rationem.*

Mortē omnes sine exceptione omnes subire debeant: superstites prope iudicii diē, etiam morientur.

41. Præterea quòd mors omnibus communis esse debeat, apertè etiam patet ex verbis Apostoli 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur:* & paulò post: *Tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur,* &c. & ad Hebr. 9. *Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem iudicium!* Ex quibus verbis multò veritati conformior sancti Thomæ sententia supra allata videtur, asserens ipsos iustos, qui die Iudicii superstites fuerint, non morituros, dum obuiam Christo in aëra rapientur, semper cum eo mansuri; sed potius in terra, antequam ad iudicium procedatur: vniuersaliter enim dicitur ab Apostolo mors præcedere debere Iudicium: *Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem iudicium.* Cui sententiæ consonat Ecclesiasticus 14. dicens: *Testamentum huius mundi, morte morietur:* quorum verborum sensus est: Hoc est decretum, hæc est sententia iam à Deo lata in quemlibet existentem sub hoc sublunari mundo: *Morte morietur.* Huic veritati si credimus, vnusquisque se tamquam reum iam morti damnatum considerare quotidie debet. Quamuis ad hoc cognoscendum non opus esset ad fidei testimonium recurrere, cum ipso naturali lumine sit manifestum; quare Ethnicus cecinit:

Æneid. 10.

Stat sua cuique dies; breue, & irreparabile tempus omnibus est vitæ. S. Hieronymus epist. 3. ad Heliodorum in Epitaph. Nepotiani ait: *Xerxes ille rex potentissimus, qui subuertit montes, maria constrauit; cum è sublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem vidisset exercitum, fleuisse dicitur; quòd post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possimus in talem ascendere speculam, de qua vniuersam terram sub nostris pedibus cerneremus: iam tibi ostenderem totius orbis ruinas; & gentes gentibus, & regnis regna collisa: & non Xerxis tantùm exercitum; sed huius mundi homines, qui nunc viuunt in breui spatio defuturos.*

An Christus Dominus resurrectionis omnium etiam reproborum, non solùm per Diuinitatem causa realis influens; sed etiam per humanitatem Diuinitati coniunctam causa meritoria sit?

Christus resurrectionis omniū, etiā reproborū causa meritoria est. Hic & sequentibus. Lib. de resurrect. carnis c. 48.

42. NEgat S. Augustinus epist. 28. cui subscribit S. Thomas. Ratio Augustini est, quia reproborum resurrectio ad damnationem, non vita, sed mors potius dicenda est. Contra verò ex merito Christi omnes tam reprobos, quàm electos resurrecturos benè colligi videtur teste Tertulliano ex Apostolo 1. ad Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita in Christo omnes viuificabuntur.* Quamuis autem hoc in loco existimet Cornelius, Apostolum nō propriè agere de miseria reproborum, sed de beata sanctorum resurrectione; contra tamen est; nam cum Apostolus dixisset: *Ita in Christo omnes viuificabuntur;* immediatè subdit: *Vnusquisque in suo ordine;* nempe vt, si iustus sit, inter beatos; si impius, inter reprobos resurgat, iuxtà Chrysostomum, Theodoretum, & Theophylactum. Cum Tertulliano idem sentit Ambrosius lib. de fide resurrectionis, dicens: *Primitiæ quiescentium Christus. Sed vtrum suorum quiescentium, qui quasi mortis exortes dulci quodam sopore tenentur; an omnium mortuorum? Sed sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Idem sentit Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 12. apud quem Christus ita loquitur: *Morior pro omnibus, vt per meipsum omnes viuificem, & caro mea omnium redemptio fiat: morietur enim mors morte mea, & simul mecum natura hominum resurget.* Quoniam verò dubium esse poterat de reprobis, subdit Cyrillus: *Nonne, qui Christi fidem non susceperunt, ac ipsius corporis participes facti non sunt, resurrectionis tempore reuiuiscent? Nonne vniuersum humanum genus, quod in mortem cecidit, ad vitam recurret? Omninò ita futurum respondebimus. Resurgent enim mortui, propheta dixit; & ad omnem naturam humanam resurrectionis Christi mysterium peruenire credimus; & in ipso primo totum humanum genus ab interitu liberatum dicimus; omnes enim resurgent propter eum, qui primus resurrexit; & omnes vt homo in seipso continebat: & sicut in primo homine omnes mortui sumus, sic rursus in eo, qui primogenitus propter nos mortuus est, omnes reuiuiscent. Sed qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, vt scribitur; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicii: morte autem ipsa ego puto acerbius ad cruciatus resurgere.* Ex quibus vltimis Cyrilli verbis insinuatur ratio, cur ex merito Christi reprobi resurrecturi sint; scilicet, vt rediuiui ad instam vltionem acerbius crucientur; atque adeò, vt Christi gloria ex suorum hostium pœna magis eluceat.

Isaiæ c. 26. 19

Ioan. 5.

43. Præterea sicut Christus totius humani generis redemptionem meruit; quamuis reprobi sua culpa redemptionis fructum percipere noluerint; atque hinc illis redemptio in maiorem culpam, pœnamque vertatur: ita Christus totius humani generis resurrectionem meruit; quamuis ex hac resurrectione reprobis maior pœna proventura sit: & sicut Christus obstinatis peccatoribus sufficientem gratiam ad eorum conuersionem meruit; quamuis ex tali gratia in maiorem illi incidant culpæ reatum: ita Christus reprobis resurrectionem meruit, quamuis ex resurrectione illi maius supplicium sint sortituri. Atque hinc Augustini ratio supra allata soluitur; quamuis enim ex reproborum culpâ ad damnationem futura sit ipsorum resurrectio; ex Christi tamen merito ad vitam esse debuisset. Quare cum duo Dominus dicat: *Ego sum resurrectio, & vita;* resurrectio quidem communis est reprobis, & electis, vita verò tantùm electis. Hinc Cyrillus ait: *Vitam propriè illam, quæ in Christo est, intelligere debemus; quæ beatitudine continetur æterna; quam Euangelista rectè cognouit dicens; Qui credit in filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super ipsum. Ecce enim, ecce, inquam, non visuros vitam incredulos affirmat; quamuis per resurrectionem omnes reuiuiscemus.*

Li. 4. in Io. c. 12.

Ioan. c. 3.

44. Sed contra Cyrillum obiici potest ab eo ad suæ sententiæ probationem non benè prolatum supra fuisse Prophetæ, nempè Isaiæ, testimonium, sic enim Isaias cap. 26. *Viuent mortui*

tui.

tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere. Quibus verbis videtur sermo tantùm dirigi ad electos. Respondetur Prophetam paulò post etiam loqui de peccatoribus, cum dicat: *Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: & reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet vltra interfectos suos.*

An Christi humanitas sit causa instrumentalis realiter influens in hominum resurrectionem?

45. AFfirmat vniuersaliter Athanasius ser. 4. contra Arianos, de Christo dicens: *Per carnem cæcum illuminauit, & Lazarum resuscitauit; eadem ratione per carnem in die nouissimo suscitabit omnes.* Cyrillus verò idem affirmat, sed non vniuersaliter his verbis: *Exsuscitandis mortuis non solummodo verbo, atque imperio, vt Deus vtebatur; verumetiam carnem suam, quasi cooperatricem nonnumquam adhibebat: vt reipsa ostenderet carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam esse; atque fideles doceret suum, non alterius corpus esse. Nam quando Synagogæ Principis filiolam suscitabat, manum eius apprehendit, vt scribitur, & erexit dicens: Puella surge: ita, vt Deus, & verbo, & carnis sua tactu eam excitauit, vnam ab vno se Christo, Deo videlicet, atque homine operationem producens. Quando etiam in ciuitatem, Naim vocatam, ingrediebatur, & efferebatur vnigenitus matris filius iam mortuus, tetigit corpus eius dicens: Adolescens, tibi dico, surge. Non ergo verbo solùm semper, vt diximus, verumetiam tactu mortuos excitabat, vt ostenderet corpus quoque suum viuificare posse.* Cyrillus igitur præter Diuinitatis imperium, tunc Christi humanitatem ad mortuorum resurrectionem cooperatam esse significat, cum eos tetigisse dicitur. Quare iuxtà Cyrillum ex hac Christi humanitatis reali cooperatione excludi videtur Lazari resurrectio, quem solo imperio ad vitam vocauit, dicens: *Lazare, veni foras.* Porro quidquid sit de electis; multò magis iuxtà Cyrillum excludenda est reproborum resurrectio à Christi humanitatis cooperatione; cum multò magis, quàm Lazarus quatriduanus, fœtida reproborum corpora, vt à sanctissima Domini humanitate tangantur, indigna sint.

Lib. 4. in Ioan. 14.

Matth. 9.

Luca 7.

An Christi humanitas causa exemplaris futura sit respectu hominum resurrectionis?

46. AFfirmandum est respectu electorum; & patet ex Apostolo 4. ad Ephes. vbi de iustis loquens ait: *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Quæ verba licet Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus hic, & August. 22. de Ciuit. cap. 15. Satis congruè intelligant de perfecto iustorum statu in hac vita, & in Ecclesiæ militantis gremio: adhuc tamen S. Anselmus, seu Heruæus in hunc Pauli locum, S. Thomas, & Scholastici in 4. dist. 44. ex Apostoli citatis verbis docent electos, etiam qui paruuli mortui sunt, in resurrectione habituros iustam, & virilem corporis magnitudinem, & staturam; qualem Christus perfecta virili ætate, qua mortuus est, habuit; scilicet inter 33. & 34. annum: ita tamen, vt non omnes habituri sint æqualem cum Christo, atque adeo inter se staturæ magnitudinem: sed vnusquisque eam habituros sit staturæ mensuram, quam vel habuit, vel habuisset perfecta virili ætate, nullo posito naturæ, vel complexionis impedimento. Quam Apostoli interpretationem etiam probat Augustinus supra citatus. Quòd si quæras vnde supplendæ sint partes, vt corpus paruum iustam virilem mensuram acquirat? Respondeo probabiliter per diuinam potentiam ad id præstandum adunari partes omnes, quæ antea in eodem corpore fuerint; & deinde naturalis caloris actiuitate euaporauerint: cuius probabilitatis ratio est, quia huiusmodi partes potius, quàm aliæ extraneæ, ad corpus tale constandum pertinere videntur. Quoniam verò dari potest casus, vt caro humana in piscem e. g. qui ea pascatur, transmutetur; & rursus piscis in carnem humanam; ex quo casu fieri potest, vt eædem partes ad diuersa corpora spectent: posito tali casu, dicendum videtur huiusmodi corporis partes in resurrectione reliqui vltimo possessori; & corpori prioris possessoris ex partibus ab ipso euaporatis supplementa fieri. Nam, vt ait August. 22. de Ciuit. cap. 20. *Quidquid carnium exhausit fames, vtique in auras est exhalatum; vnde Omnipotens Deus potest reuocare quod fugit.* Sed Augustinus loco citato contra id, quod diximus, ait: *Si quispiam confectus fame vescatur cadaueribus hominum, reddatur caro illi homini, in quo esse caro humana primitus cæpit.* Idem docet S. Thom. in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 4. ad 3. & lib. 4. cap. Gentes cap. 81. vbi multa circa hanc quæstionem distinguit. Sed contra, pro nostra allata sententia dicitur inconueniens omnino videri; sicaro, seu materiæ pars, quæ prius fuit in præscito, & deinde in electo, adeoque sub eiusdem anima quodammodo sanctificata, iterum præscito reddenda sit; vt cum eiusdem anima inferno igne crucietur. At si priua materiæ pars fuit in electo, & deinde in præscito, non videtur inconueniens eam iam peccatis inquinatam in præscito remanere, æternisque cruciatibus subiacere.

Ambrosius l. acephalo de sede resurrectionis circa mediũ ait: *In illo ergo tempore cũ ætas fuerit vna cunctorũ & Sanctus, & peccator simile erũt resurrectione perfecti, nec inter se variabũt tempora, nec ætate, sed alius ad præmia æterna, alius ad supplicia pertrahetur æterna.*

47. Porrò ex allato Apostoli textu aliqui colligunt fœminas ad beatam vitam in virili sexu resurrecturas; eò quòd *In virum perfectum* resurrectionem fore ab Apostolo significatur. Quam sententiam apertè docet Scotus in 2. dist. 20. affirmans excepta B. Virgine fœminas omnes virilem sexum in resurrectione habituras. Contra verò sentit Augustinus 22. de Ciuit. cap. 17. dicens: *Nonnulli propter hoc, quod dictum est: Donec occurramus omnes in vnitatem fidei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, & conformes imaginis Filij Dei: nec in sexu fœmineo resurrecturas fœminas credunt, sed in virili omnes aiunt. Sed mihi melius sapere videntur, qui vtrumque sexum resurrecturum esse non dubitant. Non est autem vitium sexus fœmineus, sed natura.* Idem sentiunt Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 60. Hieronymus epist. 61. ad Pammachium, quibus subscribunt Scholastici in 4. dist. 44. & S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 88. Prima ratio est, quia ipse idem, non alius, qui victoriam reportat, coronam, seu triumphum consequi debet: quare si Ecclesiæ testimonio Deus in sexu fragili, hoc est in fœmineo, sæpè martyrii victoriam constituit; ab eodem etiam sexu in cœlesti patria videtur triumphi gloria obtinenda. Quòd si martyres in ea corporis parte, qua passi sunt, peculiari ae-

Fœminas in virili sexu resurrecturas negandũ est. Hic, & sequẽtibus.

ciden alis gloriæ ornamento sunt decorandi, sanctam Martyrem Agatham mammilla peculiari decore insignita fœmineum certè sexum testaturam dicendum est. Et hoc indicare videotur Apostoli verba 2. ad Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Confirmatur, quia S. Iob. cap. 19. non solùm sub sua, sed sub persona totius generis humani de futura vniuersali resurrectione ait:
Iob.19.26. *In carne mea videbo Deum meum.* Carnis autem nomine in sacra Scriptura etiam sexus significatur, vt in epistola S. Iudæ Apostoli cum dicitur, *Abeuntes post carnem alteram.*

48. Ratio secunda est, quia opposita sententia solidum nullum habet fundamentum. Sententiæ enim Scoti fundamentum est, quia sexus fœmineus est quædam imperfectio; in Sanctorum autem corporum resurrectione imperfectio nulla est admittenda. Respondetur sexum fœmineum absolutè non esse imperfectum; quamuis comparatus ad virilem sexum minus perfectus sit: minor autem perfectio simpliciter imperfectio non est dicenda; alioquin Angelus inferioris ordinis imperfectus diceretur; quandoquidem comparatus cum Angelo superioris ordinis minus perfectus est. Præterea in mundi creatione (vbi ex Dei opificio etiam Eua fuit) Creatoris opera omnia perfecta fuerunt: *Vidit Deus*
Gen.c.1.31. *cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*, dicitur Genes. 1. & Deuter. 32 *Dei perfecta sunt opera:* & tamen inter illa, creatura alia est alia perfectior. Certè inter cœlestia corpora est aliud alio perfectius; nec tamen minus perfectum imperfectum dicendum est; sed potius absolutè in suo genere perfectum: *Perfecti*, inquit Moses, *sunt*
Gen.2 *cœli, & terra*; vbi cœlorum nomine minus perfecti etiam includuntur; & terra, quæ etiam perfecta dicitur, cœlo comparata multò minorem perfectionem habet. Quare Apostolus de corporibus cœlestibus, & terrestribus ait: *Alia qui-*
1. ad Cor. c. 15. n. 40. *dem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum. Stella autem à stella differt in claritate; sic & resurrectio mortuorum.* Et quamuis ibi Apostolus de Beatorum gloriæ gradibus magis, minusuè perfectis propriè loquatur; hinc tamen benè paritas ad sexum magis, minusque perfectum duci potest.

49. Dices sexum virilem, & fœmineum esse intra eamdem speciem specialissimam hominis; solem autem, lunam, & stellas esse diuersæ speciei: res autem diuersæ speciei repugnat eiusdem speciei fieri posse: sed intra eamdem speciem specialissimam possunt indiuidua redigi ad eamdem corporis perfectionem: & ita fieri conuenit, vt in cœlesti patria perfectio nulla desideretur; Ex quo fit, vt nulla sit paritas supra allata ab Angelis, à sole, luna, & stellis. Respondetur in cœlesti patria dona naturalia non mutari debere in alia naturalia dona magis perfecta; sed potiùs vnumquodque perfici magis, minusuè iuxta meritum per dona supernaturalia. Sic positis distinctis animæ potentiis, naturalis intellectus minus perfectus, non mutatur in magis perfectum; sed potius iuxta meritum per supernaturale gloriæ lumen perficitur. Similiter dicendum est fœmineum sexum minus perfectum non mutari in virilem sexum perfectiorem; sed potius pro mensura meriti perfici supernaturaliter gloriæ donis. Ex quo fit, vt sicut intellectus naturaliter, mi-

A nus perfectus eleuari possit ad clariorem Dei visionem: ita fœmineus sexus minus perfectus eleuari iuxta meritum possit ad perfectiorem gloriæ gradum.

50. Falsum est autem in cœlesti patria intra eamdem speciem perfectionem maiorem, minoremque non esse dandam. Primò, quia datur gloriæ lumen perfectius, & minus perfectum: & *sicut stella differt à stella in claritate*; ita Beatus à Beato in claritate luminis gloriæ differre potest. Benè igitur dicit Apostolus: *Stella à stella differt in claritate, sic erit & resurrectio mortuorum.* Secundò quia ea corporis statura perfectior est dicenda, quæ magis ad perfectum Christi Domini staturam accedit: & tamen, cum non omnes æ-
B qualiter staturæ Domini conformentur, vt supra vidimus; necessariò sequitur in cœlesti patria humani corporis staturam dari magis, minusuè perfectam. Præterea si fœmineus sexus imperfectionem inuoluit, quæritur à Scoto cur eam in Beata Virgine admittit? Respondebit, vt Christi maternitatem testetur, quæ summam Virginis gloriam ostendit. Proportionaliter dicam ego, SS Felicitatem, Symphorosam, Machabæorumque matrem in resurrectione fœmineum sexum retinere, vt se septem filiorum martyrum matres fuisse testentur. Similiter dicendum de sancta Monica Augustini matre, eiusque conuersionis deprecatrice. Dices, cur Apostolus de vniuersali electorum, electarumque re-
C surrectione loquens ait: *Donec occurramus omnes in virum perfectum?*

51. Respondetur primo ibi Apostolum ad Ephesios, non ad Ephesias scribere, ac propterea in virum perfectum eos resurrecturos significat. Præterea benè Augustinus ait: *Quid* 22. de Ciuit. c. 18.
nos impediret nominato viro intelligere, & fœminam; vt virum pro homine positum acciperemus P. 111.
sicut in eo, quod dictum est: Beatus vir, qui timet Dominum. Vtique ibi sunt & fœminæ, quæ timent Dominum. Huc reuocari potest quod Cyprianus supra etiam allatus de disciplina, & habitu Virginum explicans Apocalypsis cap. 14. verba, ait: *Hi sunt, qui cum mulieribus non*
D *sunt coinquinati; Virgines enim permanserunt: hi sunt, qui sequuntur agnum quocumque ierit: Neque tantùm masculis continentiæ gratiam Dominus repromittit, & fœminas præterit; sed quoniam fœmina viri portio est, & ex eo sumpta, atque formata est; in Scripturis ferè omnibus ad* Gen. 2. 24.
Protoplastum Deus loquitur; quia sunt duo in carne vna, & in masculo simul significatur & fœmina.

52. Respondetur secundò ibi viri nomine non significari sexum, sed potius virilem ætatem, & perfectionem iuxta determinatam quamdam perfectionis mensuram, siue in maribus, siue in fœminis; quandoquidem etiam virilem fœminam
E dicimus. Quòd quidem patet ex eo, quod subdit Apostolus: *Vt non simus paruuli fluctuantes.* Quare, sicut non habere imperfectionem paruuli fluctuantis ad vtrumque sexum potest; ita ad sexum vtrumque spectat virilem ætatem, perfectionem, & constantiam habere.

53. Responderi tertiò potest, ibi sermonem esse non de corpore materiali, sed de mystico: Apostolus enim de fidelibus loquens ad Roman. 12. ait: *Multi vnum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra:* & 1. ad Corinth. 10. *Vnum corpus multi sumus:*

& cap. 12. *In vno spiritu omnes nos baptizati sumus.* Hoc igitur mysticum corpus, quod fideles simul constant, cuius caput est Christus, relicto omni ætatis, & morum imperfectione, tandem in virum perfectum crescere debere docet Apostolus, dicens: *Donec occurramus omnes in virum perfectum.* Et hæc est interpretatio Augustini 22. de Ciuit. cap. 18. qui propterea post citata verba Apostolum subdidisse ait: *Veritatem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum,* &c. Hæc etiam interpretatio confirmatur ex versione Syriaca, vbi legimus: *Donec omnes simul vnus vir perfectus.* Quando vero non solùm de mystico, sed etiam de proprio corpore est sermo, Apostolus ait ad Philippenses 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Quibus verbis Christum futuræ electorum resurrectionis causam exemplarem fore magis propriè colligitur: quam ex verbis suprà citatis ad Ephes. 4. vbi de perfecto instorum statu in hac vita sermonem esse plures satis congruè asserunt, vt suprà diximus.

54. Dices Matthæi 22. de Beatis Dominus ait. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo:* & Lucæ 20. *Æquales Angelis sunt; & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis.* Ex quibus verbis excludi fœmineus sexus videtur; sicut ab Angelis excluditur. Respondet Augustinus 22. de Ciuitat. cap. 17. *Qui vtrumque sexum instituit, vtrumque restituet: & ipse Iesus interrogatus à Sadducæis, qui negabant resurrectionem; cuius septem fratrum erit vxor, quam singuli habuerunt; dum quisque eorum vellet defuncti semen, sicut lex præceperat, excitare? Erratis, inquit, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Matth. 22. *Et cum aptus esset locus, vt diceret: De qua enim me interrogastis, vir erit ipsa, non mulier: non hoc dixit; sed dixit: In resurrectione enim neque nubent, neque vxores ducent; sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Luc. c. 20. *Æquales vtique Angelis immortalitate, ac felicitate, non carne: sicut nec resurrectione, qua non indiguerunt Angeli, quoniam nec mori potuerunt. Nuptias ergo Dominus negauit in resurrectione, non fœminas: & ibi negauit, vbi talis quæstio versabatur, vt eam negato sexu muliebri, celeriori facilitate dissolueret, si eum ibi præcognosceret non futurum. Immo etiam firmauit esse, dicendo: Non nubent, quod ad fœminas pertinet; neque vxores ducent, quod ad viros: Erunt ergo quæ vel nubere hîc solent, vel ducere vxores: sed ibi hoc non facient.* Hactenus Augustinus. Cum verò Lucæ 20. Dominus ait: *Æquales Angelis sunt, & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis:* Filios dixit potius, quàm filias: non quòd fœminas excluderet à resurrectione; sed quòd de septem fratribus, viris eiusdem vxoris directè quæstio erat proposita. Præterquamquod in filiis filias possumus intelligere; sicut in viro fœminas iuxtà Cypriani, & Augustini sententiam suprà allatam.

55. Respondetur secundo Angelis neque virilem, neque fœmineum sexum conuenire; quare ex comparatione resurgentium electorum cum Angelis non magis vnus, quàm alter sexus excludi debet. Porrò, qui ex officio Angeli, hoc est nuncii nominantur; ex natura Spiritus propriè appellantur. Quare cum Psalm. 103. dicitur: *Qui facis Angelos tuos spiritus;* sensus est: Qui facis, vt spirituales substantiæ, quæ tibi in cœlo semper adsistunt, fiant Angeli tui, hoc est tui nuncii ad homines instruendos. Ita sentiunt Augustinus in eum Psalmum; & 15. de Ciuit. cap. 23. Gregorius hom. 34 in Euangelia; Hilarius 5. de Trinitate: Idem indicat Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 4. & 7. Angelorum igitur nomen est Spiritus; quamuis frequentius Angeli nominentur, vt à prauis spiritibus distinguantur; qui quidem Angeli, hoc est Dei nuncii non sunt; sunt tamen spiritus. Spiritus autem, vt benè notat Hieronymus, apud Hebræos fœmineo genere profertur & dicitur Ruach; apud Græcos neutro, diciturque πνεῦμα, apud Latinos genere masculino, nempe spiritus. *Ad Damasũ de Seraphino purgante labia calculo igneo.* Non est igitur cur ex Angelicorum spirituum comparatione vnus potius, quàm alter sexus includatur, vel excludatur. Addit S. Hieronymus ibidem: *In genere Seraphim diuersitas est apud interpretes: Septuaginta: Aquila, & Theodotion Seraphim neutro genere transtulerunt; Symmachus masculino. Nec propterea putandum sexum esse in virtutibus Dei.* *Spiritus Latini masculinum, Hebræi fœmineũ, Græci neutrum genus tribuunt.* Dicendum est igitur ex Angelorum similitudine non excludi sexum, sed tantùm inferri in electis resurgentibus fore vitam beatam, & immortalem, quæ nuptiis, nuptiarumque vsu ad conseruandam speciem non indigeat. Et ita explicandi sunt SS. PP. Athanasius serm. 3. contra Arianos, Hieronymus, & Basilius in Psal. 14. & Hilarius Matth. 22. qui quamuis citentur pro Scoti opinione; nihilominus non sexum, sed vsum negant in resurrectione futurum.

56. Præterea sexus diuersitatem in resurgentibus electis admittendam esse his sancti Iustini Martyris verbis confirmari potest: *Multa sunt causæ, propter quas oportet resurgentes sua quemque forma resurgere. Primùm ad ostendendam singularem, diuinamque Dei potestatem; quod possit in tam innumerabili resurgentium multitudine, sua cuique forma seruari. Deinde ne putetur reddere nouos homines, ac non mortuos excitare; propterea oportet, vt resurgentes habeant suam quisque formam. Ignoratis enim formis eius, qui passus est iniuriam, perit æquitas iudicij.* Quare apertè Quintiani prætoris sæuities iusto diuino iudicio damnari videbitur; quòd sanctæ Martyri Agathæ mamillam absciderit, eàdem sancta martyre fœmineo sexu mamillas referente.

57. Vltimò obiici potest, si electorum resurrectionis Christus causa exemplaris est; ita vt iuxta Apostoli testimonium corpus humilitatis nostræ reformandum sit, & configurandum corporis claritatis eius; hinc sequi videtur electorum corpus non fore illud carneum, & osseum, quod prius habebatur: sed corpus cœleste, quale Christi corpus fuit; de quo Apostolus ait: *Secundus homo de cœlo cœlestis;* cum de Adamo antea dixisset: *Primus homo de terra terrenus.* Confirmari id videtur ex præcedentibus illis Apostoli verbis: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Respondetur sententiam in allata obiectione fuisse hæresim Eutychii teste Gregorio 4. mor. cap. 29. Eamdem sententiam inter Origenis errores numerat Hieronymus ep. ad Pammachium, & Oceanum.

Ad Philip. 3.
1. Ad Cor. 15.

Christus verè humana carne assumpta, dicitur tamen de coelo coelestis quadruplici sensu.

58. Respondetur igitur Christum dici de cœlo cœlestem; non quòd corpus verè cœleste de cœlo attulerit, humanumque verum corpus non habuerit; vt asserebant Gnostici, & Valentinus: quam assertionem, vt hæresim damnatam fuisse testatur Augustinus hæresi 11. & Irenæus lib. 1. cap. 5. Sed cœlestis dicitur Christus, vt indicat Nazianzenus orat. 51. & August. epist. 57. propter diuinam, cœlestemque personam; secundùm quam Ioan 3. Christus de cœlo descendisse dicitur. Secundo ex Tertulliano de carne Christi cap. 8 & Beda in hunc locum, Christus dicitur cœlestis, quòd ob impeccabilitatem semper cœlestem vitam duxerit. Imma ad Hebræos 7. vbi ab Apostolo ob impeccabilitatem Christus dicitur, *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*; deinde additur: *Excelsior cœlis factus*; non solùm, quia *super omnes cœlos ascendit*; sed quia supra cœlos excelsitatem, hoc est prærogatiuam habuit. Nam cœli quamuis naturaliter incorruptibiles sint; absolutè tamen eos corruptioni esse obnoxios non repugnat: at Christum Dominum peccati corruptioni obnoxium esse omninò repugnat. Dicitur ergo cœlestis, quia Sanctus; Sanctus autem dicitur; hoc est Aglos, idest sine terra, inquit Hugo Cardinalis, quia terrenis affectibus omninò caruit, qualis Adam non fuit, qui propterea non cœlestis, sed terrenus dicitur. Tertio iuxta Hilarium 1. de Trinitate sub initium, Ambrosium in allatum Apostoli locum, & Augustinum dialogo ad Orosium q. 4. Christus dicitur cœlestis, quia supra totum naturæ ordinem cœlesti virtute Spiritus sancti ex Virgine conceptus, & natus est. Verè hinc cœlestis dicitur, quia cum Deipara *Virgo animatum cœlum* sit iuxta Damascenum; sanctissimus filius ab ea natus; De cœlo cœlestis meritò dici potest. Quarto ex Chrysostomo Christus cœlestis dicitur ob cœlestem gloriam, & immortalitatem, quam post resurrectionem est consecutus. Quam interpretationem etiam Augustinus amplectitur, vt mox videbimus: & eam veram, & litteralem esse ex eo patet, quia ibi Apostolus de resurrectione, & beatorum corporum gloria agit, per quam Christo prototypo in cœlesti patria electi sunt conformandi.

Ad Eph. 4.

In epist ad Hebr c. 2.

Orat. 1. de dormit. B. Virginis.

B atis vera, & propria cum carne resurgentibus quo sensu spirituale corpus tribuatur?

59. Hinc etiam habetur, cur Apostolus dicat: *Surget corpus spirituale.* Spiritum viuificantem vocat Augustinus rationalem animam iam beatam; eò quòd ita viuificandi corpus vim habeat, vt illud ab omni mortalitatis conditione liberum planè reddat. Hoc posito ait Augustinus: *Spiritalia erunt, non quia corpora esse desistent; sed quia spiritu viuificante subsistent. Nam sicut ista, quæ habent animam viuentem, nondum spiritum viuificantem, animalia dicuntur corpora; nec tamen animæ sunt; sed corpora: ita illa spiritalia vocantur corpora. Absit tamen, vt spiritus ea credamus futura; sed corpora carnis habitura substantiam; sed nullam tarditatem, corruptionemque carnalem spiritu viuificante passura. Tunc etiam non terrenus, sed cœlestis homo erit; non quia corpus, quòd de terra factum est, non ipsum erit; sed quia dono cœlesti iam tale erit, vt etiam cœlo incolendo, non amissa natura, sed mutata qualitate conueniat.* Confirmatur, nam, vt idem Augustinus ait lib. de fide, & symbolo c. 10. *Anima, cum carnalia bona adhuc appetit, caro nominatur: Vnde dicitur: Mente seruio legi Dei; carne autem legi peccati.* E contrario igitur cum corpus in cœlesti patria ita spiritui subiectum erit, vt simul carnalia bona omninò non appetat; tunc corpus spiritale dici poterit. Hinc Augustinus ibidem cap. 6. ait: *Spiritale dicitur corpus, non quasi in spiritum vertatur; sed quia ita spiritui subditum erit, vt cœlesti habitationi conueniat; omni fragilitate, ac labe terrena in cœlestem stabilitatem mutata, atque conuersa.*

Aug. 22. de Ciuit. c. 21. sub finem, & c. 23. sub initium.

ad Rom. 7.

60. Damascenus allata Apostoli verba ita interpretatur: *Resurget corpus spirituale, immutabile, impassibile, subtile. Hoc enim significat spirituale, quale post resurrectionem corpus Domini tanuis clausis ingrediens, infatigabile nec cibo, aut somno, aut potu indigens.* Spiritus autem duo significat, nempe tum substantias immateriales à materialibus substantiis omninò distinctas; tum etiam ventos: prima acceptione dicitur Lucæ 24. *Spiritus carnem, & ossa non habet.* Secunda acceptione dicitur Psalm. 47. *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* Iuxta primam acceptionem dicitur corpus beatum spiritale; quia instar spiritus, immaterialis, infatigabilis erit, nec cibo, aut somno, aut potu indigebit, vt ait Damascenus. Propterea dixit Augustinus: *Corpora Sanctorum, quæ in resurrectione futura sunt, non indigebunt corporalibus alimentis, quibus esuriendi, aut sitiendi qualiscumque molestia depellitur; quoniam certo, & inuiolabili munere immortalitatis induentur; vt non, nisi velint, possibilitate, non necessitate vescantur. Quod Angeli quoque visibiliter, & tractabiliter fecerunt.* Hoc autem exemplificat Augustinus tum exemplo Angelorum Abrahami hospitum Genes. 18. tum Angeli Raphaelis, qui Tobiæ dixit: *Videbatis me manducare:* tum exemplo Christi Domini, qui post resurrectionem suis cum discipulis conuesci visus est, Lucæ cap. 24 43. vbi Beda ait: *Aliter aquam absorbet terra sitiens, aliter Solis radius calens, illa indigentia, iste potentia. Itaque cibus ille à Domino non est, vt à nostris corporibus solet, sumptus; sed gloria illa consumptus, non versus in corporis substantiam.* Denique iuxta secundam spiritus acceptionem à spiritu, hoc est à vento spiritali Beatorum corpus dicitur; quia instar venti propter subtilitatis, & agilitatis dotes quacumque citissimè penetrandi vim habebit.

Lib. 4. de fide c. 28. Ioan. 20.

Spiritus tum immateriales substantias, tum ventum significat.

13 de Ciuit. c. 22.

Tob. 12.

Alter. c. 2.

Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet.

61. EX his verbis noui hæretici Marcionis sectatores asserunt solam fidem ad salutem sufficere; cum hîc credentibus beata, & æterna vita promittatur. Id etiam colligunt ex Redemptoris verbis Marci vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit;* vtrobique enim nulla bonorum operum mentio fit. Sed hanc hæresim confutant Tertullianus, Irenæus, & præcipuè Augustinus, qui propterea integrum librum de fide, & operibus scripsit. Vbi ait: *Nequaquam sibi fallatur, vt se existimet Deum cognouisse; si eum fide mortua, hoc est sine bonis operibus confiteatur:* Sed ad huiusmodi hæresim damnandam Christi Domini Matthæi 19 expressa verba afferri possunt; vbi adolescenti interroganti: *Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Respondit Dominus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quam sententiam ineptissimè interpretatur Caluinus; putat enim de legalibus præceptis Mosaicæ legis ibi sermonem esse; quorum præceptorum obserua-

Eider sine operibus ad salutē consequendam sufficiens nō est. His, & sequentibus.

Caluini interpretatio falsa, & maligna Chri-

...sto ludicrà ironiam tribuendo.

tione fretus adolescens ille, eaque inflatus ab æternæ vitæ via potius aberrabat, quàm per eam incederet; Christus enim venerat, vt Mosaicæ legis mandata, & cæremonias abrogaret. Respondit igitur Christus iuxtà Caluinum, quasi ludens, & quasi per ironiam. Quemadmodùm si quis interroganti qua via Romam iretur, extremos Indos ostenderet. Quæ interpretatio falsa est, & maligna: falsa, quia eo in loco non de legalibus Mosaicæ legis mandatis, & cæremoniis à Christo abrogandis sermo est; sed de mandatis adhuc in Euangelica lege retinendis; per quæ verè ad vitam æternam itur, non ab ea aberratur. Explicat enim mandata seruanda Christus, dicens: *Non homicidium facies; non adulterabis; non facies furtum; non falsum testimonium dices; honora patrem tuum, & matrem tuam; & diliges proximum tuum sicut teipsum. Dixitque Domino adolescens: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea; quid adhuc mihi deest?* Quòd si Mosaicæ legis obseruationi confidens, eaque inflatus, ille ad Dominum accessisset; vtique non vlterius quæsiuisset. *Quid adhuc mihi deest?* Rursus maligna est Caluini interpretatio, cum Christum Dominum in re grauissima, quippe ad salutem spectante, per ironiam, & lusum respondisse censeat.

62. Respondetur igitur tàm hîc, cum Dominus ait: *Qui credit in me*, quàm Marci vltimo, cum dicitur: *Qui crediderit*, &c. Sermonem esse de fide non mortua, quæ cum bonis, & meritoriis operibus, præceptorumque obseruatione associatur. Propterea ait Ioannes epist. 1. cap. 2. *In hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus.* Vbi de vera fide, & notitia familiaritatis, & amicitiæ sermo est iuxtà Oecumenium, & Bedam. Porrò fides, quæ per habitum, actusque supernaturales vera credit, ex hoc capite vera dicenda est: prauè autem asserit Caluinus veram fidem ex supernaturali credendi habitu procedentem non posse à Dei dilectione, aliisque virtutibus separari. Rursus fides bonorum operum expers ex alio capite fides non vera dici potest; nam omni ex parte: *Vera fides dicenda est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit*, vt ait Gregorius. Talis fides non reperitur in iis, qui, vt ait Paulus, *Confitentur se nosse Deum; factis autem negant.* Hinc Ioannes ait: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.*

In Antidoto Conc. Trid. ad Can. 11. sess. 6.
Hom. 29. in Euang.
Fides sine operibus quare mendax dicitur? Hic, & sequentibus
Ad Tit. c. 1.
Epist. 1. c. 2.

63. Potest hoc explicari aptissima similitudine. Si nigrior facies fuco aliquo dealbetur; vera quidem in ea albedo est; sed tamen adhuc falsus, & mendax candor ille diceretur; eò quòd subiectum nigrum candidum ostenderet. Similiter accidit, cum anima tenebrarum opera prosequitur, peccatorumque labe super carbones denigrata, se fidei lumine illustratam præfert: fides enim, Deique notitia ex natura sua excitare videtur ad bona opera; cum re vera in peccatrice anima ad ea non excitet: & propterea mendax est; cum in ea contradictio cognoscendi, & non cognoscendi Deum reperiatur. *Quisquis Deum non amat, profectò ostendit, quia quàm sit amabilis non nouit; & quàm sit suauis Dominus, & dulcis gustare, & videre non didicit; qui eius conspectibus placere continua dilectione non satagit*, ait Beda in Psal. 33.

64. Præterea ille dicitur mendax, qui aliud in corde retinet, & aliud foras profert. Quisquis cum fide malè operatur, Christum quidem sapientem, iustum, veracem, sanctum credit; idem verò operibus negat: *Christus*, inquit Hieronymus, *est sapientia, iustitia, veritas, sanctitas; negatur per insipientiam sapientia; per iniquitatem iustitia; per mendacium veritas; per turpitudinem sanctitas; per imbecillitatem animi fortitudo: & quoties à vitiis vincimur, Deum negamus.* E contrario quoties boni quid agimus, non ore, sed reipsa Deum confitemur.

Hier. in ep. ad Tit. c. 1.

65. Rursus fides bonorum operum expers, mortua dicitur Iacobi cap. 2. *Fides, si non habeat opera, mortua est.* Ad eum scilicet modum, quo arboris radix, ex qua nulla ramorum frondium, florum, fructuumque germina prodeant; tamquam mortua habetur: *Viuentes*, ait Chrysostomus, *non eo solum à mortuis differunt, quòd Solem, atque aerem cernunt; sed eò quod boni aliquid faciunt. Id quippe nisi adsit viuentibus, nihilo defunctis meliores sunt.* Similiter fides mortua est; cum Deum quidem iustitiæ Solem supernaturali lumine cognoscit, sed ex hac cognitione opera nulla Deo grata prodeunt.

Fides sine operibus quare mortua dicitur?
In ep. ad Titum hom. 5.

66. Præterea Bernardus serm. 24. In Cantic. *Fides interfectorem* vocat eum, qui charitatem bonorum operum operatricem à fide diuidit. Genesis 4. dicitur: *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Vbi quæritur, cur maior pœna statuta fuerit in eum, qui interfecisset Cain, quàm in ipsum Cain interfectorem Abel? Respondetur ex Tostato in Matth. 5. quæst. 118. *Maiori pœna puniendum occisorem Caini, quàm Abelis; quia quamuis maior culpa sit occidere iustum ratione personæ, quæ est dignior vita; adhuc grauior culpa est occidere peccatorem ratione damni illati; cum & temporali, & æterna vita priuetur.* At in occidenda fide, ab ea charitatem bonorum operum operatricem auferendo, vtraque culpa committitur; infertur enim in vitam digniorem iniuria; scilicet in vitam, quæ per gratiam habetur; & adhuc alia digniore vita priuatur; scilicet vita per gloriam in cœlesti patria obtinenda.

Fidei interfector dicitur, qui à fide Charitatem diuidit.
Caini interfector cur maiori pœna puniendus dicitur, quàm ipse Cain interfector Abelis.

67. Porrò vera fides, Deique notitia cum bonorum operum executione eam ex se connexionem habere debet; vt interdum vnum pro altero sumatur. Oseas cap. 4. *Non esse scientiam Dei* conqueritur; *non esse qui ambulent in timore Domini*, vertit Chaldæus, Chaldæique interpretationem Cyrillus ibi, & Cyprianus contra Demetrianum amplectitur. Apud eumdem Oseam Deus dicitur *Dei scientiam magis exigere, quàm holocausta*: Chaldæus autem vertit: *In operibus legem Domini magis esse, quàm in offerentibus holocausta.*

Cap. 6

68. Nauis quamuis ad iter dirigendum in puppi accensam facem præferat; nihilominus facilè ventorum impetu naufragium incurret, si debito pondere destituta, leuis huc illuc ventorum violentia impellatur. Similiter si quis ad æternæ patriæ portum tendens, in mortalis vitæ fluctibus nauigans, fidei lumine, vt iter dirigat, non careat; adhuc facilè naufragabitur; eique etiam fidei lumen extinguetur, si bonorum operum pondus non habeat. Id Apostolus significauit, dicens: *Bonam conscientiam repellentes circa fidem naufragauerunt.* Hinc benè Gregorius ait: *Diuino iudicio sæpè contingit, vt per hoc, quod quidam nequiter viuunt, & illud perdunt, quod salubriter credunt; atque sic exinaniuntur vsque ad fundamentum.* Salutis autem fundamentum fides est ex Tridentino. Quare iuxta Paulinum Aquileiensem Episcopum virum miraculis clarum, Dæmonum voces sunt illæ ex Psal. 136. *Exinanite,*

Fidelis quomodo sine operum pondere naufragat?
1 ad Tim. c. 1.
25 Moral. c. 10.
Sess. 6. c. 8.

exinanite vsque ad fundamentum in ea. Sic enim A dæmones opportunitatem nacti, in perniciem fidelis animæ conspirantes clamant; cum fidelis anima ex fide non benè operatur, *Fides, & opera indissolubili vinculo quodam connectuntur; vt vbi alterum desit, alterum penitus non stet*, ait Eucherius: eò quòd fides, vel penitus amittatur, vel saltem ad æternam vitam non proficiat.

in 4. Reg.

Marcion fidem sine operibus ad salutem sufficere asserens aptè diaboli filius dictus est.

Hieronymus De scrip. Eccles.

S. Iacobus c. 2.

Augustinus lib. de fide, & operibus c. 14.

Marci 1.

Matth. 16.

Marcion solam fidem sine operibus sufficere ad salutem asserens, *cum Romæ fortasse obuiam Polycarpo fuisset; & diceret: Cognoscis nos? Respondit Polycarpus: Cognosco primogenitum diaboli*, vt testatur S. Hieronymus. Meritò autem diaboli filium Marcionem vocauit Polycarpus; cum huiusmodi patris se imitatorem, & imaginem Marcion præferret; fallaciter scilicet credendo, B & non operando. *Iacobus*, inquit Augustinus, *vehementer infestus est eis, qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, vt illos etiam dæmonibus comparet dicens: Tu credis, quoniam vnus est Deus; benè facis & dæmones credunt, & contremiscunt. Quid verius, breuius, vehementius dici potuit, cum in Euangelio legamus hoc dixisse dæmonia, vt Christum filium Dei confiterentur; & ab illo corriperentur, quod in Petri confessione laudatum est.* Concludit Augustinus: *Quousque igitur falluntur, qui fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur?*

Fideles sine operibus cur siccis fontibus similes?

Ep. 2. c. 2.

lib. de fide, & oper. c. 15.

Ambros. in hymnis.

Psal. 21.

In Cant. 4.

Vbera Ecclesiæ duo, diuinæ legis per fidem cognitio, eiusque obseruatio.

69. Qui fidem sine operibus habent, siccis fontibus comparantur. *Hi sunt fontes sine aqua*, ait Apostolus Petrus. *Fontes siccos eos appellat; fontes scilicet, quod acceperint agnitionem Domini C Christi; siccos autem, quia non congruenter viuunt*, ait Augustinus. Quare cum Ambrosius dicat: *Christus nobis sit cibus, potusque noster sit fides*: sicut frustra potus in siccis fontibus quæritur; sic fidelis anima malè operans nullum fidei potum habere potest ad sensuum impetum restinguendum. Contra verò fidelis anima Deo dicit: *Spes mea ab vberibus matris meæ.* Iuxta Philonem Carpathium duo Ecclesię vbera sunt, diuinorum mandatorum cognitio per fidem, eorumque obseruatio; ex his vberibus, si meritorum lac fidelis anima sugat; in Deum, & in æternam patriam iure spem erigere potest; & propterea dicere: *Spes mea ab vberibus matris mea.*

Apostoli Pauli, & Iacobi textuū conciliatio.

L. 83. q. 76.

Ad Rom. 2.

Ad Gal 5.

Ad Rom. c. 8.

70. Hæretici assertores solam fidem sufficere D ad salutem, afferunt verba Apostoli ad Gal. 3. *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Quare Pauli testimonium contrarium esse videtur sententiæ Iacobi prçter fidem bona opera requirentis: atque hinc fit, vt Lutherus in prologo Iacobi epistolæ, illam penitus reiiciat, interque canonicas Scripturas neget esse numerandam. Luthero Brentius, Kemnitius, & Centuriatores subscribunt. Erasmus suis in adnotationibus Iacobi epistolam non redolere Apostolicam grauitatem affirmat. Sed de E auctoritate Iacobi epistolæ non est dubitandum, vt mox dicetur. Obiectioni autem allatæ respondet Augustinus dicens: *Qui putant istam Iacobi Apostoli sententiam contrariam esse illi Pauli Apostoli sententiæ, possunt arbitrari etiam ipsum Paulum esse sibi contrarium; quia dicit alio loco: Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur: & aliò loco: Sed fides, quæ per dilectionem operatur. Et iterum: Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Quod pergit pluribus demonstrare Augustinus, & tandem concludit: *Non sunt sibi contraria duorum Apostolorum sententia, Pauli, & Iacobi: cum dicit vnus iustificari hominem per fidem sine operibus: & alius dicit inanem esse fidem sine operibus: quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt: iste de iis, quæ fidem sequuntur: sicut etiam ipse Paulus multis locis ostendit.* Porrò epistolam Iacobi inter canonicas Scripturas numerandam esse, habetur ex Conciliis Laodiceensi, Carthaginiensi 3. Florentino, & Tridentino: & ex SS. PP. vt videre est apud Bellarminum tom. 1. lib. 1. de verbo Dei c. 18. Quare mirum est Caietanum Catholicum doctorem de eo dubitasse, & asseruisse epistolam illam minoris auctoritatis esse. Vtique Thomæ de Vio taliter dubitanti sanctum Apostolum Iacobum audire mihi videor dicentem: *Thoma, noli esse incredulus, sed fidelis.*

Sess. 4.

71. Præterea ad æternam salutem prçter fidem bona opera necessaria non esse videntur ostendere verba Apostoli ad Eph. 2. *Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est: non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Respondet Augustinus libro de gratia, & libero arbitrio c. 7. *Ne dicerent* (Ephesii) *se suis operibus donum tale* (scilicet fidem) *meruisse: continuè subiecit: Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Non quia negauit, aut euacuauit opera bona: cum dicat Deum vnicuique reddere secundum opera eius: sed quia opera sunt ex fide: non ex operibus fides: ac per hoc ab illo sunt nobis opera iustitiæ, à quo est ipsa fides, de qua dictum est: Iustus ex fide viuit. Homines autem non intelligentes quod ait ipse Apostolus: Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis: putauerunt dicere sufficere homini fidem: etiam si malè viuat & bona opera non habeat. Quod absit, vt sentiret vas electionis, qui cum dixisset quodam loco: In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: mox addidit, Sed fides, quæ per dilectionem operatur. Ipsa est fides, quæ fideles Dei separat ab immundis dæmonibus; nam & ipsi, sicut dicit Apostolus Iacobus, credunt, & contremiscunt; sed non benè operantur. Non ergo habent istam fidem, ex qua iustus viuit, idest quæ per dilectionem operatur.*

Habacuc 2.

Ad Roma. 1.

Ad Rom. 3. 28.

Ad Gal 5.

Cap. 2.

72. Quare si quæ sacræ Scripturæ, sanctorumque Patrum testimonia afferuntur, quę per fidem, salutem, æternamque gloriam acquiri significare videntur; ea semper explicanda sunt de fide, quæ per dilectionem, seù charitatem operatur; vt Apostolus loquitur. Hinc benè intelligitur quo sensu dicitur Ioannis 3. *Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat; sed habeat vitam æternam*: & Ioannis 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Et Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Charitas ergo fidei forma est, quę eam alioquin informem, & mortuam viuificat; quatenus eam fœcundam, & operatricem operis meritorij reddit; quod opus sine charitate à fide prouenire non posset. Ex infœcunditate autem, & ineptitudine ad opus meritorium eliciendum mortua fides, & informis dicitur sine charitate: sicut ob infœcunditatem ad prolem gignendam *emortuum* Abrahæ *corpus* dixit Apostolus ad Romanos 4. Denique ad viuam fidem significandam subdidit Dominus: *Et omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.* Vbi non solùm credere per fidem, sed etiam viuere per gratiam ad æternam mortem vitandam requiri Dominus asserit. Quare benè Tridentinum Concilium docet sess. 6. cap. 8. *Cum Apostolus dicit ad Rom. 5. iustificari hominem per fidem, & gratis: ea verba in eo sensu intelligenda*

sunt, quem perpetuus Ecclesia Catholica consensus tenuit, & expressit: vt scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, radix omnis iustificationis; sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire. Gratis autem iustificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, iam non ex operibus; alioquin, vt idem Apostolus inquit, Gratia non est gratia. Ad Rom. 11.

Ad Ephes. 2. Ad Titum 3.

Et omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.

73. PEr hæc verba non negatur, vnumquemque iustum credentem non moriturum, sed non moriturum in æternum: sicut Ioannis 4. dicitur: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*, hoc est, sitiet non in æternum. Vide, quæ ibi diximus. Fideles ergo iusti non in æternum morientur, eum ad æternam vitam resurrecturi sint. Contra verò infideles, seu peccatores mortuam fidem habentes in æternum morientur; quamuis enim resurrecturi sint; eorum tamen vita, vt docet Augustinus, quæ in cruciatibus erit, morti potius comparatur: & idcirco mors æterna in Scriptura appellatur: beatorum verò felix, & beata resurrectio, vita æterna erit. Quare Machabæorum 2. c. 7. ex septem fratribus vnus ab impio Antiocho cruciatus benè Tyranno dixit: *Tibi resurrectio ad vitam non erit*: vt supra etiam diximus.

4. de Ciuit. c. 12.

74. *Qui credit in me, &c. Multum interest*, loquit Augustinus, *vtrum quisquam credat ipsum esse Christum, & vtrum credat in Christum. Nam ipsum esse Christum & dæmones crediderunt; nec tamen in Christum dæmones crediderunt. Ille enim credit in Christum qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidem habet sine spe, ac sine dilectione Christum esse credit, non in Christum credit. Qui ergo in Christum credit, credendo in Christum, venies ad eum Christus, & quoquo modo vnitur in eum, & membrum in corpore eius efficitur. Quod fieri non potest, nisi spes accedat, & charitas.* Sed si Hebræorum idioma consulamus, idem est credere Christo, in Christo, & in Christum: & per hos loquendi modos significatur credere Christum esse verum Messiam, Saluatorem, & Redemptorem mundi; eiusque etiam verbis fidem præstare. Patet hoc ex pluribus Scripturæ locis Ionę 3. *Crediderunt Niniuitæ in Deum*: vbi ex Septuaginta legitur: *Crediderunt viri Niniuitæ in Deo*: ex Chaldæo: *Crediderunt viri Niniuitæ verbo Domini.* Exodi 14. *Crediderunt Domino, & Moysi seruo eius*; ex Hebræo legitur: *in Deo, & in Moyse seruo eius*: Psal. 105. *Non crediderunt verbo eius*; ex Hebræo legitur: *In verbum eius*: Prouerbiorum 14. *Innocens credit omni verbo*; ex Hebræo *In omne verbum*: Isaiæ 53. *Quis credidit auditui nostro*; ex Hebræo: *In auditum nostrum.* Præterea Actorum 8. cum Eunuchus dixit: *Credo filium Dei esse Iesum Christum*; vtique in Deum, & in Iesum Christum se credere testatus est: quandoquidem Philippus ab Eunucho baptizando perfectam fidem in Deum, & in Christum Dei filium, vnà cum peccatorum dolore morumque reformatione ex Dei dilectione, ante baptismum exigebat dicens: *Si credis ex toto corde. In eo, quod dictum est Euangelizasse Philippum spadoni Dominum, nullo modo dubitandum est & illa in catechismo dicta esse, quæ ad vitam, mores-*

tom. 10. ser. 61. de verbis Domini.

Credere Christo, in Christo, & in Christū idem sunt.

que pertinent eius, qui credit in Dominum Iesum, ait Augustinus: ex quo patet idem fuisse respectu Eunuchi credere Iesum Christum, ac in Iesum Christum.

lib. de fide & oper. c. 9.

Credis hoc? Ait illi: vtique Domine: ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.

75. HÆc *Apostolica beati Petri confessio est*, ait hîc Rupertus. Nam idem fidei lumen, ac Martha, ostendit Petrus Matthæi 16. Interroganti enim Domino: *Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei viui.* Vt Petrum propter tam insignem confessionem Dominus remuneraretur, Cœli claues exhibuit: *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Rursus, vt Marthæ fidem propter eandem confessionem compensaret; claues mortis, & inferni ad Lazarum resuscitandum adhibuit Dominus, qui Apocal. 1. ait: *Habeo claues mortis, & inferni.* Per allatam confessionem, in Christo verè Diuinitatem credidisse Martham dicendum est; vt patet ex August. tract. 49. & Hilario lib. de Trinit. Quod etiam probatur, eo quòd ex allato Petri testimonio probant Christi Diuinitatem Athanasius ser. 3. contra Arianos, & epist. de sententia Dionysij contra Arianos; Hilarius in commentarijs, & 6. de Trin. Christi autem Diuinitatem inde benè probari patet; nam Petrus appellans Christum filium Dei viui, opponit Eliæ, Ieremię, Ioanni, alijsque Prophetis, quos constat Dei filios adoptione fuisse; ergo Christum non adoptione, sed naturâ Dei filium esse significauit. Cum igitur eadem sit Marthæ confessio, idem illam credidisse, & significasse dicendum est.

76. In vtraque confessione Christus filius Dei viui dicitur iuxtà Hieron. Bedam, & Euthym. vt verus Deus ab idolis distinguatur, quæ mortua sunt; immo numquam fuere viuentia; cùm tantùm lapides, & metalla sint: *Simulachra Gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum; os habent, & non loquentur; oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient, &c.* Ieremiæ 2. inducuntur Israëlitæ idololatræ *Dicentes ligno: Pater meus es tu; & lapidi: Tu me genuisti.* Quare si Iudæi à Dei cultu recedentes lapides genitores agnouerunt; quòd fuerint *dura ceruice*, & *lapideum cor* habuerint, mirum esse nòn debet. Rursus Sapient. 15. de falsis dijs dicitur: *Nemo fecit illos; & qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit Deum fingere: cum enim sit mortalis mortuum fingit manibus iniquis: melior enim est ipse his, quos colit; quia ipse quidem vixit, cum esset mortalis, illi autem numquam.* Quàm bene idolum *Nihil* vocat Apostolus; eo quòd verè nihil habeat eius, quod suo cultu idololatræ ei tribuunt: *Scimus, quia nihil est idolum in mundo.* Nihil quidem est idolum in superiori hoc mundo; aliquid tamen est in mundo infero, & subterraneo; nam *Omnes Dij gentium dæmonia.* Cur Plato 12. de legibus Deorum statuas aureas, argenteas, eburneas; æneas, ferreas fieri vetuit; lapideas tantùm, & ligneas permisit? Respondet Theodoretus: *Lignis, lapidibúsque dumtaxat sculpi eas voluit. Sciebat enim, puto, huiusmodi materiam contemptui obnoxiam esse; suapteque illam vi persuadere spectantibus posse, ne se, vt diuinam rem haberent, nêue eam materiam colerent,*

Psal. 113.

Act. 7. Ezech 36. Iudęi idololatræ lapidea simulacra adorantes durā ceruicem & lapideum cor habuerunt.

Idolum cur nihil esse dicatur? 1 ad Cor. c. 8. Psal. 95. tom. 3. de Dij. & Angelis.

Plato deorum statuas aureas, argenteas, & eburneas fieri vetuit, in idolorum contēptum.

Christus cum tanto tempore silebat, cum seipsum abscondebat, numquid maiorem gloriam metuebat? Non sane, sed vt nos doceret silere, & silendo ostentationem fugere.

81. De Ierosolymitano templo dicitur 3. Reg. 6. 7. *Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur.* Quæ tanta cura erat remouendi strepitum à templi ædificio; in quo nondum sacrificia, sacræque cæremoniæ exercebantur? Respondetur cum Apostolo 1. ad Corinth. 10. 11. *Omnia in figura contingebant illis.* Quod egregiè explicans B. Petrus Damiani epist. 130. ad Agnetem Imperatricem ait: *Dum strepitus humani cessat alloquij, construitur in te per silentium templum Spiritus Sancti. Hinc est, quod de Israelitici templi constructione Sacra testatur historia; quia malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur. Templum quippe Dei per silentium crescit: quia cum mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis ædificij structura consurgit: tantòque succrescens in altiora sustollitur, quantò per silentij custodiam circumclusa sese extrinsecus fundere prohibetur.* Christus Dominus nostræ salutis auctor, vt eum familiariter alloquamur, in huiusmodi templo est expectandus. Ideo Ieremias Thr. cap. 3. 26. ait: *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. Nam silentij studiosus appropiat Deo, ipsique iugiter in abscondito cordis assistens illustratur ab eo*, ait Climacus.

Templi Ierosolymitani in ædificio nullus fabrilis instrumenti auditus strepitus, silentium in mystico animæ templo securandum significat.

Climacus gradu 4. Petrus Damiani supra.

82. Quàm benè teste Damiano *Templum Dei per silentium crescit*! Optimus quippe opifex, & egregius architectus ad viua templa intra fidelium corda Deo excitanda silentium est. Salomon vt templum Domino, & sibi palatium ædificaret, præter artifices, qui in templo, regioque palatio politos lapides collocabant, *Numerauit septuaginta millia virorum portantium humeris, & octoginta millia, qui cæderent lapides in montibus; præpositosque eorum tria millia sexcentos*, vt dicitur 2. Paralip. 2. At pium silentium nullo operariorum auxilio, immò procul ab hominum frequentia, in fidelium cordibus non vnum, sed mille spiritualia, viuaque templa Deo construere, & sacrare potest; templa quidem Ierosolymitano longè præstantiora, in quibus sancta humilitas stabilia fundamenta iacit; modestia vestibulum, templique faciem exornat; perseuerans constantiæ virtus firmas columnas erigit; columnisque tecta Deo placendi intentio capitella superponit: Sic *Templum Dei per silentium crescit.* Inter insignia Gentilium fabularum mendacia, eximium illud est, quo Amphion quidam dicitur musici instrumenti sono Thebana mœnia construxisse. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua*, Psal. 181. Deo cum Dauide dicamus. Nam ex sanctissima Dei lege non musico sono, sed pio silentio templa excitantur, quæ non modo terrenis quibusque ædificiis, sed ipsis cœlestibus orbibus præferri meritò possunt: *Templum Dei per silentium crescit.*

83. Quamuis sicut de templo Salomonis, ita de mystico animæ templo ad silentij commendationem dictum sit: *Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo.* Nihilominus in mystico spirituali templo omne quidem resonus ferramentum lima tamen excepta, audiri non debet: lima quidem illa, de qua Bernardus tract. de perfectione ait: *Bis ad limam veniant verba, quàm semel ad linguam*: sed ex huiusmodi lima non dissonus strepitus, sed suauissima harmonia hominum, cœlitumque auribus prouenit. Hac etiam lima quò magis verba limantur, & imminuuntur, eò maius apud Deum, hominesque pondus habent. Præter limam circinum Nazianzenus exposcit dicens: *Oportet habere velum in oculis, claues in auribus, in labijs circinum.* Nam antequam labia vocem proferant, sana mens verba, secum tacita consideratione, velut circino, ne exuberent, metiri debet. Materialis circinus corporis figuram in orbem redigit; in quo nihil asperum, nihil angulis incisum appareat. Similiter silentis considerationis circino verba proferuntur, quæ nihil asperum, nihil angulatum quod audientes pungat, habeant, nihilque, quod per iactantiam extra promineat. Plana corpora pluribus partibus terræ adhærent: circino verò rotundata corpora se tota è terra sursum attollunt. Similiter considerationis, silentiique circino dimensa verba terram non sapiunt; sed sursum ad cœlestia proferenda consurgunt. Bene ergo Nazianzenus monet: *In labiis circinum habere oportet.*

in Iambis

84. De pia anima Christi sponsa dicitur Cantic. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua; & eloquium tuum dulce. Vitta coccinea est silentium cum charitate*, ait Richardus Victorinus. Ex huiusmodi autem silentio diuinis auribus *eloquium dulce* resonat. In mystico piè silentis animæ templo, sicut in templo Salomonis omne ferramentum non auditur; auditur tamen pœnitentiæ ferramentum; de quo ferramento Chrysostomus loquens de Petro Apostolo ait: *Quidquid in eo delicti tabidum fuit, ferramento pœnitentiæ resecauit.* Pius religiosus Radulphus sexdecim annus perpetuum silentium seruauit, vt scribit Cantipratensis lib. 2. apum cap. 14. cumque casu excitatum incendium restingui non posset; Rodulphus silentium soluens dixit: *Stes ignis; hac hora flamma penitus conquiescat*: quibus vocibus statim obediens ignis extinctus est. Meruit profectò Rodulphus loquendo materialem ignem extinguere; quia antea silendo voraciorem linguæ ignem superauerat: *Ecce quantus ignis quàm magnam syluam incendit! & lingua ignis est*, ait Iacobus Apostolus ep. cap. 3.

Silentii in commendationẽ vittæ coccineæ sponsæ labia comparantur.

Chrysost. t. 3. feria 5. Passionis, hom. a de Petro

Radulphus post silentiũ sedecim annos seruatũ imperio ingens incendium extinxit.

85. Auctore Plutarcho de animantium comparatione, *Anseres aquilarum formidine transcensuri Taurum montem, lapidem ore capiunt, velut obturantes aut frenantes garrulitatem, & clangorem suum, dum furtim imprudentibus sint prætervecti.* Quod natura anseribus suasit, idem suasit gratia pio viro Agathoni, qui ad silentium seruandum triennio lapidem in ore gestauit, teste Palladio in Lausiaca cap. 50. Fuit sanè lapis ille ignito calculo comparandus, quo de altari sumpto vnus de Seraphim Isaiæ labia purgauit capite 6. Ex Agathonis lapide illo silentii custode postea pius, prudensque sermo prouenit; de quo dicitur 25. Prouerb. 25. *Mala aurea in lectis argenteis qui loquitur verbum in tempore suo*, seu, vt Septuaginta legunt: *Malum au-*

Anseres lapidem ore capiunt, vt silendo prædatrices aquilas vitent.

Agathon triennium ore lapidem tulit ad silentium seruandum.

rerum in menili Sardij, sic dicere verbum in tempore suo. Sardin enim pretioso lapidi auro circumdato prudens verbum meritò est comparandum. Sardius sanguinei, & ignei coloris feris terrorem incutit, ait Aretas Apocal. 4. 3. Similiter verbum ex ore, quod diù siluit, prodiens tartareis draconibus terrorem incutit, eosque procul expellit. *Assuescat lingua sub tacnurnitatis se cohibere censura; & tacendo discat, quod loquendo postmodum grauiter proferat*, ait B. Petrus Damiaoi epist. 114.

Sardius pretiosus lapis terrorem feris incutit: prudens verbũ Sardio cõparatũ dæmones fugat.

Prou. 6. 8. iuxta Septuaginta, & S. Hieronymum c. 3. in Ezech. Basilium hom. 8. in Hexameron: earũ Chrysostomum in Psal. 110

Apes alibi susurrantes, in aluearibus mellificãtes silent.

86. *Vade ad apem, & disce, quomodo operaria est; operationem quoque quàm venerabilem facit*, ait Salomon Prouerb. 6. 9. Multa ab apibus discere possumus, quæ recensent SS. Patres in Hexameron, & Chrysostomus Psal. 110. & Ambrosius lib. 1. de sancta Virginitate. Sed præcipuè ab apibus silentium est addiscendum; hoc enim eius operationem venerabilem facit. Apes earum licet alibi susurrent, in aluearibus tamen, dum mellificio operando student, perpetuò silent. Similiter piæ animæ, vt diuinorum rerum contemplationi vacant, Deique eloquia dulciora super mel, & fauum meditentur, diuturnum silentium seruant.

87. *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber*, dicitur Ecclesiastæ 10. Ad arcendas quadrupedes bestias, ne in vineas, ruraque irrumpant, sepes adhibentur; non autem ad serpentes arcendos: hi enim cum lubrico, subtilique corpore constent, per sepes ipsas in vineas, ruraque facilè aditum habere possunt. Cur ergo dissipata sepe dicitur serpentis morsibus locum dari? Sepis nomine oris custodia intelligitur, de qua dicitur Psal. 140. *Pone, Domine, custodiam ori meo*: colubri autem nomine serpens antiquus, diabolus significatur: huius colubri morsibus facilè obnoxius redditur, qui silentij sepe dissipata os suum ab inordinatis verbis non custodit. Experta est hoc Eua, prima humani generis parens: hæc enim debiti silentij sepe dissipata, cum tartareo serpente inconsideratè colloquens, ex eius praua suggestione, veluti è morsu venenum attraxit, quo humanum genus infecit. Quare cum humanam perniciem dolemus, talis perniciei prius linguæ incautè loquenti, quàm palato vetitum pomum gustanti est tribuenda.

88. Qui debito silentio os suum obstruere renuit, discere etiam potest ab animantibus quam perniciem incurrat. B. Petrus Damiani epist. 39. ad Desiderium ait: *Silentij violator similis est crocodilo oscitanti, cui tunc hostis hydrus fauces ingreditur, & aluum erodit. Item ostreo incautè se ad solem aperienti; cui primùm insidiator cancer calculum inijcit, ne claudatur, deinde eius viscera depascitur. Sic, vitæ, qui sub silentij censura concluditur; perit cum ad loquendum immoderatè aperitur.* Ideo de loquaci, qui crocodilo, & ostreo similis est, verè dici potest: *Comederunt alieni robur eius.* Vbi iuxta Gregor. 34. Moral. cap. 3. *Alieni intelliguntur Apostatæ angeli, qui virtutem animæ peruertendo consumunt.* Quod certè non contingeret, si anima sub pii silentii custodia se muniret: Nam *taciturnitas est nutrix virtutum, custos animarum*, ait Smaragdus. *Os meum aperui, & attraxi spiritum*, non diuinum, sed immundum, verè garrulus dicere potest. *In garrulo verborum flumen est, mentis gutta*, ait Stobæus. Dum verborum flumen audientium auribus obstrepit, exiguam illam mentis guttam diabolus ebibit; nimisque loquentem dementem reddit. Dementes numquam emissa verba reuocare pœnitet; secus verò sapientes. Hinc S. Augustinus epist. 7. ad Marcellinum ait: *Quamuis Tullius, vt scribitur, nullum verbum emiserit vnquam, quod reuocare vellet: hæc tamen laus credibilior est de nimium fatuo, quàm de sapiente perfecto.*

Oseæ 7. 9.

Smaragd. in regulam S. Benedicti cap. 6.

Ps. 118 Serm. 30 de S. Benedicto

Silentii encomium.

89. Denique in silentii laudem Climacus gradu 11. ait: *Taciturnitas in cogitatione, est mater orationis, captiuitatis reuocatio, ignis diuini amoris obseruatio, cogitationum diligens inspectrix, specula hostium, carcer luctus, lacrymarum amica, memoria mortis operatrix, suppliciorum pictor, iudicij indagatrix, sagax mœroris subministratrix, inimica fiducia, quietis coniux, ambitiosæ doctrinæ aduersatrix, scientiæ adiectio, speculationis opifex, secretus in Deum profectus, occultus ascensus.*

90. Hæc in silentii laudem; in loquacitatis verò detestationem librum egregiè de garrulitate scripsit Plutarchus. Ne pii silentii vtilitate priuemur, ne in loquacitatis vitia incurramus, præstat loquendi facultate omninò priuari. Muta mulier interrogata à S. Vincentio Ferrerio quid vellet? locuta est, & petiit loquelam, & panem. *Panem, inquit vir sanctus, habebis; sed cum ab anima tua salutem lingua efficio careas, noli frustra illud petere, quod numquam sis impetratura. Si enim loqui potuisses immedica mordacitate, & corporis, animæ vitam perdidisses. Abi igitur, & mente Deum laudare non cesses. Respondit illa: Faciam, sancte Pater, quod hortaris, statimque obmutuit.* Surius lib. 3

Mutæ petenti à S. Vincentio Ferrerio loquela diuinitus datur, in eiusdem postea bonum aufertur.

91. Sed ad Mariam à Martha sorore ad Dominum vocatam reuertamur. Cum ad Lazari resurrectionem Mariæ Dominus præsentiam petiit; præsentem Deiparæ Virginis opem ad peccatores è peccati morte excitandos necessarium esse mysticè significauit. *Mittitur ad Mariam*, inquit Chrysologus; *quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria, veniat materni nominis baiula; vt videat homo Christum virginalis vteri habitasse secretum; quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de sepulchris.* Quare benè canit Ecclesia: *Vitam datam per Virginem, gentes redemptæ plaudite*: Et sanctus Irenæus ait: *Quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per Virginem, scilicet Euam; soluatur per Virginem.* Porrò Mariam Magdalenam baiulam Deiparæ nominis Chrysologus appellauit; quia qui sancti alicuius nomen præfert, magnum obligationis pondus sustinet ad eum imitandum.

Serm. 64.

Contra hæreses l. 3. c. 19.

Magdalena B. Virginis nominis baiula cur dicatur?

Illa, vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum:
Nondum enim venerat Iesus in castellum; sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha.

92. CEleritatem hanc eundi ad Dominum Magdalena ostendit etiam Luc. 7. statim

A enim ad Dominum accurrit, *Vt cognouit, quòd accubuisset in domo Pharisæi.* Hinc Ambrosius ait: *Vbicumque audieris Christi nomen, accurre, in cuiuscumque interiorem domum Iesum intrasse cognoueris, & tu ipse festina. Cum reperere sapientiam, cum reperéris Iustitiam in alicuius penetralibus recumbentem, accurre.* *Ambros. in Lucam c. 7.*

Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent, quia citò surrexit, & exijt; secuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi,

93. ABitura quidem erat Magdalena ad monumentum, vt ploraret; non tamen nunc, neque ad fratris; sed ad Domini monumentum; iuxta id, quod dicitur Ioannis 20, *Maria stabat ad monumentum foris plorans.* Nunc verò non ad luctum, neque ad mortui sepulchrum, vt Iudæi putabant; sed ad diuinum solamen, & ad vitæ fontem festinabat. Benè dici potest cum Mose: *Cuncta cogitatio cordis humani intenta est ad malum omni tempore*: benè cum Dauide dicitur: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vana sunt*: quam sententiam referens Apostolus ait: *Dominus nouit cogitationes sapientum, quoniam vanæ sunt.* Sapientum, non hominum cogitationes vanas esse appositè dixit respectu Iudæorum, qui sapientes sibi videbantur: *Vultis scire*, inquit Hieronymus, *quoniam cogitationes hominum vanæ sunt. Pater, & mater nutriunt filium, promittunt sibi de illo felicitatem: mittunt ad studia, erudiunt: venit vsque ad adolescentiam; disponunt, vt etiam militet: cum omnia cogitauerint per annos 30. vna febricula venit, & tollit omnes cogitationes. O curas hominum, ô quantum est in rebus inane! Vna cogitatio felix est, cogitare de Domino.* Hac felici cogitatione Magdalena accersita, statim ad Dominum accurrit, *Gen. 6. Psal. 93. Cogitationes hominũ vanæ. 1. ad Cor. c. 3. in Psal. 43*

94. Quæritur hîc ex Ruperto, cur maior circa Mariam, quàm circa Martham consolantium fuerit diligentia? Nam quando Martha surrexit, vt Domino occurreret, non D secuti sunt Iudæi; quando verò Maria exiuit vocante Martha, non Martham vocantem, sed Mariam solam sunt secuti, dicentes: *Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.* Respondetur Primò Martham, non Mariam, vt patet ex Euangelica historia, fuisse negotiosam; quare quòd Martha è consessu surgeret, domesticæ alicui curæ tribui poterat; secus verò surgente Maria. Secundò quòd ad plorandum iret, de Maria potiùs, quàm de Martha suspicati sunt Iudæi; eò quòd Mariam proniorem ad frequentius lachrymandum animaduertissent. E Valde enim credibile est post conuersionem sæpius Magdalenam lacrymari consueuisse. Sicut de Sancto Apostolo Petro ex Nicephoro refert Baronius, *Quasi sanguine respersos habuisse oculos ob assiduum fletum; ad quem detestans negationis peccatum mouebatur.* *Petrus Apostolus & Maria Magdalena frequenter flebant. lib. 8. c. 17. Anno Christi 69. Petri 25.*

Maria ergo cum venisset, vbi erat Iesus; videns eum, cecidit ad pedes eius.

95. MAria Magdalena maiorem reuerentiam, quam Martha exhibuit; nam procidit ad pedes Domini; quod soror eius non legitur factitasse, ait Cyrillus. Porrò Magdalena ad Domini pedes procidens, ibique lacrymans testante Euangelista, *Vidit eam Dominus plorantem*; benè seruasse videtur Dauidis monitum dicentis: *Venite, adoremus, & procidamus, &* B *ploremus ante Dominum, qui fecit nos.* Vbi Athanasius legit: *Procidamus ipsi Christo regi nostro.* Redditur ratio, cur procidendum sit, & plorandum ante Dominum, nimirum, quia *ipse fecit nos.* Hinc peculiariter, non solùm ex fraterna morte, ad procidendum, & plorandum mouebatur Magdalena; ipsam enim propter peccatum ad nihilum redactam, iterum Dominus per gratiam refecerat. Paulinus alludens ad Psalmi 125. verba: *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent*, ait: *Domino flentes nostra gaudia seminabimus.* Verè suis lacrymis sua gaudia Magdalena seminauit; ex lacrymarum enim iacto semine paulo post resurgens eius frater Lazarus dicere cum Dauide potuit: *Refloruit caro mea* *lib. 7. c. 20. Psal. 94. Magdalena & non Martha cur ad Domini pedes procidisse legitur? Hîc & in sequenti. Paulinus ep. 4. Lacrimæ sũt gaudiorũ semina. Psal. 27.*

C 96. Præterea fraterna morte mœrens Magdalena plorans ad Domini pedes procidit: nam sicut peccatorum *pedes veloces ad effundendum sanguinem* à Dauide dicuntur; ita è contrario Domini pedes veloces ad viuificandum esse proprio experimento Magdalena didicerat; cum ibi olim peccatrix gratiæ vitam reperit. Qui thesaurum in agro absconditum inuenit, *Vadit, & vendit vniuersa, quæ habet, & emit agrum illum*: thesaurum, nempe diuinam gratiam in Domini pedibus Magdalena inuenerat: propterea sacros illos pedes tergentis comæ auro, lacrymarumque gemmis veluti coëmerat sibi possidendos; quare cum ad pedes Domini procidit, *In propria venit. Vt locum proprium Magdalena* D *agnouit pedes Iesu*, ait hîc Caietanus. Hinc ad Domini pedes sæpè redibat; vt hîc, & Lucæ 10. *Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Et Ioannis 20. vbi iuxta crucem, ad Domini affixa pedes, stare dicitur: & Matth. vltimo, vbi etiam de ea vnà cum Maria Cleophæ dicitur: *Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius.* Porrò in eo, quod dicitur, *Videns eum cecidit ad pedes eius*; non incongruè oculorum modestiam in Magdalena Caietanus agnoscit dicens: *Ex hoc, quod videns Iesum cecidit ad pedes eius; insinuatur, quòd tam demissis oculis Maria venit vsque ad locum, vbi erat Iesus; vt non nisi proxima illi viderit* E *eum.* Quàm egregiè modestiæ magistræ pœnitentis lacrymæ sunt? Ab his enim modestiam Magdalenæ oculi benè didicerant. *Psal. 13. Matth. 13. Ioan. 2. Magdalenæ oculorum modestia.*

Et dicit ei: Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus.

97. DIminutam, inquit Cyrillus, *infirmam, & non omninò plenam visa est fidem habere de Domino; sicut & soror: cùm non solidè crediderit Dominum virtute sua diuina præser-* *lib. 7. c. 20.*

nare potuisse Lazarum à morte, vbi corpore fuit absens, quàm cum fuisset præsens. Hac posito Cyrilli sententia, supra, Marthæ modicam fidem reprehendisse videtur Christus dicens: *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet;* cur tamen hanc reprehensionē ergo Magdalenam non adhibuit? Respondet cum Chrysost. Theophylactus: *Christus ad hanc non dicit, quod ad sororem eius; eò quòd multa turba aderat.*

Famæ proximi consulendum.

Quod ad moralem sensum spectat, optima responsio; nam coram aliis accuratè debemus proximorum famę consulere. Sed ad Magdalenæ fidei defensionem recolenda sunt, quę diximus circa eadem verba à Martha prolata: quibus accedit testimonium Chrysologi dicentis, *Magdalenam fuisse de resurrectione securam.*

Chrysologus supra.

Id etiam comprobat testimonium Augustini hom. 23. inter 50. dicentis, *Illa, quæ sibi peccata à Christo remitti credidit, Christum non hominem tantùm, sed & Deum credidit.* Atque hinc factum est, vt non verbis, sed gemitu, & lacrymis veniam criminum à Domino flagitauerit: adeoque à Domino meruerit audire: *Fides tua te saluum fecit.*

Luc. 7.

Cæterùm benè inducitur Magdalena Dominum sic alloquens à Cyrillo: *Dum nobiscum præsens fuisti, non mors, non infirmitas aliqua nobis appropinquare ausa fuit; apud quas vitam hospitari noverat. At vbi abscessisti, adfuit mors, quæ fratrem nostrum acerbo funere rapuit.*

Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes infremuit, spiritu, & turbauit seipsum.

Christus Lazarū resuscitaturus quadruplici ex capite infremuit spiritu.

98. FRemere est indignantis affectus; Christi autem indignatio ex quadruplici capite prouenit. Primò iuxta Theodorum Heracleotam ex peccato, eiusque auctore diabolo, per quem mors in genus humanum ingressa erat: Secundò propter Iudæos incredulos, eò quòd tot visis miraculis adhuc ad eos conuincendos Lazari morte, & ad vitam reuocatione opus erat; quod indicant Leontius, & Theodorus Mopsuestiensis. Tertiò propter Iudæorum inuidiam, & obstinationem; viso enim Lazaro rediuiuo, *Quidam ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus.* Qui coacto concilio, *Ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum.*

Ioan. 11. 46.

Quid sibi vult hic fremitus fortissimi filij Dei? ait Rupertus, & respondet: *Respiciamus quid post hoc miraculum factum sit. Propter hoc signum Pontifices, & Pharisæi intolerabiliter consummata inuidia permoti collegerunt concilium, & ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum.* His rationibus quarta addi potest. Sicut aquarum torrentes fremere dicuntur, cum riparum obice detinentur, ne se latius in campos effundant: ita infremuit Dominus, & seipsum turbauit; quòd suam beneficentiam cum solo Lazaro suscitando veluti angustiis coarctari sentiret. *Fremit spiritu, & tota se viscerum commotione conturbat; quia adhuc solum Lazarum, & non iam omnes mortuos suscitabat,* ait Chrysologus serm. 64.

Infremere spiritu quid significet. Spiritus feruentis animi impetū significat.

99. Quæritur vlterius quid significet infremere spiritu? Respondeo primò, spiritum impetum quemdam succensi animi significare; sicut cum Actor. 18. dicitur Apollo Alexandrinus, *Feruens spiritu loquebatur:* quo illius in loquendo vehementia explicatur: quare postea subditur: *Vehementer Iudæos reuincebat publicè.* Cum igitur de Christo dicitur, *Infremuit spiritu*, significatur eum infremuisse incensi animi impetu ex zelo diuini honoris prouenient; sicut de zelo dicitur Primò Machab. 13. *Accensus est spiritus populi simul, vt audiuit, sermones istos.*

Spiritus accipitur pro voluntate.

Secundò spiritus in sacris litteris voluntatem significat, vt Matthæi 26. cum dicitur, *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma;* vbi discipulorum voluntas spiritus vocatur: similiter Matthæi 5. *Beati pauperes spiritu;* idest pauperes ex voluntate, non ex necessitate: Primæ ad Corinth. 7. *Vt sit virgo sancta corpore, & spiritu;* hoc est casta corpore, & voluntate: ad Ephes. 4. *Vt solliciti sitis seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis,* hoc est voluntatis consensum. Infremuisse ergo spiritu dicitur Dominus, idest non coactus, sed ex imperio voluntatis; propterea postcà non subditur, Turbatus est; sed *Turbauit seipsum.* Quare huiusmodi humanos affectus indignationis, mœroris, doloris, &c. respectu Christi non passiones, sed propassiones Theologi vocant cum Hieronymo Matthæi 26. Propassiones autem non passiones fuerunt respectu Christi; eò quòd iuxta rationis imperium eas excitandi, & sedandi liberam potestatem haberet. Augustinus 14 de ciuit. cap. 9. sic disserit: *Cum rectam rationem sequuntur ista affectiones, quando vbi oportet adhibentur; quis eas tum morbidas, seu vitiosas passiones audeat dicere? Quamobrem etiam ipse Dominus in forma serui agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas, vbi adhibendas esse iudicauit. Neque enim, in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Cum ergo eius in Euangelio ista referuntur, quòd super duritia cordis Iudæorum cum ira contristatus sit; quòd dixerit. Gaudeo propter vos, vt credatis: quòd Lazarum suscitaturus etiam lacrymas fuderit; quòd concupierit cum discipulis suis manducare Pascha; quòd propinquante passione tristis fuerit anima eius vsque ad mortem; non falsò vtique referuntur. Verum ille hos motus certæ dispensationis gratia ita, cum voluit, suscepit animo humano; vt cum voluit, factus est homo.* Idem docet Cyrillus in Ioann. lib. 7. c. 20.

Et dixit: Vbi posuistis eum?

100. CVm Elisæus securis ferrum ex imo Iordanis alueo per miraculum extulit, *præcidit lignum, & misit illuc, natauitque ferrum;* interrogauit antea: *Vbi cecidit?* Simili modo Dominus antequam è sepulchro Lazarum educeret; interrogauit: *Vbi posuistis eum?* Dispari tamen ratione; nam Elisæus ex ignorantia sciscitatus est, *Vbi cecidit?* teste Gregorio: Christus verò Dominus, *Vbi posuistis eum?* interrogat; non quòd re vera nesciret; sed vt humano modo ageret, hominemque præ se ferret, Diuinitatem celando: idque vel vt Diuinitatis manifestationem ad tempus opportunius differret; cum solo imperio Lazarum ad vitam reuocauit: vel etiam ad humilitatis documentum, vt homines doceret, Dei dona interdum esse ab hominum notitia remouenda. Simili modo cum omnia Dominus præsciret, nihilominus Matthæi 16. discipulos interrogauit: *Quem dicunt homines esse filium ho-*

lib. 4. Reg. c. 6.

Hom. 1. in Ezech.

Christi humilitas.

minis? Quare sicut interrogando ad humilitatis documentum hominem præ se ferre Dominus voluit; ita etiam ad idem humanis mentibus insinuandum, hominis se potiùs, quàm Dei Filium sæpius nominauit. Secundò interrogauit Dominus, *Vbi posuistis eum?* Ne, si Dominus sepulturæ locum se scire ostenderet, Lazarum non reuera, sed ex fictione mortuum Iudæi suspicarentur; eumque ex condicto in eo sepulchri loco viuum latuisse ad miraculum simulandum. Hanc interpretationem indicat Cyrillus, dicens: *Qui absens sciuit mortuum, scit & vbi sit sepultus; locum tamen sepulturæ ab alijs sciscitatur, vt ab omni suspicione eripiat signum.* Idem antea docuerat Chrysostomus hom. 62. Huic suspicioni occasionem etiam præbere poterat, quod Lazari sepulturæ locus spelunca foret, vt Euangelista affirmat, non autem profundior aliqua fouea, qualis apud nos esse solet. In huiusmodi autem sepulchris viros primarios sepeliri solitos patet Matth. 27. vbi de Iosepho Dominum sepeliente, dicitur: *Posuit in monumento suo nouo, quod exciderat in petra.* Vbi Beda ait: *De monumento Domini ferunt, qui nostra ætatis tempore de Ierosolymis venere, quòd domus fuerit rotunda*, &c. Tertiò interrogauit Dominus, *Vbi posuistis eum?* Vt insinuaret miserum mortalitatis ex peccato prouenientis statum; quandoquidem *per peccatum mors in hunc mundum intrauit.* Simili modo Genes. 3. interrogauit Dominus: *Adam, Vbi es? Dicendo, Vbi es?* ait Ambrosius, *non locum quærit, qui nouit arcanum; neque enim Deus clausos oculos habebat, vt non videret latentem. Denique ideo dixit, Factus est Adam tamquam vnus ex nobis, quia aperuit oculos: Deus autem omnium videt culpas, & omnium delicta cognoscit: super omnem animam, super omnia occulta oculos habet. Quid est ergo, Adam, Vbi es? Id est non in quo, sed in quibus es? Non ergo interrogatio est, sed increpatio. De quibus, inquit, bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam incidisti? Dereliquisti vitam æternam, & accumulatus es morti, consepultus errori. Vbi est illa tua bene sibi conscia confidentia? Timor iste culpam fatetur, latebra præuaricationem. Vbi ergo es? Hoc est, non in quo loco quæro, sed in quo statu? Quò te deduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuum, quem ante quærebas?* Similiter hîc dicendo: *Vbi posuistis eum?* Mulieribus sexu Euam referentibus exprobrat: *Ego virum in paradiso posui, quem vos posuistis in sepulchro.* Ita Seuerianus Episcopus Gabalensis hanc Domini interrogationem exponit apud S. Gregorium lib. 8. epist. 42. Hanc etiam interpretationem sequitur Chrysologus: *Nam, cum dicit: Vbi posuistis eum? mulieres arguit: hoc est: Quem ego posui in paradiso, in regione vitæ; ecce vos vbi posuistis eum.*

Christi prudentia. Lib 7. c. 20.

Christi monumentum quale fuerit.

Ad Rom 5

Lib. de Paradiso c. 14.

Serm. 64.

Dicunt ei: Domine, veni, & vide.

101. HOc loco iteranda est pro sanctis sororibus apologia; asserunt enim plures interpretes his verbis modicam fidem Lazari sorores ostendisse: si enim perfectè credidissent, non *Veni, & vide*; sed cum Petro: *Domine, tu omnia nosti*, respondissent. Ita Epiphanius in Ancorato. Nihilominus ex his verbis defectus fidei Lazari sororibus tribuendus non videtur. Primò, quia hæc verba non Lazari sororibus, sed adstantibus Iudæis Chrysologus tribuit: Nam cum dicit: *Vbi posuistis eum? Iudæi ad ignorantiam requirentis respondebant: Domine, veni, & vide.* Secundò, quamuis Marthæ, & Magdalenæ responsio illa fuerit; adhuc ex tali responsione imperfecta fides in illis non est arguenda. Comparat enim idem Epiphanius cum præsenti Domini interrogatione, *Vbi posuistis eum?* duas alias, scilicet illam Marci 5. *Quis tetigit vestimenta mea?* & aliam Matthæi 16. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Facta autem Domini interrogatione illa, *Quis tetigit vestimenta mea? Mulier timens, & tremens, sciens quod factum esset in se, venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.* Hæc igitur mulier non respondit Domino: *Tu omnia nosti*: sed verbis apertissimis suum languorem, medicorú irritam operam, opes à se consumptas, & tandem eius beneficio sanitatem restitutam declarauit, & tamen tantùm abest, vt in ea fide defectus fuerit; vt eius fides Domini testimonio maximè fuerit commendata: *Filia, fides tua te saluam fecit.* Dicea hanc mulierem omnia verbis aperuisse, non propter Dominum omnia scientem; sed propter populum circumstantem: Quare Lucas ait: *Ob quam causam tetigerit eum indicauit coram omni populo. Quis me tetigit? dicit; vt illa occurreret, & diceret beneficium à se collatum*: ita Epiphanius. Sed contra est, quia, vtrumque præstare poterat mulier; scilicet Domino interroganti; *Quis me tetigit?* dicere: *Tu omnia nosti*: & deinde propter populum, qui circumstabat, omnia verbis aperire. Scio aliquos interpretes etiam fidei defectum in muliere hac sanguinis fluxu laborante notasse; quippe quæ quasi Domino abscondere se posset, *retrò accessit*, vt Lucas ait: Quare, quòd crediderit solo vestis tactu se sanari à Domino posse, eius fides commendatur; quòd verò abscondere se Domino posse crediderit; fidei profectò imperfectionem arguit. Ex quo Chrysostomus ait: *Nondum ipsa de Christo rectè sentiebat; ac ideo arbitrata est se facilè ipsum posse celare*: Latere autem voluit, eò quòd propter sanguinis fluxum immunda esset iuxta Leuitici legem cap. 15. atque adeo hinc, ne repelleretur à Christo, verebatur, vt asserit idem Chrysostomus. Sed cum mulieris huius absolutè fides à Domino commendetur; dicendum probabilius videtur mulierem hanc retrò accessisse; tum quia hoc modo facilior erat ad Dominum inter turbas aditus; tum ob reuerentiam, ob quam etiam causam timens, ac tremens postea ad Dominum accessisse dicitur. Similiter de Maria Magdalena dicitur Lucæ 7. *Stetisse retro secus pedes Domini*; idque non solùm ob situm Domini discumbentis; sed etiam, vt ait Caietanus, *Ne inuerecundam putares, & impudentis audaciæ: idemque significatur ex eo, quòd non iuxta caput, aut latus, sed iuxta pedes Iesu se collocauit.* Præterea si mulier sanguinis fluxu laborans Dominum tamquam, rei ignarum latere se posse existimasset, congruenter putasset etiam suam immunditiam ex sanguinis fluxu prouenientem Domino ignotam esse; atque adeo hinc ad retro accedendum moueri non poterat.

Matthæ, & Magdalenæ in ea fidei defectum apologia. Ioan. 21. 57.

In Ancorato.

Hom 32. in Matth.

102. Sed quidquid sit de hac muliere, aliam interrogationem à Domino factam examinemus. Matthæi 16. Domino interroganti: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* non responderunt discipuli: *Tu omnia nosti*; sicut Ioan. 21 Petrus respondit: sed responderunt: *Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Inter respondentes valde probabile est fuisse ipsum Petrum, quippe qui ardentioris erat naturæ, & *veluti Apostolorum os erat*, vt ibi Chrysostomus ait; & tamen in Petro

Petrus Apostolus Apostolorú os.

fidei defectus non fuit; cum ibi postea præclarissimo testimonio dixerit: *Tu es Christus Filius Dei viui*: quod etiam testimonium Martha hîc protulit. Dicendum est igitur, cum Christus Dominus humano more sciscitaretur; quòd ei etiam humano more, scilicet expressis verbis omnia indicando responsio reddita sit, hoc fidei defectum non arguere. Si enim ad excludendam imperfectam fidem dici debebat: *Tu omnia nosti*: quare in conuiuio Canæ Galilææ deficiente vino, B. Virgo apertis verbis dixit: *Vinum non habent*: & non potius: Fili, conuiuii huius defectum benè nosti? Similiter Exodi 4. cum Dominus Mosem interrogaret: *Quid est hoc, quod tenes in manu tua?* *Respondit: Virga.* Hinc non arguitur in Mose fidei defectus; quasi verò putauerit Deum nescire, quod ipse palàm manu tenebat. Præterea dicendum est Lazari sorores diuino mentis instinctu non respondisse: *Tu omnia nosti*; sed, *Veni, & vide*; ne eas communi cum Domino consilio viuum Lazarum in spelunca celasse ad miraculum simulandum increduli Iudæi postea censerent, vt supra dictum est.

Et lacrymatus est Iesus.

[Margin: Christi Domini oculi eius pulchriores vino dicti sūt.]

103. ANtea turbauit se nimium, nunc lacrymatur: post cœli turbationem imbres defluunt; post Christi turbationem ab eo lacrymæ effunduntur. *Pulchriores sunt oculi eius vino*, de Redemptore vaticinans Iacob Genes. 49. dixit. Ex Hebræo legitur: *Ardentiores sunt oculi eius vino*: & quidem adeo ardentiores, vt verè dici possit: *Illius ex oculis, cum vult incendere Diuos, Accendit geminas lampadas acer Amor.* Certè in Lazari suscitatione lacrymantes Christi Domini oculi vino pulchriores, ardentiores, & efficaciores fuerunt. Quandoquidem vinum auferre cor testatus est Oseas: At Redemptoris oculi commiseratione flebiles, non cor auferre, sed vitam restituere Lazaro potuerunt; sororibusque Marthæ, & Magdalenæ lætitiam. Quare si vinum *lætificare cor* Dauid dixit: Christi Domini lacrymæ sauciatum sororum mœrens cor ob fraternam mortem, restituto ad vitam Lazaro, mirabilius exhilararunt.

[Margin: Oseæ c. 4.]
[Margin: Ps. 103. 15.]

104. Quod Apostolus Paulus postea docuit, Christianam charitatem talem esse debere, vt proximorum bona, vel mala æquè illos, ac nos tangant: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*: antea Dominus exemplo præstitit, lacrymando scilicet ob defuncti Lazari, sororumque lugentium commiserationem. De diuina clementia ait Dauid Psal. 14. *Eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis*: hîc Dominus, à morte amicum Lazarum eripit, simulquè sororum oculos à lacrymis liberat, cum ipse tamen à lacrymis non temperaret. Porrò corporalis Lazari mors fletum à Domini oculis elicuit; spiritualis autem peccatorum mors non ab oculis solùm, sed à toto Christi corpore elicere lacrymas potuit. Hinc Bernardus ait: *Christus non contentus fuit lacrymis oculorum; sed totius corporis sanguineis lacrymis peccata nostra flere, & lauare voluit.*

[Margin: Ad Rom. 12]
[Margin: Christus quibus lacrymis peccata defleuerit. Ser. 3. in Dominica Palmarum.]

105. Has Domini lacrymas lætitiæ ex vno capite, ex altero tristitiæ fuisse asserit Chrysologus: lætitiæ quidem, quòd ei amicus Lazarus esset restituendus: *Pater, inquit luxuriosum filium, non quando abiit, sed quando recepit, tunc deplorat: Christus recipiens fleuit Lazarum, non amittens.* Euangelici autem illius patris recepto prodigo filio sine dubio lætitiæ lacrymæ fuerunt; tales ergo Christi Lazarum recipientis lacrymas fuisse dicendum est. Rursus easdem lacrymas tristitiæ fuisse dici debet, eò quòd in adstantibus Iudæis fidei defectum agnosceret: *Tunc, inquit Chrysologus, ploras Christus, quando interrogas, & in respondentibus?* nempe Iudæis, *vidit fidei nil manere. Dixeras: Vbi posuistis eum? At illi responderunt: Domine, veni, & vide.* Idem antea docuerat Epiph. dicens: *Lacrymatus est ob hominum obstinatam duritiem.* Ad hanc frangendam duritiem, lacrymarum stillicidium adhibere Dominus voluit. *Ad Deum stillat oculus meus*, dixerat Iob. Ad hominem stillat oculus meus, Christus Dominus dicebat. Quare lacrymante Domino dici potuit: *In stillicidiis eius lætabitur germinans*: quandoquidem à plurium Iudæorum corde candidissimum fidei germen prodiit; testante Euangelista: *Multi ex Iudæis crediderunt in eum.*

[Margin: Lacrymæ ex lætitia, & tristitia in Christo. Serm. 64. Lucæ 15.]
[Margin: In Ancorato.]
[Margin: Cap. 16.]
[Margin: Ps. 64.]

106. Mira sanctarum lacrymarum efficacitas! Germen illud, de quo Isaias vaticinatus est: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*; vnde nisi è lacrymarum efficacia prodiit? *Virga*, ait sanctus Hieronymus, *de radice Iesse, sanctam Mariam Virginem intelligamus, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem; de qua supra legimus: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium: & florem Dominum Saluatorem, qui dicit in Cantico canticorum: Ego flos campi, & lilium conuallium.* Sanctissima hæc, fœcundaque Virga, & flos ex ea nascens lacrymarum certè imbre germinauit. Id testatur Ambrosius dicens: *Rex erat Dauid, & dicebat: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Et ideo tantam gratiam meruit, vt ex eius familia Virgo eligeretur; quæ nobis partu proprio Christum ederet.* Quod si tantùm Dauidis lacrymis Ambrosius tribuit; quid Christi lacrymis est tribuendum?

[Margin: Lacrymarū mira efficacia. Hîc, & in sequent.]
[Margin: Cap. 11.]
[Margin: Isaia c. 7. Cap. 2.]
[Margin: Lib. 2. de pœnit. c. 8.]
[Margin: Ps. 6.]

107. Idem Ambrosius sub persona peccatoris in peccatorū fouea sepulti, ita Dominum obsecrat: *Vtinam ad hoc monumentum meum digneris accedere, Domine, Iesu; tuis me lacrymis laues, quoniam durioribus oculis non habeo tantas lacrymas, vt possim mea lauare delicta. Si lacrymaueris pro me, saluus ero; si dignus fuero lacrymis tuis, fœtorem abstergo delictorum omnium. Si fuero dignus, vt paulisper illacrymes, vocabis me de monumento huius corporis, & dices, Exi foras: vt non intra corporis angustias inclusa teneantur cogitationes meæ, sed egrediantur ad Christum; in lumine versentur; vt non cogitem opera tenebrarum, sed opera lucis.*

[Margin: Ibidem.]

Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum: Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur?

108. EX Iudæis alii in lacrymantes Christi Domini oculos considerationem intendunt; alii verò in oculos cæci nati: illi benè lacrymas amoris indices esse colligunt; isti verò in cæci oculos mentis aciem intendentes, similes ipsi cæco allucinantur; cum, eò quod Lazari mors impedita non fuerit; Christi Domini impotentiæ, non voluntati tribuere videantur; ita vt propterea admirantes dicant: *Non potuit hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur? Adscribunt impotentiæ Christi, quòd Lazarus mortuus fuerit; quasi eum non voluerit à morte*

[Margin: Christus suscitaturus Lazarum cur fleuerit. Hîc, & in sequent.]
[Margin: Lib. 7. c. 21.]

seruare, ait Cyrillus. Mox tamen Dominus ·ficit, vt apertè constet se, qui cœci oculos aperuit, aperire posse sepulchrum, & inde Lazarum iam mortuum viuum educere. Porro ipsos Iudæos, dicentes: *Ecce quomodo amabat eum*, falli etiam censet Cyrillus, dicens: *Consuetudo est hominibus mortuos lugere, quos prius charos habebant, & in amore coniunctos. Secundùm hanc consuetudinem Iudæi Dominum flere putabant, dicentes: Ecce quomodo amabat eum. Cum tamen Dominus humanam potius miseriam deplorabat, duræ mortis seruituti subiectam; & tristem Lazari deflebat sortem ad hanc vitam mortalem plenam miseria, & dolorum reuocandi.* Similiter Rupertus ait: *Lacrymatus est; non tam quòd mortuus est, quàm quòd reuocari illum oportebat ad tolerandas rursus huius vitæ miserias.* Similiter Isidorus Pelusiota de Lazaro ait: *Cum iustitia præditus esset; atque ex huius vitæ stadio cum laude, atque gloria excessisset; non est dubium, quin in requiete, atque honore esset. Quoniam igitur ipsum ob suam gloriam à morte ad vitam excitaturus esset, collacrymauit his propemodum verbis vtens: Eum qui portum iam appulerat, rursus ad fluctus, & procellas voco; eum qui iam coronam consecutus erat, ad certamina rursus duco.* Verè omninò iuxta Isidorum de amico Lazaro dicere potuit Dominus: *Eum rursus ad fluctus, & procellas voco*: nam præter ærumnas alias huius vitæ, præsciebat Lazarum vnà cum sororibus à Iudæis Ierosolyma pellendum; & inermi nauigio impositum ad certum naufragandi periculum marinis fluctibus esse committendum. Quamuis Lazarus cum socijs incolumis tandem Massiliam appulerit eius ope, cuius imperio venti, & mare obediunt; vt legitur in actis Mariæ Magdalenæ, & sociorum, teste Baronio anno Domini 35. Ex dictis patet quàm vera sit Ecclesiastæ sententia: *Melior est dies mortis die natiuitatis.* Quod quidem benè confirmari potest ex eo, quòd Dominus audita Lazari morte tantùm abest, vt fleuerit; vt etiam dicere potuerit, *Lazarus mortuus est, & gaudeo.* Hieronymus, quòd *Melior est dies mortis die natiuitatis*, præter ærumnas mortalis vitæ, duplicem rationem reddit: *Vel quòd in morte quales simus notum sit; in exordio verò nascendi, qui futuri simus, ignoratur. Aut quòd natiuitas alliget corpori libertatem animæ, mors resoluat.* Apud eumdem Hieronymum epistola ad Tyrapium dicitur: *Dominus doluit Lazarum non dormientem, sed potius resurgentem; & flebat, quem cogebatur propter saluandos alios ad sæculum reuocare.* Quare, cum Lazarus propter Gallorum salutem, ad quos Euangelicam legem attulit, ad vitam Domino lacrymante reuocatus sit; benè dici potest Domini lacrymas ad Gallica lilia cœlesti rore irrigando manasse.

Cap. 7.

Hieronymus in Eccles. c. 7.

Tomo 9.

109. Quæritur cur Iob. 17. Putredinem patrem appellauerit: *Putredini dixi, Pater meus es*: Respondet Iob apud Origenem: *Vt pueri parentes consolatores habent; sic ego mortem, & putredinem. In morte*, ait idem Iob apud Olympiodorum, *molestiarum, quæ sunt in hac vita susceptæ, datur laxamentum; atque ea de causa pro patre est mihi interitus; nec iniuria illius aduentum expecto: pro matre corporis est tabes, atque dissolutio, quæ necessariò post mortem continget; illam ipsam tamquam sororem cupio mihi esse dilectam, eiusdemque amicitiæ nominibus appello, atque complector. Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus.* Hinc Lazarus, cum morte, tamquam parente, orbaudus esset, meritò defletur à Domino.

Mors veluti consolatrix mortis habenda.

110. Ad idem confirmandum, si quæratur cur Iob cap. 3. dixerit *Pereat dies, in quo natus sum*: hoc est, diem talem non fuisse velim? Respondet Origenes lib. 3. in Iob. *Non male dicatur dies mortis, neque dies finis, neque dies exitus de hoc sæculo: est enim consummatio, & requies, & dolorum omnium transitus, ac depositio. Dies natiuitatis omnium tribulationum, & angustiarum, dolorum quoque, & miseriarum, omniumque peccatorum, atque impietatum initium est, atque introitus. Plerique hominum sub cælo carnalem hanc solam delectantes vitam, ac sola terrena, quæ sunt in corruptione, respicientes, diem natiuitatis suæ delectabiliter celebrare student: honestè in die natiuitatis suæ iucundantes & splendidè: nam hanc existimant portionem, suam, atque hæreditatem; & per hæc sperant se diutius viuere in corpore, atque augmentari sibi annos. Qui æternam vitam apud Deum in cælis esse non credunt, meritò terrenam hanc, atque carnalem vitam solam delectantes, celebrant diem natiuitatis suæ, diem verò mortis nec nominari patiuntur.*

Mortis dies præ natiuitatis die iucundior.

111. Inter hos, (quod quidem pudorem offundere deberet Christianis) non numerandi sunt prisci Thraces; apud quos luctuosa erant puerperia, læta funera, teste Valerio, & Solino. Quare ex Herodoto in Terpsichore Thraciæ populi consueuerant edito in lucem puero circumsidentes eum comploratione prosequi; recensentes quascumque necesse essent illi ad vitam ingresso perpeti calamitates. E contrario hominem vita functum per lusum, & lætitiam sepeliebant; quod mortalis vitæ malis iam esset ereptus. Hegesias Cyrenaicus de humanæ vitæ calamitatibus adeò disertè disputauit, vt Rex Ptolomæus vetuerit, quæ disputauerat, auditoribus in scholis proponere; quod illis auditis multi sibi mortem consciscerent, teste Tullio 1. Tusc. Vide præterea S. Ambrosium lib. de bono mortis; & Rupertum 3. de Triu. cap. 24. & 25.

Thracibus lugubris erat filiorum natiuitas, læta mors.

Calamitates sinè humanæ vitæ expetendam suadent.

Bono mortis.

Iesus ergo rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum.

112. DE hoc secundo fremitu eadem dici possunt, quæ supra diximus, cum Dominus *infremuit spiritu. Fremuit Iesus in semetipso, indignationem animæ hoc secundo fremitu exprimens in Iudæorum maleuolentiam, & improbitatem; qui non desistebant assiduè calumniari opera eius, & canino ea dente rodere, & mordere*, ait Cyrillus. Nihilominus in seipso, non in alios infremuit Dominus; adeo mansuetudinem adhuc indignatus ostendere voluit, & alienæ se famæ sollicitum præbere.

Supra.
Christi mansuetudo.

Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei.

113. QVi non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro, Dominus ait. Quare veluti furem se mors humanum genus deprædando ostendit teste Ieremia dicente, *Ascendit mors per fenestras.* Solent latrones suas rapinas in abditis speluncis celare: nil mirum ergo si mors ad suas prædas celandas pro sepulchro speluncas elegerit. *Erat autem spelunca*, ait Chrysologus: *Dixisse sufficerat venisse ad monumentum: quid est, quòd tantopere speluncam Euangelista commemorat? Spelunca planè, vbi hominem diaboli latrocinium collocauit; spelunca planè, vbi virum fraus condidit*

Ioan. 10.
Speluncæ sunt mortuorum monumenta.
Cap. 9.

Serm. 65.

mulieris; spelunca vbi Dei plasma mortis rapacitas includebat. A

Ait Iesus: Tollite lapidem.

Lib. 1. de Pœnit. Christus suscitaturus Lazarũ cur nõ suo imperio, sed aliorũ opera lapidem remoueri voluerit.

114. BEnè S. Ambrosius ait: *Poterat remouere lapidem imperio sermonis; iubenti enim Christo etiam insensibilis solet natura obedire. Poterat tacita vi operationis occulta transferre saxum sepulchri, in cuius passione remotis lapidibus plurima defunctorum sepulchra patuerunt. Sed hominibus iussit, vt remouerent lapidem; in veritate quidem, vt increduli crederent, quod videbant, & aspicerent resurgentem mortuum. Vt eos testes faciat miraculi; vt non dicant, quod in cæco dixerant: Non est hic,* ait Cyrillus. Addit Ambrosius iussisse Dominum tolli lapidem, *In typo, quod nobis donaret, vt leuaremus delictorum onera, moles quasdam reorum. Nostrum est onera remouere, illius est resuscitare; illius educere de sepulchris exutos vinculis.* Quamquam, vt peccatorum lapides tollamus, non nisi communicata à Domino per gratiam vi efficere possumus, ait enim ipse Dominus Ezech. 37. *Auferam cor lapideum de carne vestra.*

Suprà. B

Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatriduanus est enim.

Suprà. C

115. QVasi diffidens dicit, ait Cyrillus, *volens impossibile credens posse fratrem resuscitari ob diuturnam diuturnitatem.* Dicendum tamen videtur his verbis Martham fidei quidem defectum ostendisse; non quòd ob Redemptoris impotentiam, crederet quatriduanum defunctum fratrem non suscitandum; hoc enim non congruit cum eiusdem Marthæ verbis: *Scio, quia resurget in nouissimo die*: Si enim diuina ope post mundi finem resurgere posse credebat; multò magis credere poterat post quatuor dies diuina ope id fieri posse, & eius imperio, cui dixerat Martha: *Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei viui.* Marthæ igitur diffidentia non circa impotentiam, sed circa voluntatem Domini fuit; D si enim Christus Dominus fratrem à morte liberare voluisset, beneficium vsque ad quatriduum differendum non fuisse Martha credebat. Sed Deus, *Qui dixit de tenebris lucem splendescere*, sicut ex fidei defectu in Apostolo Thoma suæ resurrectionis fidem stabilire voluit; ita in præsentia ex modica Marthæ fiducia futuri miraculi in suscitando Lazaro certitudinem, & celebritatem augere decreuit. Quare Martham ita Chrysologus alloquitur: *Fœtorem clama, vt plena mors audientibus innotescat: quatenus, quòd resurget Lazarus, redeuntis sit spiritus, non latentis; diuina virtutis sit, non sit artis humana.*

2. ad Cor. 4.

Serm. 65.

116. Rursus Cyrillus alia interpretatione in his Marthæ verbis non solùm fidei defectum E non agnoscit; sed etiam ex iis eximiam fidem, insignemque in Christum amorem argui indicat: quasi Martha crederet, & vellet adhuc superposito lapide fratrem è sepulchro viuum educi. *Ipsi Domino ex sincero animi affectu timebat, ne amoto lapide graui cadaueris odore offenderetur: idcirco lapide in suo loco dimisso fratrem potius suscitari petebat.* Sed ex sequentibus Domini verbis tantam fidem in Martha non fuisse satis patet.

A

Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

117. GLoria hîc, non solùm honorificam diuinæ potentiæ celebritatem, & notitiam ex Lazaro rediuiuo prouenturam significat; sed etiam diuinam misericordiam in liberando à morte Lazaro, solandisque eius sororibus exhibitam. Constat enim in sacris litteris diuinam misericordiam Dei gloriam appellari: ad Romanos 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*; hoc est, Dei misericordia ad culpas per gratiam delendas. Hinc Apostolus veluti synonymo titulo Deum nunc patrem misericordiarum, nunc B patrem gloriæ appellat. Dicitur autem diuina misericordia Dei gloria; quia per eam maximè Deus ab hominibus cognoscitur, & laudatur. Est enim Dei misericordia in operibus diuinis, sicut in picturis Sandaracha, vernicem Itali vocamus: sicut enim hæc coloribus superposita, vt ij maximè eluceant, efficit: similiter Deus suam misericordiam suis omnibus operibus superponit; vt ea ad humanam notitiam maximè illustret: ita vt propterea dixerit Dauid: *Miserationes eius super omnia opera eius.*

2. ad Cor. 1. Ad Eph. 3. Misericordia Dei cur gloria appellatur? Misericordia Dei, velut Sandaracha in picturis est.

Ps. 144.

118. Si sol sibi ipsi luceret; humanis oculis planè foret ignotus; cum nobis luceat, notissimus est: sic diuina potentia, quæ sibi ipsi alioquin luceret; per misericordiam nobis illucescit. C Propterea dixit Hilarius: *Quod potens est Deus, natura sua virtus est; quòd autem misericors est, salutis nostra profectus est: & plus est non suis vti, sed alijs præstitisse, quæ sua sunt: atque adeo præstat cæteris Dei operibus misericordia; quia magnifica eius operatio virtutis sua res est, misericordia verò vsus alienus est.* Similiter Augustinus ita Deum alloquitur: *Tu factor omnium Deus, licèt in cunctis operibus tuis sis mirabilis; mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. Vnde de temetipso per quemdam tuum seruum dixisti: Miserationes eius super omnia opera eius. Misericordia tua, Domine, plena est terra*, ait Dauid; itaut ea neque ab inferis excludatur: ibi enim damnatos citra condignum punit: & propterea Psalmo 28. dicitur: *Vox* D *Domini intercidentis flammam ignis.* Vbi de igne damnatos torquente sermo est iuxta Basilium ibi: intercidere autem, seu diuidere, Dei vox, & imperium dicitur flammam ignis; eò quòd eam citra condignam pœnam tantùm se extendere sinat. Meritò igitur diuina misericordia Dei gloria appellatur; eum ob eam maximè ab omnibus sit glorificandus. Quomodo Dei misericordia in omnibus Dei operibus reperiatur, explicat S. Thomas 2.2.q. 30. art. 4.

In Ps. 144. Misericordia Dei, cur cæteris eius operibus præstet.

Medit. c. 21.

Ps. 118. Inferni ignis flammã quomodo intercidere Deus dicatur.

Tulerunt ergo lapidem: Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit.

E

119. OCulos Christus Dominus adhuc fletu madidos ad Patrem eleuauit, tamquam lacrymarum gemmas in pretium offerret, vt amicum Lazarum à mortis vinculis liberaret: Genes. 3. de Eua dicitur: *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo.* Hinc mors ingressa est in genus humanum: *Ascendit mors per fenestras nostras; ingressa est domus nostras*, ait Ieremias. Per fenestras scilicet oculorum iuxta Hieronymum ibi, Gregorium, & Ambrosium. Sicut igitur tunc per oculos primorum parentum ingressa

Lacrymæ Christi, gẽmæ à morte redimentes.

Ier. c. 9. 21. Gregor. 21. Mor. c. 2. Ambr. l. de fuga sæculi c. 1.

Eux in oculos mors ingressa. Christi ex oculis egressa est vita.

gressa est mors; ita nunc è Redemptoris oculis ad Lazarum suscitandum vita egreditur: propterea eleuauit Iesus sursum oculos, cum Lazarum ad vitam reuocare vellet, dicens: *Lazare veni foras.*

120. In vltima etiam cœna cum suis Apostolis se sub panis, & vini specie Dominus communicaret; oculos similiter in cœlum eleuasse dicitur testante Ecclesia in canone: *Eleuatis in cœlum oculis ad te Deum patrem suum, benedixit, ac fregit.* Sed quàm dissimili exitu? Hic quidem, vt Lazarum è sepulchro educeret, oculos in cœlum Dominus eleuat: ibi verò, vt in humanis visceribus tamquam in sepulchro se conderet: Damascenus enim de Eucharistiæ sacramento, ait: *Eleuatur in manibus Sacerdotis in crucem, frangitur, & distribuitur, & in nobis sepelitur.*

In libello de corpore Christi. Hominis viscera Domini in Eucharistia sepulchrum.

121. *Oratures Dominus noster*, ait Cyrillus, *eleuauit sursum oculos. Nos quoque cum orare volumus, mentem ad cœlum erigere debere docens.* Necesse est igitur volentem ad exemplar orationis Christi orare, eleuare oculos cordis sursum, ac erigere illos à rerum mundanarum cura. Propterea aiebat Dauid: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Thus, cum incenditur, è suæ materiæ crassitie in tanues odoriferos fumos sursum exhalat. Similiter, vt oratio sursum ad Deum eleuetur, à terrenis affectibus, & cogitationibus eor liberum esse debet. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: Hoc est rectè ad te perueniat oratio mea, non habens aliquas sordes, aut vitia, aut cogitationes diabolicas*, ait Hieronymus in Psal. 140.

Lib 7. c. 12. Oraturus è terrenis ad cœlestia cor eleuare debet.

Oratio cur thuri comparetur.

122. Genes. 4. legitur: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera eius non respexit.* Vbi quæritur, quo indicio Deus ostenderit sibi Abelis sacrificium, non autem Caini gratum fuisse? Respondent Hebræorum Rabbini declarasse id Deum, eò quòd è Caini sacrificio fumus hac illac spargeretur; contra verò ex Abelis sacrificio rectà fumus in palmæ figuram sursum ascenderet. Quare, cum Abelis sacrificium imitando pia oratio instar palmæ rectà in cœlum eleuatur; mirum non est si inde victoriam reportet: *Oratio humiliantis se nubes penetrat. Non discedet donec Altissimus aspiciat. Obediunte Domino voci hominis.*

Abelis sacrificiũ quo indicio sibi gratũ Deus ostenderit.

Eccli. 35. Iosue 10

123. Præterea oculus intentionem significat; vt propterea Dominus dixerit Matthæi 6. *Lucerna corporis tui est oculus tuus; si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit:* Vocando intentionem oculum, comparat eum lucernæ: *sicut enim oculus membra ad operandum dirigit, & lucerna gressus ambulantis: sic intentio congeriem operationis*, ait Hugo Cardinalis. Per oculorum ergo in cœlum eleuationem intentio significatur, quam quisque orando habere debet. Huiusmodi rectam intentionem sua in oratione debent iusti profiteri cum Dauide dicentes: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Oculi mei semper ad Dominum.* Porrò sicut iusti in cœlum ad Deum oculos eleuant; ita vicissim Dominum suos in discipulos oculos eleuasse Lucæ 6. notauit Origenes; scilicet ad iustorum sublimem dignitatem ostendendam; cum ad eos, veluti ad cœlum oculos eleuauerit: *Cœlum est anima iusti*, inquit Gregorius: & propterea *Oculi Domini super iustos*, Psal. 33.

Oratio ex rectâ oculis intentione procedat.

Psal. 122. Psal. 24.

Hom. 28. in Ioan.

124. Est præterea alia ratio, cur iusti oran-

A tes in cœlum oculos eleuent; nimirum, cum præ desiderio cœlestis patriæ ægrè ferant se in vinculis huius mortalis vitæ detineri; sollicitè in eam partem oculos dirigunt, quà exitus ex huius vitæ carcere patere videtur: *Oculis ad Deum in cœlum intentis orans similis est circumspicienti, quà possit exire, sit conclusus: si autem obsessus, è specula instantem sicunde veniat auxilium*, ait Gregorius. Propterea Dauid, cum in cœlum oculos intendisset, ait: *Clamaui ad te Domine: & subdit: Educ de custodia animam meam.* De S. Martino Turonensi Episcopo prope mortem, dicitur: *Assidua Deum oratione precabatur, vt se ex illo mortali carcere liberaret:* & additur:

Oratio oculos in cœlum eleuat præ desiderio illuc è terreno carcere perueniẽdi.

Serm. 179. Psal. 141.

B *Oculis, & manibus in cœlum semper intentis, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat.* Præterea ne oratio frustra fiat, eleuandos esse cum manibus oculos ad Deum in cœlum, docent Origenes, & Gregorius; vt simul cum cordis affectu, rectâque intentione bonorum operum merita coniungamus. Propterea Dauid de seipso non solùm testatur: *Ad te leuaui oculos meos:* sed etiam: *Expandi ad te manus meas;* & *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

Origenes Hom. 28. in Ioan. Oratio cur oculis cum manibus eleuare debet.

Psal 122. Psal. 87. Psal. 140.

Dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.

125. Christus Dominus gratias æterno Patri agit, dicens: *Quoniam au-*
C *disti me;* non quòd prius orauerit pro Lazari suscitatione; sed quia sciret velle æternum Patrem id facere, quod ipse Christus, vt homo, humanaque voluntate cupiebat iuxta sententiam Chrysostomi, Theophylacti, Leontii, & Euthymii. *Pro precatione, quam animo conceptam dicturus erat Patri, qui præoccupaueras preces, gratias agit*, ait Origenes: doceique per hoc verificari testimonium Isaiæ 65. dicentis: *Antequam clamens, ego exaudiam:* quasi dicat: Præueniam iustorum vota, & preces, eorumque desiderio satisfaciam; antequam Ipsi mentalibus, aut vocalibus precibus illud exprimant, ita, vt non solùm eorum orationem; sed nutum,
D & silentem affectum exaudiam. Quare homini cum Deo sanctâ æmulatio esse debet: Deus enim in nostris indigentiis, antequam ad eum per preces ad beneficia petenda accedamus, ipsa petendi desideria exaudit: *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus; præparationem cordis eorum audiuit auris tua*, ait Dauid: *Desiderium suum iustis dabitur*, ait Salomon Prouerb. 10. Propterea diuinæ liberalitatis conscius Iob precabatur dicens, *Desiderium meum audiat Omnipotens: Non expectat Deus verba sed solet cogitationibus aduocatur*, ait Bernardus. Vicissim nos diuina beneficia gratiarum actione præuenire debemus, tamquam certi de diuina liberalitate;
E Redemptorem in hoc imitantes, qui antequam Lazaro vitam restitueretur, de ea Patri gratias agit. Similites Matthæi 14. & Ioannis 6. antequam ad quinque millia hominum. & eo amplius, in deserto pascenda panes, piscesque Dominus, diuinitus multiplicaret; elatis in cœlum oculis Deo patri cibi illius largitori gratias egit: *Accepit deinde panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.*

Deus beatissimus nostras preces præuenit: & nos vicissim antè collata beneficia Deo gratias agere debemus.

Psal. 9. vel 10. secundum Hebræos. Iob. 31. Serm. 9. in Cantic.

126. Propterea aiebat Apostolus, *Nihil soliciti sitis; sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Orantes ex Apostolo ita sol-

Cap. 4. ad Philipp.

licitudinem, & dubitationem omnem, an impetraturi sint, remouere debent; vt suas petitiones Deo proponant vnà cum gratiarum actione, quam Deo exhibere debent; eò quod de beneficii impetratione certa planè eorum fiducia sit: Quandoquidem gratiarum actio, gratique animi exhibitio mirum in modum in nos diuinam liberalitatem prouocat. *Qui vult alia impetrare, debet ex perceptis gratus esse*, ait Ansaimus. Et Augustinus: *Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quàm Deo gratias? Hoc nil dici breuius, nec audiri latius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. Fructuosa terra est, quæ*, vt ait Ambrosius, *multiplicatum reddit, quod acceperit*. Fructuosa propterea est gratiarum actio, cum in nobis semper diuina beneficia multiplicet. Hinc Isaias cap. 51. dixit: *Consolabitur Dominus Sion, & ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini.* Quibus aquis terra, quæ deserta erat antea, irrigabitur, vt florum, fructuumque delicias vberrimè proferat? Subdit Isaias: *Inuenietur in ea gratiarum actio, & vox laudis.* Ista fluenta sunt, quæ iusti animam ad largissima cœlestium donorum germina proferenda fœcundant. Citatus Isaiæ locus ex Hebræo, & LXX. legitur: *Ponet desertum eius, sicut Paradisum.* Per gratiarum actionem, ac liberalitatem laudando, paradisus anima iusti redditur: *Nihil ita propriè quemdam in terris repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum; dicente Scriptura: Beati, qui habitant in domo tua Domine; in secula seculorum laudabunt te*, ait Bernardus serm. 11. in Cantici.

Gratiarum actio mirè in modum diuinā beneficentiam erga nos allicit.

Epist. ad Marcellinū. 1 de Offic. c. 31.

Psal. 83.

127. Adde paradisum ipsum superari posse; si nos, non tantùm pro cœlesti consolatione, vt Angeli; sed etiam pro calamitatibus, ærumnis, & aduersitatibus, quas patimur, iuxta Christianam perfectionem Deo gratias agamus. Quare Hieronymus in illud Apostoli, *Gratias agentes semper pro omnibus*, ait: *Hæc actio gratiarum apud prudentes viros, & generaliter, & specialiter obseruatur. Generaliter, vt gratias agamus Deo, quòd nobis Sol oritur, dies currit, nox mutatur in requiem: splendore Lunæ tenebræ temperantur, & ortu, occasuque stellarum tempora mutantur, & redeunt: quod nobis seruiunt pluuiæ, terra parturit, elementa famulantur: quòd tanta animalium varietates vel ad vehendum, vel ad operandum, vel ad vescendum, vel ad tegmen, vel ad exemplum, vel ad imitaculum data sunt: & ad extremum, quod nati sumus, quod subsistimus; quòd in mundo, quasi in quadam domo potentissimi patrisfamilias procurationem gerimus; & totum quidquid in mundo est, nostri causâ intelligimus procreatum. Specialiter verò, quando in Dei beneficiis, quæ nobis accidunt, gratulamur: Sed hoc & Gentilis facit, & Iudæus, & Publicanus, & Ethnicus: Christianorum propria virtus est etiam in his, quæ aduersa putantur, referre gratias Creatori. Iuxta Apostolum hæc virtus est maxima; vt in ipsis periculis, atque miseriis, Deo gratiæ referantur; & semper dicamus: Benedictus Deus: minora me scio sustinere, quàm mereor: Hæc ad mea peccata parua sunt; nihil mihi dignum redditur. Hic animus Christiani est; hic crucem suam tollens sequitur Saluatorem; quem nec orbitas, nec damna debilitant, quem; vt Flaccus ait: Si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ.* Similiter Chrysostomus ait: *Nihil hac lingua sanctius est, quæ in aduersis Deo gratias agit.*

Hieron. in ep. ad Eph. c. 5. n. 20.

Gratiarum actio in aduersis piorū Christianorū propria est, Deoque gratissima.

Hom. 8 in ep. ad Colos.

128. In Paradisum, & in Infernum suæ efficacitatis vim extendit gratiarum actio: nam, vt idem Chrysostomus ait: *Deum lætificat, & diabolum pudefacit actio gratiarum.* Præterea per gratiarum actionem, collata diuinitus nobis beneficia, mira sanè metamorphosi efficere possumus, vt in ipsum Deum collata beneficia euadant. Quanti faceret ære alieno oppressus, si debitum in creditum mutare posset? *Quam rependis pro accepta gratia gratiarum actionem, Deus in numerum refert, & habet beneficii loco; qui licet aliud nihil accipiat, quàm quod suum est; solidam tamen retribuit gratiam, ac si propria dedisset*, ait Basilius hom. 5. in Martyrem Iulittam. Ideo Nazianzenus ait: *Appetitionem ipsam Deus ingentis pretii loco habet. Suis sitit; cum ab eo beneficium petitur, beneficio id ducit. Iucundius dat, quam alii accipiunt.*

Gratiarum actionis mira efficacia.

Ibidem.

Gratiarum actio Deum beneficia dantē, velut ò beneficia recipientem facit.

Orat. 40 in sanctum Baptisma.

129. Tobiæ 6. legitur: *Profectus est Tobias, & canis secutus est eum.* Mirum sanè cuipiam videbitur, cur Spiritus sanctus primarius historiæ illius auctor ad iam leuem narrationem descenderit; vt canem sequentem Tobiam expressè commemorare voluerit. Inter belluas canis gratitudine in beneficos excellit. Hinc Ambrosius ait: *Canibus insitum est à natura referre gratiam, & sollicitas excubias pro dominorum salute prætendere.* Et infra: *Quis tam tenax esse potest beneficii, & memor gratiæ? quandoquidem pro domino etiam in latrones insilire consueuit; & extraneorum accessus prohibere nocturnos, & mori pro dominis, & commori cum dominis sunt parati.* Tobiæ igitur canem adiungi comitem sanctus Angelus Raphaël voluit, vt ei gratitudinis efficax exemplum imitandum proponeret. *Mutæ itaque specie bestiæ sanctus Raphaël Angelus Tobiæ iuuenis, quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat affectum. Quis enim non erubescat gratiam benè de se merentibus non referre; cum videat etiam bestias effugere crimen ingrati?* ait Ambrosius ibidem.

Canis Tobiæ comes cur præcipuè commemoretur.

l. 6. Hexa. 4.

Canis maximè gratus.

130. Chrysostomus in illa Genes. 2. verba: *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, ait, humana membra esse veluti musicum instrumentum, & veluti fistulas diuini oris afflato sonoras ad suauissimam Deo melodiam reddendam. Melodia hæc quid resonare debet, nisi perennes Creatori gratias ob innumera collata humano generi beneficia? Ita vt perpetuò sibi ipsi homo dicat: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto eius.* Babylonica fistula, aliáque musica instrumenta sacrilegos Assyrios excitabant ad statuam impii Nabuchodonosoris adorandam: *Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis: in hora, qua audieritis sonitum tubæ, fistulæ, &c. cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor Rex.* At humana fistula diuino afflatu sonora vniuersum humanum genus, creaturasque omnes ad Deum humillimè adorandum excitare debet; non è Babylonica fornace, sed ex incenso corde sanctissimas illas voces resonando: *Benedicite omnia opera Domini Domino; laudate, & superexaltate eum in secula.* Sacra hæc fistula diuina beneficia perpetuò resonans, singulare nobis solamen esse debet ad huius mortalis vitæ ærumnas facilè tolerandas: *Ea sola voluptas, solamenque mali*

Hom. 13 in Genes.

Mēbra humana velut fistula ad diuinā beneficentiam resonandā.

Ps. 102.

Dan. 3.

Dan. 3.

Moral. 3.

de collo fistula pendet. Vide insignem homiliam sancti Basilii, quam de gratiarum actione scrispsit; & Senecæ libros de beneficiis. Contra iogratitudinem opusculum 71. S. Thomas egregiè scripsit.

Ego autem sciebam, quia semper me audis; sed propter populum, qui circumstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti.

131. REddit rationem Dominus, cur clara voce Patri, tamquam eum semper exaudienti gratias egerit; scilicet, vt verè Dei Filius ab adstantibus, & diuina vi miracula operari crederetur. *Non inops auxilij Dominus est, sed nos sumus inopes doctrinæ; non precibus eguit, sed nobis orauit, ne filius ignoraretur*, ait Cyrillus lib. 7. cap. 21.

Hæc cum dixisset, voce magna clamauit: Lazare veni foras.

132. HIc in Bethania Dominum clamasse legimus; non multò post etiam in Caluariæ monte: hîc tamen, vt Lazarum ad vitam reuocaret; ibi è contrario, vt mortem ipse subiret: *Iesus clamans voce magna emisit spiritum*, ait Euangelista. Clamauit Dominus, dicens: *Lazare veni foras*; primò, vt suum imperium in mortem omnibus innotesceret: secundò ad terrendos dæmones inferni claustri custodes. *Nam si de Moysi corpore diabolus Angelo contradixit; quomodo non Tartarus Christo de vita, & resurrectione Lazari contradiceret?* ait Chrysol. ser. 65.

Matth. 27.
B Iuda Apostolo n. 9.

133. Clamando Dominus: *Lazare veni foras*, ostendit verissimum esse Apostoli testimonium, dicentis: *Deus viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt. Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* dicuntur Danielis 12. inter has stellas numeratus est Lazarus, Massiliensis Episcopus creatus ad Galliam Euangelica fide illustrandam. E suo occasu stella hæc prodiit, Dei Filio eam vocante iuxtà Baruch: *Stellæ vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus.* Lilia in defunctorum tumulo spargebantur: *Manibus date lilia plenis.* At Lazaro rediuiuo lilia data sunt; cum ad vitam reuocatus, tutelaris Galliæ patronus destinatus est.

Ad Rom. c. 4.
Lazarus velut stella ad Galliam illuminandam diuino imperio est vocatus.
Cap. 3.
Æneid. 6.

Et statim prodijt, qui fuerat mortuus.

134. STatim ad vitam resurgendo Lazarus exemplar fuit futuræ vniuersalis resurrectionis; de qua Apostolus ait: *Omnes resurgemus, in momento, in ictu oculi.* Patet, vt oculi ictus resurrectionis mensura sit: oculos enim pœnitentiæ lacrymis resurrectionem electis meruit; oculus itidem plerisque damnatis gratiam, animæ vitam eripuit, testante Ieremia: *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Vbi de anima Gregorius ait: *Concupiscendo visibilia, inuisibiles virtutes amisit. Quæ ergo interiorem fructum per exteriorem visum perdidit; per oculum corporis pertulit prædam cordis: Vnde nobis ad cordis munditiem sensuum disciplina seruanda est.* Ictu oculi igitur damnati, qui oculis deliquerunt, miserum corpus resurgendo assument; vt ad æternos cruciatus detrudantur.

1 ad Cor. c. 15.
Mortui cur in ictu oculi resurrecturi dicuntur.
3. Thren. 51.
21 Mor. c. 2.

135. Rursus iuxta Cyrillum *Per Lazarum mortuum intelligitur peccator per iniquitatem à Deo, qui est fons vitæ, separatus. Omnis enim, qui peccat, moritur, vt Dominus per Ezechielem dicit: Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur:* Et Sapiens: *Homo per malitiam occidit animam suam.* Peccator è peccati sepulchro statim ad Dei vocem per pœnitentiam prodire debet. Natura vacuum refugit; multò magis vacuum refugit gratia. Vt vacuum natura vitet, ea semper vnum corpus alteri per indistantiam, quasi continuat. Similiter ne perniciosum animæ vacuum accidat, statim cum gratia, per quam peccator vocatur ad pœnitentiam, assensus, & bonorum operum executio continuari debet. Continuationem hanc exhibuit Apostolus de se dicens: *Cum placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam continuò non acquieui carni, & sanguini*; idest carnalibus concupiscentiis iuxta Dionysium. Continuò igitur diuinæ vocationi assentiendo respondere debemus, *Ne in vacuum gratiam Dei recipiamus*, iuxta Apostoli monitum 2. ad Corinth. 6.

In Io. li. 7. c. 23.
Ezech. c. 18.
Sap. 16.
Peccator ad pœnitentiam vocatus continuò diuinæ gratiæ vocanti respondere debet.
Gratia, sicut natura, abhorret à vacuo.
Ad Gal. 1.

Ligatus manus, & pedes institis, & facies illius sudario erat cooperta.

135. AD maiorem miraculi euidentiam ita prodiit Lazarus. Lucæ 16. Mendicus Lazarus ab Angelis in sinum Abrahæ delatus est: alterum hunc Lazarum similiter ad Redemptoris conspectum extra speluncam Angelorum ope deductum fuisse credibile est; cum vinctus ex se egredi certè non posset. Lazarus è sepulchro prodiit *ligatus manus, & pedes institis; & facies sudario cooperta:* Dominus contra è tumulo surrexit relicto linteamine, & sudario: Iuan. 20. *Petrus vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.* Mira Dei sapientia vtrobique eluxit: vtrumque enim fuit ad veræ resurrectionis comprobationem. Nam si quis ex Iudæis perfidè contenderet viuum Lazarum in monumento latuisse; calumniæ falsitas facilè conuinceretur; cum adhuc viuus Lazarus egredi è spelunca fasciis vinctus non potuisset, nisi ex miraculo; miraculum autem in testimonium falsæ resurrectionis diuinitus non euenisset. Quare non placet sententia Basilii in concione de gratiarum actione asserentis Lazarum è tumulo obambulando prodiisse. Rursus, vt vera Christi resurrectio crederetur, linteamina relicta sunt, & sudarium inuolutum. Nàm vt benè arguit Chrysostomus. *Neque, qui corpus abstulissent, illa reliquissent; neque, si furati essent, sudarium inuoluere, & ponere in vnum locum curassent; sed vt erat corpus abstulissent. Propterea ante dixerat Ioannes, cum multa myrrha fuisse sepultum: myrrha non minus, quàm pix, corpori linteamina conglutinat; vt cum audieris ea in sepulchro relicta, furto abreptum non arbitreris: non enim fur adeò stultus fuisset, vt in superflua re tantùm laborasset; etenim diutius in ea immorandum erat, & deprehendi potuisset. Sudarium verò separatim in vnum locum est situm; vt intelligeres non perturbatè, & festinanter id factum esse, vt resurrectionis esset signum.*

Lazarus Angelorum auxilio ligatis pedibus è sepulchro prodiit.
Lazari, & Christi resurrectionis discrimen.
Hom. 8.
Cap. 19.

Dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham; & viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum.

137. CVm Thomas Apostolus de Domini resurrectione primùm dubitaret; deindè tactis Domini plagis resurrectionem eiusdem Domini firmiter crederet, Gregorius ait: *Egit miro modo superna clementia, vt discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis.* Similiter hic voluit omnibus, vt Iudæi propius accedentes Lazarum soluerent, & propriis oculis aspicerent, manibusque contrectarent vincula, quibus ligatus prodire ex se certè non poterat; ipsumque liberum abeuntem cernerent; vt sic certi omninò essent de vera Lazari resurrectione; & soluendo Lazari ligamina, incredulitatis sibi vincula soluerent. Quare subditur: *Multi ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum.*

(Margin: Ioan. 20. — Hom. 26. in Euang.)



SABBATVM

POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Dicebat Iesus turbis Iudæorum: Ego sum lux mundi. *Ioan.* 8.

Euangelij nexus, & ordo.

1. 
EVITICI II. inter immunda animalia vetita ad cibi vsum, & multò magis ad sacrificia, Vespertilio numeratur. In hoc autem Euangelio, cum Christus Dominus, vt mundi lucem se profiteatur, dicens: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ;* Vespertilionis similitudinem Pharisæi referunt: teste enim Hieronymo, *Vespertilio animal lucifugum est, & Solem videre non patitur:* Similiter Pharisæi cœlestem Christi lucem auersantur, eamque agnoscere refugiunt, tenebrasque ignorantiæ amant. Benè igitur à Redemptore dicitur: *Vos nescitis vnde venio, aut quò vado. Vos secundùm carnem iudicatis. Neque me scitis, neque Patrem meum. Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* Quare verè de Pharisæis, iisque similibus Dominus dixit: *Lux venit in mundum; & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.*

(Margin: Vespertilionibus Pharisæi similes. — Ioa. 3. 19.)

Ego sum lux mundi.

2. DE Dei Filio dixit Ioannes cap. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Cur vera lux Christus Dominus dicitur à Ioanne, cui subscribit Ambrosius hymno 2. canens: *Verusque Sol illabere, micans nitore perpeti?* An quod præter Christum lux alia vera non sit? At solaris lux vera quidem est: *Solem quis dicere falsum audeat?* Sed vera lux Dei Filius dicitur, eò quòd nihil tenebrarum admittat: sicut dicitur verum aurum, cum extranei metalli nihil admistum habet. Creatura quælibet quantumuis per existentiam, aliasque perfectiones à Deo communicatas in hac rerum vniuersitate luceat; nihilominus semper tenebrarum admistionem habet; cum mutabilis sit. & vnà cum existentia, quam habet, potentialitatem non existendi habeat coniunctam. Secus verò Christus, cui, vt naturali filio diuina essentia ab æterno Patre communicatur, secundùm Diuinitatem in se nullam huiusmodi tenebrarum habet admistionem. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ*, dixit Ioannes. *Res, quæ actus quidem sunt, sed non puri, lucent tantùm, non etiam lux sunt: diuina autem essentia cum actus purus sit, lux est. Vnde de homine sanctissimo dicitur tamen: Non erat ille lux: de Dei autem Verbo: Erat lux vera omnem hominem illuminans*, ait S. Thomas.

(Margin: Christus cur vera lux dicitur. — Virgilius in Georg. — 1. ep. c. 1. — In 2. ad Tim. c. 6.)

3 Præterea Christus Dominus *Lux mundi* dicitur: primò quia, cum per Diuinitatem hominum creator sit, eorum mentibus rationis naturale lumen indit iuxta Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: lumen videlicet rationis naturalis*, ait Bellarminus, & subdit: *habemus in ipsa anima partem inferiorem, qua viuimus, & sentimus; & superiorem, qua ratiocinamur, & sapimus. In hac suprema parte est lumen, quo distinguimur à bestiis, estque hoc lumen deriuatum à vultu Dei, quia id nos facit esse ad imaginem, & similitudinem Dei.* Ad indicandam igitur superiorem animæ partem esse illuminatam, super nos creatoris Dei lumen signatum esse Propheta testatur ex Bellarmino. Quare Augustinus explicans Dei imperium dicentis: *Fiat lux*, cum plura ibi lucis genera distinguat, ait: *Tertium lucis genus in creaturis intelligi potest, quo ratiocinamur. Huic contraria tenebræ sunt, irrationabilitas.* Similiter Cyrillus explicans verba Ioannis: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ait: *Natura hominis à primo statim creationis tempore illuminata, vnà cum esse vim etiam intelligendi ab vnigenita luce, quæ in mundo est, adipiscitur.* Tribuitur autem talis illu-

(Margin: Christus lux mundi ex quadruplici capite. Hic, & sequentibus. — De Genes. ad litteram. — Gen. 1. — Lib. 1. in Io. c. 9.)

minatio Christi personæ, nempe Verbo diuino, tum quia hæc illuminatio, vt ait Cyrillus, *communicatur creaturis*; & quamuis creatio communis sit toti Trinitati; nihilominus de diuino Verbo dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*: tum quia Verbum diuinum per intellectum procedit à Patre: ea quo fit, vt intellectiua illuminatio creaturæ communicata, ipsi diuino Verbo tribuatur: sicuti, quia Spiritus sanctus à Patre, & Filio per volnntatem procedit, fit vt amoris opera sancto Spiritui communiter ttribuamus.

Ioan. 1.

4. Secuodò lux mundi Redemptor dicitur ob supernaturalem veræ fidei illuminationem; per quam Idololatriæ, & Synagogæ Iudaicæ tenebras expulit; infidelitas enim, diuinarumque rerum inscitia mentis tenebræ sunt. Propterea Apostolus cum dixisset: *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras*, subdit: *Quæ pars fideli cum infideli?* Quare iuxta Chrysost. & Augustinum de hac supernaturali illuminatione dixit Ioannes 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Omnem hominem dixit, quia talis lux, quantùm ex se est, omnibus lucet: quòd si actu non illuminet, non ex defectu lucis, sed ex recipientis defectu est, vt ait Chrysostomus. Vel omnem hominem illuminare dicitur; quia nemo est, qui illuminetur, qui non sit ab luce illuminatus, vt ait Augustinus. Solaris lux remoto obiee, sic omnibus lucet, vt non propterea singulis desit. Similiter diuina lux, nisi obex opponatur, sic omnibus se communicat, vt non propterea singulis imminuta communicetur. Ad hoc comprobandum ait S. Paschasius Matth. 22. *Quærendum quid est, quod per singulos dixit: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob; cum posset dicere: Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob? Sicut alio in loco in commune, Deum omnium se dixit esse, cum ait ad Moysen Exodi 3. Vade, & dic Pharaoni: Deus Hebræorum misit me. Cum dicit: Ego sum Deus Abraham ostendit, quia totum habet cum Abraham; & totum habet cum Isaac, & totum Iacob.* Et ideo non dicitur in commune Deus eorum; sed *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*; quia singuli eorum totum habebant Deum.

2. ad Cor. c. 6.

Christus quomodo illuminans omnem hominem dicatur.

Solis, & Christi similitudo.

5. Tertiò ob Euangelicæ legis præcepta, quæ sub humana carne hominibus dedit, Christus Dominus lux mundi dicitur. Quare iuxta Chrysostomum, & Ambrosium Dei Filii aduentus sub humana carne exoptabatur, cum ad æternum Patrem dictum est Psalm. 118. *Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.* Patris facies, diuinus eius filius est, cuius aduentum iusti efflagitabant; vt per eius illuminationem Euangelicæ legis iustificatiu hominibus promulgaretur, ne eadem Euangelica lege, ac de Christo Domino dictum est iuxta Augustinum quæst. 16. in Deuter. cap. 33. *In dextera eius ignea lex.* Ignea Euangelica lex dicitur, quia simul cor incendit, & mentem illuminat. Propterea Euangelicæ legis amator cum Dauide eodem 118. Psalm. dicere benè potest: *Dilexi mandata tua super aurum, & topazion.* Cur præ cæteris gemmis peculiariter topazius nominatur? Epiphanius Cypri Episcopus in opusculo de duodecim gemmis, quæ erant in veste Aaronis, ait: *Topazij gemma cote medica attrita succum reddit ad oculorum morbos apprimè vtilem, si eo illinantur.* Si topazius vim habet illuminandi corporeos oculos; multò magis Euangelica lex illuminandi mentem vim habet: & ideo super topazium est diligenda; cum longè nobilior illuminatio sit mentis, quàm corporis. Hanc nobiliorem mentis illuminationem per Euangelicam legem communicandam spiritu prænoscens dixit Dauid Psalm. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Similiter Salomon: *Mandatum lucerna est, & lex lux.* 6. Prouerb. vers. 23. Vocauit autem vterque mandata omnia diuina lege contenta, sub vnitatis voce, *Præceptum*, seu *Mandatum*; quia omnia sub charitatis præcepto includuntur. *Plenitudo legis, est dilectio*, & *Qui diligit proximum legem impleuit*, ait Apostolus ad Ruman. 13. Et ad Galat. 5. *Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum*: & Matth. 7. *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis, Hæc est enim lex, & Prophetæ. Pluralia*, inquit Augustinus, *reperimus in litteris sanctis, in quibus sola dilectio proximi ad perfectionem præcipi videtur, & taceri de dilectione Dei, cum in vtroque lex pendeat, & Prophetæ. Sed hoc ideo, quia & qui proximum diligit, consequens est, vt ipsam præcipuam dilectionem diligat; Deus autem dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet. Consequens ergo est, vt præcipuè Deum diligat.* Meritò autem dilectionis præcepti, auctor Christus Dominus *lux mundi* dicitur; cum tale præceptum ad mentem illuminandam multum luminis habeat. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat; quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius*, ab Apostolo Ioanne dictum est. *Manifestum est*, inquit Augustinus, *quòd iustitiæ perfectionem in fratris dilectione posuerit. Nam in quo scandalum non est, vtique perfectus est. Et tamen videtur dilectionem Dei tacuisse; quod numquam faceret, nisi quia in ipsa fraterna dilectione vult intelligi Deum. Apertissimè enim in eadem epistola paulò post dicit: Dilectissimi diligamus inuicem; quia dilectio ex Deo est, & omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non cognouit Deum, quia Deus dilectio est.* Benè igitur Dauid diuina omnia præcepta sub vnitate comprehendit, dicens, *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Subdit deinde præcepta omnia diuina, esse *Dulciora super mel & fauum.* Ionathæ melle gustato caligantes oculi illuminati sunt. 1. Reg. 14. *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis; & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* Sed multò magis mentis oculi illuminantur ei, cui cibus est cœlestis Patris voluntatem facere, diuina præcepta seruando; propterea benè ea dicuntur, *Dulciora super mel, & fauum.* Lucis proprietates in Christo egregiè explicat Aignanus. Primò Christus lux mundi est, vt sit peccatorum correctiua; quia *qui malè agit, odit lucem*; venit autem Christus lux in mundum, & in tenebris luxit. Secundò vt sit viatorum directiua, quia *si quis ambulat in die, non offendit; quia lucem huius mundi videt.* Tertiò, vt sit aduersorum lenitiua, idest morborum, & aliarum calamitatum; nec enim gaudium est lumen cœli non videnti, teste Tobia dicente: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Quartò vt sit terrenorum fœcundatiua, iuxta benedictionem datam à Moyse tribui Ioseph: *De benedictione Domini terra eius; de pomis cœli, & rore: de pomis fructuum Solis, ac Lunæ.* Benè ergo ait Ambros. lib. 6. in Hexameron cap. 4. *Omnia habemus in Christo, & omnia Christus est nobis. Si vulnere carere desideras, medicus est: si febribus æstuas,*

Lex diuina cur topazio comparetur.

Topazius oculorum morbo vtilis.

3. tom. de Trinit. c. 8.

1. Ioan. 4.

1. Ioan. 2.

3. tom. 8 de Trinit. c. 9.

Ioan ep. 1. c 4.

Præcepta Domini quomodo dulciora super mel, & fauum.

Lucis proprietates quatuor bene Christo conuenientes.

Ioa. c. 3. 20.

Ioan. c. 11 9.

Tobia c. 5.

Deuter c. 33, 13.

Domini. Vbi regis nomine iustum solis passionibus dominantem intelligit Beda. *Hic vir, & Dominus, qui stat super murum adamantinum,* ait Hieronymus, *habet in manu sua adamantem; qui nisi Dei teneatur manu, & illius valletur auxilio, omnem perdit fortitudinem; dicente Domino in Euangelio: Nemo potest rapere de manu Patris mei.* Naturalis historiæ periti asserunt ad discernendum pretiosum à falso adamante, illum solari luci esse exponendum; vbi si in adamante Iris appareat, verus adamas esse cognoscetur; sin verò in eo Iris nulla relucear, falsus habebitur. Propterea monet Dauid: *Effundite coram illo corda vestra: Accedite ad eum, & illuminamini.* Cum diuinæ luci cor nostrum exponimus, si in eo Iris appareat; Iris scilicet, per quam pax cum Deo, cum proximo, cum propria conscientia significatur; Iris, quæ largissimi lacrymarum imbris sit nuncia, quibus ad pœnitentiam prouocemur: tunc sanè cor nostrum, vt pretiosus adamas habebitur; dignus, qui Dei manu teneatur: *In manu eius adamas: Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Contra verò si talis Iris, si huiusmodi pax in adamante, hoc est in humano corde non repræsentatur; procul abiicietur à Deo iuxta commioationem prolatam Ieremiæ 22. *Viuo ego, dicit Dominus; quia si fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.*

Ioan. 10.
Adamas solis expositus verusne an falsus sit, dignoscitur.
Ps. 61.
Ps. 33.
Sap. 5.

13. Præterea lucis ope suum viatores iter dirigunt. Quare à Domino, dicitur: *Ambulate dum lucem habetis.* Christus Dominus vera mundi lux, iter nostrum ad cœlestem patriam dirigit; ex quo fit, vt idem Dominus, qui dixit: *Ego sum lux mundi,* dixerit etiam: *Ego sum via.* Propterea precabatur Dauid: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam; ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Ex Hieronymo legitur: *Ipsa deducent me, & introducent in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua;* hoc est *In beatæ æterna patria mansiones,* iuxta August. Lotos herba intra aquas nascens ductum solaris lucis sequitur: occidente enim sole omninò inclinata reconditur; surgente verò, se erigens pari mensura solaris itineris normam sequitur: ita, vt cum primò sol oritur, orientem versus lotos propendeat; meridie omninò se erigat; rursus cum sol occasum versus tendit, eodem illa paulatim vergere videatur. Plinius de hac solari herba loquens ait: *Tradunt & scapum ipsum, & florem vespera mergi in medias noctes, totumque abire in altum; ita vt ne demissa quidem manu possit inueniri: verti deinde, paulatimque subrigi, & ad exortum solis emergere extra aquam; ac flores patefacere; atque etiamnum exurgere, vt planè ab aqua absit altè.* Hanc herbam intra Euphratis aquas radicem habere ex Plinio traditur: Euphratem verò è Paradisi fonte manare Moses testatur. Congruum sanè est, vt planta intra aquas è Paradiso manantes nata, erga cœlestem lucem propensionem habeat, eiusque motum sequatur. Piæ fidelium lacrymæ fluentibus è Paradisi fonte aquis similes dicendæ sunt. Chrysostomus: *Quemnam fontem vis comparare cum his lacrymis? Eumne, qui est in Paradiso, qui irrigat vniuersam terram?* D. Petrus Cellensis de piis lacrymis ait: *Aqua hæc ante faciem, aut inuenit Paradisum.* Suis fidelibus ergo, qui piè flentes, huiusmodi aquis sæpius perfunduntur, Dominus ait: *Ego sum lux mundi;* vt benè noscant talibus perfusi aquis, erga quam lucem propensionem habere debeant; cuius luminis ductu in hoc

Ioan. 12. 35
Ioan. 14.
Ps. 42.
Lotos herba in Euphrate nascens solis ductum sequitur.
Plinius lib. 13. c. 18.
Gen. 2.
Lacrymæ Paradisi aquis comparantur.
Hom. 12. in ep. ad Coloss.
Li. de panib. c. 12.

A B C D E

mortalis vitæ cursu sequi debeant. Quare, vt significet se lucem esse ad dirigendum fidelium iter, subdit Dominus: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: Sequitur Christum, qui præceptis eius insistit; qui per magisterij eius viam graditur; qui vestigia eius, atque itinera sectatur; qui id, quod Christus & fecit, & docuit, imitatur,* ait Cyprianus libro de zelo, & liuore.

14. Compedes, quibus vsus est Deus ad peccatores vinciendos, ne loco moueri possent, tenebræ sunt. Exodi 10. *Extendit Moyses manum in cœlum, & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus; nemo vidit fratrem suum; nec mouit se de loco suo.* De his Sap. 17. dicitur: *Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis iacuerunt.* Similiter peccatorum tenebris veluti compedibus vinctum genus humanum, è Satanæ seruitute discedere, & viam salutis ingredi nequibat: quare ad huiusmodi tenebrarum compedes dissoluendas Christus Dominus aduenit, iisque, qui tenebrarum vincula solui cupiunt, ait: *Ego sum lux mundi.* Propterea vaticinatus est Dauid: *Dominus de cœlo in terram aspexit, vt audiret gemitus compeditorum. Dominus soluit compeditos; Dominus illuminat cæcos.* Et Zacharias: *Visitauit nos oriens ex alto, illuminare* (idest ad illuminandum, ad lucem offerendam) *his, qui in tenebris & vmbra mortis sedent.* Mors æternam damnationem; mortis autem vmbra peccatum significat: peccatum enim æternæ damnationis velut vmbra, & imago est. Ita explicat Hieronymus illud Isaiæ 9. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Inter mortem, & vmbram mortis hoc esse puto, quòd mors eorum est, qui cum operibus mortis ad inferos perrexerunt: Vmbra autem mortis eorum est, qui cum peccent, nec dum de vita ista egressi sunt,* ait Hieronymus.

Tenebræ ad peccatores vinciendos compedes sunt.
Ps. 101.
Ps. 145.
Lucæ c. 1.
Mors damnationem, mortis vmbra peccatum significat.

15. Congregentur pœnæ omnes, cruciatus, morbi, ærumnæ, & molestissimi cordis stimuli, quos ob sua scelera in hac mortali vita peccator sustinet. Obuersentur animo Caini perpetuus tremor; Sodomorum incendium; Saulis dæmoniaci furiæ, Iezabelis præcipitium, & in eam equorum vngulis conculcatio, canumque dentibus dilaceratio: Amani cum decem filiis suspendium. Antiochi dirus viscerum dolor; corporis collisio; vermium scaturigo; intolerabilis sibi, aliisque fœtor: Herodis horribilis toto corpore prurigo, & scaturientibus vermibus dira cortosio: Iudæ proditoris cruciatus, & agonia; cum *suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.* His adde, quæ in populum præuaricantem simul omnes comminatur: *Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium. Foris vastabit eos gladius, & intus pauor; iuuenem simul, ac virginem; lactentem cum homine sene.* Hæc omnia peccator sciat veluti vmbram esse; si æternis Gehennæ pœnis comparentur; vbi non vmbra, sed realitas pœnarum est.

Pœnæ omnes pœnis inferni cōparatæ, velut vmbra pœnarum sunt.
Gen. 4.
Gen. 19.
1. Reg. 16. 19.
4 Reg. 9.
Esther. 7. 9.
2. Machab. 9.
Ioseph. l. 1 de bello Iudaico sub fin.
Act. 1.
Deut. 32. 24.

16. Materialem solem marinis aquis enutriri ethnica philosophia, falsà quidem sententia censuit: *Cum sol igneus sit, Oceani alitur humoribus,* Cleanthes ait: At Christus Dominus diuina mundi lux, iustitiæ Sol, non salsas Oceani aquas; sed contriti cordis lacrymas sibi libenter absumit. Proinde pœnitens Dauid dixit: *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Vbi ex Symmacho legimus: *Posuisti lacrymas meas intra te.* Ob peccatorum

Tull. 2. de nat. Deor.
Christus Dominus pœnitentis lacrymas sitit.
Psal. 55.
Thr. 3.

pœnitentiam vberrimè lacrymanti benè cum Ieremia dici potest: *Magna est velut mare contritio tua*: huiusmodi maris aquæ tam iucundę Christo Domino sunt; vt benè de illo vsurpari possit illud ex Deut. 33. *Inundationem maris, quasi lac suget.*

Lib. 8. c. 1. Elephantes postquam se abluerint, nouam lunā salutare videntur.

17. Apud Plinium de elephantibus propè Amilum flumen refertur, *Nitescente luna noua, greges eorum descendere, ibique se purificantes solemniter aqua circumspergi; atque ita salutato sidere insylvas reuerti.* Si hoc rationis expertibus belluis à natura inditum est, vt cœleste lumen intueri, & venerari non audeant; nisi prius aquâ corporis sordes abluant: quantò magis homines, dicente Domino: *Ego sum lux mundi*; hortante propheta: *Accedite ad eum, & illuminamini*; antequam ad diuinæ lucis saluberrimum aspectum accedant, animæ sordes abluere debent? At quo lauacro, quibus aquis peccatorum immunditiës est abluenda? Pœnitentiæ, lacrymis respondet Chrys. in Gen. hom. 21. *Sicut faciem corporis tui quotidie abluis; ne qua forte macula faciei inhæreat, fœda appareat; sic & animæ curam habe, quotidie lacrymis eam abluens: hac enim aqua macula deponuntur.* Idem Chrysostomus in Psal. 50. *Spongia peccatorum tuorum lacrymæ sunt; effunde lacrymas, & poteris ea delere.* Propterea Bernard. ait: *Humanum cor lacrymas nesciens, non modo durum, sed & impurum esse necesse est.*

Psal. 33. Peccati sordes lacrymis sunt abluendæ.

Ser. de vanitate fallacis præsentis vitæ.

B

18. Elephantes adeo lunaris lucis amantes gemino corde præditus esse testatur Ælianus. Nobis similiter, quorum amor Christus Dominus diuina mundi lux esse debet, plora corda exoptanda forent, vt ea omnia erga diuinæ lucis amorem adhiberentur. Propterea Psal. 61. vbi Hieronymus legit ex originali Hebræo: *Effundite coram illo cor vestrum*: vulgata lectio habet: *Effundite coram illo corda vestra.* Effusio propria liquorum est; tunc coram diuina luce corda effundimus; cum ea in pœnitentiæ lacrymas eliquamus.

C

Cor coram Deo quomodo effundi debet.

19. Ad duplex munus exercendum oculi hominibus dati sunt; ad videndum scilicet, & ad flendū: cum nascitur homo vtroque munere oculus fungitur; simul enim & luci, & lacrymis oculi aperiuntur; ita vt misera hominum natura, quasi lacrymarum pretio lucem sibi emere videatur. Multò magis ad diuinam lucem intuendam pœnitentiæ lacrymis indigemus. Benè id testatur Bernardus: *Purgatur lacrimis oculus ante caligans, & acuitur visus, vt intendere possit in serenissimi luminis claritatem.* Quare Magdalena cum oculos nondum lacrymis purgasset; in diuinam Redemptoris lucem obtutum intendere non est ausa; sed ad Domini pedes prouoluta retro stetisse dicitur Luc. 7.

D

Lacrymis purgandus est oculus, vt diuinam lucem intueatur.

Ser. de conuersat. ad Clericos. c. 19.

Magdalena cur retro ad Domini pedes stetit.

20. Vestimentorum commutatio inter amicos eximij amoris argumentum est. Primò Reg. c. 18. *Inierunt Dauid, & Ionathas fœdus; diligebat enim eum quasi animam suam: nam expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua.* Similiter ad significandum inter Deum, & hominem fœdus, & amicitiam, vestium commutatio intercessit. De diuino verbo sub humanæ carnis operimento mysticè dixit æternus Pater: *Cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantia obuoluerem.* Æterno Verbo mortalem carnem humana natura dedit, quæ veluti obscuranubes fuit, Diuinitatis claritatem obuoluens: hoc igitur modo Deus humanas vestes sibi assumpsit. Sed ad mutuæ amicitiæ argumentum Dei vestis hominibus oblata est. De Deo enim dicitur, *Amictus lumine sicut vestimento.* Vt huiusmodi amictu induamur, Christus Dominus ait: *Ego sum lux mundi*: subditque Dauid: *Accedite ad eum, & illuminamini*: & Apostolus: *Induamur arma lucis.* Ex Græco autographo legimus, *Induamur vestimenta lucis. Qui maior honor potuit hominis esse; quàm, vt eiusdem vestitum vestibus ornaretur, quibus & conditor?* ait Ambrosius l. de dignitate humanæ conditionis c. 3.

E

Vestimentorum commutatio inter amicos amoris indicium: hoc inter Deum, hominemque intercessit.

Iob. 38

A

Psal. 103.

Psal. 33.

Ad Rom. 13. Græcè arma ὅπλα dicuntur, quæ non solum pugnandi instrumenta, sed etiā vestes significantur.

21. Dauid Psal. 45. cum prophetico spiritu Redemptoris aduentum sub humana carne præuideret, exultans ait: *Deus virtutum nobiscum; susceptor noster Deus Iacob. Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Si à Propheta quæratur quænam sint ista prodigia? Subdit: *Arcum conteret, & confringet arma.* Verè hoc prodigium est; cum ipse Redemptor testetur, *Non veni pacem mittere.* Si igitur ad inferendum bellum venturus erat, cur *Arcum conteret, & confringet arma?* Materialis solis radios Ambrosius sagittas vocat: *Caligo terræ scinditur, percussa solis spiculo. Terris dies illabitur, lucis refulsit spiculum.* Similiter Ethnicus dixit *Lucida tela diei.* Habet igitur materialis sol pro sagittis suos radios ad noctem debellandam. Multò magis Christus Dominus mundi lux, iustitiæ sol, suos radios veluti sagittas ad diabolum principem tenebrarum debellandum assumit. Alia igitur arma reiiciet: *Arcum conteret, & confringet arma*: sua tamen luce irradians aduersus satanam, aduersus vitiorum caliginem pugnare benè potest Redemptor noster; hostesque humani generis expugnare. Quare cum à Dauide Psal. 44. Christo dicitur: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*: iuxta Tertull. contra Marc. lib 3. c. 17. ad indicandum quinam sit iste gladius subditur: *Specie tua, & pulchritudine tua*: ita vt clarissima eius species, & pulchritudo, eiusdem esse arma significetur. Id prophetico spiritu prænoscens Dauid, dixit: *Confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum: illuminans tu à montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde.* Dicamus igitur Duci nostro, ac luci, victoriæ iam securi: *In luce sagittarum tuarum ibimus; in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Ex eadem nube, quæ sub luminosæ columnę figura Israëlitas ad promissionis terram ducebat, fulgora, & fulmina prodibant, quæ hostes terrentia ictibus prosternebant. Nubes illa iuxta August. in Psal. 77. Christum Dominum præfigurauit; *Cum terrorem peccatoribus inferat, atque supplicia; iustis autem credentibus splendore rutilet, & lumine, & fulgore sit plenus*, vt ait Hieronymus in Exech. c. 1.

Matth. 10.

in hymnis.

Lucretius

Dei arma contra tenebrarū principem dulcia eius sunt lux.

Psal 75.

Habacuc 3.

Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de teipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum. Respondit Iesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso; verum est testimonium meum; quia scio vnde veni, & quò vado.

22. Testimonium potest non esse verum; atque adeo rationabiliter ab audientibus non acceptari ex duplici capite; scilicet vel ex ignorantia intellectus; vel ex malitia voluntatis ipsius testificantis. Ex ignorantia intellectus testificans decipitur; ex malitia voluntatis testificans decipere vult. Ad hoc igitur, vt testimonium aliquod verum sit, & vt tale ab aliis credatur; testificans neque falli, neque fallere debet. Testimonium, quod de se protulit Dominus, verum esse probat, quod ad primùm caput

Testimonium Christi de seipso verax habendum ex duplici capite.

put spectat; nempe quòd ipse non decipiatur, dicens: *Verum est testimonium meum; quia scio, unde veni, & quò vado*, hoc est, scio me à Deo Patre missum ad humani generis redemptionem. Dominum autem falli circa hanc sui notitiam existimare Iudæi non debebant; cum experti essent neque circa occultas ipsorum cogitationes Dominum decipi; sed eas illi quod Dei proprium est, satis perspectas esse cognouissent. Vt Matth. 9. *Ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et hoc ipso capite Ioannis 8. cum à Scribis, & Pharisæis accusaretur adultera: *Iesus inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* Vbi scribendo charactéres aliquos efformasse Dominum quibus accusatores ipsorum peccata illi manifesta esse cognoscerent, censet Hieronymus. Quare Sap. 2. Domini calumniatores de eo dicere inducuntur: *Promittit*, idest profitetur, *se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum*: hoc est, nos redarguit; cogitationes, & consilia nostra cognoscit, eaque damnat. Hinc autem verè, non per fictionem dicere Redẽptori Iudæi debebant: *Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Porrò; quod testimonium suum verum sit, eo quòd alios fallere nolit, probat Christus Dominus verbis infra explicandis: *Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso; & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Sicut enim æterni Patris de Christo testimonium in Iordane palàm prolatum, & miraculis postea plurimis confirmatum fallax esse non poterat; ita neque ipsius Christi testimonium paterno omnino concors, fallax iudicandum erat.

Hieronimus lib. 2. contra Pelag.

Vos secundùm carnem iudicatis.

Pharisæi cur praui iudices.

Iudicare secundùm carnem tripliciter sumitur. Hic, & sequentibus.

lib. 6 in primum Reg.

23. QVi erga seipsum malè, & stultè se gerit, alios rectè iudicandi facultatem non habet. Qui igitur secundùm carnem iudicat, sibi ipsi iniurius est; cum nobilissimam rationalem animæ facultatem inferioribus sensibus subiiciat, teste Gregorio, qui ait: *Caro homo efficitur, quando sensui carnis ratio subiugatur.* Hinc Pharisæi secundùm carnem iudicantes, hoc est secundùm rationem sensibus subiectam, erga seipsos dementes, & iniusti esse: atque adeo praui etiam de aliis iudices esse significantur. Non enim benè de candore iudicarent, qui oculos nigris perspicillis subiicerent.

Caro externam speciem significat.

in Matth. 16.

Ibidem.

24. Secundò caro externam speciem significat: ita Apostolus 2. ad Cor. 5. ait: *Nos neminem nouimus secundùm carnem:* hoc est, quod aliquis nobilis, potens, diues videatur: hæc omnia nihili æstimauimus, & veluti ea non gessimus. Iudæi ergo dicuntur secundùm carnem iudicare: eo quod externis istis motiuis ducerentur ad iudicandum. Hinc Matth. 13. v. 55. de Christo dicebant: *Nonne hic est fabri filius? filium hominis contemplatio corporis preferebat*, ait S. Hilarius. Hinc & à Domino dicitur Ioann. 7. *Nolite iudicare secundùm faciem.* Quare idem S. Hilarius loquens de confessione Petri Apostoli: *Tu es Christus filius Dei viui*, ait: *Beatus hic est, qui vltra humanos oculos intendisse, & vidisse laudatus est: non id, quod ex carne, & sanguine erat, contuens, sed Dei filium cœlestis Patris reuelatione conspiciens.*

Caro pro concupiscentia sumitur.

25. Tertiò Caro pro concupiscentia accipitur: hinc ad Gal. 5. dicitur: *Caro concupiscit aduersus carnem.* Dicitur autem caro concupiscentia: quia licèt caro, vt ait Cyprianus, *non sit dictatrix peccati, nec inuentrix malitiæ*: nihilominus concupiscibilis potentiæ, quæ in anima est, motus, & effectus, iuuat, & fouet sanguinis efferuescentia: qua ira, & libido excitatur, & fouetur. Sicut faber solidum aliquod instrumentum fictili malleo supra fictilem incudem efformare non potest: sic solidum, & iustum iudicium in carnis, & concupiscentiæ officina humana mens formare nequit: cum in ea terreum malleum, terreamque incudem habeat, non ferream. *Corpore*, inquit Cyprianus, *sic vtitur anima, sicut faber malleo, vel incude; in qua format omnium turpitudinum idola, & fabricãtur qualibet quarumcumque voluptatum simulachra.* Iudæi ergo iustum, & solidum iudicium formare nequibant; cum secundùm carnem, hoc est secundùm prauos concupiscentiæ affectus iudicarent. Hinc Christum Dominum, & verum Messiam cognoscere, eumque vt talem venerari recusabant; eò quòd prauos illorum mores verbis, & exemplo redargueret.

In prol. tract. de Cardin. oper.

supra.

Lib. 17. de Ciu. c. 10. De Ioseph c. 3. in Ps. 35.

Lib 2. contra Iudæos c. 14.

26. Quare iuxta Augustinum, Ambrosium, Cyprianum, & alios Sap 2. ita de Christo Iudæi loqui inducũtur. *Circumueniamus iustum, quia inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris; & improperat nobis peccata legis; & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Subdunt præterea: *Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo; & abstinet se à vijs nostris, tamquam ab immunditijs; & præfert nouissima iustorum; & gloriatur patrem se habere Deum.* Vbi Iudæi de Christo dicentes: *Inutilis est nobis*, non mentiebantur: vtile enim medium est ad finem; ad eorum autem finem, nempe ad auaritiã, & ad male viuendi libertatem, planè inutilis, immo valdè impediens Dominus erat; quare per figuram, quæ diminutionis figura dicitur, Christum inutilem sibi dicunt, hoc est sibi valde aduersum: sicut Busiridem Maro illaudatum, hoc est valde vituperabilem dixit. Cæterùm Redemptorem Iudæi omnibus in bonũ valde vtilem sunt experti: cum nec eius saliua beneficentiæ esset expers: Ioa. 9. *Exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo*; ex quo cæcus natus illuminatus est. Nec Domini digiti beneficentia vacarunt: Marci 7. vers. 33 de surdo, & muto. *Misit digitos suos in auriculas eius, & exspuens tetigit linguam eius. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius.* Ipsæ Domini lacrymæ, vt à Ierosolyma corruptionem arcerent, veluti probatissima myrrha effundebantur: Lucæ 19. *Videns ciuitatem fleuit super illam.* Ipsa Domini fimbria ad benefaciendum protendebatur: Matthæi. 9. *Mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Et salua facta est mulier ex illa hora.* Verè tunc dici potuit Redemptoris beneficentia esse *sicut vnguentum, quod descendit in oram vestimenti eius.* Ps. 132.

Christus quomodo Iudæis inutilis.

Figura diminutionis.

Maro in Georg.

Christus se toto beneficus.

In Matth. cap 9.

Sapient. c. 2.

lib. 7. Confess. c. 16.

Hom 9. ad populum.

Peccatores quare iustos auersentur.

Neronis sæuitia.

27. De Redemptore Hieronymus ait: *Certè fulgor ipse, & maiestas Diuinitatis occulta, quæ etiam in humana specie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu:* Cur igitur Iudæi aiunt: *Grauis est nobis etiam ad videndum?* Quia, vt ait Augustinus, *est oculis ægris odiosa lux.* Quia, vt ait Chrysostomus, *Sanctorum non tantùm verba, sed & ipsi aspectus spiritali gratia pleni sunt: et surgat ergo non solùm cum promit vocem, sed etiam cum videtur, grauis est peccatori.* Expertus hoc est crudelissimus tyrannus Nero, qui cum Thraseæ

optimi senatoris speciem ferre non posset, de medio illum sustulit, teste Tacito. A

Corn. Tacitus 16. Annal. *Metaphrast. apud Surium 7. Ianuarij* *Luciani Martyris aspectus, & congressus Maximiano timori erant, incutiebant.*

28. Luciani Martyris modestia tanta fuit, eáque ita redarguebat ethnicam superstitionem, vt eius inspecta facie timerent sibi ethnici, ne Christiani fierent: ita vt propterea, ne tale quid sibi accideret, iusserit Maximianus Lucianum ad se adduci velo interiecto; cumque procul, & per alium intermedium alloqui voluerit. Timorem potentissimo tyranno sanctissimi viri aspectus, habitus, & vox incutiebat. *Erat*, inquit Metaphrastes, *in vultu eius mirabilis quidam splendor, ita vt clarissimum pietatis, virtutisque maximum specimen, quod ex illius facie elucebat, omnium animas incredibiliter ad se alliceret. Hinc ipse tyrannus, ne tanta sermonis eius suauitate, vultusque splendore vis impietatis eius frangeretur, congressum eius formidabat; adeo vt non nisi interiecto velo, & intermedio sermonis ministro, verba eius exciperet.* Verè tunc Maximianus *velamen habere malitiæ*, voluit: Gloriosius fuit velamen hoc Luciano; quàm Mosi velamen fuerit; de quo dicitur: *Impletis sermonibus, posuit velamen super faciem suam: ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius.* Splendorem illum Mosis facies contraxerat, eò quod à Domino in tabulis lapideis timoris legem accepisset: Luciani facies Christianæ modestiæ lucem præ se ferebat; eò quod ore, & corde Euangelicam amoris legem mirificè impressam haberet. *Ad quam comparata Mosis gloria in tantum inferior est, vt nec gloria quidem sit*, ait Chrysostomus hom. 7. in 2. ad Cor in 2. B C

In compendio Lippoloi 7 Ianuarij. Prima Petri 2. Exodi 34. v. 33. *2. ad Cor. 3.*

Ego non iudico quemquam; & si ego iudico, iudicium meum verum est; quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.

29. NEgat se Dominus quemquam iudicare, iniquè scilicet Pharisaïco more, sensuum ductu, prauaque concupiscentiæ suggestione; denique non ex proprio sensu, sed ex interna immissa diuinitus illustratione. Simili negatiuo dicendi modo vsus est Dominus Ioann. 7. dicens: *Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendam*, scilicet manifestè, sicut vos ascendetis. Nam postea de Domino subditur: *Tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.* Simili ergo modo cum Dominus ait: *Ego non iudico quemquam*, subintelligendum est *secundùm carnem*, quomodo vos Pharisæi iudicatis. Quare de Redemptore vaticinans Isaias dixit c. 11. 3. *Non secundùm visionem oculorum iudicabit; neque secundùm auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes; & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Hoc est, non in homines secundùm externam speciem, & apparentiam, neque secundùm aliorum opinionem, & relationem, cum hæ sæpè fallaces sint, iudicium feret. Nam benè de Domino testatus est Ioann. c. 2. 25. *Opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.* Propterea de Domino etiam dicitur Sap. 5. *Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum* seu ex Græco, *iudicium sincerum; & sumet scutum inexpugnabile æquitatem.* D E

Christus quomodo se neminẽ iudicare dixerit. Hic & n. 30. 31. 35. 36.

Iudicare interdum condẽnare significat.

30. Iudicare, iuxta Hebræum idioma, condemnare significat. Matth. 5. v. 22. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*, hoc est damnatione. Prima ad Corin. 11. v. 31. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique diiudicaremur*: Et ad Hebr. 13. *Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus.* Quare quod iudicare condemnare significet, iudicare opponitur saluare. Matth. 5. *Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum; sed vt saluetur mundus per ipsum.* Iuxta hunc sensum ait hic Dominus: *Ego non iudico quemquam.* Damnandi enim potestatem exercere nolens in primo aduentu sub carne passibili, id in secundum aduentum Dominus distulit. Neque obstat quod Augustinus de Christo dixerit: *Venit damnare mundi malitiam.* Non enim in primo aduentu irreuocabilem contra peccatores sententiam protulit; sed Euangelicam legem promulgauit; per quam præuaricantium malitia damnabilis ostendebatur. A *Ser. de Innocentibus.*

31. Præterea iudicare non solùm sententiam ferre; sed etiam testimonium proferre significat. Quod confirmari benè potest ex illo Isaiæ 55. Vbi de Christo æternus Pater ait: *Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus.* Vbi sacri interpretes, testem, hoc est iudicem, & principem interpretantur. Similiter Deut. 32. dicitur: *Inimici nostri sunt iudices*, hoc est testes. Ps. 118. & alibi mandata Dei, interdum iudicia, interdum testimonia dicuntur. Apud Hebræos autem iudex dicitur testis; eò quòd facto examine, & causæ discussione, absoluendo, vel damnando de rei veritate testimonium proferat. Dicentibus ergo Iudæis: *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*: respondet Dominus: *Ego non iudico quemquam*, hoc est, de nemine testificor. Confirmatur hæc explicatio ex eo quod subditur: *Et si iudico, iudicium meum verum est; quia solus non sum; sed ego, & qui misit me Pater.* Non enim iudices, vt iudicium pro vero; sed testes, vt testimonium pro legitimo habeatur, plures esse necesse est. Quare subditur: *In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.* B C *Iudicare etiam testimoniũ proferre significat.* *Cornel. ibi. Ioan. Abba electus cap. 101.*

32. Contra hanc interpretationem opponitur, quod Dominus hîc concesserit de seipso dicere testimonium: *Et si ego de meipso testimonium perhibeo, testimonium meum verum est.* Respondet Maldonatus hisce vltimis verbis Dominum non absolutè affirmasse de se ipso præbere testimoniũ; sed tantùm conditionatè; nempe si testimonium præberet, illud verum esse. Loquendo autem absolutè, anteà negauerat de se proferre testimonium, nempe c. 5. v. 31. & 32. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum; alius est, qui testimonium perhibet de me.* Respondet 2. Maldonatus: Cum Dominus ait: *Ego non iudico quemquam*, intelligi quemquam alium: quamuis enim supra de seipso testimonium protulerit; in alios tamen testimonium non proferebat, iuxta illud, quod c. 5. v. 45. dixerat: *Nolite putare, quòd ego accusaturus sim vos apud Patrem; est, qui accusat vos Moyses, in quo speratis.* Quod si hæc verba intelligantur de secundo aduentu; multò magis de primo aduentu intelligi debent. Hæ responsiones non satisfaciunt. Primò, quia paulò ante absolutè de se Dominus testimonium protulerat dicẽs: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Quod alibi etiam fecisse reperitur: vt Ioa. 10. *Ego sum pastor bonus.* & Ioa. 14. *Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Præterea hîc etiam ait: *Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso.* D E

33. Secundò de aliis etiam testimonium protulit, cum scilicet obiurgando Pharisæos Matth. 12. dixit: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* Matth. 23. *Reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem.* Ibidem Iudæos *hypocritas, & sepulchra dealbata* appellauit. Ioa. 7. ait: *Nonne Moyses dedit vobis legem, &*

nemo ex vobis facit legem? Et clarius ibidem: *Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt.* Quod si Ioann. 5. dixit: *Nolite putare, quod ego accusaturus sum vos apud Patrem; est, qui accusat vos Moyses, in quo speratis:* id intelligendum est iuxta Hebraïcum idioma; in quo cum negatione intelligitur particola solùm, seù dumtaxat, vt Marci 9. *Quicumque me susceperit, non me suscipit; sed eum, qui misit me.* Matth. 10. *Non vos estis, qui loquimini; sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis:* hoc est, non vos tantùm estis, qui loquimini. Et clarius primæ ad Cor. 15. *Abundantius illis omnibus laboraui; non ego autem, sed gratia Dei mecum:* hoc est, non ego solus. Quod si horum verborum talis sensus non esset; iuxta Catholicam veritatem non possemus arguere contra Lutherum, & Caluinum falsò asserentes in supernaturalibus operibus solùm Deum omnia in nobis operari; nec ei liberum hominis arbitrium cooperari. Quare Bernardus ait: *Paulus, inquit, Non ego, sed gratia Dei mecum; præsumens se non solùm operis esse ministrum per effectum; sed & operantis quodammodo socium per consensum. Denique & Paulus de se pronunciat: Dei adiutores sumus: bene promeritores regni nos esse præsumimus; quòd per consensum vtique voluntarium diuinæ voluntati coniungimur.* Ioannis igitur 5. Dominus ait: *Nolite putare, quod ego accusaturus sum vos apud Patrem; est, qui accusat vos Moyses.* Non quòd accusaturus non sit; sed quòd non solus, sed etiam Moyses. Christi autem Domini accusatio in peccatores habetur ex eiusdem verbis Matthæi 10. vers. 32. & 33. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.*

[Particola negatiua interdú pro non solùm sumitur.]

[lib. de gratia, & libero arbitrio sub finem.]

[1. ad Cor. 3.]

34. Præterea iuxta sanctos Patres, sacrosque interpretes, præcipuè sanctum Augustinum, S. Thomam, & Eusebium, temerarium esset negare psalmum vigesimum primum de Christo non intelligi. Quare in Concilio Romano sub Vigilio damnatus est Theodorus Mopsuestenus, quòd hunc psalmum ad litteram de Dauide tantùm exponeret. Rabbi Salomon asserit Messiam sua in passione pronunciaturum hunc psalmum. Hoc autem in psalmo Redemptor Patrem alloquens Iudæorum sæuitiem accusat dicens: *Deus Deus meus, respice in me. Omnes videntes me, deriserunt me; Locuti sunt labijs, & mouerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens, & rugiens. Circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me: foderunt manus meas, & pedes meos; dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Neque dicas, huiusmodi sententias poëticè scriptas esse à Dauide: sacra enim poësis à profana longè differt; cum sententia nulla, quæ alicui verè tribui non potest, non tribuatur.

35 Dicendum est igitur, cum Dominus ait: *Ego non iudico quemquam*, genuinum sensum esse supra allatum, scilicet: *Ego non iudico quemquam*, sicut vos Pharisæi iudicatis; scilicet secundùm carnem; hoc est, non iudico secundùm externum, & visibilem carnis aspectum: neque iudico secundùm carnem meam, tamquam purus homo, & ex humano instinctu, sine diuinitatis directione. Illud enim *secundùm carnem* Chrysostomus explicat de carne aliorum, Ammonius verò, Leontius, Augustinus, Theophylactus, & Euthymius intelligunt Christum de propria carne loqui. Quòd autem allatus sensus verus sit, patet tum ex eo, quòd cap. 5. Dominus dixit: *Sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est:* tum ex eo, quòd hoc cap. 8. subdit: *Solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.* Propterea ait Helias Cretensis: *Cum dicitur non posse filium quidquam ex seipso facere; non hoc libertatis ipsius est euersio; non potestatis ademptio: sed concordiæ demonstratio, & testimonium consensus, adeoque propinquitatis accuratæ, ac naturæ nullum discrimen habentis iudicium.* Subdit deinde: *Quæ ab ipso dicuntur humilius, ea de opificio corporeo profert. Quò referendum & illud est: Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Item hoc: Ego neminem iudico. Item: Non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo. Neminem iudicare seruator dicitur haud alia ratione quàm humanæ naturæ.* Secundùm allatam interpretationem intelligenda sunt etiam verba Ioann. 5. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso; testimonium meum non est verum.* Vbi intelligendum esse *A me ipso*, docet Caietanus. Cum enim ibi dixisset: *Non possum ego à me ipso facere quidquam;* inde per illationem infert: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Contra verò hoc c. 8. testimonium suum verum esse Dominus affirmauit; cum illud non à seipso tantùm, sed vnà cum Patre proferret, dicens: *Solus non sum; sed ego, & qui misit me Pater.*

[In or. 4. Naz. in de Theologia, quarta de Filio.]

[Ioan. c. 14. 10.]

[Matth. 20. 23.]

[Caietanus Ientac. 10. quæst. 1.]

36. Præterea cum Dominus ait: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum;* sensus esse potest: Si ego ore tantùm testimonium de me proferrem, & illud operibus, & miraculis non comprobarem: testimonium meum non esset verum; hoc est fide dignum, & acceptandum tamquam verum, vt explicat Athanasius. *Per miracula Christus Dominus Redemptor noster oculis se voluit reuelare mortalium: quatenus inuisibilis eius Diuinitas, quæ latebat in homine, in opere non lateret*, ait S. Maximus. Propterea Ioann. 5. Dominus dixit: *Ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Quare cum Dominus ait: *Ego non iudico quemquam: hoc eò dicitur: quòd opera cuiusque sua iudicant ipsum*, ait Elias Cretensis. Quasi Dominus dicat: Ego, scilicet solus, non iudico quemquam, neque solus de aliquo testor: cum iusti, & peccatoris opera de ipso iusto, & peccatore testentur, & iudicent.

[Athanasius or. 1. contra Sabellianos.]

[Maximus Hom. 1. de Epiph.]

[supra.]

Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso; & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.

37. DEuteron. 17. vers. 6. dicitur: *In ore duorum, vel trium testium peribit, qui occidetur:* & 19. vers. 15. *In ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum.* Vt lex legitimè seruetur, distinctio esse debet inter testificantem, & eum, de quo testimonium profertur, *non enim, qui seipsum commendat, ille probatus est*, Apostolus ait: Hæc distinctio reperiebatur in Christo testimonium perhibente de se

[Epist. 2. ad Cor. 10.]

ipsi : nam cum in eo humanæ naturæ diuina Verbi persona esset vnita ; de humana natura, persona diuina testimonium perhibebat ; ostendebatque per opera, & miracula diuinitus facta sub humana natura Diuinitatem latere. Propterea dixit : *Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Præter diuinam Christi personam operibus testificantem ; testimonium etiam æterni Patris erat. Quæritur autem quando, & quomodo testimonium æternus Pater de Christo perhibuit ? Respondetur primò æternum Patrem testimonium de Christo perhibuisse per Prophetas, & per plurima veteris Testamenti testimonia ; quibus si attendissent Iudæi, sine dubio Christo, vt Dei Filio credidissent. Propterea Ioann. 5 Dominus dixit : *Scrutamini scripturas ; illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.*

Ioannis c. 5 36.

Æterni Patris de Christo testimonia. Hic, & sequentibus.

38. Propterea Petrus Apostolus Act. 3. suadens Iudæis Christi aduentum ait : *Locutus est Deus per os sanctorum suorum à sæculo Prophetarum. Moyses quidem dixit : Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tamquam me : ipsum audietis iuxta omnia, quæcumque locutus fuerit vobis. Erit autem, omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur à plebe.* Quod vaticinium non nisi de Christo intelligi posse latè probat Augustinus contra Faustum Manichæum lib. 16. cap. 15. Præterea quod Christus à Mose prædictus sit, fusè probat Cyrill. Alex. tom 3. l. 8. Expressum insuper de Christo vaticinium, ex quo Messiam aduenisse, credere poterant Iudæi, fuit illud Iacob, Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius : donec veniat, qui mittendus est : vsque dum veniat Messias*, legunt Onkelus, & Pagninus. Quare Augustinus 18. de Ciuit. c. 45. de Iudæis ait : *Herodem regem habere meruerunt : quo regnante natus est Christus. Iam enim venerat plenitudo temporis significata prophetico spiritu per os Patriarchæ Iacob, vbi ait : Non deficiet Princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat, cui repositum est, & ipse expectatio gentium. Non ergo defuit Iudæorum Princeps ex Iudæis, vsque ad istum Herodem, quem primum acceperunt alienigenam regem. Fieri autem non posset, vt expectarent gentes eum venturum : sicut eum cernimus expectari, vt veniat ad faciendum iudicium in claritate potentiæ : nisi priùs in eum crederent, cum venit ad patiendum iudicium in humilitate patientiæ.* Quod Iudæorum regnum sub Herode defecerit, fusè probat Cyrillus Alex. tom. 3. l. 8.

39. Improbat modo allato explicandum esse testimonium Patris de Christo Toletus : quia testimonium per sacras litteras prolatum non magis est Patris, quàm Filii, & Spiritus sancti, *qui locutus est per Prophetas.* Sed contra est, quia quamuis id verum sit : nihilominus tale testimonium per Prophetas particulariter æterno Patri tribuit Apostolus dicens : *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis ; nouissime diebus istis locutus est nobis in filio.* Tribuitur autem peculiariter tale testimonium æterno Patri, vt distinguatur mittens à misso, & loquens ab eo, de quo loquitur.

In symbolo Apost.

Ad Hebr. cap. 1.

40. Secundò Hilarius lib. 9. de Trin. August. tract. 23. Cyrillus lib. 3. cap 2. docent testimonium perhibuisse æternum Patrem de Christo per eadem opera diuinitus facta ab eodem Christo ; vnà enim cum filio Pater miracula operabatur. Quodquidem multiplici sententia Christus indicauit Ioann. 5. *Quæcumque ille fecit, hæc & filius similiter facit. Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat ; sic & filius quos vult, viuificat. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Vbi Athanasius notat indiuisam Patris, & filij operationem in his verbis significari. Quod etiam docet, Cyrillus in Ioann. lib. 2. c. 133.

41. Tertiò Chrysostomus hom. 39. & Euthymius Patris testimonium, de quo hîc dicitur, illud esse volunt, quod baptizato Christo propè Iordanem æternus Pater protulit : Matth. 3. *Baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua : & ecce aperti sunt cæli ; & vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, & venientem super se : & ecce vox de cælis dicens : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Vbi Hilarius can. 2. ait : *Filius Dei auditu, conspectuque monstratur ; Plebique in fide, & prophetis inobedienti testimonium de Domino suo mittitur, & contemplationis, & vocis. Fide dignus est testis, qui & audiuit, & vidit.*

42. Sed cum ad æterni Patris testimonium Spiritus sancti etiam testimonium accesserit, expressè dicente Luca : *Descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum* : cur non hoc etiam testimonium pro se Dominus ad conuincendos Iudæos adhibuit ? Respondetur primo propter obscuratum intellectum, & peruersam Iudæorum voluntatem. Propter obscuratum intellectum augustissimum Trinitatis Mysterium planè ignorantes, verè sicut Ephesij, respondere Iudæi potuissent : *Neque si Spiritus sanctus est audiuimus* : quandoquidem teste Apostolo : *Animalis homo* (cuiusmodi Iudæi erant) *non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* Secundò propter peruersam Iudæorum voluntatem ; de illis enim verè Protomartyr pronunciauit : *Vos semper Spiritui sancto resistitis ; sicut patres vestri, ita & vos.* Et Isaias : *Ipsi ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt Spiritum sancti eius.* Vbi Clemens Romanus legit : *Irritauerunt Spiritum sanctum* ; quod explicat de Iudæis, qui noluerunt credere Christo. Ob eamdem rationem act. 7. Cum Stephanus *Intendens in cælum, vidit gloriam Dei* ; quamuis teste Augustino viderit Patrem, Filium, & Spiritum sanctum : nihilominus de Spiritu sancto reticuit ; dixitque tantùm : *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei, à dextris Patris*, legit Epiphanius.

Christus de se Æterni Patris testimonium proferens, quare Spiritus sancti testimonium omiserit.

Act. 19.

1. ad Cor. 2.

Act. 7. v. 51.

Cap. 63.

l. 5. Const. cap. 17.

Hæres. 44.

Dicebant ergo ei : Vbi est Pater tuus ?

43 EXistimat Toletus hos eosdem Pharisæos illos fuisse, qui Ioann. 5. à Domino iam audierant : *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor : Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere ; quia non solùm soluebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Quare hîc per versutiam interrogare videntur : *Vbi est Pater tuus ?* quasi de carnali patre interrogarent ; & iterùm Dominum ad testandū patrem se habere Deum inducerent ; cumque calumniandi, & accusandi occasionem arriperent. Contra verò Cyrillus probabilius ait : *Domini verba Iudæi carnali sensu accipientes, vt potè qui nihil in Christo, nisi humanum ; & quod in aperto omnium oculis patuit, esse crediderant, suo modo confestim obijciunt : Dicis tecum patrem tuum esse, cum te solùm videamus : ostende igitur nobis patrem tuum ; & vbinam sit, indica ; quò te vera dixisse*

Iudæos interrogantes Vbi est pater tuus ? de carnali patre interrogasse dubium est.

comprobemus. Porrò alij id Iudæorum verbum per contumeliam, & contemptum in Christum dictum esse adstruunt. Quid frequenter, inquiunt, patrem eiuum nobis inducis, qui ignotus est, & ignobilis? Quid crebra illius interpellatione aures nostras obtundis, & quasi magna auctoritatis virum affers in medium, qui Galilæus est, & faber? Existimabant enim ipsum de patre carnali hactenus protraxisse sermonem. Probat id benè Cyrillus ea verbis, quæ Ioannes hoc eodem capite subdidit: *Et non cognouerunt, quia patrem suum dicebat Deum.*

Respondit Iesus, neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.

Scire interdum est credere.

44. SCire hîc non significat, vt apud Philosophos, rem per causas cognoscere; sed significat credere: sicut Deuter. 4. *Vt scires, quoniam Dominus ipse est Deus.* Iob. 19. *Scio enim, quòd Redemptor meus viuit:* & alibi sæpius in sacris litteris. Interdum etiam scire experiri significat, vt Exodi 4. *Scientque Ægyptij, quòd ego Dominus:* Numer. 14. *Scietis vltionem meam.* Porrò particulæ, *Forsitan*, acceptio, & allatæ Christi Domini sententiæ intelligentia fusius explicata est Fer. 6. nom. 3. Quadrag. in illa verba, *Tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.*

Hæc verba locutus est Iesus in Gazophylacio docens in templo.

Gazophylaciū opum custodiam significat.

45. GAzophylacium opum custodiam interpretari possumus: vocabulum est ex Persica voce, & Græca compositum; φυλάττω enim apud Græcos idem est, ac custodio. *Gazam*, inquit Pomponius Mela, *Persæ ærarium vocant.* Curtius lib. 3. *Pecuniam regiam (Gazam Persæ vocant) cum pretiosissimis rerum efferri iubet.*

Christus cur in tēplo prope Gazophylaciū docebat.

46. Aliàs etiam Dominum prope hunc templi locum constitisse legimus; vt Marci 12. *Sedens Iesus contra Gazophylacium, aspiciebat quomodo turba iactaret æs in Gazophylacium.* Locum hunc Dominum, cum doceret in templo, elegisse existimare possumus; vel quia eleemosynas offerendi actu oblectaretur: vel, vt pecuniæ largitionem aureo eloquio compensaret, diuina mandata docando; quæ *super aurum, & topazion* Dauide iudice sunt diligenda: vel denique, vt veritatem illam Iudæis insinuaret, quam deinde Paulus docuit 1. ad Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* Iudæos scilicet coarguendo, ne solùm pecuniæ oblationibus confiderent, cum charitatis in Deum, eiusque filium expertes, eique increduli, sine spirituali profectu, in Gazophylacium pecuniam mitterent; præsertim cum ad ipsum eleemosynæ opus ea inani gloria ducerentur. Propterea Marci loco citato de Domino, dicitur: *Aspiciebat quomodo turba iactaret æs in Gazophylacium: & multi diuites iactabant multa. Cum venisset autem vidua pauper misit duo minuta.* Pia hæc vidua in Gazophylacium nummulos misisse dicitur, contrà verò alii æs iactasse dicuntur; scilicet ad ostentationem, vt maiori sonitu eleemosinæ magnitudo proferetur. Verè istorum eleemosina charitatis expers, erat *æs sonans; cymbalum autem tinniens* ipsi erant. Sed eorum *memoria cum sonitu perijt.* Viduæ verò tacita eleemosina diuina commendatione digna fuit, dicente de ea Domino: *Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit*, Lucæ 21.

Ps. 118.

Iudæi ad inanem gloriam eleemosynas erogabant.

1. ad Cor. 13. Ps. 9.

Et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius.

47. HInc moriendi tempus liberè à Redemptore statutum fuisse indicat Euangelista; nec ad mortem necessariò subeundam à Iudæis fuisse coactum. Id expressius testatus est, Dominus Ioan. 10. *Ego pono animam meam, vt iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à me ipso; & potestatem habeo ponendi eam; & potestatem habeo iterùm sumendi eam.* Apud Tertullianum cap. vlt. de Christi carne, Redemptoris corpus vaginæ, eius anima gladio comparatur. Cum bellator è vagina eripit ensem; quamuis ensis à vagina separetur; ab ipso tamen bellatore & ensis, & vagina non diuiditur. Bellator fortis erat Dei filius sub humana natura; quæ per Ieremiam fidenter aiebat: *Dominus mecum est quasi bellator fortis.* Penes potestatem diuini huius bellatoris erat ansem è vagina, animam à corpore diuidere, subeundo liberè mortem; & penes eiusdem potestatem erat, corpori animam iterùm vnire resurgendo; cùm tam in vita, quàm in morte corpus, & anima; vagina, & ensis à Diuinitate contra mortem, & diabolum pugnante separata non fuerint. De hac subeundi mortem libertate vaticinatus est Isaias 53. dicens: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Quare Bernardus ait: *Oblatus est, non quia meruit, non quia Iudas præualuit; sed quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi, Domine; quia voluntariè oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate. Sed quid, fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus, quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem, quam habuit. Et nos ergo faciamus, quod possumus; optimum quod habemus offerentes illi; quòd sumus vtique nosmetipsi.*

Christus liberè mortē subiit. His, & n. sequenti.

Christus bellator, cuius corpus vaginæ, anima gladio cōparatur. c. 20. v. 11.

Ser 3. de Purificat. B. M.

48. De Christi ad subeundam mortem libera voluntate benè sic differit Hieronymus: *Non necessitate crucem, sed voluntate sustinuit, dicens in Euangelio; Calicem, quem mihi dedit Pater, non bibam illum? & ad Petrum, qui scandalizabatur ad crucis nomen, quia non nouit mysterium, & humano pauore trepidabat: Vade retro me Satana, scandalum es mihi; quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Alioquin si non propria voluntate esset oblatus; qui indicare, & prædicere poterat proditorem, & Apostolis loquebatur: omnes vos in hac nocte in me scandalum sustinebitis: poterat eos, qui ad se missi fuerant, declinare; quibus occurrit intrepidus, & vltro se obtulit dicens: Quem quæritis? qui statim ceciderunt retrorsum: vocem enim præsentis Dei ferre non poterant.* Subdit infra Hieronymus: *Ergo, vt pateretur, non fuit necessitatis; sed voluntatis Patris, & suæ; ad quem ipse dicebat: Deus, vt facerem voluntatem tuam, volui.* Psal. 39. 9.

In Ps. 54.

Matth. 26. Marci 8.

Ioan. 18. Ioan. 19.



DOMINICA

PASSIONIS.

Dicebat Iesus turbis Iudæorum, & Principibus sacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato? *Ioann. 8.*

Euangelij nexus, & ordo.

Iosue 10.

Diabolus in Christum prauus Iosuë æmulator.

1. IOsuë Israëlitarum dux pugnaturus contra Amorrhæos Reges, duo potissimùm in subsidium habuit; scilicet tum solarem lucem consistentem in medio cœlo: *Stetit Sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei*: tum prægrandes lapides è cœlo in hostes immissos: *Misit Dominus super eos lapides magnos de cœlo.* Hanc Iosuë pugnam diabolus contra Dominum Iesum æmulatus; non Solem consistere, sed infidelitatis, inscitiæ, & obstinationis noctem in Iudæorum mentibus obfirmari curat. Hinc Iudæis Dominus exprobrat: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est, & nō cognouistis eum: Ego autem noui eum: & si dixero, quia non scio eum; ero similis vobis mendax.* Præterea Iudaica manu in Redemptorem diabolus lapides tollit: *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum.* Amorrhæi Reges, in quos Iosuë pugnabat, in speluncam se abdiderunt: *Fugerunt quinque Reges, & se absconderunt in spelunca vrbis Maceda.* Contra verò Christus Dominus templum iam factum *speluncam latronum* deserit; seque ab aduersariorum oculis eripit; vt illorum conatus frustrari se posse, cum vellet, ostenderet: *Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.*

Matth. 21.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

Cap. 50.

Iudæi in Christū veluti venatici canes.

2. SVa innocentia Christus Dominus fretus, his verbis apud Isaiam, suos aduersarios prouocat: *Stemus simul: quis est aduersarius meus? Accedat ad me; ecce Dominus Deus auxiliator meus; quis est, qui condemnet me?* Iudæi Redemptoris aduersarii Psalm. 21. canes appellantur. *Circumdederunt me canes multi.* Canes dicuntur, non solùm, quia rabido ore in Dominum allatrabant; sed etiam quia sagacissimi erant ad eius operationes omnes indagandas. *De malitia affectu in omnem se inquisitionem reperiunda accusationis extendunt*, de Pharisæis ait Hilarius in Matth. cap. 23. Quare Hieronymus citato Psalm. pro canibus legit *Venatores*, hoc est venaticos canes. Canes præsertim venatici mira narium sagacitate pollent: *Odora canum vis.* Cum igitur Iudæi tamquam venatici canes Redemptoris opera omnia sagacissimè inuestigarent; cumque dolosæ artis essent peritissimi; nihilominus nullam in eo culpam, dolum nullum inuenire potuerunt: testante de Christo cum Isaia Petro Apostolo: *Iniquitatem non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* Nec mirum id pronunciasse Isaiam, & Apostolum; cum Pilatus ipse dixerit: *Quid mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo: innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Quin etiam ipsi Iudæi, eum versutiæ neruos omnes ad Dominum accusandum intendissent; ipsos falsos testes non nisi difficillimè inuenerunt: *Principes sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum; vt eum morti traderent; & non inuenerunt; cum multi falsi testes accessissent. Nouissimè autem venerunt duo falsi testes.* Ipse Satan in Dominum diabolica rabie furens, in eo nihil inuenit: ad quod testandum iuxta Hilarium Dominus dixit Ioannis 14. *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.*

Apud Treuetū & Eugubinum, & in edit. Vetery.

Maro.

Isa. 53. 1. Petri 2.

Lucæ 23. n. 22.

Matth 27. n. 2.

Hilar. c. 3. in Matth.

Caluini in Christum blasphemia.

Rofensis à Fenardēno dial. 4. & 5.

3. Peccatum, quod in Christo diabolus non inuenit; inuenisse se mentitus est Caluinus, blasphema lingua asserens Christum verè peccatorem, & reum fuisse diuinæ maledictionis; mollitie animi mortem fugisse; inconsideratè preces emisisse in cruce; in voces desperationis plenas erupisse: Mediatoris officio fungi detrectauisse. Quare benè Caluino, eiusque sectatoribus amarulenta permissione dici potest: *Vos ex patre diabolo estis, implete mensuram patrum vestrorum*; hoc est sacrilegum scelus in Christum, quod Patres vestri inchoarunt; vos maioribus sceleribus cumulate. Quid horribilius audiri potest? Dæmon Redemptorem sanctum Dei vocat Marci cap. 1. *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos? Scio qui sis, sanctus Dei.* Caluinus tamen Christum Dominum non Dei sanctum, sed verè peccatorem fuisse sacrilegè pronunciat. Caluino humero ad infamiam candenti ferro notam fuisse olim inustam ferunt: quantò melius eiusdem blasphemis labiis ignitum ferrum fuisset admotum; vt exustis labiis Gehennæ incendia prælibaret? Sed horrore perculsi à Caluini blasphemiis aures remoueamus; & Catholicam veritatem Ephesini Concilii sententia audiamus: *Qui dicit, quòd Christus pro se obtulit semetipsum oblationem, &*

Ioan. c. 8. n. 44.

Matth. 23. 32.

Caluinū humero nota candēti ferro est inusta.

non potius pro nobis solis (non enim eguit oblatione, qui peccata omninò nesciuit) anathema sit: Afferri tamen possunt aliqua Scripturæ testimonia, quæ Christi innocentiæ primo aspectu videntur opponi.

Obiectiones contra Christi impeccabilitatem soluũtur. Hic. & sequentibus.

Lib 5. contra Marcion. c. 4.

4 Primum est ad Rom 8. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati; & de peccato damnauit peccatum in carne.* Vbi Tertullianus ait: *Similitudo ad titulum peccati pertinet, non ad substantiæ mendacium. Nam nec addidisset peccati, si substantiæ similitudinem vellet intelligi, vt negares veritatem; tantùm enim carnis posuisset, non peccati. Cum verò sic struxit: Carnis peccati, & substantiam confirmauit, idest carnem; & similitudinem ad vitium substantiæ retulit, idest ad peccatum.* Hoc posito, qui peccanti assimilatur, peccatum contrahere videtur iuxta illud. *Existimasti, inique, quòd ero tui similis?* Respondet Theophylactus: *Pater misit filium suum in similitudinem carnis peccati; hoc est carnem habentem, similem quidem secundùm essentiam nostræ peccatrici, carentem autem omni peccato: quia enim meminit peccati, ideo similitudinem apposuit. Non enim iam aliam carnem assumpsit; sed ipsam hanc assumens, sanctificauit, & coronauit.* Per vocem igitur similitudinis ita significatur identitas carnis, vt excludatur macula peccati. Quare cum peccati mentio non fit, tunc non in similitudine, sed *in veritate carnis nostræ visibiliter apparuisse* Redemptor noster dicitur; vt in canone Missæ in festo Epiphaniæ testatur Ecclesia. Ideo S. Basilius Seleuciensis ait:

Christus planè impeccabilis quomodo missus dicitur in similitudinem carnis peccati.

Ps 49.

B

C

Or. 1. de Verbi incarnat.

Quamuis vniuersorum conditor, & Dominus ex Deipara Virgine natus humanæ naturæ communicaris (nam carnem vita præditam verè gestauit) attamen cum iniquorum operibus nihil commune habuit. Porrò cum ab Apostolo additur: *De peccato damnauit peccatum in carne;* sensus est abstulisse peccatum de peccato, hoc est per peccatum, nempe per mortem suam, quæ Iudæorum peccatum fuit. Ita Augustinus lib. 3. contra epistolas Pelagij.

Deus de peccato dãnauit peccatum, cum ex peccato Iudæorum crucifigentiũ Christũ, peccati remissio facta est.

2. ad Cor c. 5.

5. Secundo cùm ab Apostolo, dicitur: *Deus eum*, nempe Christum, *qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit; vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso:* Sensus est, iuxta S. Thomam: Christus, qui quamuis peccatum nouerat per simplicem notitiam, illud tamen per experientiam non nouerat, cum peccatum nunquam commiserit, factus est à Deo Patre pro nobis peccatum; hoc est, in similitudinem carnis peccati; cum verè fuerit Christus passibilis, quemadmodum peccatores ex peccato ærumnis, & cruciatibus sunt obnoxij. Vel factus est pro nobis peccatum; hoc est hostia piacularis pro nostro peccato, iuxta Ambrosium, Anselmum, & Theophylactum: Consuetum enim est in sacris litteris victimam peccati expiatricem peccatum vocari. Ita Oseæ 4 de Sacerdotibus, dicitur: *Peccata populi mei comedunt.* hoc est victimas pro populi peccatis oblatas. Leuitici 4. num. 24. *Offeret hostiam Domino hircum de capris immaculatum: ponetque manum suam super caput eius; cumque immolauerit eum in loco, vbi mactari solet holocaustum coram Domino. quia pro peccato est,* &c. ex Hebræo legitur: *Quia peccatum est*, hoc est victima pro peccato Ezechielis 44. num. 29. *Victimam & pro peccato & pro delicto ipsi comedent:* ex Hebræo legitur: *Peccatum suum*, hoc est, hostiam pro peccato suo, *ipsi comedent.*

Christus peccatũ per simplicẽ notitiã noscẽs, illud per experientiam non nosse dicitur.

Peccatum victimã pro peccato interdum significat.

D

E

6. Tertio cum Psalm. 21. Christus Dominus ait: *Longè à salute mea verba delictorum meorum;* sua delicta vocat, eò quod debitum illa expiandi

Christus delicti planè expers tri-

A in se acceperit: iuxta Isaiæ vaticinium cap. 53. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm:* iuxta etiam testimonium Petri epist. 1. cap. 2. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Vocat igitur Redemptor sua delicta, sicut fideiussor sua debita aliorum debita vocare potest, pro quibus spopondit. Quare Augustinus explicans citata verba: *Longè à salute mea verba delictorum meorum*, ait: *Quorum delictorum, de quo dictum est: Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius? Quomodo ergo dicit: Delictorum meorum? Nisi quia pro delictis nostris ipse precatur; & delicta nostra sua delicta fecit; vt iustitiam suam, nostram iustitiam faceret,* Secundo idem Augustinus de gratia noui Testamenti ait: *Totum hunc versum dici partim ex persona Christi, partim ex persona sui corporis;* nempe suorum membrorum, idest hominum, quorum verè delicta erant. *Membrorum ipsius vox erat, non capitis*, idem Augustinus ibidem ait. Tertio interpretes aliqui citatis verbis, interrogationis notam affigunt; per quam interrogationem sensus negatiuus potius, quàm affirmatiuus redditur. Quasi Redemptor dicat: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? Longè à salute mea verba delictorum meorum?* An delicta mea longè arcere salutem à me possunt; cum sim nullius delicti reus?

plici sensu dicere potuit: *Longè à salute mea verba delictorum meorum.*

1. Petri c. 2.

August. to. 2. ep. 120.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

7. IVxta S. Thomam 2. 2. quæst. 109. art. 3. *Veritas virtus est, quà aliquis & vita, & sermone talem se demonstrat, qualis est: & non alia, quæ circa ipsum sint, nec maiora, nec minora.* Talem veritatem Iudæis Christus proferebat, cum ore, & opere, nempe moribus, ac miraculis, & vitæ æternæ verbis se à Deo missum, Deique filium demonstraret. Sed quare veritate à Redemptore manifestatæ Iudæi non crediderunt? Responderi potest primo Tertulliani verbis: *Cui veritas comperta sine Deo? Cui Deus cognitus sine Christo?* Cum igitur Christo ob ipsorum vitæ prauitatem Iudæi essent infensi; huic veritati credere noluerunt.

Veritatis definitio.

Lib. de Anima.

Iudæi quare Christo veritatẽ manifestanti non crediderunt. Hic, & sequentibus.

8. Responderi potest secundò verbis Augustini 10. Confess. cap. 23. *Quia sic amatur veritas; vt quicumque aliud amant, hoc, quod amant velint esse veritatem: & quia falli nollent, nolunt conuinci, quòd falsi sint. Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt redarguentem. Quia enim falli nolunt, & fallere volunt; amant eam, cum seipsam indicat; & oderunt eam, cum eos ipsos indicat. Inde retribuit eis, vt qui se ab ea manifestari nolunt, & eos nolentes manifestet; & eis ipsa non sit manifesta.*

8. Respondetur tertio eiusdem Augustini verbis cap. 13. de agone Christiano: *Errat quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter viuat. Nequitia autem est mundum istum diligere; & ea, quæ nascuntur, & transeunt, pro magno habere; & ea concupiscere, & pro his laborare, vt acquirantur; & lætari cum abundauerint; & timere ne pereant; & contristari cum pereunt. Talis vita non potest puram illam, & sinceram, & incommutabilem videre Veritatem, & inhærere illi.*

Nequitia veritatis cognitionem impedit.

10. Respondetur quarto, sicut ventorum impetus oculis puluerem iniiciendo, illorum aciem obtundit; ita ventusus superbiæ turbo mentis

Superbia terrenus affectus pulue-

rementē, nec veritatem noſcet, excæcat.

oculis terreni affectus puluerem iniiciendo, ne ab iis veritas videatur, impedimento eſt. Propterea *Superbos ad minitum ſui non poteſt admittere Veritas*; vt Cyprianus ait. Similiter ait Chryſoſtomus: *Vt ſicut quidam venti in mare delati, totum ab imo ſubruunt; vt & arena cum vndis miſceatur: ſic excæcat mentis impetum gloriæ furor.* Ex ſuperbiæ igitur affectu apertam veritatem à Chriſto propoſitam increduli Phariſæi non videbant: quare arguendo eorum ſuperbiam, de iis Dominus dixit: *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis; & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Propterea Auguſt. epiſt. 56. ad Dioſcorum ait: *Non aliam tibi ad capeſſendam, & obtinendam veritatem viam munias; quam quæ munita eſt ab illo, qui greſſuum noſtrorum tamquam Deus videt infirmitatem: ea eſt autem prima humilitas; ſecunda humilitas, tertia humilitas.*

De Natiuit. Chriſti. Hom. 43. ad pop.
Matth. 23.
Humilitas ad veritatē cognoſcendā eſt via.

Veritatis vis.

11. Lactantius lib. 1. diuinarum inſtitut. c. 5. ait: *Veritatis tanta vis eſt; vt nemo poſſit eſſe tam cæcus, qui non videat ingerentem ſe oculis diuinam claritatem.* Veriſſimum eſt Lactantii teſtimonium de diuina veritate; illam quidem viderunt Iudæi; ſed propter obſtinatam eorum perfidiam videntes non viderunt: *excæcauit enim illos malitia eorum*, vt Salomon ait. Quare iuxta Domini verba Matthæi cap. 13. adimpletur in eis Prophetia Iſaiæ dicentis: *Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius; & auribus grauiter audierunt; & oculos ſuos clauſerunt; ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant; & conuertantur, & ſanem eos.* Quare de Iudæis Cyrillus ait: *Erant ipſi auribus teſtes, auditoreſque vocis Saluatoris; docuit in Synagogis, clamauit Ieroſolymis; at perinde erant, ac ſi nihil audiſſent. Erant ſpectatores rerum admirabiliter ſupra fidem geſtarum; ſpectarunt enim leproſos morbo releuatos, exilientes claudos, cæcos videntes, mortuos è monumentis reſurgentes. At illis hæc minimè profuerunt; ſed miſeri homines perpetuò quaſi orbati ipſis oculis perſtiterunt.*

Sap. c. 2.
Iſa. 6.
In Iſa. lib. 1. Orat. 4.

12. Qui proprio Regi aperire arcis oſtium negat, hoſtis habetur, & rebellis. Iudæi, ipſiſque ſimiles peccatores, cum Chriſto regi ſuo, eiuſque diuino lumini reſerare cordis arcem noluerint, tamquàm læſæ diuinæ maieſtatis rei, & rebelles damnantur. Quare de iis dicitur Iob 24. *Ipſi fuerunt rebelles lumini.* Quandoquidem tamquam transfugæ à diuino lumine deſciſcentes tenebrarum principi diabolo ſeruire voluerunt.

13. Præterea increduli Iudæi, ne veritatem è cœlo illuceſcentem viderent, carnalibus affectibus dediti, oculos in terrena obiecta defixarunt. Quare de iis dicitur: *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram: Quia de terrenis actibus cogitabant; ſed de cœleſtibus non meditabantur*, ait Hieronymus. Cum igitur à cœlo ſe auertentes in terram oculos deflexiſſent Iudæi, ad eorum obſtinatas tenebras repellendas diuina bonitate factum eſt, vt Dei Filius ſub humana carne naſceretur; & tunc *Veritas de terra orta eſt*: vt inexcuſabiles eſſent Iudæi, ſi veritatem fidei oculis non aſpicerent: quandoquidem ad eos illuminandos iuxta Dauidis vaticinium: *Veritas de terra orta eſt.* Quæ verba de Dei Filii incarnatione intelligunt Andreas Ieroſolymitanus, Euthymius, & Nicephorus. *Veritas*, inquit Lactantius, *de terra orta eſt; quia Deus, in quo veritas eſt, terrenum corpus accepit, vt terrenis viam ſalutis aperiret.*

Pſ. 16.
Pſ. 84.
Or. de Annūciatione. Lib. 4. c. 12.

14. Quàm benignè Sol erga eum ſe gereret; qui ab eo orientis ſolari lumine oculos ad occaſum auertens; inde etiam mutato curſu ſolis radios obuios haberet. Simili autem modo erga homines ſe præſtitit diuina lux; nam diuina veritas è cœlo prius homines illuminauit. Exodi 20. *Vos vidiſtis, quòd de cœlo locutus ſim vobis.* Sed cum homines terrenis affectibus è cœlo auerſi ad terram oculos declinaſſent, in terris etiam diuina veritas illuxit: *Veritas de terra orta eſt.* Eſdræ 3. cap. 4. dicitur: *Omnis terra veritatem inuocat; cœlum etiam ipſam benedicit.* Si igitur homo à veritate auertitur; vtique neque cœli, neque terræ, ſed inferorum incolam ſe oſtendit. *In cœlum deducit veritas*, ait Clemens Alexandrinus. Quare è contrario ad Gehennam auerſio à veritate deducat neceſſe eſt.

Dei benignitas ad homines illuminandos.
Veritati auerſus inferni ſe incolā prodit.
Paraeneſ. ad Gentes.

15. Præterea cum homo propter peccata brutis animalibus ſimilem ſe reddidiſſet: *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Chriſtus Dominus ad humanam inſipientiam illuminandam in ſtabulo inter bruta animalia naſci voluit; vt hîc ſaltem diuina veritas hominibus, iumentis ſimilibus innoteſceret; iuxtà Habacuc 3. vaticinium: *In medio duorum animalium innoteſces.* Hinc Bernardus poſt citata verba: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*, ſubdit. *Ecce, quomodo de grege facta eſt egregia creatura. Puto dicerent iumenta, ſi loqui fas eſſet: Ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis. Cum in honore eſſet, inquit: in quo honore quæris? habitabat in Paradiſo, & in loco voluptatis conuerſatio eius. Nihil moleſtiæ, nihil indigentiæ ſentiebat; & odoriferis ſtipatus malis, fulcitus floribus, gloria, & honore coronatus, & conſtitutus ſuper opera manuum Plaſmatoris: magis autem ob inſigne diuinæ ſimilitudinis præcellebat; & erat illi ſors, & ſocietas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cœleſtis exercitus. Sed mutauit iſtam gloriam Dei in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Inde eſt, quod panis Angelorum factus eſt fœnum; poſitum in præſepio, appoſitum nobis tamquam iumentis. Verbum quippe caro factum eſt, iuxtà Prophetam. Omnis caro fœnum.*

Pſ. 48.
Dei benignitas ad homines illuminandos.
Iuxta 70. interpretes.
Serm. 35. in Cantic.
Gen. 3.
Cant. 2.
Pſ. 8.
Pſ. 105.
Io. 1.
Iſai. c. 40.

16. *Amara eſt veritas*, inquit Hieronymus. Sed propter hanc veritatis amaritiem ſe excuſare increduli Iudæi non poterant; quandoquidem de Redemptore ſub humana carne naſcituro, & Euangelicam veritatem promulgaturo vaticinatus eſt Iſaias 7 *Butyrum, & mel comedet*: adeoque lacteâ, & mellitâ linguâ *eloquia ſuper mel dulcia protulit*. Ita vt propterea Redemptori dixerit Petrus: *Verba vitæ æternæ habes*; & de ſanctiſſima Chriſti humanitate primaria Dei ſponſa dictum ſit: *Fauus diſtillans labia tua; mel, & lac ſub lingua tua. Hoc mel* (Chryſoſtomi verba vſurpantes dicere poſſumus) *non ſylueſtres quæpiam apes floribus inſidentes colligunt; neque rorem maturantes alacribus immittunt: ſed Spiritus ſancti gratia conſtruens, profauis, & aluearibus, & fiſtulis in ſanctiſſimo Chriſti ore recondidit.*

Lib. 2. in Ionam, & lib. 1. contra Pelagianos.
Veritatē ex ſe amaram dulcē Chriſtus Dominus reddit.
Pſ. 118.
Ioan. 6.
Cantic. 4.
Hom. 55. ad populum.

17. Nos igitur Iudaicam incredulitatem execrantes, Euangelicam Chriſti Domini veritatem firmiter amplectamur; vt ea duce, vera, & ſincera beatitudine perfruamur. *Solemus*, inquit Auguſtinus, *audire voces clamantium ſe beatos; ſi iaceant in roſis, aliiſque floribus, vel etiam vnguentis odoriſſimis perfruantur. Quid fragrantius; quid iucundius inſpiratione veritatis? Et dubitamus eos, cum ab illa inſpiramur, dicere beatos? Multi beatam vitam in cantu vocum, & neruo-*

De libero arbitrio c. 14.
Beatitudo non à terrenis delicis, ſed à veritate quærenda eſt.

rum,

rum, & tibiarum sibi constituunt; & cum ea sibi desunt, se miseros iudicant: cum autem adsunt, efferuntur laetitia: & nos, cum mentibus nostris sine vllo strepitu; & vt ita dicam, canorum, & facundum quoddam silentium veritatis illabitur; aliam vitam beatam quaerimus; & tam certa, & praesente non fruimur? Luce auri, & argenti, luce gemmarum, & aliorum colorum, siue ipsius lucis, quae ad hos oculos pertinet; siue in ignibus terrenis, siue in stellis, & luna, vel sole, claritate, & iucunditate delectati homines, cum ab ista laetitia nullis molestijs, nulla indigentia reuocantur, beati sibi videntur, & propter hac semper volunt viuere: & nos in luce veritatis beatam vitam collocare metuimus? Immo verò quoniam in veritate cognoscitur, & tenetur summum bonum, eaque Veritas Sapientia est; cernamus in ea, teneamusque summum bonum, eoque perfruamur. Subdit deinde: *Nemo securus est in ijs bonis, quae potest inuitus amittere: veritatem, atque sapientiam nemo amittit inuitus. Non enim locis separari ab ea quisquam potest; sed ea, quae dicitur à Veritate, atque Sapientia separatio, peruersa voluntas est, qua inferiora diliguntur. Nemo autem vult aliquid nolens. Veritatis, & Sapientiae pulchritudo (tantùm adsit perseuerans voluntas fruendi) nec multitudine audientium constipata secludit venientes; nec peragitur tempore; nec migrat locis; nec nocte intercipitur; nec vmbra intercluditur; nec sensibus corporis subiacet. De toto mundo ad se conuersis, qui diligunt eam, omnibus proxima est, omnibus sempiterna.*

Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Ep. 1. cap. 3.

18. O*Mnis, qui non est iustus, non est ex Deo*, ait Ioannes. Ex Deo igitur esse significat iustum esse: Deique per diuinam gratiam amicum, & filium: hic autem verba Dei audit; hoc est, libenter aures exhibet ad Dei verba audienda. Huiusmodi autem auditio tum externas corporis aures caelesti doctrinae attentae adhibere; tum etiam propensam voluntatis exhibitionem ad eadem verba exequenda significat. Hinc illa Domini verba Ioan. 5. *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei; & qui audierint, viuent.* Augustinus Tract. 19. ait: *Quid est hoc audient, nisi obaudient? Quantùm enim pertinet ad aures auditum, non omnes, qui audient, viuent: multi enim audiunt, & non credunt. Audiendo, & non credendo non obaudiunt; non obaudiendo; non viuent! Itaque hic, qui audient; non est aliud, quàm qui obedient.* Propterea Psalm. 17. de populo Gentili per Dauidis vaticinium à Deo dicitur: *Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* Prouerbiorum 20. dicitur: *Aurem audientem, & oculum videntem Dominus fecit vtrumque. Aurem audientem dicit auditorem verbi obedientem; oculum videntem Doctorem eruditum*, ait Beda. Respectu autem Dei audire est exaudire: Deus enim semper audit; non tamen semper exaudit: ideo, vt preces nostras exaudiat, eum precamur, quando, vt nos audiat, flagitamus: Numer. 20. *Dominus Deus, audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquae viuae.* Deuter. 33. *Audi, Domine, vocem Iuda, & ad populum suum introduc eum.* Psal. 53. *Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.* Isai. 37. *Inclina Domine aurem tuam, & audi.* Baruc 3. *Audi Domine, & miserere.* Sicut ergo respectu Dei, audire est exaudire;

Audire in creatura obedire significat: audire in Deo significat exaudire.

A ita respectu creaturae audire est obedire; nulloque modo diuina mandata peccando transgredi. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet*, ait Ioannes. Vbi Clemens Alexandrinus, Augustinus, & Beda, semen Dei verbum interpretantur iuxta Domini dictum Luc. 8. *Semen est Verbum Dei.* Omnis igitur, qui natus est ex Deo per adoptionem diuinae gratiae, non peccat; *quoniam semen ipsius in eo manet*; quoniam scilicet Dei verbum benè conceptum, practicè consideratum, & firmiter in corde radicatum in eo manet: & hoc significat: *Qui ex Deo est, verba Dei audit*; idest ita firmiter Dei verba excipit; vt ex iis, tamquam ex semine B benè concepto, fidei, virtutumque actus facilè germinent.

Ep. 1. c. 3.

Ioa. c. 8. 47.

Responderunt ergo Iudaei, & dixerunt ei: Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & daemonium habes?

19. C*Vr Dominum Iudaei Samaritanum appellarunt?* Respondent primò Origenes, Ammonius, Leontius, Theophylactus, & Euthymius, eò quòd in multis à Mosaica lege recedere, Iudaeis Dominus videretur, sicut Samaritani, cum partim ab Assyriis, partim à Iudaeis originem traherent, Iudaicam legem mistam aliarum gentium moribus non integram seruabant.

Samaritanũ Dominũ Iudaei triplici ex calumnia appellarũt. Hic, & sequentibus.

C 20. Respondet secundò Rupertus Samaritanum Dominum vocatum fuisse; eò quòd post Samaritanae conuersionem cum Samaritanis versatus biduum esset. Ad quod confirmandum addi probabiliter potest apud Iudaeos percrebuisse famam, quòd plurimi ex Samaritanis Christo credidissent, eiusque doctrinam amplexi essent; iuxta id, quod Ioan. 4. dicitur: *Ex ciuitate illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter mulieris testimonium; & multò plures crediderunt in eum propter sermones eius.* Quare similis haec calumnia illi alteri est apud Matth. 9. Pharisaeorum dicentium Apostolis. *Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?*

21. Respondet tertiò Maldonatus, cum Do- D minus à Iudaeis, vt Galilaeus cognosceretur, appellatum fuisse Samaritanum; eò quod Galilaea Samariae finitima esset. Sicut si quis nunc aliquem in vrbe natum Turcis finitima, Turcam per contumeliam appellaret.

22. Cur alteram contumeliam Iudaei addiderunt, dicentes: *Daemonium habes?* Respondet S. Theophylactus: *Fortassis secundùm quod reuelauit ipsorum cogitationes; daemonium eum habere cogitabant, putantes à daemonibus ei reuelata cordis arcana.* Sed hinc non solùm eorum perfidia, sed etiam insipientia manifesta fiebat: cum certum illis esse deberet ex variis sacrae Scripturae testimoniis, mentis cogitationes, cordisq; arcana soli Deo per- E specta esse: non à daemonibus, non ab ipsis bonis Angelis naturaliter posse cognosci. 2. Paralip. c. 6. v. 30. dicitur: *Tu solus nosti corda filiorum hominũ.* 1. Reg. 16. *Homo videt ea, quae parent; Dominus autem intuetur cor.* Psal. 43. *Nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis:* Ierem. 17. *Prauum est cor omnium, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Quare si Iudaei verae fidei lumen sequi voluissent, dicere potius Redemptori cum Apostolis debebant: *Scimus, quia scis omnia; & non opus est tibi, vt quis te interroget: in hoc credimus, quia à Deo existi.* Hinc iuxta S. Lucam Apostoli in Actis Apostolicis Graeco vocabulo Deum καρδιογνώστην, hoc est cor-

Daemoniũ habere Christũ Iudaei ex triplici blasphema calũnia dixerũt. Hic, & sequentibus. Deus solus ex se cordis secreta cognoscit. Hic, & n. sequentis.

Ioan. 16.

Act. c. 1. 24.

dis cognitorem vocant. Hinc Psal. 13. atheus dicitur insipiens, seu ex Hieronymo stultus: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Negando enim Deum, Deum esse ostendit: si enim Deus non esset; qui solus cordis arcana cognoscere potest; quomodo, quod in corde suo tantùm atheus dixerat, sciri potuisset? Hinc etiam est, vt idem sit Deum non cognosci, ac Deum aliquid latere posse existimare. S. Ambrosius expendens verba illa Gen. 4. *Ait Dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: nescio, ait: Negat quasi apud ignorantem: quid miraris si pietatem non agnouit, qui non agnouit auctorem? Debebat cogitare*, inquit Chrysostomus, *quòd Deus non ignarus rei interrogaret; sed ab ipso confessionem criminis exigeret. Verum ille iterum auget vulnus, & vlcus increscere facit, & dicit: Haud scio. Vide responsi impudentiam. Magnum crimen fuit fratrem occidere; sed maius fuit scelus, Deo tamquàm ignaro respondere.* Similiter Irenæus ait: *Si malum est occidere fratrem; multò peius, sic audacter, & irreuerenter respondere, omnia scienti Deo; quasi possit frustrari eum. Propter hoc & ipse maledictionem portauit, quoniam ad se peccatum attulit, non reueritus Deum, neque confusus in fratricidio.* Verissima est Irenæi sententia; Cain enim occidendo Abelem, vitam fratri eripuit: respondendo Deo tamquàm ignaro, Deo, quantùm in se erat, abstulit Diuinitatem.

Lib. 2. de Cain. & Abel. c. 9.

Hom. 19. in Gen.

Lib. 3. contra hæreses c. 36.

23. Quòd creaturæ nulli neque humanæ, neque Angelicæ, sed soli Deo cognitio secretorum cordis conuenire possit, benè probant Scholastici in 2. sent. dist. 7. q. 8. S. Thom. 1. p. q. 57. a. 5. Scotus in 4. dist. 10. & ante hos idem sancti Patres docuerunt, præcipuè Hieronymus in Matthæum dicens: *Diabolus adiutor, & incensor malarum cogitationum potest esse; auctor esse non potest. Sin autem semper in insidijs positus, leuem cogitationum nostrarum scintillam suis fomitibus inflammarit; non debemus opinari eum cordis occulta rimari; sed ex corporis habitu, & gestu, æstimare quid versemus intrinsecus.* Similiter in Ezechielem 14. ait: *Neque natura hominis est, quamuis sancti, cordis arcana cognoscere: vnde de solo dicitur Saluatore: Videns Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Matth. 9.

Matth. 9.

24. Respondet 2. Origenes dæmonium habere à Iudæis Dominum dictum esse propter miracula ab eo facta; quæ calumniantes dæmonis operationi tribuebant. Sed esto (quod quidem falsum est) dæmonem potuisse cæcum, & paralyticum triginta, & octo annos habentem in infirmitate sua sanare: dixissetne dæmon eidem paralytico, quod Dominus ei dixit: *Ecce sanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat?* Rursus dæmonis operatione fierine poterat, vt Matthæus, & Zacchæus publicanorum princeps Dominum vocantem statim sequerentur, & illicita negotiatione planè relicta, opes pauperibus distribuerent?

Hom. 26.

Ioan. 5. Languidus piscinæ probaticæ iuxta Chrysostomum, Ambrosium lib. 2. de Sacr. c. 2. Leontium, & Euthymium paralyticus erat: iuxtà Chrysost. & Euthymium erat etiam cæcus.

25. Respondetur 3. ex Leontio, cùm diabolus diuinitatem affectauit, idemque faciendum primis humani generis parentibus suasisset, dicens: *Eritis sicut dij*. ideo Iudæos dixisse Dominum dæmonium habere, cum Dei Filium se esse profiteretur. Cui calumniæ directæ Dominus sequentibus verbis respondet.

Luc. 5. Matth. 9. Luc. 19. Gen. 3.

Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum: & vos inhonorastis me: ego autem non quæro gloriam meam.

26. Dicendo Dominus: *Ego dæmonium non habeo*: vnica responsione alteram etiam calumniam refellit; scilicet, quòd Samaritanus non sit; hoc est, quòd à vero Dei cultu à dæmone deceptus non aberret. Dæmonium se non habere, dæmonisque suggestionibus non subiacere, probat primò Dominus, dicens: *Honorifico Patrem meum; ego autem non quæro gloriam meam.* Qui enim gloriam propriam quærit, diaboli sectator est, & venerator. Propterea S. Bernardus in Psalm. 90. ait: *Tertia Christi tentatio de ambitione fuit; quando omnia regna mundi promisit, si cadens adoraret eum. Videsne quòd ambitionis via adoratio diaboli est; qua videlicet ad honores, & gloriam mundi perueniendum suis ille adoratoribus pollicetur.* Diaboli, eiusque sectatorum proprium est, ita gloriam affectare, vt eam à Deo in se transferant. Luciferi diuinitatem, indebitamque gloriam affectantis verba sunt illa Isaiæ 14. *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altissimo.* Contra verò Christus Dominus: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*; hoc est, cum verè cognouisset Diuinitatem adeoque æqualitatem cum Deo habere; à Deo tamen gloriam non sibi rapuit, vt Lucifer: *sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Quare Gregorius præclarè antithesim inter Christum, & Luciferum sic explicat: *Hostis noster magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus. Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est paruus. Auctor mortis dicit: In cælum conscendam: auctor vitæ ait: Repleta est malis anima mea, & vita mea Inferno appropinquauit. Ille dicit: Super astra Dei exaltabo solium meum. Iste humano generi à Paradisi sedibus expulso dicit: Ecce venio citò, & habitabo in medio tui. Ille dicit: Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Iste dicit: Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Ille dicit: Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo. Iste, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Prosequitur hanc antithesim pluribus ibi Gregorius. Argumentum igitur veræ Diuinitatis in Christo est humilitas, & erga Dei patris gloriam affectus: sicut è contrario cum diaboli affectata diuinitate superbia iuncta est; & à Dei gloria alienatio. Benè igitur, vt probet Dominus se dæmonium non habere, & à diaboli societate procul esse, ait: *Honorifico Patrem meum: gloriam meam non quæro.*

Ambitio est diaboli imitatio & veneratio.

Lucifer, & Christi antithesis.

Ad Philip. 2.

34 Moral. c. 22.

Ps. 87.

Zach. 2. 10.

Ps. 21. 7.

27. Probat idem secundo: *Vos inhonorastis me.* Hoc est, Quamuis benè perspiciam iniuriis, & contumeliis iniquè me à vobis prouocari; non tamen illas repello, vlciscor: & hoc argumentum vobis esse potest, dæmonium me non habere; neque diaboli instinctum sequi; si enim hunc se-

sequerer, me à vobis inhonorari non finerem, sed iniurias vlciscerer; sicut vlciscitur diabolus, qui iuxta Theodoretum Psalm. 8. antunomasticè Vltor dicitur à Dauide: *Vt destruas inimicum, & vltorem.* Saul antequam malo spiritu arreptus esset, facilè sui contemptum tolerauit. 1. Reg cap. 10. *Filij Belial dixerunt: Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera. Ille verò dissimulabat se audire*: vel ex Hebræo: *Ille verò factus est tamquam surdus*: ità vt verè dicere potuerit cum Dauide: *Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates. Ego autem tamquam surdus non audiebam; & sicut mutus non aperiens os suum.* At postquam malo spiritu obsessus Saul dæmonium habuit; ita se contemni non est passus; vt cum ei præpositus esset in bellica virtute Dauid: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia*: se in innocentem Dauidem sibi præpositum vlcisci tentauerit. *Inuasit Spiritus Dei malus Saul. Tenebatque lanceam, & misit eam putans, quòd configere posset Dauid cum pariete.* Qui malus conatus cum irritus fuisset, plures deinde dolos in Dauidem ad eius cædem procurandam Saul molitus est.

Vlcisci est diaboli proprium.

Ps. 37.

1 Reg. c. 18.

28. Porrò sicut diaboli propria est ad vltionem procliuitas; ita Dei propria est ad iniurias condonandas propensio. Hinc mira in Mosis moribus pro diuerso eius statu mutatio notanda est. Antea Moses adeo ab vltionis affectu sibi non temperauit; vt etiam alienam iniuriam culpabiliter iuxta Augustinum vindicauerit. Exodi 2. *Vidit virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis: cumque circumspexisset huc, atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit in sabulo.* Postea idem Moses toties à Pharaone ad vlciscendum obstinatam eius perfidiam prouocatus, ei placabilem se reddidit. Idem sæpius ab Israëlitis in deserto; immo etiam à propria sorore, & fratre iniuria affectus, tantùm abest, vt illatas iniurias vlcisci voluerit; vt etiam pro præuaricantibus Deum feruentibus precibus orauerit. Exodi 32. pro populo præuaricante Deum precatur: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Rursus Numeror. 12. pro sorore ob detractionem in ipsum Mosem lepra percussa, *Clamauit Moyses ad Dominum dicens: Deus obsecro, sana eam.* Quare meritò elogium illud Spiritu sancto dictante meruit Moses: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Si quæratur vnde ista tanta in Mose mutatio prouenerit, vt idem, qui prius etiam alienam iniuriam vindicauerat, deinde proprias facillimè condonauerit? Respondetur quia Mosi vices suas Deus demandauerat, dicens: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Dei enim proprium est iniurias condonare. Quare, vt in vitis Patrum legitur: *Dicebant de Abbate Macario maiore, quia sicut Deus protegit totum mundum, & portat peccata hominum: ita & ille, quasi quidem Deus terrenus fuit in fratribus, operiens delicta eorum.*

Iniurias condonare Dei proprium.

Li. 22. contra Faustũ c. 70.

Numer. 12.

Numer. 12.

Exodi 7.

Sententia 107.

Est qui quærat, & iudicet.

29. SEnsus est: Quamuis vt homo neque mihi gloriam, neque iniuriarum vltionem quæram; ne putetis me inglorium, vosque impunitos fore: est enim Deus, cuius filium me esse testor; qui mihi gloriam quærat; & vestra praua opera iudicet. Est autem sermo non de iudicio finali, sed de præsenti iudicio, quo Deus merita, vel demerita vniuscuiusque qualia, quantaque sunt, statim, ac fiunt, apertè cognoscit, & iudicat. De quo vide August. tract. 43. in Ioa. De iudicio autem publico, & finali dicitur Ioa. 5. 22. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.*

30. Vt benè operemur, & à peccatis retrahamur, memori semper animo hanc sententiam retinere debemus: *Est, qui quærat, & iudicet.* Propterea Psal. 9. dicitur: *Exacerbauit Dominum peccator: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*: & huius ratio si quæratur, subditur: *Non est Deus in conspectu eius*: ex Chaldæo Paraphraste legitur: *Dicit in corde suo, quòd non sint manifesti ante Dominum omnes cogitatus sui.* Subditur præterea: *Auferuntur iudicia tua à facie eius.* Vbi ait Hesychius: *Sicut Deus iudicij comminatione peccatum auferre vult; ita ex aduerso diabolus comminationis illius memoriam aufert.* Chrysostomus hom. 38. in Ioa. *Iudicium semper præ oculis habeamus; ita semper virtuti vacare poterimus: Nam sicut qui dies illius obliuiscitur, tamquam freno abiecto in præcipicium defertur: Inquinatæ enim sunt, inquit, viæ illius in omni tempore: & causam affert: Auferuntur iudicia tua à facie eius: ita quem continuus hic percellit timor, modestè viuendi viam ingreditur. Recordare, inquit nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Testatur id Psal. 17 Dauid, dicens: *Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo; & iustitias eius non repulsi à me: & ero immaculatus cum eo; & obseruabo me ab iniquitate mea.*

Iudiciũ Dei omnia cognoscentis memoriæ præsens, à peccatis retrahit.

Eccles. c. 7.

Amen, amen dico vobis.

31. AMen, apud Hebræos affirmantis aduerbium est, respondetque Latino, Verè, Certè, & Ita; Græco ναί. Quare quod Lucæ 21. dicitur: *Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus omnibus misit*: Marci 12. dicitur: *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit.* Sicut particula hæc initio posita, affirmantis aduerbium est; ita in fine posita, est confirmantis. 3. Reg. 1. *Respondit Banaias filius Ioiadæ Regi dicens: Amen.* Cum dicendi initio geminatur particula hæc, affirmationem auget ad excitandam auditorum attentionem, vt hîc: *Amen, amen dico vobis.* Similiter in fine geminata confirmandi affectum auget, vt Num. 5. *Respondebit mulier: Amen, amen.*

Amen, quid significet. Hîc, & n. sequenti.

32. Interdum particula *amen*, transit in nomen, & fidelem, seu fidelitatem significat. Quare Christus Dominus ob fidelitatem, & stabilitatem eorum, quæ promisit, dicitur Amen: Apoc. 3. *Hæc dicit Amen; testis fidelis, & verus*: idest, Hæc dicit ille, qui semper est Amen, nempe immutabilis; nec idem modo ait, modo negat: similiter dicitur 2. ad Cor. 1. *Dei Filius Iesus Christus, qui vobis prædicatus est per me, & Syluanum, & Timotheum, non fuit Est, & non: sed Est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei, sunt in illo Est, Ideo. & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram;* idest, Ideo, per ipsum Christum apud Deum diuinæ promissiones sunt Amen, hoc est fideles ad veram nobis gloriam comparandam. Vel ideo per Christum Deo dicimus *Amen*: rogando scilicet Deũ, vt suas nobis promissiones confirmet. Isaiæ 65. n. 16. dicitur Deus Amen, hoc est Deus veritatis, & fidelitatis: nam ad significandum ibi, *Amen*, nomen esse, ponitur in Hebræo regimen Genitiui; ac si diceretur Deus ipsius veritatis, seu fideli-

tatis. Quare eodem in loco, vbi legitur: *In Deo Amen*, Septuaginta vertunt: *In Deo vero*. Isaiæ cap. 25. *Domine Deus meus es tu. Quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen.* Vatablus intelligens *Amen* pro fidelitate, vertit, *Fecisti cogitationes antiquas, quæ sunt fidelitas, fidelitas.* Sed probabilius videtur ibi *Amen* confirmantis esse aduerbium; ita vt Propheta subdat *Amen*, idest ita sit, vel fiat, vt vertunt Septuaginta Apoc. 7. num. 12. initio, & in fine periodi Amen ponitur: initio quidem ponitur, vt nomen fidelitatem, & veritatem significans: in fine verò, vt aduerbium confirmationis eorum quæ dicta sunt: *Omnes Angeli stabant in circuitu throni. Et adorauerunt Deum dicentes: Amen: benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum: amen.* Ita hunc textum explicat Cornelius. Sed probabilius dici potest ibi *Amen*, & initio, & in fine periodi aduerbium confirmationis esse; ita vt Angeli etiam initio confirment orationem, quam iusto turba unanimæ Deo antea protulerunt dicentes: *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.*

Cornelius in ep. 2. ad Cor. c. 1.

Caballistarũ vanitas.

33. Irenæus lib. 1. contra Hær. cap. 13 damnans Caballistas ait: *Sunt digni planctu, qui tantam Dei religionem, & magnitudinem verè inenarrabilis virtutis, & tantas dispositiones Dei per A, & B; & per numeros tam frigidos, & sic extortos enunciant.* Ibidem de Cabalistis, & numero nonagintanouem loquens ait: *Amen hunc habere dicunt numerum.* Hoc, quod irridendo reiicit Irenæus; quidam sacrarum litterarum interpres apud Salmeronem valdè egregium commentum amplectitur; & explicans illud Ioannis Apoc. vltimo; *Etiam venio citò: amen:* ait: *Amen dictio familiaris Ioanni, qua præ cæteris in Euangelio scribendo est vsus, eò quod iam senio confectus scripserit; & significam littera huius particulæ nonagintanouem; vt etiam tradit Gratianus dist. 83. capite. Qualiter verò: Nam in ἀμὴν Alpha vnum denotat; μ mi verò quadraginta, η Ita i longum octo; & ν ni quinquaginta: qui numeri simul collecti faciunt 99. Ioannes autem fertur vixisse annos 99.* Sed Ioannes non omnia extremo senio confectus scripsit; nec ad 99. annos, sed ad 90. tantùm in hac mortali vita peruenit teste S. Thoma: & leuitatis quid habuisset in explicandis sacris litteris tam frequenter suæ ætatis annos Cabalisticè inserere.

Prolog. 7.

Ioannes Apostolus 90. annos vixit.

In cap. vlt. Euãg. Ioan.

Particulæ amen falsa etymologia reiicitur.

34. S. Thomas in Isaiam 25. docet, *Amen*, componi ex, α quod in compositione negandi vim habet; & μὴν, idest luna; ac propterea sine luna, hoc est sine defectu significare. Sed hæc interpretatio sine defectu non est. Primò, quia, *amen*, particula Hebræa est; suamque significationem supra allatam in eo idiomate habet; atque adeo compositio ex Græca lingua ei assignanda non est. Quare Hieronymus de nomine Sára à Deo mutato contra alios ineptè illud interpretantes, ait: *Vocabulum commutatum non Græcam, sed Hebræam debet habere rationem; cum ipsum nomen Hebraicum sit: nemo autem in altera lingua quempiam vocans, etymologiam vocabuli sumit ex altera.* Secundò μὴν non lunam, sed mensem Græcè significat; luna enim μήνη, seu σελήνη dicitur. Sed huic alioquin responderi posset, *Amen* dici quasi sine mense, sine lunæ cursu; cum perpetuum quid, & constans significet, non temporis mensuræ subiectum.

Quæst. in Gen.

A

Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes: Abraham mortuus est, & prophetæ; & tu dicis: si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.

35. IN his verbis negatio debet intelligi per transpositionem, scilicet mortem videbit non in æternum: sicut diximus fer. 6. Domin. 3. in illa verba: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo*

B *ei, non sitiet in æternum*; hoc est non in æternum sitiet. Similiter Gen. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine, in æternum*; hoc est spiraculũ vitæ, quod illi inspirani communicando corpori animam, per quam viueret, permanebit non in æternum, scilicet non in longissimum vitæ tempus, sicut antea: *Sed erunt dies illius centum viginti annorum.* Similiter Ioannis 11. dicitur: *Qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum*; idest morietur; non tamen in æternum, sed ad tempus, restituendus postea in æternum, & beatam vitam. Quamuis enim etiam præsciti ad vniuersale iudicium resurrecturi sint: nihilominus quod Gregorius de mortali vita dixit: scilicet *Talis vita mors est potius dicenda, quàm vita: ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est a-*

Hom. 37. in Euang.

C *liud, quàm quædam prolixitas mortis?* Multò magis de damnatorum vita in Gehennæ cruciatibus dici potest. Non enim sicut de electis tantùm cum Apostolo Hieronymus: *Mortui de resurrectione resurgent incorrupti*; ita præsciti etiam resurgent; cum passibiles, & æternis pœnis semper obnoxii futuri sint: quare illorum vita mors potius æterna, quàm vita dici potest. Iuxta allatum sensum Redemptoris verba Iudæi intelligere noluerunt; propterea dicunt: *Abraham mortuus est, & prophetæ; & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.* Verè enim Psal. 35. de Iudæo dicitur: *Verba oris eius iniquitas, & dolus: noluit intelligere, vt benè ageret.* Iniquitatis nomine contumeliam in-

Lib. 3. in Matth. 1 ad Cor. 15. 52.

D telligit Athanasius; Cassiodorus blasphemiam in Deum. Quare hoc expressum vaticinium videtur de contumelia, & blasphemia Iudæorum in Christum, dicentium hîc: *Nunc cognouimus, quia dæmonium habes.*

36. In Cantico Habacuc titulum inscriptum *Pro ignorantijs*, legit Theodotion, *Pro voluntarijs & spontaneis.* Talis erat Iudæorum ignorantia; voluntaria scilicet, & spontanea. Si enim à cogitatione æternæ mortis non fuissent alieni, nec ad præsentis vitæ tempus tantummodo intenti: Redemptoris verba iuxta verum allatum sensum intellexissent. Iudæus ergo sponte *noluit intelligere, vt benè ageret. Vnusquisque, qui*

Iudæorum culpabilis ignorantia.

In Ps. 35.

E *se flagitijs ingurgitauerit*, ait Ambrosius, *non vult intelligere, quæ cælestium mandatorum sunt, ne reuocetur à vitijs.* Qui se ingurgitant, fœtidum halitum habere solent. Quòd se vitiis Iudæi ingurgitauerunt, ex eorum fœtido ore patet: vnde blasphemiam in Christum promunt dicentes: *Nunc cognouimus, quia dæmonium habet.*

Vitiorũ ex ingurgitatione fœtidus blasphemantes halitum promunt.

37. Sed, vt ad Domini verba redeamus, verè dixit: *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Videre apud Hebræos, adeoque in sacris litteris experiri significat. Genes. 32. de Iacob noctu lu-

Videre experiri significat.

ctante cum Angelo dicitur: *Qui cum videret, quod eum superare non posset*; idest eum experiretur. 1. Reg. 12. *Scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini*, idest experiemini. Iob. 2. *Videbis, quòd in faciem benedicat tibi*, idest experieris. Similiter *Gustare* experiri significat. Prouerb. 31. vers. 18. *Gustauit, & vidit, quia bona est negotiatio eius*; idest experta est, & vsu ipso didicit laborem suum esse quæstuosum. Hinc hoc in loco dicitur: *Non videbit mortem; non gustabit mortem*, hoc est mortem non experietur. Similiter dicitur Matth. 16. *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem*. Luc. 2. de Simeone. *Responsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum*.

Gustare experiri significat.

38 Ex Domini ergo sententia dicitur seruans eius sermonem, fore, vt æternam mortem non experiatur. Propterea ad Hebræos 4. dicitur ab Apostolo: *Viuus est sermo Dei, & efficax*; hoc est viuificans; *& penetrabilior omni gladio ancipiti*. Huiusmodi ancipitem gladium ad custodiam animæ iusti, quæ Dei paradisus est, ne in eam spiritualis mors, & ex ea mors æterna ingrediatur Deus posuit. Sicut Gen. 3. *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem*: flammeus itidem gladius est Dei sermo; de quo dicitur à Dauide: *Ignitum eloquium tuum vehementer*. Psal. 118. vers. 140.

Dei sermo velut igniteus gladius, mysticum fidelis animæ paradisum custodit.

39. Diabolus spiritualem mortem animæ intentans, cum superbiæ Magister sit, in humilitatis vallem descendere refugit; atque adeò ibi iusti anima à spiritualis mortis incursu tutissima quiescere potest. Vt in tutissimam humilitatis vallem descendamus, ignitum Dei eloquium efficit. Hinc Vrbanus 4. in Psal. 51. ait: *Anima, quæ adhuc quasi nix est in monte superbiæ congelata; ad calorem eloquij diuini, quod vehementer ignitum est, liquefacta in vallem humilitatis celeriter, & hilariter condescendis*. Sed quamuis ab humilitatis valle diabolus, qui nobis mortem machinatur, procul sit, nihilominus cum comminus, & eminus pugnare benè nouerit; eò, quòd accedere reformidat, eminus tentationum sagittas iaculatur. Propterea cum dixisset Salomon: *Omnis sermo Dei ignitus*; addit: *Clypeus est sperantibus in se*; clypeus scilicet iuxta Apostolum, *In quo possimus omnia nequissimi tela ignea extinguere*. Vtinam hoc clypeo, nempe diuini sermonis obseruantia diabolicæ suggestionis tela primus humani generis parens repulisset: non ipse, neque in eo vitiata eiusdem stirps mortis reatum subijsset.

Humilitatis vallis à diaboli insidiis tuta.

Sermo Dei ignitus animam è superbiæ mõte ad humilitatis vallē deducit.

Diabolus cominus, & eminus pugnat.

Sermo Dei clypeus aduersus diaboli iacula. Prou. 30. 5. Ad Ephes. 6. 16.

40. Cæterùm Iudæi dicentes: *Nunc scimus, quia dæmonium habes*; hanc blasphemam calumniam Christo tribuunt; eò quòd ipsis videretur Christus promisisse omnimodam à temporali morte liberationem, sicut promiserat Euæ diabolus dicens: *Nequaquam morte moriemini*. Sed diabolus vitam promittens, homicida, & mendax fuit ab initio: Christus verò omninò verax; cùm verissimè dixerit: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*: nempe, vt homines vitam habeant gratiæ in hoc seculo, & abundantius in futuro cœlestis beatitudinis æternam vitam consequantur, iuxta Augustinum tract. 45. & Chrysostomum homil. 58.

Genes. 3. Ioan. 8. 44.

Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt?

41. Sæpè Iudæi patrem habere Abrahamum gloriabantur dicentes: *Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam, Pater noster Abraham est*. Hoc autem est proprium eorum, qui se suis operibus honorabiles reddere nequeunt, à maioribus nobilitatis gloriam mendicare. Quæ stirpis gloria à maioribus emendicata etiam scelestis, & damnatis communis esse potest; quandoquidem diues ille epulo etiam in inferis clamans dixit: *Pater Abraham miserere mei*. Quare Dominus Iudæos de Abrahæ stirpe gloriantes hoc eodem capite monuit; vt fide potius, & bonis operibus, quàm progenie se Abrahæ filios ostenderent: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*. Alioquin cum Iudæis etiam Ismaëlitæ veræ fidei expertes patre Abrahamo gloriari possent. Propterea etiam Ioannes Baptista Pharisæis, & Sadducæis ad eum concurrentibus dixit: *Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham*. Vbi subdit S. Paschasius: *Quia non carnis filij, sed gratiæ connumerantur in semine. Non enim quod ex carne suscepit Abraham, hæredem habuit; sed quod ex fide. Idcircò si vultis esse in semine, fidem imitamini eius; quoniam non ex operibus legis iustificatus est; sed quia credidit Deo, reputatum est ei ad iustitiam. Si quidem & vos fidei opera probate, per quam filij secundùm interiorem hominem sitis. Alioquin ne velitis vos dicere filios, quod tantùm ex carne estis; dum Ismael nequaquam computatur in semine. Aliàs autem ex patre diabolo estis; quia, si filij essetis Abrahæ, opera patris vtique fecissetis. Qua de causa ne gloriemini vos tantummodo ex carne filios esse; præsertim cum sitis alterius ex imitatione*. Similiter S. Ambrosius in illa Genes. 6. verba: *Noë vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit. Qui non generis nobilitate*, inquit, *sed iustitia, & perfectionis merito laudatur. Probati enim viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familia hominum splendore generis nobilitantur; animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis*.

Ioa. 8. 33.

Luc. 16.

Matth. 3. In Matth. lib. 2.

42. Præterea quòd Iudæi asserunt: *Abraham mortuus est, & Prophetæ mortui sunt*: hoc absolutè pronunciatum diuina veritas non admittit: ait enim Matthæi 22. *Dictum est à Deo: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed Deus viuentium*. Viuentium scilicet per animæ immortalitatem, & per certam corporum resurrectionem, quamuis enim actu vnà cum corpore non viuant; eorum tamen vita iuxta Apostolum *abscondita est cum Christo in Deo*: vbi tutior est, quàm si in ipsis foret. Sicut autem dicitur quis possidere pecuniam, quam licet secum domi non habeat, eam tamen apud fidissimum ærarium habet depositam: sic electi ante corporum resurrectionem, ipsam corporalem vitam possidere dicuntur; cum eam apud Deum fidissimum depositi custodem asseruatam habeant. *Scio cui credidi; & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem*, ait Apostolus. Malè ergo Iudæi contra Redemptoris verba arguunt dicentes: *Abraham mortuus est, & Prophetæ*. Quandoquidem Christus Dominus dicens: *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum*;

Deus quomodo viuentium Deus dicatur.

Ad Coloss. 3.

2 ad Tim. c. 1.

per hæc verba non perpetuam huius seculi vitam, sed immortalem alterius seculi polliceatur. Porro benè probatur Abrahamum, Isaac, & Iacob viuere, eò quòd ipsorum dicatur Deus. Nam, vt ait S. Paschasius: *Impossibile est, vt dicatur eorum Deus esse, qui non sunt: ergo eorum est Deus, qui sunt, & qui viuunt, & sentiunt beneficia eius, & intelligunt se Deum habere, tunc & ipsi sunt.* Ex quibus Paschasij verbis amabilissima Dei natura cognoscitur; quippe qui inde dicatur Deus, quòd aliis beneficia impertiatur.

Lib. 10. in Matth.

Dei beneficia amabilitas.

Quem teipsum facis?

43. SCilicet, *quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum*, vt c. 10. Iudæi dixerunt. Sed ijsdem verbis, opposito tamen sensu, vti potuissent non inuidentes, sed admirantes sancti Angeli; cum eis Incarnationis, & Redemptionis mysterium reuelatum est, dicentes. *Quem teipsum facis?* Scilicet, Deus immortalis, & omnipotens cum sis, mortalem te hominem facis, infirmum, ærumnis, & passionibus obnoxium? Temetipsum exinaniuisti, *formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo Humiliasti temetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis?* Id profectò contemplantes sancti Angeli, Bernardi verbis, Redemptorem alloqui poterant: *Redditur in te longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana, lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videmus potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari.*

Deus quid pro nobis fieri dignatus sit. Hîc & sequentibus.

Ad Philipp 2.

Ser. 1. super. Missus est.

44. Quod si citato textu quæratur, cur Christus dicatur *In similitudinem hominum factus*; & non potius in similitudinem hominis? Ratio est, quia omnibus hominibus, quòd ad ærumnas, & dolores spectat, similis esse voluerit; primo autem homini Adamo similis esse noluerit; cum ille initio suæ creationis propter innocentiam, carnem habuerit passionibus, & doloribus non subiectam; idemque Adam creaturarum dominus, non in forma serui apparuerit. Hinc benè per admirationem Christo Domino dici potest ab Angelis: *Quem teipsum facis? Filius erat, & factus est tamquam seruus*, ait Bernardus; *nec solùm formam serui accepit, vt subesset; sed etiam mali serui, vt vapularet; & serui peccati, vt pœnam solueret, cum culpam non haberet. In similitudinem hominum, non hominis; quia primus homo nec in carne peccati, nec in similitudinem carnis peccati creatus est. Christus autem in vniuersalem hominum miseriam pressius, & profundius se immersit.*

Christus cur vniuersè in similitudinem hominum factus dicitur.

Bernardus supra

45. Quare Gentiles, cum Dei Filii sub humana carne humilitatem malè perciperet, ita loqui inducuntur à Volosiano scribente ad Augustinum: *Intra corpusculum vagientis infantia latet, cui parua putatur vniuersitas: patitur puerilitatis annos; adolescit, iuuentute solidatur; tamdiù à sedibus suis abest ille regnator; atque ad vnum corpusculum totius mundi cura transfertur; deinde in somnos resoluitur, cibo alitur, omnium mortalium sentit affectus; nec vllis competentibus signis tantæ maiestatis indicia clarescunt.* Nos tamen vera fide illuminati alio, quàm Iudæi, & Gentiles sensu Redemptori dicamus. *Quem teipsum facis?* Ita ne ad eam vilitatem pro nobis te Verbum omnipotens demisisti, vt habita ratione tui contemptus apud Iudæos, dicere potueris: *Ego sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis. Nullificamen populi*, legit Tertullianus; vt hinc appareat maius redemptionis, quàm creationis beneficium. Deus creator ex nihilo hominem fecit: idem, vt homines redimeret, vt *nullificamen* haberi voluit. In mundi creatione *Sine ipso factum est nihil*, ait Ioannes: sed in hominum redemptione ipsum factum esse nullificamen nos dicere possumus: si Christi Domini opprobria, & contemptum consideremus. Dei autem filium summum eus, pro nobis ex hominum contemptu factum nullificamen, si habebimus: dicere poterimus cum Apostolo: *Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.* 2. ad Corint 6.

Epist. 2. inter Ep. August tom 2

Psal. 21.

Redemptio, quàm creatio cur maius Dei beneficium,

Cap. 1.

Nihil habentes quomodo omnia possideamus.

46. In admirationem iterùm diuinæ Redemptoris bonitatis animum eleuantes dicamus: *Quem teipsum facis?* Respondet Cyprianus: *Ad terrena descendens non aspernatur Dei Filius carnem hominis induere: vt cum peccator ipse non esset, aliena peccata portaret: immortalitate interim posita fieri se & mortalem patitur, vt innocens pro nocentium salute perimatur. Dominus baptizatur à seruo; & remissam peccatorum daturus, ipse non dedignatur lauacro regenerationis corpus abluere. Diebus quadraginta ieiunat, per quem cæteri saginantur: esurit, & famem sentit; vt qui in fame sermonis, & gratiæ fuerant, cælesti pane saturarentur. Cum ad crucem Domini confundantur sidera, elementa turbentur, contremiscat terra; nox diem claudat; sol ne Iudæorum facinus aspicere cogatur, & radios, & oculos suos subtrahat, ille non loquitur, non mouetur; nec maiestatem suam sub ipsa saltem passione profitetur. Sub ipsa autem passione, & cruce, priusquam ad crudelitatem necis, & effusionem sanguinis veniretur, quæ conuiciorum probra patienter audita; quæ contumeliarum tolerata ludibria? Vt insultantium sputamina patienter exciperet; qui sputo suo cæci oculos paulò ante formasset; & cuius in nomine nunc à seruis eius Zabulus cum Angelis suis flagellatur, flagella ipse pateretur: coronaretur spinis, qui martyres floribus coronat æternis: palmis in faciem verberaretur, qui palmas veras vincentibus tribuit: spoliaretur veste terrena, qui indumento immortalitatis cæteros vestit: cibaretur felle, qui cibum cælestem dedit: aceto potaretur, qui poculum salutare propinauit.*

Lib. de Patientia.

47. Iteremus igitur admirationis voces, & Dominicam passionem contemplantes dicamus: *Quem teipsum facis?* Respondet Isaias: *Non est species ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aspectus. Itane speciosus forma præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis obscuretur in passione; turpetur in cruce; palleat in morte; ex toto non sit ei species, neque decor; vt sibi speciosam, atque decoram acquirat sponsam Ecclesiam sine macula, & sine ruga?* ait Bernardus. *Quem teipsum facis?* Respondet ibidem Isaias: *Despectum, & nouissimum virorum. Deficientem citra filios hominum*, legunt Septuaginta. Qui nascens sub humana carne minoratus erat paulo minus ab Angelis; in passione multò minus ab hominibus minoratus est. Congerantur contumeliæ omnes, ærumnæ, contemptus, & opprobria, quæ omnes homines subierunt; inter eos nouissimus, hoc est vltimus, & infimus, quoad ignominias, quas passus est, Christus Dominus reperietur. Repræsentetur mentis oculis vile agmen constans ex hominibus magis, ac magis abiectis, opprobrioque obnoxiis; qui sub dedecoris vexillo demissis frontibus procedant; hoc agmen sua in

Isaia 53.

Ser. 28. in Cant.

Psal 8.

Christus cur nouissimus virorum.

passione Christus Dominus claude se visus est; ac propterea ab Isaia dicitur hominum nouissimus, & planè infimus.

Isaia 53. Psal. 5. & Psal. 138. Christus vir dolorũ ex duplici sensu.

48. *Quem teipsum facis? Virum dolorum*, respondet ibidem Isaias. *Viri sanguinum* dicuntur maximè sanguinolenti, qui maximè humanum sanguinem sitiunt. Christus Dominus *Vir dolorum* dictus est, ob quòd præ omnibus maximè dolorificatus, dolores maximè sitierit. Præterea *Vir dolorum* dictus est Redemptor noster eo modo, quo Daniel *Vir desideriorum* est appellatus: hoc est *Vir amabilis*, vt vertit Symmachus: sicuti cœlestis sponsus dicitur Cantic. 5. *Totus desiderabilis*, hoc est totus amabilis. Danieli ergo Deus dixit: *Quia vir desideriorum es*, hoc est: Quia quidquid es, scopus desideriorum, & amorum es: & nulla est in te pars, quæ amabilis non sit: totus es amor, vndique ex amore conflatus. Similiter Redemptor noster, *Vir dolorum* dictus est ab Isaia: ob quod quidquid esset, veluti configentium dolorum scopus esset. *Posuit me quasi signum ad sagittam*, ipse Dominus apud Ieremiam testatur: ac proinde totus fuit dolor, totus ex doloribus constans. *Passus est Christus*, inquit S. Thomas, *in capite pungentium spinarum coronam: in manibus, & in pedibus fixionem clauorum: in facie alapas, & sputa: & in toto corpore flagella. Fuit etiam passus secundùm omnem sensum corporeum: secundùm tactum quidem flagellatus, & clauis confixus: secundùm gustum felle, & aceto potatus: secundùm olfactum in loco fœtido cadauerum mortuorum (qui dicitur Caluaria) appensus patibulo: secundùm auditum lacessitus vocibus blasphemantium, & irridentium: secundùm visum, vidit matrem, & discipulum, quem diligebat flentes. In capite tulit coronam*, ait S. Gregorius: *in oculis velamen: in auribus conuicia: in ore fel, & acetum: in facie sputa, & alapas: in genis vellicationem, in humeris crucem: in corde mœrorem: in visceribus concussionem: in corpore flagella: in membris extensionem: in manibus, & pedibus perfossionem. Denique à capite ad pedum plantas vsque innumera sustinuit vulnera, & dolores.*

Dantelis 9.

Thr. 3. *3. Par. q. 46. ar. 5.* Christus in sensibus omnibus cruciatus.

Gregor. in Epist.

Isai. 53.

49. Hæc igitur meditantes iterùm dicamus: *Quem teipsum facis? Quasi absconditus vultus suus.* Adeone te in ignominiam, & miseriam deiecisti; vt veluti præ pudore, & verecundia vultum tuum cogaris abscondere: & os veste velare, ne occurrentibus horrorem inicias; quod ex Leuitici lege leprosis præcipiebatur? Quare dum homines dicunt: *Nos putauimus eum quasi leprosum.* Angeli admirantes aiunt: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël saluator.* Rursus admirantes dicamus: *Quem teipsum facis? Sicut ouis ad occisionem duceris, & quasi agnus coram tondente se, obmutescis.* Ante Tribunal Præsidis constitutus Christus Dominus sicut agnus obmutuit: *Pilato non respondit*, ait Hieronymus; *vt patibulum pro nobis damnatus ascenderet. Hic agnus non solum sanguine suo nos redemit; sed & lanis operuit; vt algentes infidelitate sua veste calefaceret; & audiremus Apostolum nobis loquentem: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis: & in alio loco: Induimini Christo Iesu.*

Leuit. 13. n. 45. Isa. 53. Isa. 45. Isa. 53. Hieronymus in Isa. 53. Agnus cælestis mysticè nos suo vellere vestit. *Ad Gal. 3. Ad Rom. 13.*

50. Denique postquàm ad cœleste regnum Christus Dominus ascendit; & ad Patris dexteram vndique gloria, & decore indutus, assidet immortalis; possumus ne dicere: *Quem teipsum facis?* Sanè possumus; ita vt nunc etiam exinanire se quodammodo, exiguumque reddere pro nobis videatur, redigendo scilicet suæ Diuinitatis, sanctissimæque humanitatis maiestatem in exiguas panis, & vini Eucharistici angustias. *Hæc est exinanitio Dei facta ad vsum nostrum*, inquit Dionysius Alexandrinus; *vt possimus capere eum: hoc enim mysterium pertimescendum dicit sanctus Apostolus, quod seipsum exinaniuit. Exinaniri vocat Apostolus, capi à nobis mysterium vitæ per manus eius immaculatas, & incorruptibiles, & diuinas; vt possimus fideles eius capere eum, & fieri mansio eius, accipientes eum totum.* Per manus Redemptoris acceperunt Apostoli cœlestem Eucharistiæ cibum in vltima cœna: per manus sacerdotis diuinas manus repræsentantes, etiam nunc cælestem cibum piis fidelibus accipere datur.

Christus etiam post ascensũ in cælum quodammodo se exinaniuisse dicatur. *Epist. contra Paulum Samosatenum.*

51. Quòd si peccator à Redemptore ad seipsum mentis oculos conuertat, certè sibi dicere poterit: *Quem teipsum facis?* Ex Dei filio teipsum diaboli mancipium reddis: vocatus ad cæleste regnum, ad æternum gehennæ carcerem tendis: *cum in honore esses, comparatus es iumentis insipientibus, & similis factus es illis. Quàm dedecet*, vt ait Bernardus *in recto corpore curuam habere animam: sursum caput habere, cor deorsum spere in terra?* Quæri solet, cur Deus noxia animalia condidit? Respondet Olympiodorus: *Vt verecundia afficiatur homo, cùm comparari illis se sentit.* Pudeat igitur auarum, cum sanguisugæ similem esse se nouerit clamando semper: *Affer, affer*: dicatque sibi, *Quem teipsum facis?* Pudeat iracundum, & vltorem, cùm serpenti & tigri similem esse se sentit; dicatque sibi pudore obrutus: *Quem teipsum facis?* Exprobret sibi Chrysostomi verbis: *Vnde potero cognoscere, quòd animum habes hominis, cum calcitres asinorum more; cum lacessitus efferaris, vt cameli; cum mordeas, vt vrsi; cum rapias, vt lupi: cum fureris, vt vulpes: cum sis dolosus, vt serpentes: cum impudens sis, vt canes?* Hieronymus verborum illorum Isaiæ 50. *Veni, & non erat vir*: reddit rationem dicens: *Omnes enim, viri, & hominis imaginem relinquentes, bestiarum, & serpentium sumpsere imagines. Vnde & de Herode propter malitiam dicitur: Ite, & dicite vulpi huic: & ad Pharisæos: Genimina viperarum: & ad libidinosos, & qui insanientes in fœminas facti sunt: & de voluptuosis: Nolite mittere Margaritas vestras ante porcos: & impudentibus: Neque sanctum detis canibus.*

Peccator peccando quem seipsũ faciat. *Psal. 48. Serm. de Prouid. Olymp.* Animalia noxia cur facta sint. *7 Iober. 30.* Peccator belluis similis. *Hom. 6. in Epist. 2. ad Corint.*

Luc. 13. 32. Matth. 23. Matth. 7. 6. Hen. c. 5.

52. Hinc benè monet Ambrosius: *Omnia genera pecorum, bestiarum, & piscium in aluum natura prostrauit: vt alia ventre repant: alia, quæ pedibus sustinentur, demersa magis quadrupedo corporis gressu, & veluti affixa terris videas esse, quàm libera: Siquidem erigendi se non habent facultatem: de terra victum requirunt: & ventris in quem deflectuntur, solas sequuntur voluntates. Caue, ô homo, pecudum more curuari. Caue, ne in aluum te, non tàm corpore, quàm cupiditate deflectas. Respice corporis tui formam, & speciem congruentem celsi vigoris assume. Si sola animalia prona pascuntur, cur te in edendo sternis ipse, quem natura non strauit? Cur eo delectaris, in quo natura iniuria est? cur noctes, & dies cibo intentus pecorum more terrena depasceris? Cur illecebris corporalibus deditus, ipsum te inhonoras: dum ventri, atque eius passionibus deseruis? intellectum tibi adimis, quem Creator attribuit? Cur te iumentis comparas, à quibus te voluit Deus segregari, dicens: Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Aut si te edacitas equi, intemperantiaque delectat, & adhinnire ad fœminas voluptati est; delectet in fræno maxillas tuas, chamoque constringi. Si crudelitate pasceris: ferarum hæc rabies est, quæ propter*

Belluarum similitudo homini vitanda.

sæuitiam trucidantur. Vnde, ne in te quoque crudelitatis tuæ vertatur immanitas. Piger asinus, & expositus ad prædam, sensuque tardior, quid aliud docet, nisi nos viuaciores esse debere, nec desidia corporis, animique pinguescere; confugere ad fidem, quæ onera grauia alleuare consueuerit? Fraudulenta vulpes fouens se, latibulisque demergens, nonne indicio est infructuosum esse animal, odioque dignum propter rapinam, despectu propter infirmitatem; & ideo sua incautum salutis, dum insidiatur alienis?

Perdix alienis ouis aliénoe pullos educit, qui postea ad propriam matrem sedeunt.

Perdicem astutam nouimus, quæ aliena oua diripiat, hoc est perdicis alterius, & corpore foueat suo; sed fraudis sua fructum habere non posse; quia cum eduxerit pullos suos, amittit eos: quia vbi vocem eius audierint, quæ oua generauit, relicta ea ad illam se naturali quodam munere, & amore conferunt, quam veram sibi matrem ouorum generatione cognouerint; significantes hanc nutricis fungi officio, illam parentis. Sic itaque incassum proprios fundit B *labores, ac fraudis sua pretio mulctatur. Vnde & Ieremias ait: Clamauit perdix, & congregauit, quæ non peperit; idest oua congregauit, & clamauit, quasi ouans sua fraudis affectu. Sed ludit operam; quia impenso labore alii educat, quos ipsa diuturno fotu sedulitatis animauerit.* Detestando igitur bestiorum similitudinem, & mores, sæpius vnusquisque se interroget: *Quem teipsum facis?*

Cap. 17. 11

Lib. de dignitate humanæ conditionis c. 3.

Quapropter, ô dilectissime (monet idem Ambrosius) *quisque diligentius attendat primæ conditionis suæ excellentiam; & venerandam in seipso sanctæ Trinitatis imaginem agnoscat; honoremque similitudinis diuinæ, ad quam creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum, habere contendat: vt quãdo necesse erit vt appareat qualis sit, tunc similis ei appareat, qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adam condidit, mirabiliusque in secundo reformauit.*

Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.

53. SEnsus est: Si ego tamquam purus homo mihi humanam gloriam ad iactantiam quærerem, talis quidem gloria nihil esset. Chrysostomus homil. 45. ad populum ait: *Nihil est inanis gloria; & quamuis aliquid appareat; hoc ipsum apparens statim extinguitur, & tamquam fumus euanescit; qui vento eum eleuante disperditur.* Verè nihil est humana gloria ad vanam ostentationem quæsita; propterea ab Apostolo dicitur gloria inanis: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi*: quia scilicet veluti venti tumor quidam est, sub quo nihil soliditatis, ac veræ bonitatis inest, quod humanum cor explere possit. Expertus est hoc Alexander Macedo humanæ gloriæ sectator; qui maxima orbis terræ parte subacta, non inde tamen tantùm gloriæ emungere potuit, vt animum satiaret. Quamuis enim mundum integrum partim victoriis, partim audacis animi spe deuorasset; nihilominus vehementer tristatus est, cum à mendaci Philosopho non vnum, sed plures alios reperiri mundos audisset. Ex quo Satyricus cecinit: *Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.* Vt hinc, quàm inanis gloria esset humana constaret. Contra vero Dei gloria, quæ ex diuini honoris zelo quæritur, plena est; cum meritum habeat, cui æterna merces respondet. *Plena gloria cupidi sunt, qui gloriam Dei desiderant, & laudem virtute condignam*, ait Hieronymus.

Ad Gal. 5.

Mundana gloria vento similis, inflat, non explet.

Alexandri Macedonis inexplebilis dominandi cupiditas.

Iuuenalis Satyra x.

Ad Gal. 5.

Mundana gloria nihil esse dicitur, quòd ad nihilum hominem redigat. Hi:, & n. 60.

54. Præterea inanis gloria non solùm nihil in se est, sed etiam in sensu effectiuo nihil est; cum A hominem ad nihilum redigat spoliando illum merito, & supernaturalibus bonis. Hinc S. Basilius ait: *Fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualium operum spoliatricem, iucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum deprædatricem; eamdemque mellis illitu fraudis sui venena coloratricem, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectricem. Quod opinor ea de causa facit, vt vitio se illi auidius ingurgitent, nec vlla illius expleantur satietate.* Quàm benè Basilius coloratricem mundanam gloriam appellat? Rerum enim externam speciem tantùm oculis proponit; non autem eas secundùm rei veritatem suis sectatoribus elargitur. Si chrystallini fontis perennes latices penicillo exprimantur, non propterea posset quispiam effluentibus ex vmbratili fonte aquis sitim extin- B guere. Si pictor lautam mensam exquisitis dapibus onustam ante oculos poneret: non huiusmodi epulis ad coloratum conuiuium accedens posset quispiam expellere famem. Si aurum, si gemmæ in depicta tabula colorentur: certè nis insipienter se quisquam diuitem existimaret. Similiter quia in istis mundana gloria coloratrix est; honorum pompam secundùm externam speciem tantùm exprimit: nullis autem veris honoribus homines cohonestat. Quare qui ad humanos honores arripiendos cupidè aduolant, simili ludibrio decipiuntur, ac aues, quæ ad vuas à Zeuxide pictas aduolatũt: coloratas enim vuas rostro carpentes irritum conatum planè senserunt. Hinc dominatores terræ Sapientiæ voci- C bus affari licet. *Audite Reges, & intelligite: discite iudices finium terræ. Præbete aures vestras, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum.* Honorum pompa, quàm vobis inanis mundi gloria proponit, colorata est, non vera, & solida. Quæ vos stipat obsequentium aulicorum turba, externam tantùm speciem habet, non veritatem. Quamuis enim vestros asseclas ad vos venerandos cernuos videatis: si illorum corda introspiceretis: quàm clarè eos, non ad vestrum obsequium, sed ad suum commodum, & ambitionem vos sequi nosceretis. Quique vos extrinsecus venerari videntur, eos ipsos intus damnare vos tamquam planè ingratos, & D præmiorum parcissimos cerneretis. Quare cum Gregorio inanis gloriæ sectatoribus verè dicamus: *Si culmen veri honoris quæritis, ad cæleste regnum tendite. Si gloriam dignitatis diligitis, in illa superna Angelorum curia adscribi festinate.*

In constitutionibus Monasticis c. 11.

Mundana gloria est coloratrix dicitur.

Hic. & n. sequent.

Zeuxis depictis vuis aues decepit.

Plin lib 35. cap. 10

Sap. c. 6.

Homil 25. in Euang.

55. Ad mundanam gloriam honorum tantùm coloratricem esse, non eos reuera exhibere, significandum, dixit Apostolus 1. ad Corinth. c. 7. *Præterit figura huius mundi.* Mundi figuram dixit, eò quod in mundo honores, & pompæ veluti figurentur, & depingantur, veritatis verò sint planè expertes. Auri cupidus, auri figura in pictura expressa non caperetur: quòd eo se ditari non posse cognosceret. Neque illu- E minari se quisquam per lumen in figura depictum existimaret. Similiter si bona omnia, quæ mundus continet, figuram, non veritatem habere cum Apostolo iudicemus: certè mundana gloria, tamquam inani, & ficta non capiemur. Quòd ea ficta sit, & inanis, inde constat, quòd animum explere nequeat: sicut neque cibus in figura depictus, eò quòd fictus sit, alicuius esuriem expellere potest. Quàm inanis, & ficta humana gloria sit, præclarum testimonium posteris reliquit Augustus. Is sub vitæ finẽ teste Suetonio

Mundani honores, & pompæ apparentes tantùm, solidam veritatem non habent.

amicos

Augustus moriens histrionem se Imperatoris tempore peregisse testatus est. Roma Augusto fuit nihil Proscenium.

amicos percontatus est: Ecquid his videretur, mimum vitæ commodè transegisse? Histrionem Imperatoris personam repræsentantem, non reipsa Imperatorem se sub obitum Augustus agnouit. Quare Augusto Romæ, quam lateritiam acceperat, marmoream reliquerat, variabile tantummodo prosceoium fuit.

Mundani honores, & terrena dominia somnia sua, eaque valde breuia. *Somnia vanitate, ac imaginibus subsistunt operū.*

56. Sed ei, qui in prosceoio Imperatoris personam refert, saltem scenæ tempore honores deferuntur. Qui tamen dormiens Principem se, aut aliquo alio honoris fastigio elatum somniaret; huiusmodi honorem multò plus, quàm eum, qui in scena exhibetur, experiretur inanem. Somnia quidem sunt humanæ gloriæ fastigia, teste Nazianzeno: *sublimium thronorum, & dignitatum fastus mera sunt insomnia.* Sed B quod valde notandum est, ipsum mortalis vitæ somnium, per quod honorum adumbratæ imagines repræsentantur, breuissimum est: non est enim somnium diù dormientis, sed statim euigilantis: ita vt proptereà dixerit Dauid Ps. 72. *Velut somnium surgentium, Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* In

Psal. 72.

cælesti enim Ierusolyma, vbi vera, & perpetua felicitas est; imaginaria felicitas honorum, & gloriæ ad nihilum redigetur, hoc est, quàm futilis, & inanis sit, liquidò constabit. Hinc Augustinus ait: *Iustè Deus in ciuitate sua cælesti imaginem iniquorum ad nihilum rediget; qui in ciuitate sua terrena imaginem Dei ad nihilum redigere satagerunt.*

August. in Psal. 72.

Ægypti dominium à Iosepho inuentū, & per manipulum præsignificatum fuit.

57. Prætereà humanæ dignitatis gloriam somnium esse insinuare nobis Deus voluit; cum Iosephum ad Ægypti solium euexit. Primùm C futura Ægypti dominatio præsignificata Iosepho fuit per manipulum ex paleis, & pungentibus aristis conflatum: vt regnum cognosceremus acutis stimulis esse obnoxium; & fragili fundamento, qualis palea est, inniti: *Audite somnium meum, quod vidi: Putabam nos ligare manipulos in agro; & quasi consurgere manipulum meum, & stare; vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum*, Gen. 37.

Ioseph ad principatū Ægypti, Daniel ad Assyriorum principatū eū per Pharaonis, & Nabuchodonosoris somnia sunt elati. Daniel. c. 2. 48.

deinde quodnam medium Deus adhibuit, vt ad Ægyptium solium Ioseph eueheretur? Somnium Pharaonis, quod ipse diuinando Ægyptio regi patefecit. Similiter cum Daniel Nabuchodonosoris somnium diuinasset; *Rex Danielem in sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei: & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis, & præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis.* Si somnia sunt viæ, per quas ad honores itur; tales etiam sunt ipsi honores, quippe somniorum termini. Benè igitur Nazianzenus pronunciauit: *Sublimium thronorum, & dignitatum fastus mera sunt insomnia.*

Humana omnia vapori, & vmbræ similia.

58. Addit ibi Nazianzen. *Humana omnia*, E *metus, risus, lanugo, vmbra, ros, flatus, volatus, vapor, insomnium, fluctus, nauis vestigium, aura, puluis.* Ex quibus Nazianz. verbis inter cætera notandum est humana omnia vapori, & vmbræ comparari. Vapor caloris vi è terra sursum elatus, figuras varias in aere depingit. Sed adeo futiles, & leues, vt statim ventorum flatibus euanescant. Idem dicendum omninò est de figuris variis, Regum, Principum, Dynastarum, quas sursum eleuando inanis gloria coloratrix falsæ depingit. Figuræ per vapores in aere expressæ aliquid sunt: sed eæ, quæ vmbra exprimuntur, siue gigantis sint, siue Pygmæi; nihil planè sunt, cum lucis

A priuatione formentur. Et tamen non solùm colorum, & vaporum figuris; sed etiam vmbræ quicquid honoris, quidquid gloriæ, & pompæ in mundo continetur, verissimè comparatur; non solum Nazianzeno teste; sed etiam humanæ gloriæ sectatoribus testibus, qui apertè Sap. 5. conqueruntur: *Quid nobis profuit superbia? Aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam vmbra.* Hac veritate benè perspecta dicamus cum Dauide: *In imagine pertransit homo; sed & frustra conturbatur.* Frustrà turbatur homo, & sollicitus est in humana gloria per honorum, & dignitatum gradus acquirenda, & seruanda; cúmque ea amittitur, frustra turbatur: eò quòd non aliquid verum, sed imaginem acquirere se, vel amittere B considerare debet. *Quomodo frustra Rex conturbaretur ob amissam imaginem ligneam, vel papyraceam regni; quando regnum verum illi maneret*, ait Bellarminus. Ob eamdem rationem frustra conturbatur homo inuidendo aliis humanam gloriam, honorumque fastigia. Quis enim inuideret regi in tabula depicto, quem adumbrata penicillo auliconum turba vociferabunda comitetur. Prætereà turbari non debemus, si humanæ gloriæ imaginem amittamus, cum Dei imaginem in nobis diuinitus expressam seruare in æterna felicitate possimus. *Non sine magna sapientia*, inquit Nazianzenus, *hoc à te, Christe, constitutum est; vt res omnes huius vitæ, incertæ, & instabiles sint: nempè vt rerum firmarum, stabiliumque amore, ac desiderio inardescamus; vt*

Psal. 38.

Supra. Mortalis vitæ cur res omnes instabiles esse Deus voluit.

C *que discamus à stulta carnis cogitatione mentem abrumpere; imaginemque illam, quam diuinitus accepimus, puram, atque integram conseruare; vitam ab hac vita alienam ducere; vt denique cum altero mundo mundum hunc commutando, difficultates omnes huius vitæ, molestiásque forti animo perferre.*

59. Cum humana omnia, atque adeo mundanam gloriam vapori, & vmbræ Nazianzenus comparasset; comparat tandem pulueri. Puluis si vento exponatur, ita dispergitur, vt nihil ex eo remaneat: similiter homo inanis gloriæ vento expositus, ad nihil, quoad spiritualia bona redigitur. Propterea monet Bernardus ser. D 13. *Fratres, nemo vestrûm velit laudari in vita ista: quia quidquid hic fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tibi enim vnde gloria, putide puluis, tibi vnde?*

Nazianzenus supra. Mundana gloria pulueri, quem ventus dispergit, simili.

60. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus*, dicitur Psal. 14. vbi diabolus antonomasticè iuxtà plurium Patrum sententiam maligni nomine dicitur. Quare Matth. 6. cum Deum orare docemur: *Libera nos à malo*: seu, vt Græcè legitur: *Libera nos à Maligno*: ibi malignum intelligit Tertullianus diabolum. Diabolus E igitur ea inani gloria Diuinitatem affectandi cupidus, vt huiusmodi gloriam nihil esse caperetur, ad nihilum deductus est; detrusus scilicet ad æternam Gehennæ damnationem. *Nihilum extinctum, & fumum diffusum*, inanem gloriam vocat Chrysostomus. Nihilum hoc humanæ gloriæ extingui peccator videt; cum Gehennæ ignem in se videt accendi; fumum diffusum inanem gloriam esse cognoscit; cum tenebris æternis obruitur. Meritò ab eodem Chrysostomo, *Vana gloria Gehennæ mater dicitur*; mater scilicet, quæ suos alumnos inferorum parturit flammis, eosque cælestibus bonis spoliatos, diaboli consortes ad nihilum deducit;

Gloriam sibi captans, eam Deo furatur. Malignū nomine Diabolus appellatur. Hom. 43. ad Populum. Hom. 17. in Epist. ad Rom. Vana gloria Gehennæ mater, & numerosæ prolis parens. Ib. & n. sequen.

eò quòd despecto Dei honore, appetendo inanem hominum gloriam, quæ nihil est, nihili sectatores fuerint. Cur enim humanæ gloriç sectatores tamquam pessimi fures in æternum carcerem non detrudantur; cum debitam Deo gloriam sint furati? *Quidquid hic fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris*, Bernardus ait.

Bernard. supra.

61. Porrò mundi gloria, Gehennæ mater, quàm numerosæ prolis fœcunda parens est? Quot prouinciarum domitores, quot duces, quot Cæsares, quantam aulicorum turbam mater hæc, cum venenato ambitionis lacte inebriasset, æterno tandem incendio peperit! Cumque mater proli sit similis, mundana gloria Gehennæ similis sit, oportet. Quare mirum esse non debet, si humanæ gloriæ cupidi in hac mortali vita similes Gehennæ subeant cruciatus. Hinc mundanæ gloriæ sectatores, eò quod Gehennæ matris complexu arctissimè vinciantur, quot ærumnas, quot calamitates, quot cordiacos vultures, quàm sæuam diaboli tyrannidem experiuntur? Benè Chrysostomus ait: *Non potest gloriæ seruus homo non omnium seruus esse, & ipsis seruilior mancipiis. Nec enim talia præcipimus seruis nostris, qualia captiuos suos illa. Turpia, & dedecore plena negotia loqui facis, & pati: & quo obsequentiorem videris, hoc imperium plus adauges.* Maneat igitur benè Dominum dixisse inanem gloriam nihil esse; non solum ipsam in se, sed etiam in aliis effectiuè; eò quòd sub diaboli seruitute ad nihilum redigat peccatorem.

Ambitiosi ob mundanos honores valde cruciantur.
Hom. 43. ad populum.

62. Ridemus priscos Ægyptios, quòd cœpis, aliisque similibus tanquam Diis idololatriam exhibuerint.

Iuuenal. Satyra 15.
Ægyptii impiè, & ridiculè cœpas, & porros, vt deos venerabantur.

Porrum, & cœpe nefas violare, ac frangere morsu.
O sanctas gentes; quibus hæc nascuntur in hortis Numina.

Quàm dementer fœtidis Diis, & in stercorata terra adultis thura incendebantur? Hinc Apostolus benè pronunciauit: *Nihil est idolum in mundo.* Sanè nihil ethnicorum Dii erant. Quid enim humana veneratione dignum cœpæ, & porri habere poterant? Planè nihil. Qui inanem gloriam prosequuntur veluti cœparum veneratores sunt. Hinc Cassianus ait: *Nobis certamen est contra spiritum cenodoxiæ (quam nos vanam, seu inanem gloriam possumus appellare) multiformem, varium, atque subtilem. Pulchrè seniores nostri naturam morbi huius in modum cœpæ, bulborumque describunt; quæ vno decorticata tegmine, alio rursum inueniuntur induta: totiesque reperiuntur obtecta, quoties fuerint spoliata.* Fœtidæ huius cœpæ inuolucra idem Cassianus sic explicat: *Cui sub specie nitida vestis cenodoxiam non potuit diabolus generare; pro squalida, & inculta conatur inserere. Quem scientia, & elocutionis ornatu nequiuit extollere, grauitate taciturnitatis elidit. Si ieiunet palam, gloria vanitatis pulsatur; si illud contemnenda gloria causa contexerit, eodem vitio elationis obtunditur.* De hoc igitur inanis gloriæ idolo benè pronunciauit Paulus: *Nihil est idolum in mundo.* Hinc benè Dominus dicit: *Si ego glorifico meipsum*; scilicet tanquam purus homo ad iactantiam; *gloria mea nihil est.*

1. ad Cor. cap. 8.
Lib. 11. Instit. c. 1.
Vana gloria, honorisque cupiditas cœpis similis plura inuolucra habet.
Ibid. c. 4.

6 . Si quis ex cursoribus ad populares plausus animum intenderet, vtique à cursu retardatus, præreptum ab aliis brauium reperiret, nihilquè præmii consequeretur. Similiter homo, qui inanem mundi gloriam prosequitur, nihil planè cælestis premii consequetur. *Anima cupiens honorem, & glorificari*, ait Chrysostomus, *non videbit regnum cælorum. Non meus est hic sermo, nec mea recito verba, sed Spiritus sancti. Non videbit, licèt virtutem operetur; ait enim: Receperunt mercedem suam. Itaque, qui mercedem non accipit, quomodo regnum cælorum videbit?* Propterea idem Chrysostomus addit: *Non vides in equorum ludis, quomodo hi, qui equos agitant, non aduertunt plausum populi assidentis, nec voluptatem ex eo plausu capiunt; sed in vnum regem in medio sedentem oculos intendunt; ad vnum illum attendentes, totam multitudinem despiciunt. Hos & tu imiteris, non magnifaciendo hominum famam, sed sententiam iudicis iusti expectando, atque ad nutum eius omnia dirigendo.* Ita Apostoli monitum saruabimus: *Sic currite, vt comprehendatis*; sic Domini sententiam dicentis humanam gloriam nihil esse comprobabimus.

Cursu certantes ad Regem certaminis, ad dicem, non ad circumstantem populum plaudentes oculos intendunt. Similimodo beatitudinis brauium consequemur.
Hom. 43. ad popul.
Matth. 6.
Hom 5 in Genes.
1. ad Cor. cap. 9.

Est Pater meus, qui glorificat me.

64. QVomodo æternus Pater Christum Dominum glorificauerit, explicatum est proximo superiori Euangelio in illa verba: *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me.*

Quem vos dicitis, quia Deus vester est; & non cognouistis eum.

65. COgnitio, quam de Deo Iudęos non habere hîc dicitur, cognitio speculatiua non est; cum scriptum sit Psal. 75. *Notus in Iudæa Deus.* Sed est cognitio practica, & efficax, quę moueat ad id, quod Deus cognitus pręcipit exequendum, eumque amandum. *In hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus*, ait Ioannes Epist. 1. cap. 2. *Quisquis Deum non amat*, ait Beda, *profectò ostendit, quia quam sit amabilis non nouit: & quàm sit suauis Dominus, & dulcis, gustare, ac videre non didicit; qui eius conspectibus placere continua dilectione non satagit.* De hac cognitione dixit Augustinus: *Serò te cognoui, pulchritudo tam antiqua, & tam noua.* Nam, vt idem Augustinus ait: *Nequaquam mens fallatur, vt se existimet Deum cognouisse; si cum fide mortua, hoc est sine bonis operibus Deum confiteatur.* Hinc veram Dei cognitionem incredulos Iudęos habere Christus Dominus meritò negat. De qua Iudęorum circa Deum ignorantia est Isaię cap. 1. vaticinium: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Similiter de Iudęis dicitur Ierem. 2. *Tenentes legem nescierunt me.* Specialiter etiam de incredulis Iudæis Oseę 4 verba sunt: *Non est scientia Dei in terra*: scientia scilicet practica, quæ ad exequenda Dei mandata mentem moueat, & dirigat. Quare ibi Chaldęus legit: *Non est, qui ambulet in timore Domini in terra.* Si enim timor Domini non est, neque Dei scientia esse potest, cum scriptum sit: *Initium sapientiæ timor Domini.* Timor autem Domini esse non potest, vbi non est diuinorum

Deū aliud est practicè, aliud speculatiuè cognoscere.
Beda in Ioan. c. 8.
In Confess.
Lib. de fide, & op. c. 12.
Eccles. 1. c.
Psal. 111.

mandatorum executio: verè enim Dauid pronunciauit: *Beatus vir, qui timet Dominum; in mandatis eius volet nimis.* Ad idem confirmandum Oseæ 6. vbi dicitur: *Misericordiam volui, & non sacrificium; & scientiam Dei plusquam holocausta*: ex Chaldeo legitur: *Deum sibi complacere in operantibus legem Domini magis, quàm in offerentibus holocausta.*

In Ioan. lib. 6. c. 11.

66. Hinc benè Cyrillus Alex. ait: *Sanè ij solùm cognoscere Deum dicuntur; qui viam mandatorum eius perambulant, neque ab ea quaquauersum declinant. Ideo de filys Heli peruersis, & ministeria sacerdotij indignè fungentibus dicit Scriptura:*

1. Reg. c. 2.

Petro filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum. Et Paulus de transgressoribus mandatorum Dei scribens ad Titum dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Itaque mendaces erant Iudæi, qui dicebant se cognoscere Deum, quem tamen non cognoscerunt: sed illam sese dictitabant, quem nesciebant, cuius repulerunt verba, & repudiarunt mandata. Sed quæ pœna Deum tali modo ignorantibus datur? Illa, quæ ab Apostolo pronunciatur: *Si quis ignorat, ignorabitur.* Ignorabitur scilicet à Deo non simpliciter, cum Deus omnia cognoscat; sed ignorabitur, eò quòd de talibus Deus non habeat cognitionem illam de qua dicitur ab Apostolo: *Cognouit Dominus, qui sunt eius*; & à Domino ipso dicitur: *cognoscunt me meæ.* Deum enim aliquid nescire, illud reprobare significat iuxtà regulam Origenis in cap. 8. Epist. ad Rom. & Gregorij 2. Moral. cap. 4. Ignorabitur ergo à Deo ignorans Deum; siquidem à Deo non cognoscetur cognitione amicitiæ, & familiaritatis; non cognoscetur ex numero eorum qui ad æternam beatitudinem sunt prædestinati: non cognoscetur scientia approbationis, vt aiunt Theologi.

ad Titum cap. 1.

1. ad Cor. c. 14. n. 38. 2 ad Tim. cap. 2. Ioan. 10. Deus eos reprobare dicitur, quos dicitur ignorare.

67. Quare cum homo Dei cognitionem habet tantùm speculatiuam, non autem practicam, quæ ad diuinam legem seruandam dirigit: Similiter Deus cognitionem quidem hominis habet, non tamen cognitionem talem, quæ ad ei benefaciendum, vt amico, & filio se extendat, Agricola post messem quamuis in area & triticum, & paleas ante oculos habeat; ad frumentum quidem in horrea colligendum animum intendit, ab auolantibus autem paleis ita animum auertit, ac si eæ ante oculos non forent, easque non videret. Hinc Tertullianus ait: *Cognoscit Dominus qui sunt eius. Palam in manu sua portat ad purgandam aream suam. Auolent quantum volent palea leuis fidei quocumque afflatu tentationum; eò purior massa in horrea Domini reponetur.*

Deus agricolæ sim his paleas ventilanti. Lib. de præscrip. c. 3. Ser. 40. in paruis. Deus multiplici modo cognoscit, & cognoscitur.

68. Sanctus Bernardus egregiè ait: *Quidam sunt, qui à Deo cognoscuntur, & Deum cognoscunt: alij non cognoscuntur, nec cognoscunt: alij cognoscuntur quidem, sed ipsi non cognoscunt: alij non cognoscuntur, & tamen cognoscunt. Cognoscere Dei, est felicem facere: cognoscere hominis, est gratias agere. Qui ergo cognoscuntur à Deo, & Deum cognoscunt, sancti Angeli sunt, qui ab eo felices facti, eius laudibus semper vacant, & obsequijs deseruiunt. Qui nec cognoscuntur, nec cognoscunt, pauperes sunt necessarij; quos nec rerum temporalium copia ditat, nec beatificat seruitus diuina. Qui autem cognoscuntur, sed non cognoscunt, diuites sunt huius seculi, qui acceptis quidem opibus affluunt; sed carnalibus desiderijs huius seculi pressi numquam ad cælestia cor suspendunt. Qui verò non cognoscuntur, & cognoscunt, pauperes sunt voluntarij, quos nec tribulatio, nec angustia, nec alia quæcumque pericula possunt separare à charitate Dei. De his ergo vox diuina dicit: Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi; ac si apertè diceret Angelis suis: Quid si vos mihi seruitis, quos felices facio: quandoquidem mihi seruiunt, quos in sua paupertate derelinquo? Et quid si vos mihi obeditis, qui faciem meam videtis; cum & illi obediant, qui me tantùm audiunt, & non vident?* Quàm felix est voluntaria paupertas, quæ hominem supra Angelos euehit; & pauperem squalorem cælesti Angelorum splendori præfert? Voluntaria paupertas alchimia quædam est, quæ spernendo terrenas opes tam pretiosas reddit, vt cælestibus opibus sint præferendæ. Nam in cælorum regno cælestes opes beatis Angelis à Deo dantur: in terris verò terrenæ opes per voluntariam paupertatem Deo offeruntur: ex Domini autem sententia, *Beatius est dare, quàm accipere.* Homo cum naturali vitæ nascitur, de eo dicitur: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Idem cum religioso ordini adscriptus renascitur, per voluntariam paupertatem, ex Bernardi sententia supra Angelos eleuatur.

Psal. 17.

Paupertas voluntaria homines supra Angelos euehit. Paupertas voluntaria alchimia quædã est.

Act 20. Psal. 8.

Ego autem noui eum; & si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax: sed scio eum, & sermonem eius seruo.

69. Confirmat hæc verba quod supra diximus, scilicet veram Dei cognitionem cum diuinæ legis obseruatione debere coniungi. His ergo Domini verbis consonat Ioannis sententia 1. Epist. capite 2. *Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, hic mendax est, & in hoc veritas non est*; idest iuxta Hugonem: *In hoc fidelitas non est*; cum eius lingua, quæ Deum confitert videtur, praui cordis interpres, sit infidelis, & mendax. Vel *in hoc veritas non est*; quia iuxta Apostolum huiusmodi homines *confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Vbi Hieronymus ait: *Christus est sapientia, iustitia, veritas, sanctitas fortitudo: negatur per insipientiam sapientia; per iniquitatem iustitia; per mendacium veritas; per turpitudinem sanctitas; per imbecillitatem animi fortitudo: & quoties vitiis vincimur, Deum negamus.* E contrario quoties boni quid agimus, non ore, sed reipsa Deum confitemur. Dionysius similiter in omni peccato, & præuaricatione mandatorum Dei, mendacium contineri asserit: propterea Psal. 115. dicitur: *Omnis homo mendax*: cum quilibet ex se sit peccatis obnoxius. Mendacium autem consistit in eo, quòd cum homo sit Dei imago, talis imago suo diuino prototypo per peccatum non respondet.

Malè operantes Deũ practicè negant. Ad Tit. c. 1. n. 16.

Carthus. in Ioan. Ep. 1. c. 2. Peccatum quodlibet, mendaciũ quoddã est. Omnis homo cur mendax dicatur. Cap. 12.

70. Concilium Arausicanum ait: *Veritas, & iustitia ab illo fonte est (scilicet à Deo) quem debemus sitire in hac eremo; vt ex eo tamquam guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.* Huiusmodi veritatis irrorationis omninò expertes erant Pharisæi, & Scribæ increduli; quippe qui ob superbiam veluti elati Gelboë montes erant; quibus dicitur 2. Reg. 1. *Montes Gelboë nec ros, nec pluuia veniant super vos, vbi ceciderunt*

Pharisæi cur Gelboë montibus similes.

fortes Israël. Israëlitæ diuina lege diuinisque beneficijs, & miraculis corroborati, *Fortes Israel* erant. Hi tamen à veritate aberrantes in incredulitatem ceciderunt, Pharisæorum, & Scribarum exemplum secuti. Propterea mendaces facti, à cælesti veritate non irrotabaotur: hinc iis Dominus ait: *Si dixero, quia non scio eum,* scilicet æternum Patrem, *ero similis vobis mendax.*

71. Mendaces erant Iudæi, tum quia per falsam calumniam Christum Samaritanum, & dæmoniacum appellabant: tum quia Euangelicam fidem reiiciebant, & prauis operibus à diuina lege recedebant. Hinc de iis dicitur Psal. 17. *Filij alieni mentiti sunt mihi.* Filij alieni, scilicet à cælesti Patre alienati, & facti generatio adultera, mentiti sunt contra me: *Quicumque non obediunt Deo, secundùm naturam quidem filij eius sunt; quoniam ab eo facti sunt; secundùm autem opera non sunt; sed potius diaboli, quem imitantur,* ait Irenæus. Quare de incredulis Iudæis, Christi tempore viuentibus, iuxtà Hieronymum dicitur Isaiæ 1. *Filios enutriui, & exaltaui; ipsi verò spreuerunt me;* scilicet Samaritanum, & dæmoniacum appellantes: *Spreuerunt me,* me crucifigentes, interpretatur Zeno Veronensis Episcopus. Hinc benè Iudæis exprobratur: *Haccine reddis Domino, popule stulte, & insipiens? Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?*

Lib. 4. cap. 79.

Ser. 1. de Isaia.

Deut. 32.

72. Sub figura Patriarchæ Iosephi, cui falsum imputatum est crimen, dicitur de Christi calumniatoribus Iudęis: *Mendaces ostendit, qui maculauerunt illum.* Vbi Bonauentura ait: *Per Iosephi diuinam exaltationem ostensum fuit, & credendum totum esse mendacium; ipsa etiam muliere forte hoc recognoscente.* Similiter per Christi resurgentis exaltationem, non ad Ægypti solium, sed ad cælestis Ierosolymæ regnum; & per signa, & prodigia, quæ in ipsius passione contigerunt, ostendit Deus mendaces fuisse Christi Domini calumniatores; ipsis etiam Iudæis antea incredulis suum scelus recognoscentibus: *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur. Et Centurio vidit, quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens: Verè hic homo iustus erat.*

Sap. 10.

Mulier, quę Iosephum accusauerat eius postea innocentiā confessa est. Similiter Iudaica turba Christi innocentiā est testata.

Luc. 23. n. 48.

73. Inter humanæ gloriæ sectatores, si quis mendax appelletur, duello aduersarium prouocare solet; vt illius sanguine illatam mendacij labem expiet: mendax appellatus Iudæus à Christo, eum extra Ierosolymam in Caluariç monte duello prouocauit; de quo dicitur: *Mors & vita duello conflixere mirando.* In hoc tamen duello non inuitus proprio sanguine aduersarii labem voluit Dominus expiare. Ex quo factum est, vt plurimi Iudæi mendacii falsitate reiecta, veritatis sectatores se postea ostenderint. Quare cum ad Iudæos post Domini resurrectionem verba faceret Petrus. *His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Deinde etiam loquentibus Petro, & Ioanne, *Multi eorum, qui audierant verbum, crediderunt, & factus est numerus virorum quinque millia. Hic est fructus orationis Christi in cruce pro crucifixoribus,* ait Augustinus in Psalmum 43.

Christi cum calumniatoribus Iudęis duellum.

Act. 2. n. 41.

Act. 4.

Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est.

74. Qværitur quinam sit dies hic ab Abrahamo visus? Respondent primò aliqui, diem hunc fuisse diem passionis Christi. *Diem meum* (inquit Chrysostomus, cui subscribit Cyrillus) *hoc in loco crucem mihi significare videtur; quam in arietis oblatione, & in Isaac præsignauit.* Confirmatur hæc sententia ex verbis Augustini 16. de Ciuit. c. 32. dicentis: *Hieronymus Presbyter scripsit se certissimè à senioribus Iudæorum cognouisse, quod ibi immolatus sit Isaac, & Adam sepultus, vbi postea Christus est crucifixus.* Similiter Ambrosius lib. de Abraham c. 8. ait: *Ecce aries vnus suspensus cornibus in virgulto Sabec. Quis significatur nisi ille, de quo scriptum est Psal. 148. Exaltauit cornu populi sui? Cornu nostrum Christus est eleuatus, & exaltatus à terris: hunc vidit Abraham in isto sacrificio; huius passionem aspexit; & ideo ipse Dominus ait de eo: Abraham voluit videre diem meum; vidit, & gauisus est. Vnde ait Scriptura: Vocauit Abraham nomen loci illius: Dominus vidit; vt dicant hodie: In monte Dominus apparuit; hoc est, quòd apparuerit Abrahæ reuelans futuram suo passionem corporis, qua mundum redemit, demonstrans etiam genus passionis, cum suspensum ostendit cornibus arietem. Virgultum illud patibulum crucis est.* Tenui virgulto ingentem crucis trabem præsignificare voluit; nec mirum; quandoquidem sua in passione per Dauidis vaticinium Dominus dixit: *Intrauerunt, seu inundauerunt aquæ vsque ad animam meam:* & tamen pœnarum inundationem, & largifluam sanguinis effusionem calicem appellauit Ioannis 18. *Calicem, quem dedit mihi pater, non bibam illum?* Hoc proprium amoris est, vt amanti magna toleranti, eadem modica videantur.

Dies Domini ab Abrahamo expetitus, & visus, dies Dominicæ Passionis. Quod refellitur n. 75.

Chrysost. in Ioan. hom. 54. Cyrill. in Ioan. l. 6. c. 11

Caluariç mons tum Isaaci, tum Christi sacrificii locus.

Genes. 22.

Virgulto cur crucis trabs comparatur.

Psal. 68.

75. Circa allatam Ambrosii, aliorúmque sententiam difficultas occurrit: Nam Abraham, cum in oblatione Isaac, & arietis præcognouit Redemptoris passionem, exultauit tunc quidem, hoc est magno gaudio animum in spem erexit, certò sperans videre redemptionis diem illum, qui ei in figura reuelabatur; nondum tamen talem diem viderat; quia hæc loquente Domino, nondum Domini passio contigerat; ex quo de passionis die dici non potuit: *Vidit, & gauisus est.* Distingui enim videtur in Domini verbis dies prout Abrahamo reuelatus, ab eoque expetitus, & speratus, & dies prout realiter, & præsens visus. *Non ait,* inquit Augustinus: *Exultauit, quia vidit: sed exultauit, vt videret. Credens vtique exultauit sperando, vt videret intelligendo, & vidit.* Præterea per allata verba ostendere vult Christus ab Abrahamo patre, quo gloriabantur, degenerasse Iudæos; cum ille videns eius diem gauisus sit; Iudæi verò tale gaudium non habuerint. Quod si de passionis die sermo foret, hoc falsum esset; cum die Dominicę passionis Iudęi vehementer exultauerint. Sed responderi potest in hoc etiam se degeneres Abrahæ filios ostendisse: cum ille tali die lętatus sit ob humani generis redemptionem; Iudęi verò, eò quòd Christum sibi inuisum de medio sustulerint.

in Ioan. tract. 43. c. 8.

76. Secundò Gregorius, & Cyrillus supra citatus, existimant diem illum fuisse, quo in valle Mambre mysterium Trinitatis Abrahę est reuelatum, de quo Genes. 18. *Tunc diem Domini Abraham vidit,* ait Cyrillus, *cum in figura summæ*

Greg. hom. 18. in Euāg. Cyrill. in Ioan. lib. 6. c. 21.

[Dies Domini visus ab Abrahamo fuit, cum ei apparentibus tribus Angelis Trinitatis mysterium est reuelatum: quod refellitur.]

Trinitatis tres Angelos hospitio recepit: quibus profectò susceptis, sic tribus quasi vni locutus est: quia etsi in personis numerus Trinitatis est; in natura tamen vnitas est Diuinitatis. Hæc interpretatio non placet; nam quidquid sit, an tunc reuelatum sanctissimæ Trinitatis mysterium Abrahæ fuerit; talis tamen reuelatio ad tres personas sanctissimæ Trinitatis, non specialiter ad Dei filium spectabat; atque adeo reuelationis illius diem non peculiariter suum Christus Dominus appellasset. Dicendum potius est medium inter duos Angelos repræsentasse Abrahamo Dei filium sub humana carne nasciturum; qui propterea præ aliis comitibus Angelis illustrior Abrahæ visus B est; & ad eum sermonem conuertit dicens: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum. Ne admireris*, inquit Chrysostomus, *quod cùm tres exceperit, ad vnum se conuertere iustus dicens: Domine. Fortassis enim vnus gloriosior cæteris apparebat, ad quem exhortationem suam conuertit.* Similiter Ambrosius: *Tres videt, & vnum Deum appellat; ipsi vni soli se seruum fatetur. Deinde conuersus ad duos, quos ministros arbitrabatur, etiam ipsis deferre gestit obsequium.* Hoc ipsum indicare videtur Hieronymus Danielis 8. dicens: *Abraha ad quercum Mambre tres visi sunt viri; è quibus vnus adoratur, vt Dominus: vnde & Saluator loquitur in Euangelio: Abraham vidit diem meum; vidit, & lætatus est.* In eamdem C sententiam Eucherius ait: *In tribus viris, qui venerunt ad Abraham, Domini Christi prænunciabatur aduentus; cum quo duo Angeli comitabantur; quos plerique Mosem, & Heliam accipiunt; vnum priscæ legis latorem, qui per eamdem legem aduentum Domini indicauit: alium, qui in fine mundi venturus est, denunciaturus secundum aduentum Christi, atque eius Euangelium prædicaturus.* Hoc igitur talis apparitionis die præ gaudio exultauit Abraham certo sperans videre tandem reipsa, quod tunc illi per mysterium repræsentabatur. Quem diem postea vidit, vt n. 80. dicetur.

[Gen. c. 18. in Gen. hom. 45.]

[Ambros. lib. 1. de Abraham c. 5.]

[Lib. 2. in Gen. c. 27.]

[Dies Domini ab Abrahamo expetitus, & visus, dies Dominicæ annuntiationis fuit. Hic, & n. 80.]

77. Præterea inter duos comites Angelos Dei filium sub humana carne nasciturum apparuisse Abrahæ concorditer asserunt Iustinus in dialo- D go; Eusebius lib. 1. historiæ cap. 1. Athanasius ser. 3. contra Arianos: Hilar. lib. 4. de Trinit. Cyrillus Ierosolym. Catechesi 11. & 12. Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 10. & 11. vt notat Fauardensis in Irenæum lib. 4. cap. 15. Tertull. etiam lib. de carne Christi cap. 6. apertè ait: *Tunc quoque inter illos Angelos ipse Dominus apparuit Abrahæ sine natiuitate, cum carne scilicet.* Et lib. 3. contra Marcionem cap. 9. de Dei filio loquens ait: *Ipsi cum Angelis tunc apud Abraham in veritate qualem carnis apparuit, sed nondum natæ, quia nondum moritura; sed & discentis iam inter homines conuersari.* Sed an in illa vera caro, an probabilius apparens fuerit iuxtà alios Doctores benè idem Tertullianus posteà dubitans ait: *Nihil de eo constat, quia scriptura non exhibet.*

[Dei filius an verè sub humana specie inter duos comites Angelos Abrahamo apparuerit. Hic, & n. sequenti.]

[Sup. de Carne Christi.]

E 78. Præterea Augustinus 16. de ciuit. capite 29. *Deus apparuit Abrahæ ad quercum Mambre in tribus viris, quos non dubitandum est Angelos fuisse; quamuis quidam existiment vnum in eis fuisse Dominum Christum, asserentes eum etiam ante indumentum carnis fuisse visibilem. Est quidem diuina potestas, & inuisibilis, incorporalis, incommutabilisque natura sine vlla sui mutatione etiam mortalibus aspectibus apparere, non per id, quod est; sed per aliquid, quod sibi subditum est. Quid autem illi subditum non est?* Obiicit tamen contra hanc sententiam Augustinus, quòd recedente medio Angelo, qui Christum repræsentasse dicitur, & venientibus ad perdendam Sodomam aliis duobus Angelis, adhuc Loth singulariter eos appellando, Domini vocabulo vtitur. Hinc sic arguit Augustinus: *Dixit Loth ad illos: Oro, Domine, quia inuenit puer tuus misericordiam ante te. Deinde post hæc verba singulariter illi respondit Dominus, cum in duobus Angelis esset, dicens: Ecce miseratus sum faciem tuam. Vnde multò est credibilius, quòd Abraham in tribus, & Loth in duobus viris Dominum agnoscebant, cui per singularem numerum loquebantur; etiam cum eos homines esse arbitrarentur. Neque enim aliam* B *ob causam sic eos susceperunt, vt tamquam mortalibus, & humana refectione indigentibus ministrarent. Sed erat profectò aliquid, quo ita excellebant; licet tamquam homines; vt in eis esse Dominum, sicut esse assolet in Prophetis, hi, qui hospitalitatem eis exhibebant, dubitare non possent; atque ideo & ipsos aliquando singulariter, vt in eis Dominum appellabant.* Quæ Augustini sententia licèt vera sit; non tamen repugnare videtur, quominus Abraham non simpliciter, vt Loth in illis hospitibus Deum agnouerit; sed etiam ex peculiari lumine diuinitus dato Dei filium sub humana carne nasciturum; iuxta id, quod supra Hieronymus, & Eucherius insinuare videntur. Probabiliter etiam dici posset Loth ex duobus Angelis vnum singulariter esse allocutum; eo quòd C in illo maius aliquid dignitatis præ altero aspexerit; sicut supra de medio Angelo Chrysostomus dixit. Cum enim iuxtà S. Thomam Angelus alio Angelo sit secundùm speciem perfectior; probabile est talem maiorem perfectionem per externam etiam assumptam figuram fuisse manifestam. Hebræi apud Lyranum, & Tostatum putant medium Angelum, quem repræsentasse Dei filium diximus, fuisse Michaëlem; qui à dextris Gabrielem, & à sinistris Raphaëlem habebat. Quare absente Michaele, ad Gabrielem, quippe digniorem, cui propterea dextera tribuebatur, Loth sermonem conuertisse probabile est

[Gen. c. 19.]

79. Hîc autem non est prætereundum, cum D ad Sodomam igne delendam reliqui duo Angeli proficiscerentur; medium Angelum repræsentantem Dei filium sub humana carne futurũ humani generis Redemptorem, constitisse: *Conuerterunt se inde, & abierunt Sodomam; Abraham verò adhuc stabat coram Domino*: hoc est, coram medio Angelo Dei filium repræsentante. Vt hinc Dei filij propensio ad misericordiam, & quàm alienus foret ab hominum perditione constaret. Quare de diuina vindicta, & hominum punitione dicitur Isaiæ 28. *Dominus irascetur, vt faciat opus suum; alienum opus eius: Vt operetur opus suum! Peregrinum est opus eius ab eo. Non est opus Domini perdere quos creauit: sed facere opus alienum; quod ad crudelitatem magis, quàm ad clementiam* E *pertinet. Non est opus eius punire peccantes; sed peregrinum, & alienum ab eo, vt puniat, qui Saluator est*, ait ibi Hieronymus. Benè igitur Dominus ad Sodomæ incendium euntibus comitibus Angelis, ipse constitit; alium ignem postea in homines diffusurus; qui scilicet ignis homines non perderet, sed saluaret. De quo dicitur: *Ignem veni mittere in terrã; & quid volo, nisi vt accẽdatur?* Luc. c. 12. n. 46.

[Gen. c. 18. 22.]

[Vltio opus alienum à Deo. Dei ad misericordiam propensio. Angelus repræsentans Dei filiũ, cui cum Abrahamo constitit, abeuntibus duobus Angelis ad Sodomam incẽdendã.]

80. Tertiò probabilius August. tract. 49. in Ioan. Irenæus lib. 4. c. 15. asserunt diem propriè, de quo hic est sermo, diem illum intelligi debere, quo Dominus venturus erat in carne. Idem sentit etiam Cyrillus, & addit Abrahamum

[Dies Domini ab Abrahamo expetitus, & visus, dies Dominicæ natiuitatis fuit. Supra.]

diem Domini vidisse, hoc est oculis cordis cognouisse, vt loquitur Augustinus, per internam reuelationem, & Angelorum etiam annunciationem. *Cum editus est in mundum*, inquit Cyrillus, *Virgineo partu Dominus noster; quis addubitauerit Angelos antiquis illis patribus annunciasse Saluatoris ortum; sicut & in terris annunciauerunt pastoribus? Et tunc sanè Abraham vidit diem Domini; de quo dicit Psalmus: Hæc dies, quam fecit Dominus; exultemus, & lætemur in ea. & gauisus est illum diem salutiferum tandem aduenisse, quem vt videret, multis ante seculis, & annis exultauerat: cum scilicet adhuc in carne positus repromissionem accepit Christum ex se nasciturum esse.* Hanc repromissionem Dei Filii sub humana carne venturi accepit Abraham Genes. 12. cum illi à Deo dictum est: *In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ*: & Genes. 22. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*: scilicet in Christo ex progenie tua nascituro, vt explicat S. Petrus Actor. 3. num. 25. & S. Paulus ad Galatas 3. dicens: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius: Non dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno: & semini tuo, qui est Christus.* Promissio hæc de Dei Filio nascituro tanta fuit, vt ad fidem habendam, eam Deus licèt summè verax iuramento confirmare voluerit, dicente Zacharia Lucæ 1. *Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum*, ait S. Paulus ad Hebræos 6. Porrò citato Genesis loco, cum dicitur: *In te*, hoc est; *In semine tuo*, vt deinde explicatur; idem est, ac dicere: *Per te*, hoc est per semen tuum. Præpositio enim *In*, seu ב beth apud Hebræos ad causam, aut instrumentum significandum sæpissimè ponitur, vt ad Ephes. 1. *Gratificauit nos in dilecto filio suo*, hoc est, per dilectum filium suum: & Psal. 73. *In securi, & ascia deiecerunt eam*, hoc est per securim, & asciam.

Ps. 117. 24.

81. Quod promissio facta Abrahæ Genes. 12. fuerit de futuro Messia ex eius progenie nascituro, benè probat Pererius Genes. 22. disp. 13. contra Burgensem, cui Ambrosii verba suffragantur. Rursus quod Abraham habuerit apertam de eo, quod promittebatur, reuelationem, sic probat Augustinus. *Abraham quando misit seruum suum, vt peteret vxorem filio suo Isaac, ait seruo suo, quem mittebat: Pone manum sub fæmore meo, & iura mihi per Deum cæli. Quid vult Deus cæli ad fæmur Abrahæ? Iam intelligitis sacramentum, per fæmur genus. Ergo cur fuit illa iuratio, nisi quia significabatur de genere Abrahæ venturum in carne Deum cæli? Multi reprehendunt Abraham: quia dixit: Mitte manum sub femore meo. Qui reprehendunt carnem Christi, reprehendunt factum Abrahæ. Nos autem, fratres, si agnoscimus carnem Christi venerandam, illud fæmur non contemnamus.* Idem argumentum affert Cyrillus in Ioannem lib. 6 cap. 15.

Ambros. lib. de Abrahā c. 3.
Abrahā per reuelationē futurum Incarnationis mysterium cognouit.
In Ioann. tract. 43.
Gen. 24.

82. Ad extremum quæri hîc potest, an talis dies, quem videre Abraham expetiit, & tandem per reuelationem vidit, dicā sit Dominicæ Incarnationis in vtero Virginis, an dies Dominicæ natiuitatis ex Virginis vtero? Irenæus videtur insinuare fuisse diem Dominicæ natiuitatis. Idem apertè asserit Cyrillus supra citatus. Placet tamen magis per diem hunc intelligere diem Dominicæ Incarnationis; quod significare videtur Augustinus supra citatus, absolutè asserens diem hunc esse, quo Dominus venit in carne. Ratio huius est, quia teste Ambrosio: *Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia*: & ex veteri Prouerbio: *Qui citò dat, bis dat.* Quare probabilius est lætitiam Abrahæ non fuisse dilatam vsque ad Domini natiuitatem; sed ei communicatam fuisse ipso die Dominicæ Incarnationis. Quòd si ante Domini natiuitatem gaudium illius aduentus communicatum fuit Elisabethæ, Ioanni Baptistæ, & Zachariæ dicenti: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.* Si, inquam, Dei iusiurandum factum Abrahæ, quod seipsum daturus esset, intellexit Zacharias de Domini Incarnatione, ex eadem iam completa per reuelationem lætitiam percepisse Abrahamum dicendum est. Non enim probabile est alius gaudium ex Dominica Incarnatione habuisse ante illum, cui circa tale beneficium factum erat iusiurandum. Similiter si propter Domini Incarnationem cordis oculis cognitam exultauit in vtero Ioannes; propter eamdem reuelatam exultasse etiam Abrahamum, dici debet; qui multis ante annis spiritu exultauerat, vt eam videret. Per hoc tamen non negauerim cognouisse etiam Abrahamum vnà cum reliquis iustis, in limbo Dominicæ natiuitatis diem, vt docet Cyrillus supra citatus.

Dies Domini ab Abrahamo expetitus, & visus probabilius fuit dies Domini Conceptionis in Virginis vtero.
Suprà.
Lib. 2. in Luc.
Lucæ c. 1.
Lucæ 1.

83. Psalm. 67. dicitur: *Æthiopia præueniet manus eius Deo*: alia lectione legitur: *Æthiopia celeriter protendet manus suas ad Deum.* Per Æthiopiam Gentilitatem intelligit Gregorius, infidelitate, cæterisque peccatis nigram. Cum autem Magi Reges infantis Dei pedes osculando complexi sunt, tunc Gentilitas per manus regias, manus suas ad Redemptorem amplectendum protendit iuxta Chrysologum serm. 160. Porrò, sicut per Magorum Regum manus natum in carne Deum Gentilitas est complexa; ita Abraham vehementer expetens Redemptorem natum amplecti, id per Simeonis iusti manus præstare illi licuit. Quod insinuare videtur Irenæus, dicens: *Abraham concupiuit eam diem videre, vt & ipse complecteretur Christum; & per spiritum prophetiæ eam videns exultauit. Propter quod & Simeon ex semine eius re implebat gratulationem Patriarchæ.*

Æthiops Gentiles significat.
18 Moral. c. 67. vel 35.
Ab Abrahā Simeonis manibus Christū amplexus est.
Supra.
Lucæ 2.

Dixerunt ergo Iudæi ad eum: quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?

84. EX eo, quòd dictum fuerat vehemens desiderium Abraham fuisse videndi Christum, eumque tandem vidisse; arguunt Iudæi inter eos mutuam familiaritatem intercedere debuisse; ita vt etiam Christus Abrahamum viderit. Quod quidem benè arguebant, scriptum est enim Prouerb. 8. num. 17. *Ego diligentes me diligo.* Quæ verba de Christo interpretatur Hieronymus in Oseam 14. Beda, & alii. Quare Dominus Ioan. 14. dixit: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Nihilominus Christi Domini verba tamquam falsa Iudæi reiiciunt, dicentes: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Quasi dicerent Etiam si tibi multò plures, quàm habes annos concederemus, adhuc tamen fieri non potest, vt Abraham videris. Idque dicebant, cum non de spiritualibus mentis oculis, sed tantùm de corporeo visu verba Domini intelligerent.

1. ad Cor. 2. 1.

Quare bene dixit Apostolus, *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere.* De Anima animalitatis, hoc est sensuum, & naturalis tantùm luminis ductum sequente, ait Bernardus: *Nescit nisi corporea imaginando cogitare.*

Bernard. vel alius grauis auctor de vita solit.

Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.

85. His verbis apertè suam Diuinitatem indicare Dominus voluit dicendo: *Ego sum*, potius, quàm fui: Nam, vt benè Gregorius ait: *Omne, quod mutatur, desinit esse quod fuit; & incipit esse quod non fuit. Dei verò esse, est dissimiliter numquam esse. Vnde ad Moysen dicitur: Ego sum, qui sum. Et dices filijs Israel: Qui est misit me ad vos. Iacobus quoque ait: Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Præclarum opusculum de Dei immutabilitate Philo scripsit, quod tomo 1. circa medium habetur. *Æternitas*, inquit Augustinus, *est Dei substantia, quæ nihil habet mutabile: ibi nihil est præteritum, quasi iam non sit, nihil est futurum, quasi non dum sit: quia non est ibi, nisi est:* Abraham, cum tamquam creatura communicatum, & participatum à Deo esse habuerit, dicitur factus. Christus verò cum secundùm Diuinitatem à se esse habeat, non ab alia causa participatum; benè de seipso dicit: *Ego sum. Deus*, inquit Bernardus, *amat vt charitas; nouit vt veritas; sedet vt æquitas; dominatur vt maiestas; regit vt principium; tuetur vt salus; operatur vt virtus, reuelat vt lux; assistit vt pietas: quæ omnia faciunt & Angeli; facimus & nos; sed longè inferiori modo; non vtique bono, quod sumus, sed quod participamus: Deus autem hoc ipso, quod est. Ait enim: Ego sum, qui sum.* Exodi 3.

Hom. 2. in Ezech.

Exodi 3.

Iacob ep. c. 1.

Aug. in Ps. 101. Conc. 2 Æternitas quid sit.

L. 5. ad Eug. Dei attributa.

86. Citato Exodi loco Septuaginta, quos sequitur S. Iustinus martyr, legunt: *Ego sum ille ens.* Putat Iustinus Deum se ens appellasse ad distinctionem Idolorum, quæ quoad Deitatem spectat, nihil sunt: *Nihil est Idolum in mundo*, ait Apostolus. Verissimum hoc quidem est: sed addere possumus ad distinctionem rerum omnium creatarum, Deum dici absolutè ens. Ratio huius est, quia iuxta Philosophos denominatio desumitur à potiori parte: in creatura autem potiorem partem habet non ens, quàm ens. *Qualibet res creata plus habet non entis, quàm entis*, ait Plato in Theæteto: Quamuis enim quodlibet creatum suum esse habeat; habet tamen non esse aliarum omnium rerum: quare quoad non esse dicit infinitatem; quoad esse verò, certam limitationem includit. Contra verò *Deus est, qui vniuersitatem rerum omnium complectitur*, vt idem Plato ait: *Deus est quod est*, inquit Bernardus; *est suum ipsius, & omnium aliarum rerum esse: ipse sibi, ipse omnibus est.* Quare sicut vmbra, quamuis non omnimodam obscuritatem habeat, cum aliquid lucis habeat admistum, ideoque videatur: nihilominus stultè vmbra lucida diceretur; cum obscura potius sit dicenda ob magnum prædominium obscuritatis. Similiter creatura, cum in ea non esse supra esse valdè prædominetur, absolutè ens dici non potest. Hoc indicare volunt sacræ litteræ, cum in eis tam frequenter homo, eiusque mortalis vita vmbræ comparatur. Psalm. 101. *Dies mei sicut vmbra declinauerunt.* Psalm. 108. *Sicut vmbra, cum declinat, ablatus sum.* Psalm. 14. *Homo vanitati similis factus est; dies eius sicut vmbra prætereunt.* Iob similiter de homine ait: *Fugit velut vmbra, &*

In exhortatione ad Gentes.

1. ad Cor. c. 8.

Deus quare absolutè ens dicatur; secus verò creatura.

L. 5. ad Eug.

Homo cur vmbræ comparatur.

Iob c. 14.

A *numquam in eodem statu permanet.* Quia homo numquam in eodem statu permanet, ideo non sicut Deus dicere potest: *Ego sum*: quia dum dicit: *Ego sum*, semper mutationem aliquam subit, & ad corruptionem tendit, adeoque falsò diceret: *Ego sum.* Sicut qui laberetur, falsò diceret: *Ego sto.* Dicere ergo creatura potius debet: *Ego non sum*, qualis scilicet modò fui. Quod quidem cognouit Plato asserens in Timæo solùm Deum propriè esse; cætera verò, quæ oriuntur, & commutantur, verius non esse, quàm esse.

87. Teste Eusebio lib. 11. de præparatione cap. 7. in Delphici templi propyleis, seu porticibus, ad diuinæ naturæ immutabilitatem indicandam inscriptum erat Græca voce εἶ, hoc est, Es. Porrò post cognitam ab homine diuinæ naturæ excellentiam, ad nos cognoscendos ibidem etiam scriptum erat, ait Eusebius: *Cognosce teipsum.* Si se homo cognosceret; quàm benè in ædium, cubilique liminibus humani defectus memor inscribere vnusquisque deberet: *Non es.* Hinc Hieronym. epist. 139. ad Cyprianum explicans verba Psalm. 89. *Mane sicut herba transeat; mane floreat, & transeat; vespere decidat, induret, & arescat*, ait: *sicut mane virens herba, & suis floribus vernans delectat oculos contemplantium, paulatimque marcescens amittit pulchritudinem, & in fœnum, quod conterendum est, vertitur: ita omnis species hominum vernat in paruulis, floret in iuuenibus, viget in perfectæ ætatis viris; & repente, dum nescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis prius extenta contrahitur; & extremo fine, quod hic dicitur vespere, idest senectute, vix moueri potest: ita vt non cognoscatur quis prior fuerit, sed penè in alium commutetur.*

Ex Plutarcho in Moral. comment. de inscript. Delphici templi.

B

Humanæ vitæ mutabilitas.

C

88. *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur*, dicitur 2. Reg. 14. Sicut fluuialis aqua dilabens numquam eadem est; sic ex humanæ conditionis mutabilitate fit, vt homo numquam sit idem. Hinc benè citatus Eusebius ait: *Fluuium eumdem bis intrare secundùm Heraclitum impossibile est: quare nec mortalem substantiam, si iterato consideres, eamdem habitu esse dices. Sed mirabili commutationis velocitate modò dissipatur, modò contrahitur. Immo verò non rectè dixi modò, & modò, cùm simul aliud adsciscat, aliud perdat, & aliud abeat ab eo. Ita numquam ad esse peruenire potest: numquam enim generatio eius stat. Sed embryo à spermate; deinde infans, puer, adolescens, vir, senex, decrepitus; quibuslibet primis corruptis ætatibus, ad nouas veniens, tandem omninò moritur. Corrumpitur enim iuuenis in virum; vir in senem; puer in iuuenem; infans in puerum: & qui heri fuit, in eum, qui est hodie; quique hodie est, in crastinum: manet autem nullus idem.* Hinc ad mortis formidinem attendam optimam consecutionem deducit cum Plutarcho Eusebius, dicens: *Nos ridiculi sumus, qui vnam metuamus mortem, toties iam mortui, toties morientes.* Ex assiduo ergo nostræ mortalitatis defectu ad vltimum mortis terminum subeundum benè vtique instrui deberemus. Sicut, qui quotidie in palæstra exerceretur, luctandi formidinem habere non deberet: ita nos quotidiano mortalis vitæ defectu cum morte luctari assueti; extremum tandem cum morte agonem reformidare non debemus. Sed parum fuit Augustino, cum Eusebio flumini mortalem vitam comparare; eam potius torrenti assimilat. Fluuius enim licèt semper præterlabentes, perennes tamen aquas habet; torrens verò, & præterlabentes habet, nec perennes. *Torrens profluxio mortalitatis humanæ est. Sicut enim torrens plauia-*

Humanæ vitæ mutabilitas. Ibidem.

Humana vita fluuio, & torrenti similis.

D

Desumptum ex Plutar. sup. cit.

E

libus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit; & currendo decurrit, id est cursum finit: Sic est omnis ista cursus mortalitatis. Nascuntur homines, viuunt, moriuntur; & alijs morientibus, alij nascuntur. Quid hic tenetur? Quid hic non decurrit? Quid non quasi de pluuia collectum it in mare, in abyssum? ait Augustinus in Psalm. 109. Efficere tamen possumus diuina aspirante gratia, vt decurrentes vitæ nostræ aquæ non in abyssum eant, sed inter eas numeremur aquas, *quæ super cælos sunt.* Quod, vt benè fiat, sicut Deus dicat: *Ego sum:* ita frequens mortis memoria dicat sibi homo: *Non es.*

Frequens mortis memoria quam sit vtilis.

Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum.

89. TRia præcipuè hominum genera lapidari lex Mosaica præcipiebat. Primò eum, qui Pythonis, hoc est dæmonis spiritum, diuinationisque haberet: Leuit. 20. *Vir, siue mulier, in quibus Pythonicus, vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos.* Pythonicum spiritum habere dicebatur is, qui familiarem dæmonem habebat, quo ad diuinandum vtebatur. Secundò lapidationis pœna statuta erat in blasphemum: Leuit. 24. *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierant, manus suas super caput eius; & lapidet eum populus vniuersus.* Tertiò lapidandus erat Sabbati violator: Numer. 15. de colligente ligna die Sabbati: *Dixit Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste; obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Triplex autem hoc crimen lapidatione dignum, nempe dæmonis familiaritatem, Sabbati violationem, & blasphemiam per summam impudentiam iniqui Iudæi Domino tribuebant, dicentes: *Dæmonium habes: Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. De bono opere non lapidamus te; sed de blasphemia: & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Propterea *tulerunt lapides, vt iacerent in eum.*

Dæmonis familiaritas, blasphemia, & Sabbati violatio lapidibus erat punienda.

Ioan. 18. c. 9. c. 10.

Iesus autem abscondit se.

90. SI quis quærat cur Dominus tunc non est passus à Iudæis lapidari? Respondetur Dominum prælegisse mortem crucis; tum vt crucem sua morte consecrando, ad dæmonem fugandum nobis efficax signum daret, tum vt Euangelici regni in vniuersum terræ orbem dominium præsignificaret. Hinc de Redemptore Beda ait: *Non à Nazaræis præcipitari; non à Ierosolymis lapidari; non inter pueros Bethlehemitas ab Herode perimi; non alia, vel alia valuit morte consummari. Quod enim tali morte regiæ potestatis indicium, quo fidelium frons armaretur, emmeret? Sed solium crucis expectatum est vexillum, cuius figura, & celerrimo dexteræ motu contra maligni hostis tentamenta depingi; & ipsa nihilominus figura monarchiæ singularis patuisset typus haberi. Cuius crucis triumphum Apostolus exponens ait: In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Hoc est enim, quod eiusdem crucis cacumina ad cælos tendunt; ima petunt inferos; cornua terram tegunt.*

Crucis mortem cur Dominus elegerit.

In Luc. c. 4.

Ad Philip. c. 2.

91. *Iesus autem abscondit se. Non abscondit se in angulo templi, quasi timens; aut in domunculam fugiens, vel post murum, aut columnam diuertens: sed cælica potestate inuisibilem insidiantibus se constituens,* ait Cyrillus in Ioann. lib. 6 cap. 13. Iudices antequam capitalis criminis reos damnarent, aspectum velo celare consueuerunt. *Mundi huius principes,* inquit Basilius, *vbi aliquem malefactorem morti adiudicare volunt, attrahunt vela.* Similiter Christus Dominus æternæ mortis supplicio, alijsque huius vitæ calamitatibus damnaturus perfidos Iudæos, ijs faciem suam abscondit, iuxta vaticinium Deuteron. 31. contra Iudaicum populum prolatum: *Irascetur furor meus contra eum in die illo, & derelinquam eum; & abscondam faciem meam ab eo; & erit in deuorationem; inuenient eum omnia mala, & afflictiones.* Quorum verborum auctoritate Galatinus probat ideircò Iudæos reprobandos, atque in odio Dei perpetuò mansuros; quia Iesum verum Messiam iugiter negant, & blasphemant. Quare de iisdem apud Ieremiam Dominus ait: *Quos percussi in furore meo, & indignatione mea abscondens faciem meam à ciuitate hac propter omnem malitiam eorum.* Idem vaticinium habetur Ezech. 39. *Scient Gentes, quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel, eò quod dereliquerint me, & absconderim faciem meam ab eis, & tradiderim eas in manus hostium.* Quod vaticinium de Iudæorum iniquitate Christum persequentium, & de captiuitate eorumdem, ac Ierosolymæ vastitate sub Tito explicat Adrianus lib. 7. flagelli Iudæorum cap. 25.

Christi absconsio Iudæorum reprobationem & vastationem indicabat.

Epist. 79.

Lib. 9. c. 10.

Cap. 33.

92. Ob suam perfidiam meruit quidem Iudæorum Synagoga, vt Christus Dominus ab eius oculis se absconderet: hoc autem Euangelica Ecclesia non meruit. Cumque amantium proprium sit desiderium videndi, quod amant; quandoquidem, vt ait Chrysologus, *ipsi Gentiles simulacra finxerunt, vt in ipsis erroribus oculis cernerent, quod colebant:* Hinc ante augustissimæ Eucharistiæ conspectum audire mihi videor Ecclesiam Dei sponsam cælestem sponsum pia huiusmodi querimonia alloquentem: *Cur faciem tuam abscondis?* Deus cordis mei, humani generis amor, desiderij omnis iucundissima meta; quoniam ad hominum solamen nobiscum tibi versari vsque ad consummationem sæculi placuit: *Cur faciem tuam abscondis?* An irradiante diuini vultus fulgore, formosissimique aspectus specie, nostri obtutus acies ne caligans perstringeretur? At quæ felicitas maior, quàm vt vltimus mortalis vitæ obtutus esset Deum sub humana carne intueri? Atque vbi melius lumen omne oculorum absumi posset, quàm in eo videndo, qui vnus humanum cor explere potest? An non optima esset commutatio, mortalium oculorum amissio, vt in corde pulcherrima diuini Solis imago imprimeretur? Quàm ingenti lucro extingueretur oculorum lux, vt cordi æterni incendij suauissima flamma excitaretur? Hoc si contingeret, cœlestes spiritus piè inuidendo potiùs, quàm commiserando dicerent: Pupillæ istæ mortem subierunt, eò quòd vitam viderint: oculis istis nunc quidem nox oborta est; sed antea per breuem momento felicissimus dies illuxit; momentum tamen felicitatis tantæ dignum fuit, vt æternitati æmulum non immeritò haberi possit. Sua profectò orbitate possent oculi gloriari, cum cæci forent; quòd pulchritudinis Ideam, omnigenæ gratiæ thesaurum, Empyrei delicias, Angelorum gaudium, Deum denique in terris viderint. Cur ergo tanta felicitate priuemur, saltem ratio innotescat: *Cur faciem tuam abscondis?*

Serm. 147.

Christus quod in Eucharistiæ Sacramento faciem suam absconderit, piæ Ecclesiæ querimonia.

Iob 13.

93 Prima ratio afferri potest ea celebris illa Ezechielis subinitium eius vaticinij visione. Apparuit Prophetæ huic Dei Filius sub humana specie; eumque in eum Propheta oculos intenderet, ignitum diuinum æterni Verbi aspectum vidit. *Super similitudinem throni similitudo, quasi aspectus hominis*

Christum in Eucharistiæ Sacramento faciem suam absconderit, prima ratio. H... & sequ.

Dominus

hominis desuper; & vidi quasi speciem electri velut aspectum ignis. Ignea facies in Dei Filio sub humana carne futuro prophetice visa est. Hinc indicabatur diuinam illam faciem sub sacramentali velamine fore celandam. Etenim ad hostes expugnandos in bello, & ferrum, & ignis adhibetur; cum hoc tamen discrimine; quod ferrum nudum, ignis verò occlusus, & benè connectus est adhibendus; cum proprium ignis sit, si vndiq; occludatur, vehementiorem ictum explodere. Hoc expressũ in sacris Cant. c. 8. habetur; vbi ex Hebræo legimus: *Impetus eius, impetus ignis, atque flammarum.* Vis igitur, qua Deus homo expugnare infernos hostes debet; est impetus ignis; propterea mirum esse non debet, si diuinus hic ignis ad credentium bellũ exercendam, ad superbiæ principem sub exiguo spatio magis torquendum, ad vehementiorem ictum sitanæ infligendum, sub niueo veluti modici panis orbe se condat. Quare cum à cœlesti sponso quærit, queriturque Ecclesia: *Cur faciem tuam abscondis?* Benè huic interrogationi respondetur in Canticis: *Impetus eius, impetus ignis, atque flammarum.*

94. Allatæ rationi consonat quod In Euãgelio legimus; scilicet duplici pugnandi genere Dei Filium in terras venisse ad peccatum diabolumque debellandũ. Pugnauit enim gladio, cum Matthæi 10. dixerit: *Nõ veni pacem mittere, sed gladiũ*: hinc Redemptori à Dauide dicitur: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* Ac si diceret Propheta: *Tu Christe, indue carnem, pugna contra diabolum, & libera genus humanum de inferno,* inquit Hieronymus. Pugnauit præterea Dei Filius igne; hinc Lucæ 12. dixit: *Ignem veni mittere in terram:* Tãquam diuinus ignis fuit sanctissima Christi humanitas Diuinitati vnita. *Deus noster*, noster, quia nostra carne indutus est, *Deus noster ignis consumens est.* Porrò triginta trium annorũ spatio nudũ ensem ad pugnam Christus adhibuit: ideo totius eius mortalis vitæ tẽpore decora Redẽptoris facies humano generi clarissimè patuit. Decor enim illius faciei gladius fuit ad hostes debellandos, teste Chrysostomo, dicente: *Ne, dum audis: Accingere gladio tuo; ensem intelligas sensilem; audi quæ sequũtur: cum enim dixisset: Cinge te gladio, subiunxit, specie tua, & pulchritudine tua: hic est gladius species eius, pulchritudo, auctoritas, gloria, maiestas.* At post elapsum mortalis vitæ spatium, reliquo tempore contecto gladio, tamquam ignis ad hostes profligandos Christus Dominus esse voluit: ideo tamquam ignis sub sacramentalibus Eucharistiæ speciebus, veluti intra bellicam machinam latere voluit: vt inde exercita credentium fide vehementiores ad meritum flammas eiibraret. Hinc cum quæritur: *Cur faciem tuam abscondis?* Respondetur ab Apostolo: *Deus noster ignis consumens est.*

Psal. 44.

Deut. 4. 24. Ad Hebr. 12.

Chrysost. in Psal. 23.

Ad Hebr. 13.

95. Sanctus Patriarcha Ioseph constitutus Ægypti princeps vehementer expetiit Beniaminum suos inter fratres vltimũ coram cernere. Eo tamẽ viso vtilem deceptionem excogitauit, vt illũ apud se retineret. Nempe, vt occasionem arriperet fratrem veluti furti reum in Ægypto retinendi, eiq; tandẽ se detecto regni bona participãdi. *Præcepit Ioseph dispensatori: Scyphum meum argenteum pone in ore sacci iunioris.* Simili stratagemate erga genus humanum vsus est Deus. Abscondit Dominus sub frumenti, seu potius sub panis specie, nõ Scyphum argenteũ, sed *poculum spirituale*; quo nomine Eucharistiam vocat Chrysostomus: abscõdit non argenteum vas; sed seipsum; de quo dicitur: *Caput eius aurum optimum* Quorsum tamen talis absconsio? scil. vt hinc Dominus ansá acciperet, nõ euocandi hominẽ in Ægyptum, eique bona Ægyptia communicandi: sed euocandi in cœlestem Ierusalem; ibique ei cœlestia bona participandi. Et hæc est ratio cur faciem suam abscondit; scilicet, vt fideles futuræ gloriæ intra se pignus accipiant. *Futuræ gloriæ nobis pignus datur*, de sanctissima Eucharistia canit Ecclesia.

Gen. 44. Christus cur in Eucharistiæ Sacramento se abscondat. 2. ratio.

Hom. 83. in Matth.

Cantic. 5.

96. Quæritur à Philosophis, vnde flumina originem trahant? Docuerunt aliqui ab imbribus suũ flumina habere principium; ita vt pluuiales aquæ intra terræ concauitates receptę perpetuò fluuiorum cursui perennem materiam subministrent. Aristoteles verò asseruit promanare flumina è frigido terrę sinu; vbi occlusus aër, vaporesque in fluuialem aquã transmutãtur. Nihilominus sacrę litteræ circa hoc dubitandi locũ non relinquunt; Ecclesiaste enim teste: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur.* Ad mare ergo redeunt fluuii, & inde etiam deriuantur. Primũ enim subit mare terrę viscera, & cauernas, deinde ex marinis aquis intra terram occlusis scaturiunt flumina. Cur autem mare latissimis suæ immensitatis spatiis relictis, intra angusta terræ viscera occultari naturali propensione gaudet? Sine dubio, vt innata relicta amaritie fluuiorum dulcedinem acquirat. Mare inexhaustum, intaminatum pelagus perfectionum omnium, & bonorum Deus est: mare profectò est omni amaritie carens; nisi qua vindex diuina iustitia iusta vltione seuerè tandem hominum culpas, & scelera punit. Diuini huius maris amaritiem expertus est Pharao, cum suo in scelere pertinax vnà cum Ægyptio exercitu rubri maris fluctibus obrutus est. Huius maris amaritiem expertus est Ionas; cum diuino imperio rebellis intumescentibus maris vndis, in eas à nauigio est deiectus. Nihilominus in Euangelica lege Diuinitatis inexhaustum pelagus terræ viscera penetrãs, hoc est Virginei vteri claustrum ingrediens, suamque deinde immensitatem intra exiguum sacramentalium specierum ambitum occludens: ibi amaritie omni relicta, veluti flumen dulcissimis gratiarum aquis vndique redundãs, humanæ sitis indigentiæ exhibetur. Tale omnino à sancto Propheta Dauide in augustissimo Eucharistiæ Sacramento multis ante seculis præcognitum fuit; cuius vaticinium Psal. 64. est: *Flumen Dei repletum est aquis; parasti cibum illorum.* Quasi dicat: Cum homini in augustissimo Sacramento cœlestem cibum præparasti; tunc te veluti perenne flumen cœlestium gratiarum aquis exundans exhibuisti. Quod si Dauidi licuit ab Ægyptio mari quærere: *Quid est tibi mare, quòd fugisti?* A Diuinitatis pelago quærere nobis liceat. Quid est tibi mare, quòd latuisti? Cur te in sacramentalibus speciebus, cœlestium bonorum pelagus, abscondisti? *Cur faciem tuam abscondis?* Deus noster absconditur, vt instar maris relicta amaritie vberrimi fluminis dulcedinem exhibeat: vt non vltionum Deus, sed Deus gratiarum hominibus sit; illos cœlesti cibo reficiendo: *Flumen Dei repletum est aquis; parasti cibum illorum.*

1. Meteor. c. 13.

Cap. 1.

Exodi 14.

Ionæ c. 2.

Christus in Eucharistiæ Sacramento cur se abscondat. 3. ratio.

Psal. 113.

97. Antiquus mos fuit reis faciem velare. Hinc Esther 7. de Amano legitur: *Operuerunt faciem eius.* Hinc apud Romanos damnandi reos formula illa legitur: *I, lictor, colliga manus, caput obnubito.* Velabatur facies reo ad delicti confusionem indicandam iuxta illud Psalm. 43. *Confusio faciei meæ cooperuit me:* & Psalm. 68. *Operuit confusio faciem meam.* Propterea propriæ culpæ confusione territi primi humani generis parentes, post diuini mandati transgressio-

Rei facies velabatur apud Hebræos, & Romanos. Liuius lib. 1

Gen. 3.

nem sponte se abdiderunt: *Abscondit se Adam, & uxor eius.* Sed Christus Dominus omnis culpæ expers, nullo modo reus, cur sacramentali velamine faciem suam abscondit? Est apud Deum geminum tribunal, iustitiæ scilicet, & misericordiæ: in iustitiæ tribunali peccator reus suam præ confusione faciem velare debet: contra verò in misericordiæ tribunali, vt delinquenti pudor, & confusio minuatur; non reo, sed diuino iudici facies velatur. Misericordiæ tribunal augustissimæ Eucharistiæ Sacramentum est; quare Christo Domino hoc Sacramentum instituenti misericordis, & miseratoris titulus datur: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus; escam dedit timentibus se.* Ante hoc tribunal quo pudore suffunderetur superbiæ, & ambitionis sectator; qui cœlestis gloriæ immemor magnifecit mundi opes, terrenosque honores? Qua obrueretur confusione, qui ad iniustas opes acquirendas cœlestia gratiæ thesauros prodigè amisit? Huiusmodi peccatores, aliique profectò ante diuinum conspectum præ confusione adstare non possent: propterea misericors Iudex sacramentali velo suam faciem abscondit, ne peccatori reo faciem confusione operiat. Cum igitur suo à Redemptore quærit homo: *Cur faciem tuam abscondis?* Respondet Dominus: *Ne operiat confusio faciem tuam.*

Christus cur in Eucharistia faciem suam absconderit, 4. ratio.

Ps. 110.

B

98. Ros nocturno tempore ex aëre defluens, si super gramina oculis expositus, planeque detectus remaneat; corruptioni erit obnoxius, & facillimè euanescet. Sed si ros idem propè mare decidens marinæ conchæ gremio conditus excipiatur; in pretiosam margaritam obdurescit, à temporis iniuriis planè liber. Itaque ros idem detectus corruptibilis est, abditus verò redditur penè immortalis. Sub roris nomine Dei Filii ad nos aduentum Isaias 45. iuxtà Augustinum explicauit, dicens: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum.* Similiter iuxta sanctos Patres ros in Gedeonis vellus descendens Redemptorem sub humana carne venturum præfigurauit: quare de Messia, cecinit Dauid: *Descendet sicut pluuia in vellus; & sicut stillicidia stillantia super terram.* Dei ergo Filius tamquam cœlestis ros duplici modo ad nos descendere, nobisque se communicare voluit: Primo quidem modo se passibilem, mortique subiectum ad nostram redemptionem exhibuit; & tunc veluti roscida aqua supra terræ faciem defluens, ibique detecta, & arefactioni obnoxia fuit. Quare Redemptor noster, cum pro nobis cruciatus, mortemque subiret, dixit: *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. Aruit tamquam testa virtus mea.* At secundo modo se hominibus Christus Dominus in Eucharistiæ Sacramento impassibilem, & immortalem communicat; ibique in sacramentalibus speciebus, veluti intra concham excepto rore, cœlestis margarita nobis exhibetur. Si à rore ex aëre intra marinam concham defluente quæratur, cur se intra conchæ gremium abdat? Stillis, veluti naturæ linguis respondebit, ibi sponte se condere, vt pretiosa margarita euadat; & sic Principum, Regumque capita coronet. Similiter si nos à Dei Filio tamquam à diuino rore, ex Empyreo defluente quæramus; cur in Eucharistiæ sacramento se condat: *Cur faciem tuam abscondis?* Respondebit. Vt cœlestis margarita nobis fiat, quæ in Electorum diademate in cœlesti Ierosolyma fulgeat. *In die illa*, in beato illo æternitatis die, *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis populi sui.* Testa

C

Aug. orat. de quinque hæresibus c. 4. tom. 6.

Ps. 71. 6.

Christus cur in Eucharistia se absconderit, 5. ratio.

D

Ps. 21.

E

Is. 28.

A Plinio, *Claudius Romanus, vt experiretur in gloria palati quid saperent margaritæ; plures maximi pretii liquefactas absorbuit: atque vt mire placuere; ne solus hoc sciret, singulos uniones conuiuis absorbendos dedit:* Materiales margaritas ad gulæ luxum nulla nobis gustandi veniat tam praua cupido: sed Dei Filius in Eucharistiæ Sacramento veluti cœlestis margarita nobis in escam detur; vt Angeli conuiuii dulcedinem prægustemus.

Lib. 9. c. 35. Clodius Romanus conuiuio pretiosas margaritas ad potum eliquauit.

99. Testa Solino cap. 11. *In Halesina regione fons aliàs quietus, & tranquillus, cum siletur, si insonent tibiæ, exultabundus ad cantum eleuatur; & quasi miretur dulcedinem vocis, vltra margines intumescit.* Fons signatus, & abditus intra sacramentales species Christus Dominus est; is, vt diuina liberalitate intumescens ad nos cœlestium gratiarum latices effundat, instar Halesini fontis musica harmonica; & canticis alliciendus est: *Sed quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Ad cantus harmoniam emodulandam, procul à tumultu, & strepitu esse debemus, hoc autem in hac mortali vita consequi nos posse non videtur, cum Sapiens apertè testetur: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, Furor, Zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perseuerans, & contentio? Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Vt vox ad concentum dirigatur, quid præstare possunt surdæ hominum aures? Isaias enim terræ habitatoribus ait: *Audite surdi.* Et ideo. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Si cantica è sereno animo proueniunt: *Carmina proueniunt animo deducta sereno:* Quæ animi serenitas in lacrymarum valle esse potest? Et ideo: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Respondet Augustinus: *Cantare amantis est: Dilectio ipsa vox est ad Deum; & ipsa dilectio canticum nouum est.* Hoc diuinæ dilectionis cantico ex abdito augustissimæ Eucharistiæ fonte cœlestium gratiarum latices elicere possumus; quamuis ibi Dei Filius gratiarum fons faciem suam abscondat.

Solinus c. 11. Fons Halesinus sono, cantuque intumescit.

B

Eucharistico è fonte quomodo gratiarum latices haurire possimus.

Ps. 136.

Eccles. 40.

C

Isai. c. 42. 18.

August. ser. 256 de tempore, & in Ps. 33.

100. Præterea Christus Dominus ad nos sub humana carne adueniens diabolum debellaturus ex Isaiæ vaticinio ait: *Posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me. Christus sagitta electa, & filius vnigenitus est; quam Deus Pater in pharetra sua abscondit, idest in humano corpore, vt habitaret in eo plenitudo diuinitatis corporaliter: cui dicitur: Tu es Deus absconditus*, ait Hieronymus. Sed qui aduersus hostes prælium mouet, sagittam non in pharetra absconditam, sed expeditam in arcu habere debet; ideo Psalm. 7. legitur: *Arcum suum tetendit, & parauit illum; & in eo parauit vasa mortis;* hoc est mortifera instrumenta, nempe sagittas. Cur ergo Dei Filius æterni Patris sagitta belli tempore in pharetra absconditur? Si quis instrumentum tale inueniret, quod simul & sagittam in se seruaret, vt pharetra; eamque cum opus esset vibraret, vt arcus; huiusmodi sanè instrumentum foret omninò eximium. Quod moliri humanæ industriæ nequit ars; hoc à diuina gratia iam confectum reperimus. Pharetra simul, & arcus augustissimum Eucharistiæ est Sacramentum. Pharetra quidem est, cum in se Dei Filium, æterni Patris sagittam abscondit: *Posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me:* Eadem cœlestis pharetra simul arcus est; cum in se ita diuinam sagittam abscondat; vt eius amabiles ictus etiam humanũ cor experiatur.

D

Cap. 49.

Isaias 45. 15.

E

Eucharistiæ Sacramentum Christum celãs simul Pharetra & arcus.

Hieronym. supra. Cantic. 2. iuxta Sep. tuaginta.

Hac sagitta sponsa vulnus accipiens loquitur in Cantico Canticorum: Vulnerata charitate ego sum, ait Hieronymus. Nec immeritò abscondita sagitta ad animam beato charitatis vulnere configendam Deus vtitur: ait enim ipse in Canticis,

Cantic. 4

Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in vno crine colli tui. Cur potius cœlestis sponsus colli, quàm frontis crine configitur? Frontis coma oculis patens est; colli verò crinis est potius abditus. Quare si ex iusti certaminis lege paria arma inter dimicantes esse debent: cum abdito iaculo ad cœlestem sponsum amore vulnerandum anima vtatur; par est, vt consimilem sagittam cœlestis sponsus ad charitatis ictum rependendum adhibeat. Propterea in Eucharistiæ pharetra Dei Filius æterni Patris sagitta reconditur, ibique faciem suam abscondit.

Christus in Eucharistia cur se abscondent, sexta ratio.

101. Canticorum 5. cum sponsa noctis tempore Ierosolymæ per plateas cœlestem sponsum quæreret, interrogantibus obuiis adolescentulis: *Qualis est dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum?* Respondit: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus; caput eius aurum optimum.* Videtur præ amore, & absentis sponsi dolore planè insipienter sic sponsa respondisse; cum obscuro noctis tempore tàmquam certa sui sponsi indicia, eius colores interrogantibus referret. Quis enim est, qui in nocturnis tenebris, in plateis viatorum vultus colores; & aureos crines obseruet? Sed non ineptè ad cœlestem sponsum, vel noctis tempore iudicandum, eiusdem faciei colores retulisse sponsam dicere possumus; quandoquidem, vt Hieronymus ait:

Hieron. in Matth. li. 5. 19

Fulgor ipse, & maiestas Diuinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se, videntes trahere poterat aspectu: idque vel in densissimis noctis tenebris. Sed si ad sensum mysticum recurramus; dicemus cœlestis sponsi aspectum non corporeis, sed fidei oculis nobis esse inspiciendum. Fidelis mentis oculis vel in mortalis huius vitę tenebris, cœlestis sponsi facies se manifestat. Oculorum proprietas talis est, eaquè venatoribus satis perspecta, vt, cum alter clauditur, alter acutius intueatur. Voluit igitur Diuina Sapientia, vt in hac mortali vita corporalis oculus ad intuendam bestam Redemptoris nostri faciem non aperiretur; vt ad eum contemplandum fidei oculus magis, ac magis acueretur. Et hinc benè redditur ratio, *Cur faciem suam abscondit.*

Christus in Eucharistia cur se abscondent, septima ratio.

102. Amorne, an dolor melius suum affectum manifestare sciat, ambigi potest. Primò quoad hoc amor dolori præstare videtur; ideo enim amor tamquam nudus passim repræsentatur; vt significetur se totum vndique manifestare. Quamuis autem recens amor natus, adhuc tamen etiam balbutiendo suos eloquenter sensus nouit exprimere: Nihilominus mirabilior dolor suis in exprimendis affectibus videri potest: quandoquidem non nudus, sed adopertus clarius se manifestat. Id ingeniosè satis pictor Thimantes significauit. Nam teste Plinio:

Plin. l. 35 c. 10. Thimantis pictoris ad imaginem doloris exprimendum artificium.

Thimantes, Ephigenia stante ad aras peritura, cum mæstos pinxisset omnes, præcipuè patruum; cum tristitiæ imaginem omnem consumpsisset; patris ipsius vultum velauit, quem dignè non poterat ostendere. Maximus igitur præ aliis patris dolor velamine contectus significabatur. Similiter Christus Dominus, cum iam beatus mæroris, ac doloris omnis sit expers; nihilominus ad mœroris, dolorisque indicia quoquo modo præferenda, faciem suam velat; cum perituram vitiorum febribus suam sobolem, genus scilicet humanum videat. *Super ce-*

Christus in Eucharistia cur faciem suã abscondit, octaua ratio.

Ps. 57.

cidit ignis, & non viderunt Solem, ait Dauid. *Super cecidit ignis superbiæ, ignis fumosus, ignis concupiscentiæ, ignis iracundiæ*, ait Augustinus. *Quantus ignis est? Super quem ceciderit, non videbit solem. Ideo dictum est: Non occidat sol super iracundiam vestram. Super cecidit ignis iste, & solem non videbitis. Quem solem? Non istum, quem tecum vident, & pecora, & muscæ, & boni, & mali. Quia facit solem suum oriri super bonos, & malos. Est & alius Sol, de quo dicturi sunt illi: Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol non ortus est nobis. Quare, nisi quia supercecidit ignis, & non viderunt Solem?* Ita ergo extrema sit ratio, quare Redemptor noster *Faciem suam abscondit.*

Ad Eph. 4.

Matth. 5.

Sap. 5.

Et exiuit de templo.

103. HÆc templi derelictio, prænuncia fuit eiusdem templi euersionis, quam Dominus prædixit Marci 13. *Cum egrederetur de templo, ait illi vnus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ. Et respondens Iesus, ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Ierosolymitani templi incendium, & euersionem scribit Iosephus lib 7. belli Iudaici cap. 9. & 10. In quo incendio illud ad diuinam vindictam significandam mirabile fuit; quòd prohibente Tito, nihilominus, vt Iosephus ait: *Militum quidam non expectato cuiusquam edicto, neque tantum facinus veritus; sed diuino quodam motus impetu, à contabernali suo sustollitur, & ex ardente materia raptum ignem in fenestram inserit auream.* Sed quæres Dominici vaticinii verba: *Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur*; quomodo verificata fuerint? An tantùm per hyperbolem sint intelligenda?

Ierosolymitani templi vnà cum ipsis fundamentis euersio. Hic, & n. sequenti. Cap. 10.

104. Respondetur ex Theodoreto in Ecclesiastica historia lib. 3. cap. 20. Cum Iulianus in Christianæ religionis odium Iudæis templi instaurationem imperasset: *Administrauit*, inquit Theodoretus, *plurima etiam ipse, qui eam iusserat, non laudis cupiditate, sed infesto in pietatem animo; misitque vnum negotij impij dignum quemdam præfectum: feruntur autem habuisse illos ligones, falces, corbes argenteæ materiæ præparatos operi. Cum autem fodere, & aggerem efferre cœpissent; vrgebatur opus diem totum ab infinita multitudine hominum; at nocte agger sua sponte decrepidine redundabat; sed & ipsi reliquias omnes ad fixij disiecerant spe nouæ extructionis. Comportatis autem gypsi, & calcis multis modiorum milibus, de repente irruens venti impetus, ac turbo cum fragore, & procellis dispersit vniuersam materiam; quibus tunc quoque insanientibus, neque admittentibus instructionem diuina potentiæ; primum ingens coortus terræ motus; & illos penitus ab arcanis sacris Dei alienos admodum perculit. Sed ne sic quidem formidantibus, infertur de fossis fundamentis ignis, plurimosque opus vrgentes inflammauit; alios ad fugam compulit. Insuper cum magna turba nocte sub vicina porticu somnum caperet, delapsum repentè ædificium vnà cum tecto totum, oppressit, qui sub illa dormiebant, vniuersos. At illa ipsa nocte, similiter, & postera conspectum fuit in cœlo signum fulgidum crucis, & ipsorum vestes Iudæorum crucibus replebantur, non ijs tamen fulgidis, sed coloris atri. Hæc videntes fieri aduersarij illi Dei, metu diuinorum flagrorum aufugiunt, & redeunt domos suas; cum confessione esse illum Deum, quia materibus ipsorum fuisset ignis afficiens.* Quibus verbis cognoscimus iusto Dei iudicio,

ipsis Iudæorum manibus ad nouum templum ædificandum, nouaque fundamenta fodienda, ita fuisse veteris templi reliquias dirutas; vt ne vnus quidem lapis super alium remanserit. Lapides autem erant prægrandes. *Constabat structura è lapidibus candidis, firmissimis, magnitudine 25. cubitorum in longum; octo in altum; latitudine verò cubitorum 12.* inquit Iosephus 15. antiquit. cap. 14.

A Porrò ad Iudæorum conatus in templo instaurando irritos reddendos elementa omnia coniurasse notandum est; nempe terram succrescentibus terræ aggeribus, & terræ motu; aquam procellis; aërem ventorum impetu, & turbine; ignem denique ab effossis fundamentis exilientem.

Elementa omnia contra Iudæos templű instaurare conantes coniurarunt.



FERIA SECVNDA

POST DOMINICAM PASSIONIS.

Miserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum, &c. *Ioan. 7.*

Euangelij nexus, & ordo.

1. SANCTISSIMA Christi Humanitas, primaria Dei sponsa, dicitur Canticor. 4. *Hortus conclusus, fons signatus*, i. obseratus. De eodem Christo Domino Zachariæ 13. dicitur: *In die illa*, hoc est Euangelico tempore, *erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem*: Quomodo idem Christus Dominus fons patens fuerit, & clausus in præsenti Euangelio apertè videtur: nam Iudæis incredulis, dicitur: *Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire.* Istis quidem Dei Filius fons signatus fuit: quandoquidem Euangelica fides clauis est iuxta Ambrosium serm. 38. huiusmodi claue increduli Iudæi carentes Christum Dominum, vt fontem obseratum perpetuò sunt experti. Rursus hoc eodem loco fidelibus à Redemptore, dicitur: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat; qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Huiusmodi fidelibus Christus Dominus fons patens est; iisque vberrimè beatos cœlestis gratiæ latices elargitur.

Christus idem fons clausus, & patens.

Miserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum.

2. IOab militiæ princeps Dauidis regis misit Thecuiten mulierem, vt à rege Absalomo filio reditum ad patrem, eiusdemque gratiam impetraret, dicens: *Quare cogitasti huiuscemodi rem contra populum Dei; & locutus est rex verbum istud, vt peccet, & non reducat eiectum suum?* Vbi quæritur, cur peregrina, & ignota mulier missa fuerit ad regem, vt Absalomi apud patrem gratiam flagitaret; & non potius id impetrandi munus Ioab ipse susceperit; qui de rege Dauide, & militaribus laboribus, tot victoriis bene meritus erat? Ratio huius est, quia Ioab incertus erat de rei euentu; hinc politica arte regis animum per mulierem pertentare voluit: vt si res benè cederet; ipsi Ioab machinæ auctori acceptum beneficium Absalom referret: contra verò, si rex huiusmodi petitione indignaretur; Ioab tamen con-

2. Reg. c. 14.

Aulicæ politicæ artis versutia.

B scium se regi negaret, eiusque vitaret iracundiam. Hoc enim politicæ artis est proprium, vt sibi rei benè gestæ meritum tribuat; alios verò ad pericula rem aggrediendi præmittat. Huiusmodi astutia vsi sunt Pharisæi, & sacerdotum principes. *Miserunt ministros Pharisæi*, inquit Cyrillus, *vt si aliquis suboriretur in populo tumultus contra volentes comprehendere Iesum; ministri quidem essent illi periculo obnoxij; ipsi autem exempti, & à discrimine tuti. Sic Sapientia humana alios obiicit periculo, quod ipsi subire non sunt ausi.*

In Ioan. l. 5. c. 7.

3. Teste Valerio Max. *Missi à sæuissimis ducibus milites ad M. Antonium obtruncandum, sermone eius obstupefacti, districtos iam, & vibratos*

C *gladios cruore vacuos vaginis reddiderunt.* Iacter hoc ambitiosa humanæ eloquentiæ vis; certè multò mirabilius Christus Dominus paucis verbis Iudæorum ministrorum eum apprehendere volentium audaciam fregit, furoremque sedauit: *Exarserunt* quidem Iudæi, *sicut ignis in spinis*, in spinis scilicet, hoc est in stimulis Pharisaicæ inuidiæ contra Christum. Sed hunc furoris ignem suo Dominus alloquio veluti cœlesti imbre restinxit. De Redemptore enim iustorum principe dicitur Ecclesiastici 39. *Iustus tamquam imbres emittet eloquia Sapientiæ suæ.* Verissima enim est Cyrilli sententia: *Sicut aqua gelida efferuenti iniecta, continuò totum illum feruorem, ac ebullitionem*

Lib. 8. c. 9. M. Antonius districtos milites eloquentia repulit.

Ps. 117. Iudæorū furoris ignem suo Christus eloquio, velut imbre restinxit.

D *sedat, residentemque reddit illam, quæ prius rapido æstu intumuit: haud secus placida verba, ac mitia, iracundia concitatum animum mitigare solent, & ad mansuetudinem reducere.*

In Ioan. l. 5. c. 11.

Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me. Quæretis me, & non inuenietis.

4. HIs verbis indicatur irrita Iudæorum spes, & expectatio, qua post Christi mortem venturum ad eos Christum, hoc est promissum in lege Messiam quæsituri erant, numquam tamen inuenturi; cum Christus verus Messias iam aduenisset. Secundò post mortem meam

Iudæi multiplici sensu Christum quæsiuerűt, & nő inuenerűt. Hic, & n. sequent.

Quæretis me, ait Rupertus, *maiori quàm nunc inuidia cupientes nomen meum extinguere, sed frustra. Quæretis me ardentissima persecutione; & seruos meos quidem occidetis, flagellabitis, crucifigetis, lapidabitis, & de ciuitate in ciuitatem persequemini; me autem contingere non poteritis*: Et propterea non inuenietis. Consonat huic Ruperti interpretationi quod Christus Dominus Saulo Christianos persequenti, dixit: *Saule, Saule, quid me persequeris? Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Si caput nostrum tormenta non tangerent, nequaquam pro afflictis membris persecutori suo etiam de cœlo clamaret: Saule, Saule, quid me persequeris?* ait Gregorius 3. Mor. cap. 11. Rursus idem Gregorius de Christo intelligens verba illa Psalm. 101. *In quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam*, ait: *Ecce iam caput nostrum sedet à dextris Dei, & tamen se dicit tribulari. Vbi ergo tribulatur, nisi in corpore? Nam quòd in corpore tribuletur, manifestè ostendit, cum Saulo persecutori dixerit: Saule, Saule, cur me persequeris? Et Petro ait: Venio Romam iterùm crucifigi. Qui enim in seipso iampridem crucifixus fuerat, in Petro iterùm se crucifigendum dicebat*: Benè hic ergo cum Ruperto interpretari possumus Domini verba: *Quæretis me*, hoc est, fideles meos, mysticum meum corpus persequendo. Cui consonat, quod Zach. 2. Dominus dicit: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Act. 9.

In Ps. 5. Pœnit.

Christus in Petro crucifigendo se iterum crucifigendum dicit.

5. Sed quod de mystico corpore Rupertus intelligit, magis ad litteram de vero Christi corpore post eius mortem in sepulchro exanimi intelligere possumus. Cum enim Iudæi Christum resurrexisse non crederent, suspicantes exanime Christi corpus à discipulis sublatum fuisse, & absconditum, illud quæsiuerunt; vt eo inuento populum à Dominicæ resurrectionis fide auertere possent. De hac ergo inquisitione Dominus ait: *Quæretis me*; quasi dicat: Dum meum corpus quæretis, me quæretis, cum illud iam resurgendo reassumpserit, cumque ab eo etiam in morte, diuina mea Persona disiuncta non fuerit; illud tamen non inuenietis.

6. Cæterùm ne hæc Domini comminatio: *Quæretis me, & non inuenietis*; non solùm in incredulos Iudæos, sed etiam in alios peccatores cadat; audiendus est Isaias 55. monens: *Quærite Dominum dum inueniri potest; inuocate eum dum prope est?* Audiendus est Apostolus, dicens: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Sanctus Bernardus in Cantic. serm. 75. ostendit quomodo quærendus sit Deus, nempe debito tempore, modo, & loco, dicens: *Attendite tres esse causas, quæ quærentes frustrari solent. Cum aut non in tempore quærunt; aut non sicut oportet; aut non vbi oportet: Si enim omne tempus aptum est ad quærendum; cur ergo dicit Propheta: Quærite Dominum dum inueniri potest? Erit absque dubio, cum inueniri non potest. Nec enim inuenietur ab impijs, quos vltores Angeli arcebunt, & tollent, ne videant gloriam Dei.* Secundò, ne sit defectus ex modo quærendi, sponsa imitanda est, quæ ait: *Quæsiui quem diligit anima mea. Illa non tepidè, & negligenter, seù perfunctoriè quæris; nam corde ardenti, & omninò infatigabiliter quæris.* Tertiò, ne in quærendo sit defectus ratione loci, subdit Bernardus: *Quæ sursum sunt sapias oportet; neque deorsum, sed sursùm quæras Christum necesse est; vbi sedet in dextera Patris.* Concludit tandem Bernardus: *Iergo, & in medio Gehennæ expectato salutem, quæ iam facta est in medio terræ. Quam tibi somnias prouenturam inter ardores sempiternos facultatem veniam promerendi, cum iam transijt tempus miserendi? Neu relinquetur tibi hostia pro peccatis mortuo pro peccatis. Non crucifigetur iterùm Filius Dei. Mortuus est semel, iam non moritur. Non descendit ad inferos sanguis, qui effusus est super terram.* Quomodo per inualidam, prauamque pœnitentiam Deus quæratur, & non inueniatur, miserando experimento ostendit Antiochus: *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus*, dicitur 2. Machab. cap. 9.

2. ad Cor. 6.

Christus quærendus debito tempore, modo, & loco.

Cantic. 3.

Ad Hebr. 10.

Ad Rom. 6.

Et vbi ego sum, vos non potestis venire.

7. IOann. 12. Dominus ait: *Vbi sum ego, illic & minister meus erit.* Sicut Christi ministri futuri sunt vbi Christus est; ita increduli Iudæi non cum Christo, sed cum obstinatis Pharisæis futuri erant, quorum erant ministri. Sensus igitur Dominicæ sententiæ est: Ad cœlestem patriam, vbi ego iam sum per Diuinitatem, vos ob incredulitatem venire non potestis. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium*, dicitur de cœlesti Ierosolyma Apocal. 21. Mendacium Iudæorum erat fidem erga Deum profiteri, Euangelicæ verò legi non credere: hinc à beata cœlestis patriæ vita excludendi esse dicuntur: quomodo enim in illam ingredi poterant, si iis illius ostium occlusum erat: *Fides est ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. Hanc nobis velut magnam lampadem Christus adueniens errantibus viam monstraturus exhibuit; per quam possit ipse Deus ignotus requiri; quæsitus, creditus inueniri*: ait Eusebius Emissenus. *Nullus vnquam sine fide Dominum promeruit; nullus sine illa fastigium sublimitatis ascendit*, ait Chrysostomus serm. de fide, spe, & charitate.

Mendacium Iudæorum quodnam fuerit.

Fides quid sit.

De Symbolo Hom. 2.

Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: Quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? Numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes? Quis est hic sermo, quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis; & vbi ego sum, vos non potestis venire?

8. HIs verbis temerarium iudicium de Domino Iudæi protulerunt, tamquam de diuinæ legis præuaricatore. Cum enim Iudæa veritum esset inter Gentes versari; legem hanc Christum transgressurum temerè suspicati sunt; putantes Christum ad vitandos Pharisæos, & Sacerdotum Principes eum persequentes; se inter Gentiles per varias orbis terræ partes dispersos collaturum, eosque suæ doctrinæ sectatores habiturum. De malè iudicante dicitur Isaiæ 19. *Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis*; hoc est vertiginis spiritum misceri permisit. Hæc verba de Iudaico populo verificantur. Qui vertigine laborant, cum in iis noxius humor conuoluatur, alios circumagi putant. Sic cum Iudæi in Gentilium consuetudinem, & mores prolapsi essent; & in eorum regionibus dispersi viuerent, vt patet Actor. 6. *Surrexerunt quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia, & Asia. Commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum*, dicitur Psalm. 105. hoc etiam Christum facturum ex vertiginis spiritu iudicarunt. Quare de temerè iudicantibus benè Nazianzenus ait: *An quî, qui vertigine correpti sunt, terra fixa, & stabilis videtur?*

Temere iudicantes, vertigine laborantibus similes.

Naz. or. de Cathedra Constantinop.

2. ad Cor. 4. Iudæi nesci Gentium conuersionē prophetarunt.

A 9 Nihilominus Deus, *qui dixit de tenebris lumen splendescere*; è temerario Iudæorum iudicio Prophetiam elicuit, qua futura Gentium per Euangelicam fidem illuminatio indicabatur. *Rerum futurarum ignari Iudæi*, inquit Cyrillus, *hic videntur prænunciasse, quod postea res exitus comprobauit: videlicet: Dominum nostrum per Apostolos suos in dispersionem Gentium esse iturum, & docturum Gentes. Id inconueniens censeri non debet, si dixerimus, Iudæos ipsos, cum in hac prorumperent verba de Christo, nesciuisse quidem quid dicerent; sed quia voluit Deus ipsos Prophetasse, diuinoque quodam instinctu ipsos prædixisse, quod futurum erat.* Quod Caiphæ exemplo confirmat, quem licet mysterii ignarum Prophetasse de Domini passione pro mundi redemptione Ioannes Euangelista refert c. 11.

Lib. 5. in Ioan. c. 9.

B

In nouissimo autem die magno festiuitatis, stabat Iesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

Zelantis diuinam gloriam vox cur tubæ similis esse debet.

10. ISaiæ 58. dicitur ei, qui diuinæ gloriæ zelo vrgetur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Vbi quæritur, cur Apostolici viri vox tubæ assimilanda esse dicitur? Respondetur primò, qui diuinum honorem zelat, non esse debere citharam ad auditores oblectandos; sed potius tubam, qua diabolus debellandus terreatur, qua auditores aduersus vitia excitentur. *Sonus, quia tuba non tam oblectationis esse soleat, quàm terroris; non tam delectationem proferre, quàm inferre formidinem*, ait Augustinus ser. 106. Respondetur 2. dum tuba tubicinis ore clangorem edit, simul eiusdem manu sustentari. Similiter concionator ore; & manu; sermone scilicet, & opere alios ad diuinam legem seruandam excitare debet. Hoc Christus Dominus in hoc Euangelio præstitit. Nam hoc festiuitatis die, nempe die octauo ab initio scenopegiæ; magna populi celebritate solemniter colligebantur eleemosinæ, quas quisque pro suo arbitrio in templi vsum offerebat. Hinc talis dies à collectis habuit nomen iuxta Leuit. 23. *Septem diebus offeretis holocausta Domino. Dies quoque octauus erit celeberrimus, atque sanctissimus; & offeretis holocaustum Domino; est enim cœtus, atque collecta: omne opus seruile non facietis in eo.* Die hoc igitur, quo eleemosinarum collectæ fiebant, Dominus, vt aliis opere, & exemplo præluceret, ait: *Si quis sitit veniat ad me, & bibat.* Quibus verbis cœlestis gratiæ thesaurum indigentibus liberaliter offert. Quiquidem thesaurus non in vsum materialis templi; sed in ornatum templi spiritualis adhibendus erat; nempe ad sanctificandas animas, de quibus dicitur. *Nescitis quia templum Dei estis?* De die hoc, vt vidimus, præcipiebatur: *Omne opus seruile non facietis in eo.* Nihilominus Pharisæi, sacerdotumque principes, qui se legis seruantissimos ostentabant, tali die *Miserunt ministros, vt apprehenderent Iesum.* Quique sabbatum violari prædicabant, eò quòd Dominus eo die alligatam à Satana mulierem, vel paralyticum liberasset; iidem magno festiuitatis die Dominum vinculis adstringi posse sine festiuitatis violatione iudicabant. Hoc Pharisæizantium est proprium, quæ libuerint sibi religioni ducere; alia verò pro arbitrio perpendere; itaut ad libitum conscientiam vel adstringant, vel relaxent. De his beatè pronunciauit Apostolus: *In hypocrisi loquentes mendacium, & cauteriatam habentes conscientiam.*

C

D

1. ad Cor 3. Luc. c. 13. Ioan. c. 7. Pharisæorū iniquitas detegitur. 1 ad Tim. cap. 4. Conscientiam cauteriatā habere quid sit. Pharisæizantes adlibitum conscientiā adstringūt, & relaxant.

E

A Vbi sanctus Thomas ait: *Sicut cauterium corruptio est in carne per ignem, ex qua egreditur continuò putredo; ita ex igne peruersæ voluntatis quasi cauteriata vlceratur conscientia, & egreditur falsa doctrina.* Hinc suam Pharisæi conscientiam, velut cauterium fascia arctius, vel laxius ad libitum alligabant. Aquarum nomine aduersitates, & persecutiones significari pluries in Scriptura reperimus. Hinc Psal. 17. dicitur: *Assumpsit me de aquis multis; eripuit me de inimicis meis*: & Ps. 68. *Saluum me fac, Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Dum ergo à Iudæis persecutionum aquæ in Dominum inundarent; ipse eis cœlestium gratiarum aquas obtulit dicens: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Quàm verè de eximia Domini charitate dictum est Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*: Siue aduersitatum aquæ desuper ab æterno Patre velut imbres immitterentur, siue ab hominibus persecutionum flumina inundarent; Christi Domini charitatem nullatenus extinguere potuerunt; eique aduersitatum aquis cœlestium gratiarum aquas rependere placuit.

B

11. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*, dicitur Matth. 5. De hac iustitiæ siti hîc Dominus ait: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Cum enim ante Domini aduentum ob frequentes hominum iniquitates exul à terra iustitia videretur: *Vltima cœlestum terras Astræa reliquit*; veniente in terram Domino sub humana carne, in Euangelica lege redux in terras rediisse iustitia visa est. Ideo Psal 84. de Christo Domino dicitur: *Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos.* Scilicet, vt siquis iustitiam sitiret, eam obuiam haberet. Ad spiritualem verò vel diuinæ in nobis gratiæ, vel proximorum salutis sitim explendam, iustitiæ gressibus insistere debemus. Hinc benè monet Hugo: *Multi prædicatores Dei parant viam prædicando; sed tamen non ponunt in ea gressus; quia non faciunt, quod dicunt. De quibus dicit S. Gregor. foris idcò contemptum temporalium prædicant, vt illa soli habeant. Nam paupertatem prædicant, vt medicamentum; & eam fugiunt, vt venenum.*

C

D

12. Porrò Scenopegiæ solemnitas octauo hoc die, quo Christus sitientes ad se inuitauit, absoluebatur. In hac solemnitate septem diebus Iudæi extra domos in tabernaculis ex arborum ramis constructis habitabant; Quæ institutio præcipitur Leuit 23 sub finem. *Habitabitis in vmbraculis septem diebus; omnis, qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis. Vt discant posteri vestri, quòd in tabernaculis fecerim habitare filios Israel, cum educerem eos de Ægypto.* Hoc igitur festum Iudæis repræsentabat tempus illud, quo ex Ægypto egressi, desertum peragrātes in tabernaculis habitarunt. Eo igitur tempore in deserto ad eorum sitim sedandam educta est illis aqua de petra, quæ Christum spiritualem gratiæ aquam largientem præfigurauit. *Bibebant de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus*, ait Apostolus. Quod igitur tunc Iudæis præfiguratum fuit, in præsentia reipsa adimplere Dominus voluit dicens: Si *quis sitit, veniat ad me, & bibat.*

E

1. ad Cor. c. 10.

13. Cum dies hic Scenopegiæ octauus celebraretur, consueuerant Iudæi gestare ramum, qui dicebatur hhanaph; & ad Deum *hosanna*, hoc est, saluum me fac, clamare. Cum igitur à Deo clamando populus salutem flagitaret; ad

Teste Arias Montano.

A salutem, quam petebat, impertiendam Christus Dominus illi salutarem aquam obtulit; de qua dicitur: *Aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Salutaris nimirum aqua*, ait Cyrillus; *quæ noxiam huius mundi sitim, & vitiorum ardorem prorsus extinguit; sordes omnes peccatorum eluit: animæ nostræ terram cœlesti imbre irrorat, atque fœcundat: & ad solum Deum anhelo spiritu mentem humanam sitientem reddit. Hac aqua largiter potatus est Propheta, cum totus ad Deum suspirans dixit: Sitiuit in te anima mea.* Populo igitur clamanti *hosanna*, saluum me fac, clamando respondit Iesus dicens: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.*

Eccles. 15. in Ioan. l. 3. c. 10.

Psal. 62.

B Quàm benè de Redemptoris liberalitate cum Clemente Alexandrino dicere possumus: *Elargitio, quæ est bonus fons benignitatis, potum sitientibus communicat.* Redemptoris clamor vltro ad se cœlestis aquæ indigentes vocans, eximiæ diuinæ liberalitatis indicium erat. *Qui in certaminibus stultitiæ præmia proponunt*, inquit Nyssenus, *tuba liberalitatem suam indicantes, omnibus in palæstra decertantibus pecuniæ largitionem pollicentur, atque denunciant. Sic beneficentia omnes in miserijs positos ad se vocat; non vulnerum, & plagarum præmia; sed ærumnarum, & incommodorum remedia accedentibus impertiens. Hæc est omnium laudatarum virtutum præstantissima: Hæc est felicitatis comes: hæc assidet Deo, & magna est cum ipso necessitudine coniuncta.*

In Pedagogo. l. 3. Orat. de Pauperibus amandis.

C 14. Iesus dicens: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*; omnes inuitat, neminem excludit: hanc diuinam liberalitatem omnes inuitantem nos etiam imitari debemus. S. Augustinus in illa Apostoli verba: *Dum tempus habemus, operemur bonum*: *Ad omnes*, ait: *Ad omnes dico, non per partes, non ad vnum, vel ad duos, vel ad tres; sed ad omnes homines. Christus enim non pro sanctis tantùm passus est; sed pro peccatoribus, & impijs, & sceleratis ascendit in crucem. in passione sua nos omnes reuocauit ad vitam. Non sanctis tantùm Deus dedit solem, & lunam, & pluuiam, & omnia nascentia terræ, & omnes fructus, qui oriuntur in terris; sed in commune omnibus hominibus dedit illa; qui solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Ideo omnibus hominibus dedit illud in commune; vt bonum nostrum, &* D *eleemosina nostra, & charitas nostra, & patientia nostra in commune omnibus hominibus distribuantur.*

Beneficentia erga omnes exercenda. In salutaribus docum. c. 46. Ad Gal. c. 6.

Matth. 5.

15. Porrò aliàs Dominum clamasse legimus, scilicet tum in cruce, tum etiam, cum ad vitam Lazarum reuocauit: *Voce magna clamauit, Lazare, veni foras.* Domini clamorem tunc lacrymarum aqua vel præcessit, vel associauit: *Lacrymatus est Iesus.* Similiter in cruce *Preces, supplicationesque ad Deum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est.* Nunc verò Domini clamorem cœlestis aquæ exhibitio subsequitur: *Iesus clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* E Post Domini lacrymas, & clamorem Lazaro vincula sunt soluta: *Soluite illum, & sinite abire.* Hîc verò post Domini clamorem, post oblatam cœlestem aquam, vinculis perfidi Iudæi Redemptorem ligare moliebantur: *Quidam ex ipsis volebant apprehendere eum.* Domini clamor à quatriduano defuncto auditus est; hîc è contrario obstinatas Iudæorum aures voluntariè surdas clamando Dominus experitur.

Ambros. in Psal. 23. Ioan. 11. Ad Hebr. c. 5. 7

Clamasse Dominus ter legitur, consequente tamen effectu diuerso.

16. Dauid bellicis laboribus defatigatus cum vehementi siti angeretur dixit 2. Reg. 23. *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in*

Dauid Bethlemiæ cisternæ aquã

A *Bethleem iuxta portam.* Cumque regis desiderio tres strenui milites obsequi vellent, irrumpendo per Philistæa castra, aquam ad regem attulerunt. *At ille noluit bibere; sed libauit illam Domino dicens:* Propitius sit mihi Dominus, *ne faciam hoc. Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* Pius sanè fuit Dauidis affectus, ne aqua sanguinis effusionis, mortisque periculo comparata sitim expelleret. Contra verò impius sanè affectus est; si spiritualium donorum aquam Redemptoris sanguine, & morte nobis propinatam, ipso inuitante bibere renuamus. Vt cœlestem aquam à

piè bibere noluit: nos impiè oblatam à Domino aquã bibere renuemus?

B Domino oblatam sitiamus, tamque ab eo ardenter postulemus; sæpe Dominus immissa salubri calamitate voluptuosis hominibus terrena commoda, & voluptates aufert. Ad hoc significandum Ioel c. 1. carnales homines brutorum nomine indicans iuxta Rupertum ait: *Bestiæ agri suspexerunt ad te*; homines scil. qui antea ad terram oculos, suaque desideria deflectebant. *Bestiæ agri suspexerunt ad te*: redditque rationem: *Quoniam exsiccati sunt fontes aquarum.*

Qui credit in me, sicut dicit Scriptura: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

C 17. TRiplex quæsitum hîc fieri potest: Primò vbi reperiatur hoc Scripturæ testimonium? Secundò quid sit fluere à credentium ventre flumina aquæ viuæ? Tertiò cur Spiritus Sanctus, qui Pentecostes die in discipulos sub ignis specie descendit; antea vel sub aquæ, vel baptismi nomine fuerit promissus? Vt hîc, vbi sub nomine fluminis aquæ viuæ promittitur: & Isaiæ. 44. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam; & germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta præterfluentes aquas.* Isaiæ 59. *Cum venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit. Hoc adimpletum est in Pentecoste, &* D *deinceps; cum factus est de cœlo sonus, quasi aduenientis spiritus vehementis*, ait Hieronymus. Ezechiel 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri. Et auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum: & spiritum meum ponam in medio vestri.* Similiter sub effusionis voce promittitur Spiritus sanctus Ioëlis 2. *Effundam spiritum meum super omnem carnem; & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt; & iuuenes vestri visiones videbunt. Sed & super seruos meos, & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.* Quæ verba de Spiritus Sancti aduentu interpretatus est Petrus E Actor. 2. Præterea à Domino discipulis dictum refertur: *Ioannes baptizauit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu Sancto.* Ad Tit. 3. Apostolus ait: *Secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum.*

Spiritus Sanctus, qui Pentecoste sub ignis specie descendit, cur sub aquæ, vel baptismi nomine fuit promissus. Hîc, & sequentibus.

Act. c. 1.

18. Respondetur Primò Spiritum sub aquæ nomine fuisse promissum; eo quòd Spiritus Sancti communicatio cum baptismalis aquæ aspersione erat coniungenda. Quare Actor. 10. dicitur: *Loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus*

Sanctus super omnes, qui audiebant Verbum. Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi. Actor. 19. de Ephesiis dicitur: *Baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Ad hoc ipsum significandum, quamuis Christus Dominus omnium Spiritus Sancti donorum plenitudinem præhaberet; de eo tamen dicitur Matthæi 3. *Baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua. Ecce aperti sunt ei cæli; & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.*

19. Respondetur Secundò Spiritum Sanctum sub nomine aquæ, effusionis, & baptismi fuisse promissum ad gratiæ copiam significandam, quæ per illum communicanda fidelibus erat. Sicut etiam ad largissimam sui sanguinis effusionem denotandam, Redemptor noster dixit Psal. 21. *Sicut aqua effusus sum.* Præterea cum iam Apostoli sacramentaliter baptizati essent à Christo, vt docet Augustinus, Gregorius, & alii; adhuc iis à Domino dicitur: *Vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto.* Quod explicans Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 17. ait: *Vt is, qui mergitur in aqua, & baptizatur, vndique ab aquis circundatur; sic & illi Spiritu Sancto baptizati sunt perfectè. Nondum erat Spiritus datus, quando non erat Christus glorificatus.* Hoc est, nondum erat cum ea gratiarum plenitudine communicatus; de qua dicitur Actor. 2. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Similiter Matth. 3. Ioannes dixit: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Vbi Chrysostomus docet eleganter dictum esse: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto; ac si diceret: Sicut ego nunc copiosè aquam effundo super vos: ita ipse copiosè effundet Spiritum Sanctum.* Quare verba illa: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto,* Theophylactus interpretatur: *Inundabit vos largiter Spiritus Sancti gratiis.* Ex hac tam larga cœlestium gratiarum effusione Dei liberalitatem, Christi meritum, & Euangelicæ legis dignitatem supra Mosaïcam agnoscimus: sub Mosaica lege gratiarum tantùm stillæ depluere videbuntur: *Benedicebant Dominum, qui liberauit eos, misericordia initium stillans in eos,* dicitur 2. Machab. c. 8. At in Euangelica lege cœlestium gratiarum non stillæ, sed fluenta in homines defluunt, iuxta Isa. vaticinium: *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam.*

August. tract. 15. in Ioan & Epist 108. Gregor lib 9 Epist. 32.

Ioan. 7.

20. Ad secundum quæsitum suppono, quod Gregor. 9. Moral. c. 25. ait: *Sciendum est, quod in sacro eloquio ventris, vel vteri nomine mens soleat intelligi; hinc est enim, quòd per Salomonem dicitur: Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris.* Hoc posito, interius consequi tantam spiritualium donorum copiam, vt ea etiam ad aliorum profectum redundet; hoc significat fluere è credentium ventre flumina aquæ viuæ. *Venter interioris hominis, conscientia cordis est,* ait Augustinus. *Bibito ergo de isto liquore reuiuiscit purgata conscientia; & hauriens fontem habebit; etiam ipsa fons erit. Quid est fons, & quid est fluuius, qui manat de ventre interioris hominis? Beneuolentia, qua vult consulere proximo. Si enim putet, quia quod bibit, soli ipsi debet sufficere, non fluit aqua viua de ventre eius: si autem proximo festinat consulere, ideo non siccat, quia manat.* Similiter Gregorius in illa verba Iob 28. *In petris riuos excidit,* ait: *In duris Gentilium cordibus fluuios prædicationis aperuit; sicut per Prophetam quoque de irriganda dicitur ariditate Gentilium: Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum. Atque in Euangelio promisit Dominus dicens: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquæ viuæ de ventre eius fluent. Quod promissum tunc audiuimus, etiam nunc completum vidimus. Ecce enim in sanctis prædicatoribus, & non ex Iudæa progenitis; per cunctam Ecclesiam in toto orbe diffusam, fluenta cælestium mandatorum vbertim manant ex ore Gentilium. Quia enim in petris riuos aperuit, ex duris quoque cordibus fluuius sanctæ prædicationis emanauit.* Similiter Chrysost. hom. 15. in Matth. de eo, qui virtutum copiam ex Spiritus Sancti gratia consecutus est, ait: *Qui mansuetus est, ac modestus, & misericors, & iustus; non intra se tantummodo hæc rectè facta concludit; verùm in aliorum quoque vtilitatem præclaros hos facit effluere fontes.*

20. Prouer. 27.

Ventris nomine mēs, vel interior conscientia, & cor significatur.

Flumina de credentium ventre fluere, quid significet.

Hic & n. sequenti.

in Ioan. tract. 32.

18. Mor. c. 12.

Psal. 106.

21. Ad idem confirmandum, cum Apostolis ante Pentecostes diem dictum à Domino fuerit: *Accipite Spiritū Sanctum: Quid ergo hodierna die, hoc est Pentecoste, acceperunt,* inquit Richardus Victorinus, *si ante hanc diem Spiritus Sancti gratia perfusi fuerunt? Sed constat sanè, quia huiusmodi stillicidia gratiæ dantur modo ad solam infusionem, modo verò vsque ad diffusionem; quandoque etiam vsque ad effusionem. Infusio est enim si minus influit, quam vas capere possit. Diffusio est, quando eò vsque perfunditur, donec nulla eius pars vacua relinquatur. Infusio in effusionem iam transit; quando quod infusum est, superfluit. Iuxta huius similitudinis formam multi accipiunt Spiritus Sancti gratiam; alii ad solam infusionem, alii vsque ad diffusionem, alii autem vsque ad effusionem. Infusio est ad sustentationem, diffusio ad satietatem; effusio ad erogationem. Infusio ad refectionem, diffusio ad repletionem, effusio ad dispensationem. Infusio ad boni inchoationem; diffusio, & effusio ad boni consummationem. Infusio ad ædificationem sui, effusio ad ædificationem proximi. Ex hoc ergo accipit homo, vt possit; ex illis, vt proficiat. Acceperunt itaque Spiritus Sancti infusionem Apostoli hoc tempore vsque ad diffusionem, quia repleti sunt omnes Spiritu Sancto; nec ad solam diffusionem, verumetiam vsque ad effusionem; quia cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei.* Eloquia ista ex Spiritus Sancti feruore prolata sunt, aquæ viuæ flumina, quæ è credentium corde in proximorum salutem effunduntur. Hinc Salomon ait: *Aqua profunda verba ex ore viri; & torrens redundans fons sapientiæ.* Vbi Septuaginta legunt: *Aqua profunda sermo in corde viri; flumen autem scaturit, & fons vitæ.* Non dissimiliter de iusto proximos ad salutem excitante dicitur Ecclesiastici 39. *Si Dominus magnus voluerit, Spiritu intelligentiæ replebit illum; & ipse tamquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ.*

Ioan 20. 22.

Spiritus Sancti communicatio triplex per infusionem, diffusionem, & effusionem.

Prouer. 18. n. 4.

22. Porrò ne quis audita fluminis, torrentis, & imbrium similitudine; hinc ansam arripiat, cum ad proximos de æterna salute verba facit, insurgendi in inanes verbosæ eloquentiæ tumores, ad dicendi copiam, ingeniique fœcunditatem ostentandam; ita vt potius propter iactantiæ, quàm auditorum capacitati, & vtilitati consulat; cum Moses dixisset: *Concrescat, vt pluuia doctrina mea:* addidit: *Fluat vt ros eloquium meum: quasi imber super herbam, & quasi stilla super gramina.* Ita vt iuxta auditorum indigentiam, modo vt imbrem, modo vt rorem, modo vt stillam loquendo se velit auditoribus exhibere. Hinc bene Nazianzenus ait

Prædicator verborum copiam, tumoremque ostentare non debet.

Prædicator modò vt imbrē, modò vt rorem, modò vt stillū pluuium eloquiū exhibere debet.

Deut. 32.

Tom. 6. or. 26 in plagā grandinis.

ait: *Ingens pluuia nequaquam maiorem vtilitatem ponit, quàm ea, quæ minori copia labitur: Quippe cum illa vehementia sua terram deuoluat, ac distrahat; fortéque etiam ipsa agricolam molestet: hæc autem leniter, & tranquillè defluens, altissimeque illabens pinguiorem terram efficit, & cultorem iuuat, spicamque ad maturum fructum nutrit. Eodem modo nec copiosa, verbisque affluens oratio sapiens oratione vtilior censenda est. Illa enim exigua fortasse voluptate affectum auditorem relinquit; simulque cum percusso aere dissoluitur; nec quidquam aliud virium habet, quàm vt verborum lenocinijs, quasi præstigiis quibusdam auidas hominum aures deliniat. Hæc autem mentem penetrat, dilatatumque os spiritu implet; nec in ipso ortu extinguitur. Sed ingentem segetem paucis syllabis gignit. Prima sapientia est, sapientiam in verbis, & dictionum argutiis, & fucatis, ac supernacaneis disputationibus sitam pro nihilo ducere. Atque vtinam mihi potius quinque verba eloqui prudenter contingat; quam sexcenta in lingua, & voce tuba obscura, & incerta, quæ militem meum ad spiritualle bellum excitare nequeant.* Alludit Nazianzenus ad verba Apostoli scribentis ad Corinth. *In Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam; quàm decem millia verborum in lingua:* in lingua scilicet, quæ tantùm verborum ostentationi studeat; auditorum verò profectui non prosit; cum illorũ intelligentiæ non conformetur. Quinque, hoc est pauciora verba auditorum capacitati accommodata, stillæ super gramina sunt. Sapienter enim Moses dixit: *Concrescat vt pluuia doctrina mea; fluat vt ros eloquium meum; quasi imber super herbam. & quasi stilla, super gramina.* Sermonem suum imbrem super herbam, super gramina verò stillas esse vult Moses. Pleraque herbarum germina foliis sursum assurgunt; Inter herbas tamen gramina humi serpunt, parumque è terra attolluntur. *Gramen gemmiculatos habet internodios serpentes in terra*, ait Dioscorides. Per herbas ergo, peritiores auditores significantur; per gramina verò rudiores. Hinc est, quòd Moses sapientis Ecclesiastæ ideam exprimens, suam doctrinam super herbas velut imbrem, hoc est vberius super peritiores; super gramina velut stillas; hoc est parcius super rudiores communicari velit.

1. ad Cor c. 14. n. 19.

Lib. 4. c. 28. vel 30.

Christus velut aquæ viuæ flu... B Virginis vtero emanauit. Luca 1. Ambrosius lib. 2. de Virg. Ecclesi. c. 24. n. 41. Lib. 2. de dormit. B V. B Virginis, & terrestris Paradisi cōparatio.

23. Porrò allata verba. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*; mysticè de B. Virgine intelligere possumus: Deipara enim fidei præstantia mirificè excelluit; illi enim dicitur: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino:* & in B. Virgine tamquam in firmissima arce fidei vexillum erectum fuisse testatur Ambrosius. Cum igitur Deipara præ aliis omnibus insignis fuerit in credendo; hinc ex illius beatissimo ventre flumius ille aquæ viuæ prodiit, qui de seipso ait: *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio; ego quasi fluuij dioryx. & sicut aquæductus exiui de paradiso*: hoc est, è Virgineo claustro Deiparæ, quam animatũ paradisum meritò vocat Damascenus; Ad id confirmandum lib. 4. in Cant. Rupertus ait: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, es Dei genitrix. Ecce nouus paradisus, noua plantationes, quas plantauit vnus, idemque paradisi plantator Dominus Deus. Ille est paradisus antiquus, paradisus terrenus: iste est paradisus nouus, paradisus cœlestis; vtriusque plantator est vnus, idemque Dominus Deus. In illo posuit hominem, quem formauerat; in iste formauit hominem, qui apud ipsum in principio erat. De ista humo produxit omne lignum pulchrum visu, & ad vescēdum suaue; lignum etiam vitæ in medio paradisi: istam humum, istam terram suam benedixit, & ex ea cunctarum germina gratiarum, & cunctarum exemplaria virtutum produxit: ipsum quoque lignum vitæ, Christum Deum, & hominum paradisi cœlestis. De illa voluptatis loco egrediebatur fluuius ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita: de isto paradiso ille fluuius, siue istud flumen egressum est, de quo Psalmista dicit: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, quæ inde diuiditur in quatuor Euangelia.* Idem Rupertus in. illa eiusdem capitis verba: *Emissiones tuæ paradisus*, ait: *Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cœlestium mundus accepit, emissiones tuæ sunt: vt vbi erant prius spinæ, & vepres, & carduus, lappæ, & tribulus, vrtica, & paliurus, vniuersitas nequitiarum; ibi sit cyprus cum nardo, nardus, & crocus; fistula, & cinamomum; myrrha, & aloë; vniuersitas gratiarum.* Addit deinde: *Sicut initio fons ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiem terræ; sicut, inquam, fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum; qui inde diuiditur in quatuor capita: sic ex te, ô amica, ô terra benedicta, fons ille ascendit, qui apud Deum erat, & vera lux erat; sicut scriptum est: Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Fons, inquam, ille ascendit ex te, non principium, siue initium habens ex te; sed de corde Patris per occultas vias cum omnibus aquis viuentibus; id est cum omnibus scripturæ veritatis veniens in te, & æternum sapientiæ fontem, sic puteum faciens in te; atque hoc modo ascendit ex te. Ad quid ascendit? Usque ad irrigandam superficiem terræ: ad instruendam, siue excolendam Ecclesiam per vniuersum orbem terræ. Ad hoc egreditur fluuius de loco voluptatis, scilicet ad irrigandum paradisum; ad hoc, inquam, ex te, ô voluptas, siue locus voluptatis Dei, mirificum accepit sanctum Euangelium, vt per vniuersum mundum spiritualem irriget paradisum.*

Psal. 45.

Cant. 4. 14.

Psal. 35.

Genes. c. 2.

24. Cum Gabriël Archangelus verbis illis B. Virginem salutasset: *Aue gratia plena*; addidit insuper: *Spiritus Sanctus superueniet in te;* Quid additurus erat superueniens Spiritus-Sanctus; si iam Virgo gratia plena erat? Hanc dubitationem proponit, soluitque Bernardus ser. 2. de Assumptione: *Virginem salutat Angelus gratia plenam: neque hoc solùm: sed adhuc quoque in eam superuenturum asserit Spiritum-Sanctum. Ad quid putas, nisi vt etiam superimpleat eam? Ad quid, nisi vt adueniente iam Spiritu, plena sibi, eodem superueniente, nobis quoque superplena, & supereffluens fiat?* Quàm eximiè B. Virgo *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem in sinum habuit?* Mensuram bonam, & confertam habuit ante filii passionem: coagitatam in passione filii: supereffluẽtem post filii resurrectionem: Bernard. ser. de natiuit. B. Virginis ait: *Altius intuemini quanto deuotionis affectu à nobis Mariam voluerit honorari: qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare, quæ ascendit delicijs affluens. Hortus planè deliciarum, quam non modo afflauerit veniens, sed & perflauerit superueniens Auster ille, Dominus: vt vndique fluant, & effluant aromata eius, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris vtique magni, & spatiosi. quid nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur?* Ad primum illud quæsitum, vbi reperiatur citatum Scripturæ testimonium: *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, respondendum est separatim, vt infrà.

Luca. 1.

B. Virgo gratia plena adhuc Spiritu Sancto superueniente superplena gratia fuit, vt eam in nos diffunderet.

Luc. 6. 38.

Cantic. 4.

Sicut dicit Scriptura.

25. HÆc citatio iuxtà Chrysost. hom. 50. Leontiũ, Theophylactum, & Euthymiũ ad antecedentia verba refertur: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura.* Contra verò iuxta Hieronymũ, Cyprianum Epist. 62. Rupertũ, Thomam refertur ad subsequentia: *Sicut dicit Scriptura: Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ratio huius opinionũ diuersitatis prouenit ex eo, quòd indagando subsequentia verba, vbi in Scriptura habeantur, valdè, & diuersimodè interpretes laborent; cũ ea, vt hîc citãtur, nullibi reperiri videantur. Dico igitur 1. si ad antecedentia verba citatio referatur, locũ Scripturæ citatum esse illum Mosis Deut. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Quem locum de Christo expresse interpretans Petrus Apostol. sic citat Act. 3. *Prophetã suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tãquam me, ipsũ audietis, iuxta omnia quæcũque locutus fuerit vobis.* Ait ergo in præsenti Euãgelio Dominus: *Qui credit in me,* non quomodocũque, sed sicut dicit Scriptura ex ore Mosis, nempe audiendo, hoc est obediendo, & exequẽdo omnia quæcumque locutus fuero ei, mandato nullo prætermisso: hîc tantã spiritualium donorũ vbertatem consequetur, vt flumina è corde eius aquæ viuæ, hoc est cœlestis gratiæ fluere videri possint. Itaque his verbis significatur fides perfecta, nulla ex parte deficiens: quæque operibus coniungatur. Quamuis enim in Deut. non sint verba illa à Petro addita: *Omnia quæcumque locutus fuerit vobis;* sunt tamen paulò post æquiualenter, dicẽte Mose: *Ait Dominus mihi: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.*

Hieronym. In prologo Pentateuch.

26. Rursus si allata citatio ad subsequentia verba referatur; quãuis varia ab interpretibus sacræ Scripturæ verba huc detorqueantur; probabilius mihi dicendum videtur hîc potiùs citari sensum, quàm verba ipsa sacræ Scripturæ. Neque hoc in sacris litteris nouũ est; nam vbi Matth. 2. dicitur: *Vt impleretur quod dictũ est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur:* Hieronymus ait: *Si fixum de Scripturis posuisset exemplum, numquam diceret: Quod dictum est per Prophetas; sed simpliciter: Quod dictum est per Prophetam: nunc autem pluraliter Prophetas vocans, ostendit se non verba de Scriptura sumpsisse, sed sensum.* Similiter, cum hîc neque Dauid, neque Isaias, neque Prophetæ citentur, vt alibi in Euangelio; sed vniuersaliter Scriptura; & in ea hoc testimonium iisdem, quibus citatur verbis, non reperiatur; dicendũ est sententię potius sensũ, quàm verba citari. Sententiæ autem sensu nihil aliud continetur, quam promissio ingentis copiæ gratiarũ, quas credentibus Spiritus Sanctus cõmunicaturus dicitur: hæc autem ingẽs spiritualiũ donorũ copia, fluminis nomine significatur. Locus ergo, vbi sensus hic continetur, videtur esse ille Isa. c. vltimo, vbi sub nomine Ierusalem de Ecclesia, hoc est de credentium cœtu loquens ait: *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis.* Fluuius iste Spiritus Sancti effusione cõmunicandus indicatur, cum pacis fluuius dicatur: Fructus enim Spiritus Sancti pax est, teste Apostolo ad Gal. 5.

Flumina aquæ viuæ de ventre credentis fluxura, vbi Scriptura dicat. Hîc, & sequentibus.

27. Euãgelicæ sententiæ sensus contineri etiam videtur verbis illis Ps. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Ciuitas Dei corda sunt fidelium ipso Domino testante: *Inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.* Legit autem citato Ps. Hieronym. *Fluminis diuisiones lætificant ciuitatem Dei.* Fluminis diuisiones gratiarum diuisiones, quę à Spiritu Sancto cõmunicantur, significant: de quibus Apostolus ait: *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Porrò ad significandum has gratiarũ diuisiones à Spiritu Sãcto fidelibus cõmunicari in proximorum vtilitatẽ, quod verba illa significãt: *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ,* ab Apostolo subditur: *Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem,* ad vtilitatem scilicet non propriam solùm, sed proximorum.

2. ad Cor. cap. 6.

1. ad Cor. cap. 12.

28. Præterea non inficior dici probabiliter posse citata verba, etsi in Scripturæ libris nunc extantibus non reperiantur, reperiri fortassè potuisse in aliis sacris libris, qui in sacra Scriptura, quæ nunc extat, citantur: & tamen vel custodũ negligentia, vel tyrannorũ impietate perierunt. Horũ librorum non extantium catalogũ recensẽt Serarius in Prolegomenis c. 8. 9. 14. suntque viginti. Ex his autem sacris libris in Scriptura citatis, quãuis non omnes, aliquos tamen probabiliter dici potest fuisse canonicos, & diuinæ auctoritatis: præsertim, qui non simpliciter citantur, sed cum elogio, & sub nomine sancti alicuius Prophetæ. Tales sunt Samuẽlis libri citati 1. Reg. c. 10. n. 25. & 1. Paralip. c. vltimo: vbi etiam aliorũ Prophetarum libri citantur his verbis: *Gesta Dauid regis priora, & nouissima, scripta sunt in libro Samuelis Videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad Videntis.* Talis etiam haberi potest liber Ahiæ Prophetæ citatus 2. Paralip. 9. Talis similiter liber Iehu Prophetæ citatus 2. Paralip. 20. Talis denique liber Enoch, quem extitisse, ex epist. Iudæ Apost. colligit August. lib. 18. de ciuit. c. 38. His addi possunt Ieremiæ Prophetæ Descriptiones, quarum mentio est 2. Macchab. c. 2. & epist. Heliæ Prophetæ, quam ad Regẽ Israel misit 2. Paralip. 21. vt videre est apud Bonfrerium in prœloquiis ad Scripturã c. 6. sect. 3. 4. & 5.

Scriptura præter extantes nunc libros, alios amissos etiã citat.

29. Ad extremum citatis verbis: *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ,* monemur post accepta diuina beneficia, ex grato corde gratiarum flumina ad diuinę beneficentiæ pelagus recurrere debere: idque præcipuè postquã intra nostrum cor sanctissimã Eucharistiam sumpserimus. Isa. c. 55 sitientes Deus non solùm ad aquas, sed etiam ad vinũ, & lac: non solùm ad potũ, sed etiam ad comedendũ inuitat: *Omnes sitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentũ, properate, emite, & comedite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac.* Per vinum, & lac sanctissimũ Eucharistiæ sacramentũ significatur: sub vini enim specie ibi se Christus in potũ prębet: per lac etiam idem Dominus in Eucharistia intelligitur, iuxta Clementem Alex. Pædagog. l. 1. c. 6. *Lac est hic infantulus pulcher, & appositus; scilicet corpus Christi. Comedite, inquit, meam carnem, & bibite meum sanguinem.* Additur apud Isaiam: *Audite audientes me, & comedite bonum. Quid bonum eius est, & quid pulchrum eius; nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* ait Zacharias c. 9. Sed si tam pretiosi vini, & lactis emptio offertur; quomodo sine pretio talis emptio esse potest? Respondetur primò pretium gratum animum esse debere: *Eme pretio oris confessionis, & iugi memoria quid ex te sit, quid à Deo acceperis,* ait Rupertus. Respondetur secundò huius emptionis non tam nostrum, quàm à Christo Domino pretium esse, nempe ipsum Domini pretiosum sanguinem in passione effusum. *Emite sine argento: neque enim pretium quæsiuit à nobis, qui pro nobis sanguinis sui pretium soluit,* ait Ambrosius lib. de Ioseph. cap. 7.

Eucharistiæ sacramentũ ad hoc gratitudinis actu. Lacti s nomine mysticè Eucharistia significatur.

FERIA TERTIA.

POST DOMINICAM PASSIONIS.

Ambulabat Iesus in Galilæam; non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere, &c. *Ioan.* 7.

Euangelij nexus, & ordo.

1. CVM Iudæi Scenopegiæ solennitatem celebrarent fixis ramorum vmbraculis (hoc enim Scenopegia significat) vt recolerent memoriam temporis illius, quo ex Ægypti seruitute egressi per desertum peregrinantes in vmbraculis hospitium habuerunt; & hinc in memoriam reuocarent plurima Dei beneficia eo maximè tempore accepta: Iudaicâ perfidia factum est, vt non tam antiqua beneficia mente peruoluerent; quàm peccata eadem, quę in ea peregrinatione maiores patrarant, iterum ipsi posteri repeterent; adeoque sacras Domini festiuitates prę- B uaricando violarent. Triplicis autem sceleris Iudæi in deserto rei fuerunt; scilicet idololatriæ, incredulitatis, & murmurationis. Idololatriæ scelus commiserunt; cùm Deo, quantùm in ipsis erat, Diuinitatem adimentes, eam in vitulum aureum transtulerunt. *Fecerunt sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias dixerunt: Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Idem incredulitatis crimen subierunt, increpante eos Mose: *Audite rebelles, & increduli.* Denique, incredulitati murmurationem addiderunt: *Non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis suis.* Tria hæc pec- C cata à Iudæis repeti in hoc Euangelio cernimus: sicut enim tunc idololatrando, Deo Diuinitatem adimere sunt conati: ita hîc Dei filio vitam auferre conati sunt: *Quærebant eum Iudæi interficere.* Rursus hîc incredulitatis culpa repetitur: *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Denique murmurandi crimen iteratur: *Murmur multum erat de eo in turba. Quidam enim dicebant, quia bonus est; alij autem dicebant: Non, sed seducit turbas.* Posita ergo Iudęorum perfidia, murmuratione, & Dominici effundendi sanguinis siti; benè à Domino Iudaico populo dicitur, cum Scenopegiæ festa celebrarent: *Sanctuaria mea spreuisti; & sabbata mea polluisti: viri detractores fuerunt in te ad ef- D fundendum sanguinem.* Benè autem de huiusmodi detractoribus dicitur Ps. 105. 25. *Murmurauerunt in tabernaculis suis*, in tabernaculis enim extra proprias domos, cum Scenopegiæ festa celebrarent, Iudæos habitare præcipiebatur Leuit. 24. *Vt discant posteri vestri, quòd in tabernaculis fecerim habitare filios Israel; cum educerem eos de Ægypto.*

Exodi 32. Iudaicus populus triplicis sceleris reus, eadem scelera denuo iterauit. Num 20 Psal. 105. v 25.

Ezech. 22.

A *Ambulabat Iesus in Galilæam: non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.*

2. CVm decreuisset Dominus statuto tempore ad humani generis redemptionem palam crucis patibulum ascendere; non autem clam ex Iudęorum insidiis mortem subire: hinc factum est, vt præcognoscens occultas Iudæorum insidias, eas vitare voluerit in Galilæa commorando, non redeundo in Iudęam. Ad conuiuium, antequam paretur, accedere conuiua non debet. Dei B filius ad opprobriorum conuiuium illud accedere decreuerat, de quo vaticinatus est Ieremias Thr. 3. *Saturabitur opprobriis.* Tale autem conuiuium hoc tempore, quo Dominus in Iudæam redire noluit, ab æterno Patre nondum paratum erat: ad illud enim lautè parandum expectanda primò erat Paschatis solemnitas, adeoque maxima populi frequentia, vt ea opprobriorum vis maximè augeretur. Secundò expectandus erat Herodis Ierosolymam aduentus; vt Herode Dominum tamquam stultum aspernante, candidoque operimento contegente, nuptialis vestis eo in conuiuio non deesset, quo Dei filius sponsus sangui- C nnm Ecclesiam sponsam ducturus erat. Tertiò Barabbæ homicidæ, & seditiosi libertatem Domini innocentię præferendi tempus erat maturandum. Quartò, vt in opprobriorum conuiuio Christus Dominus præcipuus conuiua sodales haberet, expectandum erat latronum in cruce consortium. Quintò denique vernum tempus, quo sanguis maximè efferuescit ad vberiorem cruoris effusionem, adeoque ad conuiuii maiorem lautitiem opperiri Domino iucundius fuit. Iniquæ tantummodò musicæ discors concentus in hoc opprobriorum conuiuio expectandus non erat; erat enim sacrilega blasphemantium lin- D guarum symphonia apud Iudæorum principes semper parata. De illis enim dicitur Isaiæ 52. *Dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus; & iugiter tota die nomen meum blasphematur.*

Christus in Galilæa manens suæ mortis tempus ex quadruplici causa distulit.

Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scenopegia.

3. DE Scenopegiæ festo præter sacrę scripturæ textus supracitatos, legendus est Ioseph lib. 3. antiquitatum c. 10.

Scenopegiæ quæ solemnitas fuit.

Dixerunt autem ad eum fratres eius.

Fratres Dominus eum habuisse dicatur, perperam B Virgini, & S. Iosepho perpetua Virginitas, & S. Annæ laudabilis viduitas denegatur.

4. VT Christo Domino tribuerent fraternam consanguinitatem, alii Dei paræ, alii S. Iosepho eiusdem sponso perpetuam virginitatem; alii denique S. Annæ B. Virginis genitrici laudabilem viduitatem perperam sine vlla necessitate denegare conati sunt. Prima igitur sententia est Heluidii affirmantis Christum Dominum ex eadem matre progenitos fratres habuisse. Sed hæc sententia, vt hæresis refellitur à S. Hieronymo tom. 2. lib. contra Heluidium; & à S. Hildelphōso tractatu de perpetua Deip. Virginitate posito in Bibliotheca Patrum tom. 9. editionis secundę, & ab Hugone Victorino tom. 3. libello de eadem perpetua Deiparæ Virginitate. Ad quam perpetuam Virginitatem asserendam sub orientalis in templo portæ symbolo de Deipara

B

Porta orientalis templi B Virginis figura, cur semper clausa dicatur.

dicitur Ezech. 44. *Conuertit me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad orientem, & erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non intrabit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa. Hæc est porta orientalis* (de B. Virgine ait Hieronymus) *semper clausa, & lucida operiens in se, vel ex se proferens sancta sanctorum: per quam sol iustitiæ, & pontifex noster secundùm ordinem Melchisedech ingreditur, & egreditur.* Citato Ezechielis textu ter porta orientalis clausa dicitur; vt significetur Deiparam Virginem fuisse ante partum, in partu, & post partum; vt notat Galatinus lib. 7. de arcanis fidei cap. 14. Virgo fuit ante partum contra hæresim Ebionis, & Cherinti impiè docentium B. Virginem ex Iosepho concepisse. Virgo in partu contra hæresim Iouiniani asserentis Beatam Virginem in partu fuisse corruptam. Virgo post partum contra Heluidium asserentem B. Virginem post Redemptoris Virgineum partum plures ex Iosepho genuisse filios, qui propterea in Euangelio fratres Domini vocantur. Contra quos omnes Augustinus serm. 14. de natali Domini ait: *Quid est porta in domo Domini clausa; nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est: Homo non transibit per eam, nisi quia Ioseph non cognouit eam? Et quid est, quod clausa erit in æternum, nisi quia Maria Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum? Dicat ergo Maria: Porta facta sum cœli; ianua facta sum filio Dei. Illi facta sum ianua clausa, qui post suam resurrectionem ingressus est per ostia clausa; qui natus de ventre meo me matrem dimisit intactam. Adimplenit ventrem meum diuinitate, & vterum meum non euacuauit castitate: nec in conceptione inuenta sum sine pudore; nec in parturitione inuenta sum cum dolore.*

Apolog. ad Pammach. pro lib. adv. Iouinian. in fine.

Hæresis triplex contra Deiparæ Virginitatē

Apud Irenæum lib. 1 c. 25.

August. lib de hæresib.

C

D

S. Iosepho semper Virgini falsò filii tribuuntur. Hic, & sequentibus.

5. Secunda sententia docet S. Iosephum ex alio coniugio, antequam B. Virginem sponsam duceret, filios habuisse: quare sicut S. Ioseph Christi Domini pater putabatur; ita eiusdem Iosephi filii tamquam Christi Domini fratres vulgò habebantur. Hanc sententiam ex Græcis tuentur Origenes Matthęi 13. Hippolytus Martyr apud Nycephorum 2. hist. c. 3. Nyssenus orat. 2. de resurrect. Euseb. 2. histor. c. 1. Epiphan. hæresi 28. 51. 78. & in Ancorato; Theophylactus Matth. 13. vbi ait: *Fratres habuit Dominus, & sorores Iosephi filios, quos genuit ex vxore fratris sui Cleophæ.* Idem cap. 27. & Ioann. 19. & 1. ad Corinth 9. & ad Galat. 1. repetit. Euthymius similiter sentit Matthæi 12. & Ioann. 7 Oecume-

E

A

nius Actor. 1. & 2. & ad Galat. 1. Nicephorus lib. 1. cap. 7. & 21. & lib. 3. cap. 10. Egesippus de excidio Ierosolymæ: Abdias de Apostolis Simone, & Iuda: Leontius in cap. 7. Ioannis; Cyrillus Alexandr. ibidem. Chrysostomus denique apud Metaphrast. in orat. de Annunciat, ait: *Ioseph clarò prius iunctus matrimonio susceperat liberos: post autem vxore repudiata, in castitate vixit, & liberos in disciplina, & timore Domini educauit. Cum enim Paulus Apostolus ad Euangelij promulgationem proficisceretur, & vnum ex filiis eius reperisset: Alium, inquit, Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini, non ex Maria, sed ex Iosepho genitum.* Sed citata oratio vel falsò tribuitur Chrysostomo; vel si Chrysostomi est, ipse sententiam retractauit in cap. 1. ad Galat. vbi indicat Iacobum filium fuisse Cleopæ, seu Cleophæ dicens: *Non appellauit eum Iacobum Cleopæ; sed quomodo? Fratrem Domini. Atqui nec frater erat Domini iuxta carnem, sed esse putabatur.* Putabatur autem, quia Cleophas frater erat Iosephi. Sed dicet quispiam allatis verbis Chrysostomū priorem non retractasse sententiam. Quamuis enim Iacobus secundùm naturam Iosephi filius fuerit, adhuc secundùm legem Cleophæ filius à Chrysostomo dicitur: quia Deuter. 25. præcipitur: *Si ex fratribus vnus absque liberis mortuus fuerit, vxorem defuncti accipiet frater eius; & primogenitum ex ea nomine illius, nempe defuncti, appellabit.* Ex Latinis consentit citatis Græcis auctoribus Hilarius Can. 1. in Matthæum. Ambrosius de institut. Virginis cap. 6. ait: *Potuerunt fratres esse ex Ioseph, non ex Maria.* Citatur etiam Ambrosius pro hac sententia in cap. 1. ad Galat: sed commentaria in Epist. ad Galat. falsò tribuuntur Ambrosio, vt benè probat Bellarminus de scriptor. Ecclesiast. Augustinus quidem in eam Epistolam problematicè ait: *Iacobus Domini frater, vel ex filijs Ioseph ex alia vxore; vel ex cognatione Mariæ matris eius debet intelligi.*

Ad Gal. c. 1. v. 19.

B

C

6. Refelli hæc sententia primò posset; quia etiam si S. Ioseph ex alio coniugio filios habuisset; adhuc tamen hi Domini fratres verè non erant; sicut neque ipse Ioseph Domini erat pater; ex quo fit, vt licet vulgò fratres Domini haberentur, ab Euangelista, tamen vera scribente fratres nominari non potuerint. Sed contra est, quia etiam S. Lucas cap. 2. Iosephum Domini parentem appellauit: *Remansit puer Iesus in Ierusalem; & non cognouerunt parentes eius.* Quinimmo ibidem suum sponsum Domini patrem Deipara appellauit: *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Et huius ratio est, quia consuetum in sacra Scriptura nominibus putatiuis aliquos nominare. Hinc etiam Pseudoprophetę absolutè Prophetæ nominantur; non quòd tales essent, sed quia tales vulgò habebantur, & dicebantur. Sic Ezech. 13. à Deo dicitur: *Fili hominis vaticinare ad Prophetas Israel. Hæc dicit Dominus Deus: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Hanc habet sacra Scriptura consuetudinem*, ait S. Hieronymus Ezech. 13. *vt vnumquemque vaticinationis suæ, & sermonis Prophetam nuncupet.* Hinc appellantur Prophetæ Baal: & ad Titum cap. 1. Apostolus Poëtam Græcum Prophetam vocat: *Dixit quidam proprius eorum Propheta.* Idem Hieronymus ait Apostolum ad Galat. 3. dixisse: *Quis vos fascinauit? Non quòd sciuerit esse fascinum, qui vulgò putatur nocere; sed vsus sermone sit*

D

Scriptura aliquibus putatiua nomina tribuit.

E

3 Reg. c. 18.

trinę; & vt in cæteris, ita in hoc quoque loco verbum quotidianæ sermocinationis assumpserit. Quod si aliquis contradicit, exponat quomodo de communi opinione sit sumptum; Vallis Titanorum in regnorum libris; Sirenes, & Onocentauri in Isaia. Similiter Genes. 18. de tribus Angelis, qui ad Abraham commorantem in valle Mambre venerunt, dicitur: *Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum;* non quòd re vera homines essent; sed quòd tales ob assumptam corporis speciem putarentur. Similiter Genes. 32. Angelus apparens Iacob, vir dicitur: *Ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* Quare aliunde allata sententia reiicienda est.

Isa. c. 13. & c. 34. 14.

7. Refellitur ergo secundò efficaciter, supponendo priùs quod de Beata Virgine Hieronymus lib. 1. contra Iouinian. cap. 14. ait: *A Domino virgine Mater Virgo virgini discipulo commendatur.* Similiter Ambrosius lib. de institut. virginum cap. 7. de Deipara ait: *Eadem postea Ioanni Euangelistæ est tradita coniugium nescienti.* Hinc optimè S. Thomas in epist. ad Galat. cap 1. lect. 5. sic arguit: *Si Dominus Matrem Virginem noluit, nisi virgini commendare custodiendam; quomodo sustinuisset sponsum eius virginem non fuisse?*

8. Refellitur tertio; quia de matre Iacobi minoris, qui Domini frater dicitur, Matthæi 27. crucifixo Domino legitur: *Erant ibi mulieres multæ à longe, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene; Maria Iacobi, & Ioseph mater; & mater filiorum Zebedæi.* De eadem Ioannis 19. dicitur: *Stabant iuxtà crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.* Maria hæc Cleophæ, mater Iacobi, & Ioseph erat; sicut Maria Salome mater erat filiorum Zebedæi, nempe Iacobi maioris, & Ioannis. Hoc posito si S. Ioseph Mariam Virginem, & Mariam Cleophæ coniuges simul habuisset; transgressus esset legem Leuit. 18. dicentem: *Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies; nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuente.* Dices primo tali lege prohiberi alteram sororem accipi in pellicem, seu concubinam; non autem in legitimam vxorem. Respondet Abulensis: *Manifestum est, quòd post mortem vnius sororis non erat licitum aliam sororem ducere in concubinam: immo nullam fœminam licebat accipere in concubinam: ergo intelligitur de vxore; id est quòd non acciperentur duæ sorores in vxores ab eodem viro; quia tunc erit vna tamquam pellex alterius:* pelliciendo scilicet, seu alliciendo ad se virum, & ab altera auertendo. Dices secundò tali lege prohiberi simul habere duas sorores germanas, non autem consobrinas, quales erant Maria Cleophæ, & B. Virgo. Respondeo, cum lex vniuersaliter loquatur; cumque consobrinæ sorores in secundo gradu verè sorores habeantur; de his etiam lex debet intelligi. Et patet, quia ibi ex Hebræo legitur: *Sororem vxoris tuæ non accipies ad altercandum, ad litigandum, ad iurgandum;* ne scilicet inter ambas sit altercatio, & iurgium: quòd multò facilius inter consobrinas, quàm inter germanas sorores contingere posset; cum propter æmulationem maiorem, & minorem sanguinis nexum neutra alteri postponi, vt minus dilecta haberi pateretur. Dices tertio, potuisse accipi sororem vnam altera repudiata. Respondeo, id non licuisse; cum lex illa absolutè dicat: *Sororem vxoris tuæ non accipies adhuc illa viuente.* Præterea in casu nostro valdè improbabile, & nullo modo admittendum videtur Iosephum virum iustum sanctissimam fœminam, qualis Maria Cleophæ fuit, quæ ad crucem vsque Domi-

S. Iosephus non duas coniuges habuit. Hoc debet intelligi post legem scriptam, cùm antea Iacob Liam & Rachelem habuerit. Concubinæ nomine interdum etiam vxor appellatur, vt patet de Cethura Gen. 25. huiusmodi accipere tunc vere non fuit.

num secuta est, repudiasse. Præterquam quod, cum repudium permissum fuerit ad duritiem cordis Iudaici; eumque illud Dominus in Euangelica lege abstulerit Matthæi 19. *Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras; ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Hinc nec Ioseph Mariam Cleophæ, si ipsius antea coniux fuisset, repudiasset: nec B. Virgo Iosephum sorore repudiata in sponsum accepisset. Nam sanctis viris sub Euangelicæ legis promulgationem, sicut cœlibatus amorem, ita repudii detestationem Deum inspirasse dicendum est.

9. Porrò quamuis opposita opinio auctores, quos supra citauimus, grauissimos habeat; illis tamen auctores non inferioris nominis opponuntur. Hieronymus contra Heluidium: *Tu dicis Mariam Virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam ipsum Ioseph Virginem fuisse per Mariam; vt ex virginali coniugio virgo filius nasceretur: si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, & aliam eum vxorem habuisse non scribitur; Mariæ autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quàm maritus; relinquitur virginem eum fuisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari.* August. serm. 14. de Natiuit. Domini: *Habe ergo Ioseph, cum Maria coniuge tua, communem virginitatem membrorum; quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi in carne sua virginitate seruata; sit autem & tu pater Christi, cura castitatis, & honorificentia virginitatis; vt de virgineis membris genitricis seculis Christianis nulla sit Zelotypia. Gaude itaque, Ioseph, nimiumque congaude Virginitati Mariæ; qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij; quia per meritum virginitatis ita separatus es à concubitu vxoris, vt pater diceris Saluatoris.* Beda Marci 6. *Fratres, & sorores Domini Iudæi secum esse testabantur; qui tamen non liberi Ioseph, aut Mariæ iuxta hæreticos putandi sunt; sed potiùs iuxta morem sacræ Scripturæ cognati ipsorum sunt intelligendi; quomodo Abraham, & Loth fratres appellantur, cum esset Loth filius fratris Abrahæ: cuiusmodi inuenies multa. Vides ergo, si quis dixerit hos Domini fratres, vel ex B. Ioseph natos, vel ex sanctæ ortos Dei genitrice, nedum inhonestam assertionem, sed etiam hæreticam inuentionem esse.* His addimus Rupertum Matthæi 1. & lib. 2. in Cantica; Bernardum serm. 2 super Missus est; Petrum Damiani epist. 11. cap. 4 Theodoretum in cap. 1. ad Galat; Bernardinum serm. de S. Ioseph; Gersonem de Natiuit. Mariæ considerat. 3. & libro de laudibus Ioseph; Chrysologum serm. 175; Brigittam lib. 3. interrogat. 12. ad quæst. 2. & lib. 6. cap. 59. Alcuinum Ioann. 2. Hugonem Victorinum quæst. 5. in epist. ad Galat. 1. citatur idem pro eadem sententia tract. de sacro coniugio cap. 10. sed ibi tantùm affirmat Iosephum desponsata B. Virgine continentiam vouisse. Cum his consentiunt Scholastici 4. sententiar. dist. 30. vbi S. Iosephum perpetuam virginitatem seruasse affirmant.

Gen. 13.

10. Tertia sententia asserit fratres Domini dici eius consobrinos, natos scilicet ex B. Virginis sororibus, quibus S. Anna mater fuerit. *Sciendum est*, inquit Hugo Victorinus supra citatus, *quòd Maria mater Domini Ioachim, & Annæ filia fuerit, quæ nupsit Ioseph; & ita fuit Ioseph putatiuus pater Domini. Mortuo autem Ioachim, Cleophas frater Ioseph eamdem Annam accepit vxorem, & genuit ex ea filiam, quam vocauit Mariam, quæ*

S. Annam plures viros habuisse falsò asseritur. Hic, & sequentibus

nupsit Alphao, qui genuit filios, scilicet Iacobum, Ioseph, Simonem, & Iudam. Mortuo autem Cleopha quidem Salomas eamdem Annam duxit, & ex ea filiam genuit nomine Mariam; qua nupsit Zebedao, & habuit ex ea filios, Iacobum, qui dicitur est maior, & Ioannem Euangelistam. Tres igitur viros Anna habuit, & tres filias. S. Thomas in cap. 1. ad Galat. lect. 5. ait: *Dicunt, quòd Anna mater B. Maria Virginis nupsit primò Ioachim, ex quo peperit Mariam matrem Domini; quo mortuo nupsit Cleopha fratri Ioachim, ex quo peperit Mariam Cleopha; & ex hoc natus est Iacobus minor, Iudas, & Simon: quo mortuo dicitur, quòd nupsit adhuc cuidam tertio, qui vocatus est Salome, ex quo concepit, & peperit aliam Mariam, qua dicta est Salome; & de hac natus est Iacobus maior, & Ioannes frater eius. Sed huic opinioni contradicit Hieronymus; quia Salome non est nomen viri, vt etiam in Graco apparet, sed est nomen mulieris.* Huic Hieronymi contradictioni facile responderi posset, nomen patris fuisse Salomam, vt infra videbitur, ex quo filia denominata est Salome in casu recto; siue in obliquo Salomæ; sicut etiam à patre Cleopha Maria Cleophæ dicta est. Præterea Salomi nomen etiam viri fuisse habetur Numer. 34. & 1. Machabæ. 2. Sic etiam in sacris litteris Annas nomen viri, Anna verò fœminæ nomen est. Et Ioanna vxor Chusæ dicitur Luc. 8. cum idem nomen viro tribuatur, Ieremiæ 42. Porro Cleophas fraterne fuerit Ioachimi iuxta sententiam relatam à S. Thoma; an Iosephi iuxta Hugonem, infra videbitur. Allatam de S. Anna sententiam his verbis comprehendit Gerson. *Gerson de S. Iosepho.*

> *Anna tribus nupsit, Ioachim, Cleopha, Salomeque.*
> *Ex quibus ipsa viris peperit tres Anna Marias;*
> *Quas duxêre Ioseph, Alphaus, Zebedeusque*
> *Prima Iesum; Iacobum, Ioseph cum Simone Iudam*
> *Altera dat: Iacobum dat tertia, datque Ioannem.*

E legantius verò Mantuanus in Fastis:

> *Anna puerperio fortunatissima sancto,*
> *Tres habuisse viros, & tres genuisse Marias*
> *Dicitur.*

Citatur pro hac sententia Eckius serm. de S. Anna, Petrus de Natalibus lib. 6. cap. 139. S. Antoninus 1. par. histor. titul. 4. paragr. 10. Ioannes Maior in cap. 10. Matthæi; Petrus Sutor lib. de triplici coniugio Annæ; Ludolphus de vita Christi 1. parte cap. 5. Comestor in historia Scholastica, de historia Euangelica cap. 47. Citatur etiam pro hac sententia Beda in cap. 1. Actuum Apostolor. sed inde allata sententia non habetur.

11. Hæc etiam tertia sententia reiicienda videtur; quia si ea vera esset, non redderetur ratio, cur tantùm Iacobus minor, non autem Iacobus Zebedæi filius, dictus fuerit Domini frater; cum per allatan. sententiam vterque respectu Domini eundem fraternitatis gradum haberet. Dices Iacobum minorem fuisse fratrem Domini dictum ob aspectus similitudinem: respondeo hanc solam similitudinis rationem verisimilem non videri. Secundo non redderetur ratio cur ab Euangelista Maria Cleophæ dicatur soror Deiparæ; & non etiam Maria Salome. Tertio, quia pluribus rationibus infra probatur Deiparæ matrem Annam vnius Ioachimi vxorem fuisse, vt docet Euthymius in Ioann. 19. citatur Theophylactus ibidem; sed nihil ibi apud eum de Anna reperio.

Ad asserendam etiam viduitatem fuisse S. Annam citatur ab eruditissimo interprete Ambrosius lib. de Viduis: sed miror doctissimum virum nominum æquiuocatione deceptum: ibi enim non de Anna Deiparæ genitrice, sed de Anna prophetissa filia Phanuelis de tribu Aser, quæ habetur Lucæ 2. Ambrosius loquitur.

12. Prima ratio asserendi S. Annam vnius viri coniugem fuisse, esse potest, quod Damascenus orat. 2. de Beatæ Mariæ natiuitate docet; scilicet eam ab Anna genitam esse post diuturnam sterilitatem. Idem repetit, orat. 1. de Beatæ Mariæ dormitione: *Anna, quamuis omnium virtutum genere floreret, arcana quadam ratione sterilitatis morbo tenebatur. Postea bonus Deus manus sua figmentum conspicatus, ac miseratus; illudque salutis asserere volens, gratia hoc est, pia Anna sterilitatem depellit, filiamque parit, qualis nec ante fuit, nec postea futura est.* Iuxta Damascenum igitur ad hoc solummodo Deus sterilitatem Annæ abstulit; vt B. Virginem ad humanam salutem pareret; non vt ad aliam prolem gignendam habilis redderetur. Quod patet in aliis sterilitate laborantibus fœminis prouectioris ætatis; quibus sterilitate diuinitus sublata, vnica tantùm proles data est; vt legitur de Sara, & Elisabetha; quarum altera tantùm Isaac, altera tantùm præcursorem Ioannem Baptistam peperit: neque vnquam huiusmodi vsque ad senium steriles ad alias nuptias transisse legitur. Fuit autem Sara B. Annæ typus teste Damasceno; apud quem ita B. Anna loqui inducitur: *Choreas agat Sara similiter exsiliens; meumque post sterilitatem partum tanquam penicillo quodam adumbrans.* Quod si B. Anna iuxta Damascenum omnium virtutum genere floruisse dicitur, cur ei castissimi cœlibatus laus est deneganda? *Cœlibes dicuntur, quòd cœlo digni sint,* inquit Hieronymus. Cœlo dignam vitam egisse B. Annam dicendum est; cum B. Virginem *animatum cœlum* iuxta Damascenum genuerit. *Non prohibemus secundas nuptias; sed non probamus sæpè repetitas: neque enim quidquid licet, & decet,* ait Ambrosius lib. de Viduis. Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 15. ait: *Anna per obsecrationem, & promissionem Dei genitricem à Deo accepit: vt ne hic quoque cuiquam ex illustribus matronis cederet.* Cederet autem Iudithæ, cuius vidualis castitas præclaro illo elogio celebratur: *Erat virtuti castitas adiuncta; ita vt non cognosceret virum omnibus diebus vita sua, ex quo defunctus est Manasses vir eius.* Viduas altare Dei S. Ignatius M. appellauit: cur autem Dei altare S. Annam post viri obitum fuisse negetur; cùm ex eius prole Sacerdos in æternum Christus Dominus prodierit in mundum?

Hieron. li. 1. contra Iouinianum c. 19.

Orat. 1. de dormitione B. V.

Iudith. cap. vlt.

Epist. ad Tharsenses.

13. Secunda ratio est, quia vt Georgius Cedrenus ait: *Ioachimus octogenarius decessit; Anna annos nata vnde octoginta vitam finijt. Ab his in templum deducta Dei genitrix anno ætatis sua tertio; vndecim annos nata parentes amisit.* Similiter Epiphanius presbyter Constantinopol. in vita Virginis ait: *Dum in templo esset, orbata parentibus est.* Nata est ergo B. Virgo à parentibus, qui sexagesimum octauum circiter annum agebant. *Vitam ad senectutem sine prole edita produxerant,* ait Nicephorus lib. 1. hist. Ecclesiast. cap. 7. Quare ex his patet omninò inverisimile esse Annam prope Septuagenariam ad secundas, & tertias nuptias transiisse, aliosque liberos procreasse.

14. Tertia ratio est, quia Iacobus minor maior erat ætate respectu Redemptoris; vt probat Epiphan. hæres. 58. Rursus Iacobus maior talis

dictus est, quod Iacobi minoris ætatem excederet, vt docet Maldonatus Matth. 10. Quomodo ergo verisimile est botum matres iuniores respectu B. Virginis, cum ex dicantur ex posterioribus coniugiis ab Anna fuisse genitæ, filios tamen ætate maiores respectu Redemptoris habuisse? Præsertim cum B. Virgo quartodecimo ætatis anno Iosephu nupserit, & paulò pòst de Spiritu sancto conceperit: Euodius enim ait apud Nicephorum lib. 2. hist. cap. 3. *Trimula cum esset, in Templo est præsentata; & ibi in Sanctis sanctorum traduxit annos vndecim. Deinde sacerdotum manibus Iosepho ad custodiam est tradita; apud quem, cum menses peregisset quatuor, ab Angelo Gabriele lætum illud nuncium accepit.* Similiter Germanus Archiepisc. Constantinopolitanus in oratione de oblatione B. Mariæ ait: *Mansit in Sanctis sanctorum, seu in templi penetralibus vsque ad secundam ætatem. Tum Dei nutu, & consilio sacerdotum de ea datur sors, & sorte eligitur Iosephus iustus.* Maneat ergo S. Annam vnicam filiam Beatam Virginem, vnicumque coniugem Ioachimum habuisse. Ad quod comprobandum quæritur, cur in veteri lege tam fuerit Deus turturum oblatione delectatus? Respondet Gulielmus Parisiẽ libro de legibus cap. 2. *Quòd in turturibus viduals castitas reperiatur: Nescit bis nubere*, de turture ait Hugo Cardinalis. Tales sanctissimos coniuges Ioachimum, & Annam fuisse testatur Damascenus oratione 1. de Natiuitate B. Mariæ: *O castissimum ratione prædıtarum turturum par, Ioachim, & Anna. Vos, vt naturæ legi consentaneum erat, pudicitia conseruata, ea, quæ naturam superant diuinitus consecuti estis: Virginem enim Dei matrem mundo peperistis.*

Turturum oblatio cur tam grata Deo fuerit. Turtur viduitatem seruat. Hug. in Ps. 83.

15. Quarta sententia asserit per fratres Domini non necessariò intelligi debere eius consanguineos; cum fratris nomen multipliciter in sacris litteris accipiatur. Ad quod probandum afferri possunt verba S. Thomæ in cap. 1. ad Galat. lect. 5. *In scriptura fratres aliquando dicuntur natura; Matthæi 1. Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. Cognatione, sicut omnes consanguinei sunt fratres: Genes. 13. Ne quæso sit iurgium inter te, & me; fratres enim sumus. Gente, & sic omnes vnius linguæ dicuntur fratres. Deuteron. 17. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. Affectione, & sic omnes amici, & qui habent eumdem affectum, dicuntur fratres: 2. ad Corinth. 2. Eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum. Religione, & sic omnes Christiani, qui habent vnam regulam vitæ, dicuntur fratres: Matthæi 23. Fratres estis: Psalm. 132. Ecce quàm bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Communiter autem omnes homines dicuntur fratres, quia ab vno Deo gubernati, & educati. Malach. 2. Numquid non vnus est pater omnium nostrum?* Idem antea docuerat Hieronymus contra Heluidium cap. 8. Doctrina Thomæ, & Hieronymi licet verissima sit, in præsenti tamen Euangelii loco, Domini fratres non intelligendi sunt sub generalitate illa modò explicata. Primò, ne comprehendantur Apostoli, aliique Domini fideles discipuli, quibus vniuersaliter non tribuenda est nota illa in Christum non credendi. Nam superiori capite fidelium Apostolorum nomine Petrus dixit: *Nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Et hoc capite iuxta Chrysostomum hom. 47. Discipuli contradistinguuntur à fratribus non credentibus, & dicentibus: *Transi hinc, & vade in Iudæam; vt & discipuli tui videant opera, quæ facis.* Sic etiam à discipulis fratres contradistinguuntur Matthæi 12. nam cum Domino diceretur: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te: Extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.* Secundo quamuis discipuli interdum fratres nominentur, tunc non in malam partem de iis est sermo, vt hic; sed in bonam, vt Matthæi 28. *Ite, & renunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam.* Tertiò quia aliàs nonnullis Domini consanguineis iuxta Bedam, Theophylactum, & Euthymium incredulitatis culpa tribuitur; vt Marci 3. *Cum audissent sui, exierunt tenere eum; dicebant enim, quoniam in furorem versus est.* Quartò quia in sacra Scriptura optima regola est, cum proprium, & proximum significatum possumus sententiæ alicui tribuere, non debere nos ad significatum remotum, & improprium recurrere. Quare si Dominum propriè fratres habuisse reperimus, non debemus hîc remotius significatum admittere. *Ne propriam, quasi figuratam locutionem velimus accipere*, ait Aug. tom. 3. lib. de doctrina Christiana cap. 10.

Fratres vel dicũtur natura, vel cognatione, vel gente, vel affectione, v. religione, vel ex humana specie.

Scripturæ verba proprio significato quan õ potest, sunt intelligẽda.

16. Habuit autem Dominus verè consobrinos fratres, vt Hieronymus Matthæi 12. ait: *Quidam fratres Domini de alia vxore Ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apochryphorum, & quamdam Escham mulierculam confingentes. Nos autem, sicut in libro, quem contra Heluidium scripsimus, continetur, fratres Domini non filios Ioseph; sed consobrinos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini, quæ esse dicitur mater Iacobi minoris, & Ioseph, & Iudæ, quos in alio Euangelii loco fratres Domini legimus appellatos: fratres autem consobrinos dici omnes, scriptura demonstrat.* Fratres hi Domini consobrini quatuor numerantur Matthæi 13. *Fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas* iidem habentur Marci 6. Ioseph tamen Ioses vocatur à Hieronymo, & aliis; idque Græco vocabulo; Græcè enim dicitur Iωσῆς; & Simon vocatur etiam Simeon ab Egisippo, & Epiphanio.

Fratres Domini, eius consobrini ex Domini matertera dicuntur. Hic, & sequentibus.

Li. 3. Hæresi 66.

17. Incipiendo à Iacobo, ex Euangelio eius pater Alphæus fuisse videtur: nam sicut Matthæi 10. dicitur Iacobus Zebedæi, quia Zebedæi erat filius: ita dicitur Iacobus Alphæi, quod Alphæi filius esset. Porro Iacobo, & Iosepho Alphæi filiis mater soror Deiparæ fuit, similiter Maria dicta, vt habetur ex Matthæi 27. & ex Marci 15 Maria tamen hæc Iacobi tantùm, & Iosephi mater à Matthæo dicitur prætermissis duobus aliis Simone, & Iuda; eo quod inter fratres Iacobus, & Ioseph primi essent iuxta Nyssenum, Epiphanium, & Theophylactum. Hic tamen oritur difficultas, quia cum Maria hæc non Alphæi, sed Cleophæ dicatur Ioannis 19. ideo Cleophæ, non Alphæi vxor videtur dicenda; atque adeo omnium fratrum Cleophas potius pater fuisse videtur, quàm Alphæus. Ita plures auctores sentiunt. Egisippus lib. 5. *Simeon consobrinus Domini Filius Cleopæ ab hæreticis calumniam passa est; erat autem Cleopas frater Iosephi.* Dicitur Cleophas ab Egisippo Clopas per crasin, seu contractionem; sicut Simon Petrus, qui Ioannis 2. dicitur filius Ioannis; idem Matthæi 16 dicitur Bar-Iona, hoc est Ionæ filius. Eusebius 3. histor. Eccl. cap. 11. *Post martyrium Iacobi rumor est Apostolos, & discipulos Domini de eo consilium cœpisse, quem ad hoc dignum iudicare deberent, qui Iacobo succederet: atque ita cunctos vna, & eadem sententia Simonem Cleopæ filium, cuius & Euangelica scriptura meminit, sede Parœciæ Ierosolymitanæ dignum iudicasse, quem consobrinum Ser-*

naioris dicunt. Epiphanius hæreſ. 66. *Præterierunt ſancti omnes, & cum ipſis Simeon filius Cleophæ fratris Ioſeph.* Theodoretus in cap. 1. ad Galat. de Iacobo minori ait: *Vocatur frater Domini: ſed non erat natura; ſed nec fuit Ioſeph filius, vt quidam exiſtimarunt; ſed erat quidem Cleophæ filius; Domini autem conſobrinus, habuit autem matrem matris Domini ſororem.* Beda in cap. 6. Lucæ, Mariam Cleophæ ait: *Simeonem filium genuiſſe, eumque conſobrinum Domini exiſtentem, & quod Cleophas frater fuerit Ioſeph, hiſtoria Eccleſiaſtica tradit.* Georgius Cedrenus in compendio hiſtoriæ: *Mariam Cleophas frater Ioſephi ex vtroque parente duxit vxorem; ex eaque Simeonem ſuſtulit, qui poſt Iacobum Domini fratrem Epiſcopus fuit Ieroſolymis.* Nicephorus lib. 3. hiſtor. Eccleſ. *Simeonem filium Cleopæ eligunt Epiſcopum Ieroſolymæ poſt Iacobum: Cleopas enim Ioſephi ſponſi frater fuit.* Ex quibus auctoribus patet Iacobum minorem, & Simeonem, ſeu Simonem Cleophæ, non Alphæi filios fuiſſe: idemque dicendum de aliis duobus Ioſepho, & Iuda. Ioſephum enim, & Iudam Domini fratres, Mariæ Cleophæ filios fuiſſe ex Hieronymo ſupra citato habemus. Et Iudas ipſe, qui Thaddæus dictus eſt, ſua in epiſtola fratrem Iacobi ſe nominat.

18. Vt difficultas hæc ſoluatur de Alphæo & Cleopha, triplex dicendi modus affertur. Primos docet Alphæum coniugem Mariæ ſororis B. Virginis fuiſſe; Cleopham verò eiuſdem Mariæ parentem, ex quo Maria Cleophæ dicta eſt: iuxta quam ſententiam Alphæus gener Cleophæ eſt dicendus: Secundus dicendi modus eſt, tam Alphæum, quàm Cleopham coniuges fuiſſe Mariæ ſororis a Virginis; cùm Maria hæc Alphæo mortuo, ex quo Iacobum minorem genuerat, nupſerit Cleophæ; ex quo alius liberos Domini fratres dictos ſuſcepit. Tertius denique aſſerit Alphæum binominem fuiſſe, ita vt etiam Cleophas dictus fuerit. Hæc opinionum diuerſitas habetur ex Hieronymo contra Heluidium cap. 7. *Reſtat concluſio, vt Maria iſta, quæ Iacobi minoris ſcribitur mater, fuerit vxor Alphæi, & ſoror Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophæ Ioannes Euangeliſta cognominat, ſiue à matre, ſiue gentilitate familiæ, aut quacumque alia cauſa ei nomen imponens. Si autem inde ſibi alia, atque alia videtur; quòd alibi dicatur Maria Iacobi minoris mater; & hic Maria Cleophæ; diſce Scripturæ conſuetudinem; eumdem hominem diuerſis nominibus nuncupari. Raguel ſocer Moyſi, & Iethro dicitur. Gedeon nullus cauſis immutati nominis ante præmiſſis, cubitò Ierobaal legitur. Ozias rex Iuda viciſſim Azarias vocatur,* &c. Similiter Beda Lucæ 6. ait: *Iacobus Alphæi ipſe eſt, qui in Euangelio frater Domini nominatur; quia Maria vxor Alphæi ſoror fuit Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophæ Ioannes Euangeliſta cognominat. Fortaſſe quia vel idem Alphæus etiam Cleophas eſt dictus; vel ipſa Maria defuncto poſt natum Iacobum Alphæo, Cleophæ nupſit: cui Simeonem filium genuiſſe, eumque conſobrinum Domini exiſtentem, eo quòd Cleophas frater fuerit Ioſeph, Ieroſolyma poſt Iacobum rexiſſe Eccleſiam, hiſtoria Eccleſiaſtica tradit.* Idem in cap. 1. Actuum Apoſtolorum ait: *Iuxta Euangeliorum fidem eumdem Iacobum filium Alphæi Apoſtolum præfuiſſe Ieroſolymis ſciendum eſt, qui frater Domini dictus eſt, eò quod fuerit Mariæ materteræ filius, cuius Ioannes Euangeliſta meminit. Stabant autem, inquiens, iuxta crucem Ieſu, mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ. Mariam hanc Cleophæ à patre, ſiue, à familia cognominant.*

Alphæus binominis fuit, ideoq; Cleophas etiã dictus. Hic, & n. ſequenti.

Exodi c. 2. & 3. Iudicū c. 6.

4 Reg. c. 14. v. 2. Paralip. c. 2 26.

Ioa. c. 19. 24.

A 19. Ex tribus allatis dicendi modis, tertius valde probabilis videtur; & is benè conciliat Hugonem Victorinum, & Theodoretum ſupra citatos; quorum vnus aſſerit Iacobi patrem fuiſſe Alphæum; alter verò Cleopham. Præterea tertius iſte dicendi modus aliorum modorum difficultates, quas mox videbimus, non incurrit. Primus igitur dicendi modus contradicentes habet plures auctores, qui Cleopham coniugem Mariæ ſororis Deiparæ fuiſſe volunt. Quòd autem Hieronymus ait, ſcilicet Cleopham dici poſſe matrem Mariæ Cleophæ, non videtur admittendum. Si enim Hieronymus ſupra citatus nomen Salome B tamquam muliebre negat tribui poſſe viro: neque nomen Cleophæ tamquam virile nomen mulieri videtur tribuendum. Secundus modus etiam patitur difficultatem; quia ſine neceſſitate in ſanctiſſima fœmina Chriſti Domini diſcipula bigamiam admittit; cum magis piè opinari poſſimus eam coniuge mortuo laudabilis viduitatis meritum habuiſſe, propè Euangelicæ legis promulgationem; in qua caſtitas valdè erat commendanda. Nam ſicut 1. ad Corinth. 7. dicitur: *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem*: ita viciſſim dicendum eſt: *Soluta es à viro, noli quærere virum.* Quare Mariam ſororem B. Virginis ex eodem viro filios omnes, ſcilicet quatuor Domini fratres C ei attributos à ſanctis Patribus, & Euangeliſtis, ſuſcepiſſe dicendum eſt. Propterea reiicienda eſt ſententia aſſerentium quatuor Domini fratres non eumdem patrem habuiſſe; inter quos Egiſippus lib. 5. commentariorum, Cleopham aliorum patrem, Iacobi verò patruum fuiſſe aſſerit. Similiter Abdias lib. 6. hiſt. Apoſtolicæ, Ioſephum patrem Iacobi, Alphæum verò Simonis, & Iudæ patrem fuiſſe docet. Quod omninò videtur falſum; nam, vt ſupra vidimus, ſicut Matthæi 10. Iacobus maior dicitur Zebedæi, quòd Zebedæi filius fuerit; ita ibidem Iacobus minor Alphæi dicitur, eo quòd pater eius fuerit Alphæus.

20. Reſpondent aliqui alium fuiſſe Iacobum D Apoſtolum Alphæi filium, & alium Iacobum fratrem Domini, quem extra numerum duodecim Apoſtolorum conſtituendum eſſe cenſent. Quare ad inueſtigandum qui fuerint Domini fratres, ſicut primi illi perpetuam Virginitatem Deiparæ, vel ſancto Ioſepho; vel cœlibatum ſanctæ Annæ negabant: ita iſti duodecim Apoſtolorum conſortium ſancto Iacobo Domini fratri negant. Ita videtur ſentire Epiphanius hæreſi 66. dicens: *Præteriit generatio Apoſtolorum à Petro vſque ad Paulum, & Ioannem, qui etiam diu fuit in mundo vſque ad tempora Traiani. Præteriit etiam Iacobus primus Epiſcopus in Ieroſolymis frater Domini cognominatus.* Idē clarius aſſerit Nyſſenus oratione de reſurrectione, de Maria Deiparæ ſorore, di- E cens: *Marcus Iacobi parui, & Ioſæ matrem eam vocauit: quoniam alter erat Iacobus Alphæi magnus; idcirco quod duodecim Apoſtolis connumeratus erat. Nam paruus non erat de numero eorum.* Vbi Nyſſenus diſcrimen Iacobi maioris, & minoris inde accipi docet; quòd alter eſſet Apoſtolus, alter verò non eſſet. Eraſmus etiam quatuor Iacobos ennumerat; ita vt mirum ſit Eraſmum reprobi Eſau imitatorem quatuor Iacob, ſeu Iacobos multiplicaſſe. Omiſſis aliis, qui pro hac opinione citantur, vnius Hieronymi ſententiam expendamus. Citatur Hieronymus tamquam ſibi inconſtans variis in locis pro vtraque ſententia, ſcilicet numerante, & non numerante inter duodecim Apoſtolos Iacobum fratrem Domini. In Iſaiam lib. 5. cap. 17. & in catalogo de ſcripto-

ribus

Iacobū fratrē Domini inter duodecim Apoſtolos non numerari falsò aſſeritur. Hic & n. ſequenti.

ribus ecclesiasticis, & in cap. 1. ad Galat. affertur Hieronymi testimonium tamquã negans Iacobũ fratrem Domini inter duodecim Apostolos fuisse. Quãuis oppositũ apertè doceat lib. contra Heluidiũ. Vnde infert Lorinus Hieronymum priorem sententiã emendasse. Quod quidẽ dici non potest, cum Hieron. prius scripserit contra Heluidium, deinde cõmentaria in Isaiã: in Isaiã enim scribens seipsum contra Heluidium ineiat. Vt ostendamus nũquam Hieronymum Iacobum fratrem Domini Apostolum fuisse negare; 1. in Isaiam loco citato dicitur Hieronymus referre, & non refellere aliquorum interpretum sententiam negantium fratrẽ Domini inter duodecim Apostolos fuisse. Sed si legatur paulò post, verè eorum interpretũ sententiam reiicit; docetq; Isaiæ vaticinium illud nõ de Euangelico tempore Apostolorum; sed de captiuitate Iudæorum sub Assyriis esse intelligendum. Quare cum totam allatam interpretationem reiecisset; satis indicauit etiam, quod de Iacobo dicebatur, se non admittere: præsertim cum oppositum antea scribens contra Heluidium asseruisset. 2. Idem Hieronymus in catalogo de scriptoribus Ecclesiasticis verba hæc Egesippi refert: *Suscepit Ecclesiam Ierosolymæ post Apostolos frater Domini Iacobus cognomento Iustus; multi siquidem Iacobi vocabantur.* His Egesippi verbis nihil opponit Hieronymus; verè enim fuerunt plures Iacobi: inter quos Iacobus Zebedæi; qui cum verè iustus fuerit, cognomentum tamen Iusti non habuerit, ab eo Iacobus frater Domini per cognomentum Iusti distingui debuit; cum alioquin vterque Apostolus foret. Quod autem dicitur Iacobus suscepisse Ecclesiam Ierosolymæ post Apostolos; id non indicat Iacobum Apostolum non fuisse; sed tantùm significat post dissolutum Apostolorum Ierosolymæ residentium cœtum, Iacobum Apostolum Ierosolymæ remansisse. Post relata Egesippi verba addit Hieronymus: *Hic est, de quo Apostolus scribit ad Galat: Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini*: quibus certè verbis eum Apostolum fuisse indicat. 3. Quòd Hieronymus citato capite ad Galat. neque à duodecim Apostolorum numero Iacobum Domini fratrem excludat: atque adeò de Iacobo sententiam scriptam lib. contra Heluidium non retractet, sed eam potius confirmet, clarissimè patet, cum dicat: *Memini me, dum Romæ essem, impulsu fratrum librum de sancta Maria Virginitate perpetua edidisse: in quo mihi necesse fuit de his, qui fratres Domini dicti sunt, diutius disputare. Unde qualiacumque sunt illa, quæ scripsimus, his contenti esse debemus.* Ansam aliquibus dedit existimandi ibi Hieronymum inter duodecim Apostolos Iacobum Domini fratrem non numerare; cum dicat, quod exceptis duodecim quidam vocentur Apostoli. Sed hoc Hieronymus docuit, vt ostenderet nomen fratris Domini, quamuis peculiariter Iacobo fuerit tributum, potuisse tamen aliis Apostolis, vel discipulis conuenire; cum Dominus dicat in Euangelio: *Vade, dic fratribus meis.* Hoc autem ostendit duobus aliis exemplis, nempe *quomodo Iob, & cæteri Patriarchæ dicti sunt quidem famuli Dei: sed quasi egregium quiddam Moyses habuit, vt scriberetur de eo: Sed non sicut Moyses famulus meus. Sic & beatus Iacobus specialiter frater Domini appellatus est.* 4. Idem ostendit Hieronymus, quia præter duodecim, quamuis alii, qui Dominum viderunt, eumque prædicabant Apostoli appellati sint; nihilominus specialiter duodecim Apostolis nomen hoc attributũ esse constat. Tan-

Lorinus in c. 1. Act. Apostol.

Ioan 20.

Num 12.

A dem concludit Hieronymus: *Vehementer errauit, qui arbitratus est Iacobum hunc de Euangelio Iacobum esse fratrem Ioannis; quem constat post Stephanum iuxta fidem Actuum Apostolorum sanguinem fudisse pro Christo. Hic autem Iacobus Episcopus Ierosolymorum primus fuit cognomento Iustus:* Quare non contradistinguit Iacobum fratrem Domini à Iacobo fratre Ioannis; eo quòd iste, non ille è numero duodecim Apostolorum fuerit; sed ex eo, quòd ille Episcopus primus fuerit Ierosolymitanæ Ecclesiæ: quam diu, idest 30. annos rexit vsque ad septimum Neronis annum, vt idem Hieronymus in catalogo testatur.

21. Cum Hieronymo pro vera sententia numerante Iacobum fratrem Domini inter duode-
B cim Apostolos, nec contradistinguente eum à Iacobo Alphæi filio, sentiunt Abdias lib. 6. histor. Apostolicæ, Clemens Alexandr. lib. 7. Hypotiposeon apud Eusebium 2. hist. Ecclesiast. cap. 1. Et Nicephor. lib. 2. cap. 3. Isidorus lib. de vita, & morte Sanctorum cap. 79. Beda in cap. 1. Actor. Apostol. Ratio autem præcipua est, quia Romana Ecclesia duos tantum Iacobos Apostolos celebrat; Iacobum Ioannis Euangelistæ fratrem vigesimo quinto Iulii; & Iacobum Domini fratrem Episcopum Ierosolymitanum Kalendis Maii. Iacobus autem Alphæi Apostolus, si à Iacobo fratre Domini diuersus esset, solemnitatem nullam in Ecclesia Romana haberet; quod certè nullo modo est admittendum. Verum quidem est,
C quod supra Hieronymus docuit: *Omnes, qui Dominum viderant, & eum postea prædicabant fuisse Apostolos appellatos.* Nihilominus cum ipse Apostolus Paulus, dicat: *Non sum dignus vocari Apostolus:* Iacobus si ex numero duodecim non fuisset, tam Insigni titulo se non appellasset; & titulum hunc Iacobo Apostolo Z:bedæi filio reliquisset, à quo contradistinguere se debebat, & tamen initio suæ epistolæ Apostolum se nominat; vt notauit Sixtus Senensis; putatque casu, vel malitia intercidisse: quamuis Epistolæ illi expressè Apostoli nomen ab Ecclesia inscribatur.

1. ad Cor. 15.

22. Hæc dicta sint de primo Domini fratre Iacobo. Post Iacobum sequitur Ioseph, & v-
D triusque mater expressè Maria dicitur Marci 15. Quamuis autem Origenes dicat de Iosepho nullam amplius mentionem fieri; nihilominus Iosephum hunc illum fuisse; qui vnà cum Matthia designatus est, vt Iudæ proditoris locum subiret, plures interpretes in caput primum Actuum Apostolorum docent. Iuxta quam sententiam Sancti huius Iosephi festum 20. Iulii à Romano Martyrologio celebratur: vbi legitur venenum sine læsione bibisse. Quid enim venenum eius sanguinem inficeret; quem cum vitæ auctore habebat consanguinitate communem?

Ioseph, qui vnà cũ Matthia pro Iuda proditore ad Apostolatũ designatus est, cõsobrinus Domini fuit, Mariæ Cleophæ Domini Materteræ filius.

23. Inter fratres hos tertius à Matthæo numeratur Simon, seu Simeon, quamuis à Marco
E post Iudam vltimus numeretur. Hunc post Iacobum eius fratrem Ierosolymæ Episcopum fuisse supra cum Egesippo, Nycephoro, & Cedreno dictum est. Simonem hunc alium à Simone Chananæo, seu Zelote Apostolo fuisse rectè probat Baronius in Annalibus, & in Martyrologii notis; cum Apostoli festum 28. Octobris, Simonis vero Domini fratris 18. Februarii celebretur. Quare Beda, qui vtrumque Simonem vnum esse dixerat in caput primum Actuum Apostolorum; deinde sententiam retractauit. Et

Simon, seu Simeõ Domini consobrinus alius est à Simone Chananæo, seu Zelote Apostolo.

quamuis apud Hieronymum in Catalogo, dicatur: *Simon Chananaus cognomento Iudas frater Iacobi Episcopi, qui ei successit in Episcopatu, post obitum Iacobi cognomento Iusti vixit annos viginti supra centum*; hanc tamen sententiam non Hieronymi, sed à Græcis adiectam fuisse benè notat ibi Marcianus Victorius.

Iudas Thadæus Apostolus Domini consobrinus fuit. Matth. 10. l. 2. de consensu Euang. c. 30. Euseb. l. 1. c. 25. Iudas Thadæus Apostolus ad Abagarum Syriæ regē missus est. Deus quare Saddai Hebræo vocabulo dicatur. Iudas Apostolus Iacobi minoris frater quare Lebbæus dictus est.

24. Quartus Domini frater numeratur Iudas: *Quem Matthæus Thadæum appellat*, inquit Augustinus; *nonnulli autem codices habent Lebbæum. Quis autem vmquam prohibuerit duobus, vel tribus nominibus hominem vnum vocari?* De eodem Hieronymus in cap. 10. Matthæi ait, *Thadæum Apostolum Ecclesiastica tradit historia missum Edessam ad Abagarum regem (Osroenæ), qui ab Euangelista Luca Iudas Iacobi dicitur: & alibi appellatur Lebbæus, quod interpretatur corculum, credendumque est eum fuisse trinomium*. Thadæus Syriaca lingua à Thad, hoc est mamma, mammeus interpretatur. Quod quidem nomen etiam Deo tribuitur: nam Genes. 17. & alibi Deus dicitur Saddai, hoc est mammeus ab Hebraica voce Scad, idest mamma, seu vbere; eo quòd summa in homines beneficentia totus sit lac, totus dulcedo. Lebbæi cognomentum reperitur in Græco textu, & in nonnullis Latinis codicibus Matthæi 10. significatque corculum. Meritò autem à corde Apostolus Iudas nomen accepit; tum ob amabiles ipsius mores, tum vt ab altero Iuda proditore, qui excors fuit, distingueretur. Porrò Iudam Iacobi fratrem, atque adeo Domini consobrinum eumdem esse cum Iuda Thadæo, qui inter duodecim Apostolos ponitur, patet primò, quia Tridentinum sess. 4. recensens inter Canonicos libros epistolas Catholicas SS. Iacobi, & Iudæ, vtrumque Apostolum appellat. Quod quidem nomen non tribuit Tridentinum Euangelistis Marco, & Lucæ; quamuis Origenes lib. de recta in Deum fide, Epiphan. hæres. 51. Dorotheus in Synopsi Marcum vnum ex 72. discipulis fuisse affirment. Idemque de Luca asserunt Origenes; Gregorius præfatione in Iob cap. 1. Simeon Metaphrastes in eius vita; Theophylactus in Lucam cap. 24. & Nicephorus lib. 1. cap. 34. Patet secundo, quia Actorum cap. 1. vbi duodecim Apostoli numerantur, *Iudas Iacobi* vocatur: & ne quis hallucinetur putans dici Iudam Iacobi à patre, ipse initio suæ epistolæ ait: *Iudas Iesu Christi seruus; frater autem Iacobi*. Falsum autem omninò est, quod Nicephorus dixit lib. 1. historiæ cap. 33. Iudam hunc ex coniuge Maria filios Iacobum, & Iosetem habuisse. Præter Iudam Thadæum Apostolum, Iudam alium è numero Septuaginta discipulorum fuisse missum in Syriam ad Abagarum regem docent Eusebius 1. histor. cap. 13. Niceph. 5. histor. cap. 40. & Græci in Menologio. Nihilominus iuxta veritatem sentiendum est cum Hieronymo supra citato, & Dorotheo in Synopsi, qui vnum tantùm Iudam Thadæum, & Apostolum, & Iacobi, atque adeo Domini fratrem, & ad Abagarum regem missum agnoscunt. Ad hos accedit Beda in cap. 1. Actuum Apostolorum, dicens: *Iudas Iacobi, idest frater Iacobi, idem est, qui in Euangelijs vocatur Thadæus, missusque est Edessam ad Abagarum regem.*

Iacobus minor cur inter cæteros fratres præcipuè frater Domini dictus est.

25. Quæres, cum tam Iacobus minor, quàm Iudas consobrini fratres Domini fuerint; cur tantùm Iacobus frater Domini nominetur? Respondetur, vt Iacobus minor à Iacobo maiori distingueretur: Iudas verò, cum Thadæus, & Lebbæus etiam diceretur, à Iuda Ischariota per hæc nomina satis distinguebatur; ita vt non opus esset ei titulum alium, nempe fratris Domini addere. Præterea probabiliter dici potest maiorem aspectus similitudinem cum Domino Iacobum habuisse, quàm Iudam, qua aspectus similitudine expressius fraternitatem Domini testabatur. Vltimò confutatis aliis sententiis, dicendum videtur Mariam Alphæi, & qui idem est, Cleophæ coniugem, Deiparæ sororem, natam esse ex fratre, vel sorore Ioachimi, aut Annæ B. Virginis parentum: atque hinc Deiparæ dictam esse sororem, eiusque filios Iacobum, Iosephum, Simonem, & Iudam Thadæum, Domini fratres esse dictos: qui ex parte Cleophæ Alphæi eorum parentis fratres etiam Domini dici potuerunt; cum Cleophas Alphæus frater fuerit Iosephi B. Virginis sponsi; qui vulgò pater Domini habebatur.

B. Virginis soror, Domini matertera nata est ex fratre, vel sorore S. Ioachim, vel S. Annæ. Fratres Domini dicti sunt filii Cleophæ, seu Alphæi, qui S. Iosephi frater fuit.

Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse.

26. **R**Editum in Iudæam Domini consanguinei suadebant; vt dubitationem, quam de Christo habebant, an esset verus Messias in lege promissus dissoluerent; ibi enim Iudæorum peritissimos esse sciebant. Hoc talis suasionis motiuum fuisse colligit Toletus ex eo, quòd subdat Euangelista: *Neque enim fratres eius credebant in eum*. Verumtamen ex eadem incredulitatis ratione, alterum eiusdem suasionis motiuum fuisse colligitur; scilicet Domini consanguineorum ambitio, & gloriæ cupiditas: qui, vt ex Christi miraculis in Ierosolymæ Iudææ metropolis luce editis, ad ipsos tamquam ad Domini consanguineos gloria etiam redundaret, reditum in Iudæam suadebant, vt sentit Augustinus tract. 28. in Ioannem: Ambitioni verò, & gloriæ cupiditati incredulitatem esse coniunctam benè Dominus docuit Ioannis 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est non quæritis? Inanis gloria fidei impedimentum præstat, quoniam oportet credentem intellectum captiuare in obsequium Christi, qui autem humanam gloriam quæritat, non se subijcit, sed exaltare studet, vt habeat vnde glorificetur*, ait Caietanus Ientac. 10. quæst. 2. *Ambitio*, inquit Bernardus in Psalm. 90. *subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbum creans, generans ex medicina languorem*. Talis erat horum Domini consanguineorum ambitio: cum enim Christi miracula remedia essent ad hominum cæcitatem repellendam, humanamque salutem inducendam, iisdem ipsi ad inanis gloriæ ostentationem vti volebant. Benè ergo, dicitur *Ambitio ex remedijs, morbum creans*. Dicitur præterea *excæcatrix cordium*; cum enim Domini consanguinei isti cogitare debuissent Christum tantorum miraculorum operatorem nonnisi ex Dei regimine in omnibus dirigi: *Ipse diriget consilium eius*: nihilominus tamquam corde excæcati, ausi sunt ei proprium obtrudere consilium.

Ambitionis est incredulitas comes. Ambitionis malo. Eccles. c. 39.

27. *Nihil intentatum ambitio prætermittit.*

Sat deestina- tio & nun- datione. Diabolum prouie Domini æmulatot producit vētos de thesauris suis. Ps. 134 7. Seneca in epist.

Nec dubitet quisquam diaboli hæc esse negotia; & nundinatores eius, quicumque hæc exercent commercia, ait Cyprianus. Diabolus ambitionis negotiatione futiles honores thesaurizat hominibus; ex quibus nihil aliud, quàm inanis gloriæ tumidus ventus exhalat; ita vt in hoc diabolus Dei prauus æmulator irrideri iure possit, cum *producit ventos de thesauris suis. Relinque ambitum,* inquit Seneca, *tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum.* Immo certum habet terminum, nempe perditionem, æternæque gloriæ iacturam.

Si hæc facis, manifesta teipsum mundo.

Particulæ, Si, sex significatus Hic, & sequentibus.

28. MVltiplex huius particulæ, *Si*, vsus in sacris litteris valde notandus est. Primò, communior vsus est, vt conditionato dicendi modo deseruiat: Sicut Ioan. 4. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo.* Ioann. 10. *Si non facio opera Patris, nolite credere mihi.* Secundò eadem particula dubitationi, seu interrogationi deseruit, ponitutque pro, *an*, vel, *num.* Quæ acceptio frequens est apud sanctum Lucam; vt cap. 13. *Domine, si pauci sunt, qui saluantur?* cap. 14. *Si licet Sabbato curare?* cap. 22. *Domine, si percutimus in gladio?* Actorum 1. *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel:* Qui vsus reperitur etiam apud non sacros auctores, vt 2. de diuinatione:

Tullius.

Dicito, si pascantur aues? Tertio particula, *Si*, in indignatione, vel iuramento vsurpari solet; & sic sensum negatiuum habet, vt Psalm. 88. *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar,* hoc est non mentiar. Psalm. 94. *Ipsi verò non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam,* idest non introibunt. Marci 8. *Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum,* idest non dabitur. Quomodo autem per huiusmodi loquendi formas sensus negatiuus intelligendus sit, Titelmanus, Vatablus, & Genebrardus in Psalm. 94. & Adamus Sasbout in epist. ad

Aposiopesis figura. Hic, & n. sequenti.

Hebr. cap. 3. explicant per figuram Aposiopesim, seu reticentiam; ita vt aliqua velut execratio intelligatur: scilicet: *Si Dauid mentiar,* non sim Deus, aut mendax habear, aut aliquid simile. Contra verò in huiusmodi loquendi formis verba execrationis subintelligi negat Ribera, explicans verba Amos 8. *Iurauit Dominus in superbiam Iacob; si oblitus fuero vsque in finem omnia opera eorum.* Vbi ait: *Si, cum verbis iurandi, aut affirmandi expressis, aut subauditis vim habet negationis. At Adamo in cap. 3. epist. ad Hebræos, non placet hæc exponendi ratio; negatque, Si, accipi pro, non; sed quædam per Aposiopesim taceri dicit; vt, Non sim Deus, aut alia huiusmodi, post quæ rectè ponitur, Si, Immo sæpè hæc particula ponitur, vbi nulla videtur esse Aposiopesis, cum nullus sit vehemens affectus, vt 3. Reg. 1. Iuret mihi rex Salomon hoc, quod non interficiet seruum suum gladio. Hebraicè: Si interficiet seruum suum gladio.* Idem repetit Ribera in cap. 3. ad Hebræos, dicens: *Quoniam Scriptura nusquam exprimit hæc, quæ ipsi taceri dicunt; sed potius addit interdum quædam, cum quibus illa non rectè cohærent; vt 1. Reg. 14. Viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, Marci 8. Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.* Quare ibi Ribera absolutè docet in huiusmodi loquendi formis ex vi Hebraici idiomatis, *Si*, idem esse, ac, non. Sed contra Riberæ sententiam non videtur vniuersaliter verum nusquam Scripturam exprimere cum particula, *Si*, execrationis verba; cum Psalm. 7. dicatur: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis: persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.* Psalm. 130. *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam; sicut ablactatus est super matre sua: ita retributio in anima mea.* Idest, sicut infans recens ablactatus flet mœstus in sinu matris, quia lactis dulcedine priuatur; sic anima mea diuinæ consolationis suauitate priuatur. Psalm. 136. *Si oblitus fuero tui, Ierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui: si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* Quare etsi, vt benè notat Bellarminus consentiens cum Ribera, *Improbabile est Deum iurare iuramento execratorio:* nihilominus, cum homo iurat, id improbabile non videtur: immo, vt vidimus citatis Psalmis post particulam, *Si*, execratio expressè ponitur. Prætetea quòd particula, *Si*, Hebraïcè possit significare, *non*, difficultatem habet; tum quia talem significatum non ignorassent peritissimi linguæ Hebraïcæ Vatablus, & Genebrardus; atque adeo expeditiorem hanc viam explicendi illas dicendi formas secuti essent, nullam subintelligendo Aposiopesim: tum quia eadem particula, *Si*, vt infra videbimus, apud Hebræos sæpe vim habet affirmandi; quare eadem affirmatiua, & negatiua dicenda non videtur.

In Psal. 88.

29. Hinc probabilius videtur dicendum, particulam, *Si*, aliter accipi in iuramentis diuinis, & aliter in humanis. In humanis quidem accipi potest subintelligendo verba imprecationis: in diuinis verò non item; sed interpretanda est per interrogationem; ita vt significet, num? quem significatum supra habere particulam, *Si*, vidimus. Cum igitur à Deo dicitur: *Semel iuraui in sancto meo: Si, Dauid mentiar?* Idem est, ac dicere: Semel iuraui per sanctitatem meam; num Dauidi mentiar? Similiter Psalm. 94. *Quibus iuraui in ira mea; si introibunt in requiem meam?* Hoc est: Cum iurauerim me eos exclusurum à mea requie; num introibunt in requiem meam? Similiter Amos 8. *Iurauit Dominus in superbiam Iacob; si oblitus fuero, vsque in finem omnia opera eorum:* hoc est: Num obliuiscar vsque in finem omnia opera eorum. Quod si hic modus non placet, potest etiam, iuramentum diuinum per Aposiopesim, sed sine execratione explicari: vt Marci 8. *Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.* Vbi benè subintelligi potest per Aposiopesim: *Mihi fides non habeatur: testimonium meum non æstimetur verum;* ad eum modum, quo Ioann. 5. idem Dominus dixit: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* Similiter Isaiæ 14. *Iurauit Dominus exercituum dicens: Si non, vt putaui, ita erit; & quomodo mente tractaui, ita eueniet.* Subintelligitur, mihi fidem non habeatis. Qui modus iurandi alienus non est à Deo, cum sæpè se humano loquendi modo accommodet, vt Genes. 6. dixit: *Pœnitet me fecisse eos.* Cum Deum omnia præscientem præteriti verè non pœniteat. Illud etiam 1. Reg. 14. potest per Aposiopesim intelligi: *Ergone Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? Hoc nefas est. Viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram,* idest, Viuit Dominus iniustitiæ vindex, qui nos secum simul puniat; si patiemur, vel capillum de capite eius in terram decidere. Aut per interrogationem. Viuit Dominus

Iuraui in sancto, est iurare per sanctitat. Ex Symmacho, & Theodoreto in Amos 4.

innocentiæ assertor: num ceciderit capillus de capite eius in terram?

30. Quartò eadem particula, *Si*, interdum idem est, ac *Vtinam*. Lucæ 19. *Dominus videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens, quia Si cognouisses & tu*. Vbi aliqui interpretantur: *Vtinam cognouisses & tu*. Sic Iosuë cap. 7. num. 7. & Iob. 6. num. 2. & Iob. 16. num. 4. cum in Hebræo sit particula *Si*, εἰ, Septuaginta verterunt *Vtinam*; & ita nostra vulgata habet. Lucianus etiam sæpè εἰ, *Si* pro *Vtinam*, vsurpat. Maro etiam eodem significatu est vsus: *Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus ostendat*. Quintò interdum, *Si*, idem est, ac *Quando*, vt Isaiæ 4. *Si abluerit Deus sordes filiarum Sion*, idest, Quando abluerit. Sextò denique, *Si*, affirmatiua particula esse potest, idemque valet, ac *Quandoquidem*, seu *Cum*, vt Ioann. vltimo: *Si eum volo manere donec veniam*. Quare à vulgata lectione quoad sensum non dissonant Augustinus tract. 124. in Ioann. & Ambrosius in Psalm. 45. legentes: *Sic eum volo manere donec veniam*. Qui vsus reperitur etiam apud non sacros auctores; vt i. Catilinaria: *Si illustrantur, si erumpunt omnia*, id est, cum illustrentur, cum erumpant omnia. Maro Æneid 6. *Si fratrem Pollux alterna morte redemit*, i. Quandoquidem redemit, seu cum redemerit. Et iuxta hunc significatũ affirmatiua, non dubitatiua intelligenda est particula *Si*, in præsenti Euangelii loco: *Si hæc facis, manifesta teipsum mundo*, idest, cum hæc tanta signa facias, vt explicat Augustinus tract. 28. in Ioann. & Cyrill. lib 4. cap. 32. Ita etiam affirmando, non dubitando Dominus Ioann. 14. discipulis dicit: *Si diligitis me, mandata mea seruate*, hoc est, cum me diligatis. Neque enim censendum est Christi Domini fratres de eius tot miraculis, quorum oculati testes fuerant, dubitasse, vt putauit Chrysost. hom. 47. Incredulitas autem eorum non erat circa Domini miracula, sed an esset verus Messias, vt supra diximus.

Æn. 6.

Neque enim fratres eius credebant in eum.

Syllepsis figura plures ab Euangelistis vsurpatur.

31. Quod ad incredulitatem horum fratrum, sciendum est Euangelistis familiarem esse Syllepsim figuram; qua pluribus indefinitè loquendo, tribuitur, quod non omnes faciunt. Ita Matthæi 26. effuso à Magdalena super Domini caput vnguento dicitur: *Videntes discipuli indignati sunt, dicentes: Vt quid perditio hæc?* Et tamen Marcus cap. 14. significans non omnes discipulos indignatos esse, apertius ait: *Erant quidam indignè ferentes intra semetipsos*, Immo Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Beda, Theophylactus, & Euthymius putant solùm Iudam murmurasse iuxtà Ioann 12. *Dixit vnus ex discipulis eius Iudas Ischariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non væniit trecentis denarijs, & datum est egenis?* Ita Marci 3. de Domini cognatis iuxta Bedam, Theophylactum, & Euthymium, dicitur: *Cum audissent sui, exierunt tenere eum; dicebant enim, quoniam in furorem versus est*. Quod quidem de aliquibus, non de omnibus, qui eò conuenerant, Domini cognatis intelligendum est; cum inter eos etiam B. Virgo ab Euangelista memoretur. Similiter hîc non omnes Domini fratres in eum non credidisse dicendum est, sed aliquos. De his Hieronymus contra Heluidium ait: *Antea non credentes, postea crediderunt: licet fieri potuerit, vt vno statim credente, alij diu increduli fuerint*. Vnum statim credentem Iacobum intellexit fortè Hieronymus; cui etiam in fide socium Iudam Thadæum adderem; cum vterque è perfectiori numero duodecim Apostolorum esset; quorum nomine dixit Petrus Ioann. 6. *Nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei*. Sed sicut ea incredulis hos excipimus; ita inter incredulos, alios etiam Domini consanguineos vel verè ex parte matris, vel putatiuè ex parte Iosephi non improbabiliter numerare possumus; vt Domini sententiam verissimam cognoscamus: *Inimici hominis domestici eius*. Matth. 10.

Dixit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit; tempus autem vestrum semper est paratum.

32. Tempus suum, quòd non aduenisse Dominus ait, tempus omnimodæ glorificationis, & manifestationis intelligit Augustinus tract. 28. in Ioan. ita vt his verbis responderit fratribus hortantibus: *Manifesta teipsum mundo*. Quare huiusmodi responso indicare Dominus voluit ab ignominia mortis, & passionis tempus consequendi gloriam præcedi debere; quod expressè significauit, Lucæ 24. dicens: *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Omnia tempus habent*, ait Ecclesiastes cap. 3. *Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus saltandi. Non dixit*, inquit Rupertus, *Tempus ridendi, & tempus flendi: sed primum tempus flendi, deinde tempus ridendi. Prius tempus plangendi, & postea tempus saltandi. Ille futuræ ciuitatis Rex, cuius regnum de hoc mundo non est, docuit sibi & suis prius flendum, & post ridendum: prius plangendum, & postmodum esse exultandum*. Quare Salomonis ferculum, quod triumphalem currum, quo ad æternam gloriam itur, significabat; habebat quidem *reclinatorium aureum, sed ascensum purpureum. Quid est ascensus purpureus?* inquit Rupertus: *Deus, & homo Christus pro salute hominum passus, & sanguine suo purpuratus*. Quam multi æternæ gloriæ reclinatorium aureum ambiunt; passionis verò Dominicæ ascensum purpureum respuunt! Non tales fuerunt, qui apud Dauidem dixerunt: *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*.

Passio gloriam præcedere debet. Hic, & sequentibus. Li. 7. in Eccl.

Ioan. 18.

Cant. 3.

Ps. 65.

33. A Domino Apostolis dictum est Matthæi 10. *Estote prudentes sicut serpentes; & simplices sicut columbæ*. Cur potius serpens imitandus, deinde columba à Domino proponitur; cum potius à simplicitate ad prudentiam transitus fieri debere videatur? Respondet S. Ephrem: *Videtis, quòd in laboribus primùm exercitari oporteat, & per certamen coronari; vt sic diuina detur gloria perfruì. Acerbitatem laboris dulcedo quietis excipit; & asperitatem vitæ gaudium. Nisi odio habiti fuerimus sicut serpentes, quasi columbæ non reddemur amabiles. Primùm passus est Christus, ac veluti serpens Moysis in ligno suspensus, & sic postea tanquam columba è mortuis resurgens euolauit ad cœlestia. Primùm comedit lactucas agrestes Paschatis, atque resurgens fauis se mellis refecit*.

Tom 2. ser. ascetico sub finem.

Ioan 3. Exodi 12. Num 21. Lucæ 24.

34. Ad idem confirmandum de Christo est Dauidis vaticinium Psalm. 109. *De torrente in via bibet; propterea exaltabit caput*. Vbi Eusebius ait: *In torrente bibet, calicem videlicet, quem ipse sub ipsum passionis tempus significauit dicens: Pater, si possibile est, transeat calix iste à me. Cum igitur hunc calicem bibisset, tunc exaltauit caput; & sicut ait Apostolus: Quoniam factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; ideircò exaltauit il-*

Lib. 5 de demonstr c. 3.

Matth. 26.

Ad Philipp. 2.

Ad Ephes. c. 2. 22.

lum Deus, suscitans illum à mortuis, & sedere illum fecit in dextera sua super omnem principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem. Hinc benè omnibus consanguineis suadentibus, vt in Ierosolymæ luce se manifestaret, respondit: Tempus meæ glorificandi nondum aduenit, cum nondum meæ passionis tempus aduenerit. Tempus quidem vestrum semper est paratum, semper idoneum; si vultis per labores, & ærumnas vobis aditum ad æternam gloriam reserare. Aliter hæc verba magis ad litteram Chrysostomus explicat, quasi Dominus dicat: *Vos etsi semper cum Iudæis versemini, non interficient vos: mihi autem quamprimùm mortem machinabuntur. Itaque vobis quidem semper tempus est, cum non impendeat periculum: mihi autem tunc tempus erit, cum ero crucifigendus, & moriturus. Et quod sic intelligat, ex sequentibus perspicuum est.*

Hom. 47. in Ioan.

A B

Non potest mundus odisse vos, me autem odit; quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt.

35. QVamuis Iudaici odii in Christum causa hic reddatur, quòd Dominus eorum praua opera argueret; hæc tamen causa cum planè iniqua foret; sicut æquissima erant Christi monita, & obiurgationes; ideo tale odium ex Dauidis vaticinio semper gratis, hoc est sine causa fuisse dicitur. Psalm. 34. *Non supergaudeant mihi, qui aduersantur mihi inique; qui oderunt me gratis.* Psalm. 68. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.* Psalm. 108 *Sermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis.* Psalm. 119. *Cum his, qui oderunt me, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Quare ex Iudæorum odio in Christum, eorum praua opera arguentem manifestè apparet, quàm benè veteri prouerbio, dicatur: *Veritas odium parit.* Quàm pulchra mater, quàm infame monstrum parturit? Huc spectant, quæ de Veritate diximus in Euang. Dominicæ Passionis in illa Domini verba: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

C D

Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia tempus meum nondum impletum est.

36. CVm Dominus postea ascenderit ad diem festum, ad explicandum quomodo nunc dixerit: *Non ascendo ad diem festum istum*, vehementer laborant interpretes. Alii non soluendo, sed frangendo potius difficultatis nodum temere verba hæc, quæ communiter habentur, *Non ascendo ad diem festum istum*, expungunt. Alii ex Græco textu legunt: *Nondum ascendam ad diem festum istum.* Sed cum ista lectio in vulgata editione, & in pluribus Patribus, vt in Cyrillo, Ruperto, Beda, & aliis non habeatur; cumque alia via sit ad difficultatem soluendam, non videtur à vulgata lectione recedendum. Difficultas autem proposita benè soluitur, si reuocemus in memoriam Scripturæ regulam, quam tradit Cyrillus lib. 3. in Ioann. cap. 3. dicens: *Consuetudinem fuisse Christo, maximè quando ad imperitos Pharisæos loquebatur, corda illorum aspicere, cogitationisque motus, vt Deus examinaret ac ad ea, quæ illi mente versabant, orationem nonnunquam accommodare. Ac ideo non ferie à superioribus*

E

Christus in Euangelio sæpe ad loquentium mentē, non ad verba respondit.

quandoque sibi sermo procedit; cum ad ea, quæ illi secum versarent, acutissimè oratio componatur. Hinc Lucæ 11. quærentibus Iudæis signum de cælo, respondit Dominus: *Omne regnum in se diuisum desolabitur. Data est autem talis responsio, eò quòd Iudæi secum ipsi dicerent: In Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit dæmonia.* Similiter Chrysost. homil. 44. in Matth. ait: *Christus sæpe ad mentem interrogationem accommodat; non ad verba eorum. Quemadmodum ille, qui interrogauit: Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Quoniam, ceu ad hominem nudum, & vnum è multis Iudæorum magistris adijt; idcirco etiam ipse quasi homo ei respondet: Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus.* Iuxta hanc regulam igitur, cum Dominus dixit: *Non ascendo ad diem festum istum*; non negauit absolutè se ascensurum; sed ascensurum se negauit ad eum finem, quem eius consanguinei intendebant; scilicet ad gloriam, & sui manifestationem per miracula publicè facta quærendam. *Non ascendam*, ait Rupertus: *Videlicet iuxta illorum sensum, qui dixerant: Vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis: & si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Respondit se non ascensurum. idest sublime de seipso spectaculum, gloriam quærendo, præbiturum.* Quare, quamuis postea ascenderit, nihilominus, vt Euangelista testatur: *Ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto.* Vide quæ diximus Sabbato præcedente in illa verba: *Ego non iudico quemquam.* Addidit præterea Dominus palam non ascendendi causam, dicens: *Tempus meum nondum impletum est.* Impletum est autem in templum ad diem festum palam eundi tempus die medio, hoc est quarto totius Scenopegiæ festiuitatis, vt infra dicitur: *Iam die festo mediante ascendit Iesus in templum, & docebat.* Tali autem die nihil Iudæos contra eum ausuros iam Dominus præsciebat. Ideo *Dicebant quidam ex Ierosolymis. Nonne hic est, quem quærunt interficere? Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt.*

Matth. 19.

Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa: vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum; non manifestè, sed quasi in occulto.

37. SIne frequenti discipulorum comitatu Ierosolymam Dominus venit; ibique non palàm docendo, & miracula faciendo primis festis diebus Dominus mansit; ideo quasi in occulto venisse dicitur. Cur autem occultè manēdo Iudæorū persitas insidias declinare, & non potius diuina virtute irritos illorum conatus reddere Dominus voluerit, reddit rationem Chrysost. dicens: *Si omnia tanquam Deus fecisset, quid scire potuissemus in humanis rebus incidentes, quid facere nos oporteret? Si homicidis Iudæis obuius iram sedasset, & hoc frequenter fecisset; nos idem non potentes, efficeremus. Vnde nobis constaret quid esset faciendum?* Quare non vim vi repellere, sed prudenti moderatione inimicorum insidias declinare debemus. Id multò antea Dauidis ore Dominus docuerat, dicens: *Si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Absconderem me vtique ab eo*, legit Ambrosius. Audiant hæc, qui propriæ æstimationis valdè solliciti, omnia gladio, & duello decernere volunt. Quorum *pedes veloces sunt ad effundendum sanguinem*; hi certè non Christum sibi caput se habere demonstrant.

Hom. 48. in Ioan. Inimicorū insidiæ quomodo vitādæ. Hic & in sequenti.

Ps. 54.

1. De officijs c. vlt.

Ps. 13.

38. Mirum profectò mansuetè declinandi iniuriam documentum multò post, sua etiam in

Christi cruci affixi imaginis eximium miraculum. Colennucius in compendio hist. Neap. in supplemento l. 6.

imagine Redemptor noster ostendere voluit. A Nam in Neapolitana ab Alfonso Aragoniæ rege obsidione, repetitis bellici tormenti ictibus, disiectaque mœnium parte, quæ templo B. Virginis à Carmelo proximè obtendebatur; cum tandem explosa pila templum versus perforato tholo rectà in Christi Domini cruci affixi effigiem ferretur; sacrum illud simulacrum demisso capite ictum, quem in emittentem repellere poterat, declinauit. Cumque adstantes aliò sacram illam imaginem transferre conarentur, inde eam amouere nequiuerunt. Rex rem omnem cum ex Vrbis transfugis resciuisset, Petrum Aragonium fratrem supremum exercitus ducem monuit, vt à templo bombardæ ictibus impetendo abstineret. Fratris tamen monito non obsecutus Petrus illico B pœnas dedit. Postero enim die cum oppugnationem instauraret, explosa ex vrbe pila, infractum eius caput procul disiecit. Quo ex facto sicut Catholici in iniuriis patienter declinandis, non iracundè vlciscendis, habuere documentum: ita Iconomachi hæretici, qui in Belgio in sacras imagines tam impiè grassati sunt; earum tandem venerationem addiscere possunt; ne sæuius, quò serius puniantur.

Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille?

Rupertus l. 7 in Ioan. Ludolphus l. 1 c. 10. Christiani à Christo per baptismalem gratiam nomen accipiunt; per gloriam accipiunt à Iesu. Act. 4. In exposit. Ep. de Circumcisione. Caluinistæ à Iesu nomine abhorrent.

39. NEmo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu-Sancto, teste Apostolo 1. ad Cor. c. 12. propterea Iudæi diabolico spiritu agitati C proprio nomine Christum Dominum appellare prohibebantur. *Non dicunt: Vbi Iesus, sed, Vbi ille? Numquid enim eius, quem quærebant interficere, poterant nomen nescire? Ergo cordis illorum habitator homicida diabolus sic eos agebat, vt odio dictante nomen salutis non possent, immo nollent attingere*, ait Rupertus. Iudæi ergo ex odio sanctissimum Redemptoris nomen pronunciare nolentes; inde se tam sancti nominis participes non fore indicabant; atque adeo æterna damnatione dignos se testabantur. De prædestinatis enim ait Ludolphus: *Sicut hic per gratiam baptismalem à Christo dicuntur Christiani; sic in cælesti gloria ab ipso Iesu dicentur Iesuita. Neque enim aliud nomē est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* D Iudæos autem imitantur Caluinistæ; de iis enim Renatus Benedictus insignis Sorbonensis Theologus commendans nostram minimam societatem, ait: *Diuina prouidentia videtur instituta Societas Iesu ad occurrendum Caluinistis; qui vt tollant à Christo Diuinitatem, non Iesum Christum appellant, vt mos antiquissimus est, vel Iesum; sed tantùm Christum.*

Hom. 7. ad popul. Antioch. Dei erga Adamum præuaricatorem clementia. Genes. 3.

40. Quàm malè diuinæ clementiæ Iudaïca ingratitudo respondet? Chrysostomus de Deo vocante Adamum, qui paulò ante præuaricando diuinam iracundiam meruerat, ait: *A prima voce* E *ipsum statim erexit, & timentem confidere fecit, prior eum vocans ipse; quinimmo non tantùm prior vocans, sed etiam ex suo ipsum nomine appellans, & dicens: Adam vbi es? Amorem suum, & multam circa eum curam ostendit. Iam enim omnes nostis, quòd hoc est legitimæ amicitiæ indicium: sicut vicissim odio habentes nec nomina eorum, qui læserunt, tolerant commemorari. Ideo Saul nullam quidem iniuriam passus; multas verò, & magnas iniurias in Dauidem machinatus, postquam ipsum oderat, nec illius appellationem commemorari tolerabat; sed consedentibus omnibus, postquam non venisse vidit, non dixit: Vbi est Dauid? Sed vbi est filius Isai?* A *Et iterum Iudæi in Christo idem faciunt; quoniam enim ipsum auersabantur, non dixerunt: Vbi est Christus? Sed vbi est ille?*

1. Reg. 20. n. 27.

41. Porrò quamuis Iudæorum turba, tamquam leo rugiens circuiret quærens Dominum, quem deuoraret; poterant tamen omnes, nisi indigni fuissent, sanctissimo Iesu nomine in mansuetissimos agnos transmutari; eorumque iracundiæ flamma procul expelli. *Sit nomen Domini benedictum in secula*, ait Origenes: *quod cum vidissent leones in Daniele, in agnos immutati sunt: quod cum flamma ignis agnouisset in Anania, & Azaria, & Misaele, foras e fornace fugit. Hoc etiam & Cetus cum videret in Iona, obstupuit; atque illæsum eum, quem de naui susceperat, reddidit; intaminatum remisit, quem viuum suscepit.* Salutare B Dei nomen marinam belluam velut nauim reddidit, ne Ionas naufragaret. Paulus Apostolus iuxta Augustinum factus est de lupo agnus; cumque ter naufragium fecisset, ter incolumis emersit. Cur? Quia in eo salutare Iesu nomen fuit repositum: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel.* Contra verò Iudæi salutare Redemptoris nomen repellentes, rabidi lupi permanserunt, & circa fidem miserrimè naufragarunt.

Origenes Tom. 1. l. 2 in Iob. Dan. 3. Dei nomini vis salutaris. Iona. 2. Ser. 14. de sanctis. 2. ad Cor. c. 10. Act. 9.

42. *Hoc nomen secundùm misericordiam tuam, Domine, hoc nomen saluatoris mei, filij tui in ipso adhuc lacte matris tenerum cor meum biberat, & altè retinebat*, ait Augustinus. Ad fidei lac, Iesu nomine consecratum sugendum hortatur Apostolus: C *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.* Huiusmodi lac sugere renuentes Iudæi, mirum esse non debet, si monitum, quod ibi tradit Apostolus, non seruarent: *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias & omnes detractiones.* Quandoquidem Christo Domino iniquissimè detrahentes dicebant: *Non bonus est, sed seducit turbas.*

3. Confess. c. 4. 1. Petri 2.

Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant, quia bonus est: alij autem dicebant: Non, sed seducit turbas.

D 43. HIc apparent Zizania in medio tritici: cum alij de Christo Domino benè sentirent; alii verò eum, vt seductorem haberent. De perfidis Iudæis in Christum Dominum murmurantibus iuxta Hieronymum, Dauidis est vaticinium Psal. 72. *Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam; iniquitatem in excelso locuti sunt: iniquitatem in excelsum locuti sunt*, legit Ambrosius. *Posuerunt in cælum os suum; & lingua eorum transiuit in terra. Et lingua eorum ardet in iustos terra*, legit Chaldæus. In iustos enim, & iustorum caput, nempe Christum, Iudæorum lingua exarsit.

Matth. 13. L. 5 de fide c. 7.

44. Tam perniciosa pestis est murmuratricis linguæ vitium; vt ipsæ insensatæ creaturæ ab eius E venenato halitu sibi cauere videantur. *O quàm pestis misera, & mortifera est ipsa murmuratio! ô quàm venenosa!* legitur apud Augustinum. Ideo de Dathan & Abiron qui quòd contra Moysem & Aaronem murmurassent, dehiscente terra viui intra eius hiatū absorpti sunt, ait Ambrosius: *Immugiente terra in medio plebis scinditur; aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxij: & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis; vt nec aerem haustu, nec cælum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.* Sepulcho quidem indigni fuerunt; cum eorum maledicum os murmuratiuui pestē exhalans fœtidum sepulchrum

Murmuratrix lingua quam perniciosa pestis. Serm. 20 ad fratres de Eremo. Num. 16. Ambrosius l. 10. ep 81.

Psal. 5. Maledicus diuersa linguam ab ea, quam Deus dedit, vti videtur. Psal. 11. 5. Maledici os cur sepulchro simile.

foret: *Sepulchrum patens est guttur eorum; linguis suis dolosè agebant.* Linguis suis, notat Remigius, dolosè agunt maledici; veluti alias sibi proprias linguas comparauerint; cum linguis à Deo datis ad benedicendum, vtendum sit. Hi ergo impudenter dicunt: *Linguam nostram magnificabimus. Lingua nostra dominabimur*, legit Chrysostomus: *Labia nostra à nobis sunt; quis noster Dominus est*. Propterea *sepulchrum patens* est murmuratoris guttur, nam sicut sepulchrum numquam fœtidis cadaueribus expletur; ita maledici os numquam alios bona fama spoliando satiatur. Rursus sicut sepulchrum hominis faciem, & caput in informe cinerum immutat; ita obtrectator bonam proximi æstimationem in infamiam mutare conatur. Denique *sepulchrum patens* est maledici os; eo quòd sicut sepulchrum, quæ intra ipsum immittuntur, exigua reddit, ea in modicum puluerem redigendo; ita maledici os aliorum bonam famam semper quantùm potest imminuere nititur.

S. Hieronymus, vel S. Paulinus Ep. 14 ad Celantiam Maledicentia cur Diaboli laqueus. Murmurantium aures diuinis vocibus surdæ redduntur. *De somno serpentis.*

45. Maledicentiam, & detractionem *extremum diaboli laqueum* vocat Hieronymus. Cum laqueo potius suffocetur guttur, quàm ad murmurandum aperiatur; cur maledicentia laqueo comparatur? Quia quamuis maledici guttur ad murmurandum reseretur; illud tamen ad implorandam diuinam misericordiam diabolus per ipsam maledicentiam obstruit; vt nequeat maledicum os Dei sibi misericordiam conciliare. *Vbi Nilus ad illa, quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus; ea gens, quæ illum locum incolit, propter magnitudinem sonitus sensu audiendi caret*, ait Tullius. Similiter maledicis murmurantibus, obtrectationis murmure aures surdæ redduntur, ne diuinas voces ad salutem eos reuocantes audiant: *Murmurauerunt in tabernaculis suis, non exaudierunt vocem Domini*, ait Dauid Psal. 105. In quo quidem canibus peiores sunt; illi enim vehementer latrando, ad Dominorum voces non obsurdescunt: obtrectatores verò murmurando diuinas voces omninò non audiunt.

Detrahentes Christo Domino eius crucifixoribus peiores. *Ioan. 8.*

46. Psalmum 108. de Christo esse vaticinium constat ex Actis Apost. cap. 1. vbi de Iudæ proditione illius Psalmi verba Petrus Apostolus interpretatur. In eo igitur Psalmo de Iudæis persecutoribus conqueritur Dominus dicens: *Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi.* Cur de detractione, & murmuratione Iudaïca, & non potius de passione, & crucifixione conquestus est Dominus? Quia quodammodo magis Christo Iudaïca obtrectatio, quam ipsa passio, & crucifixio displicuit. Ita sentit Augustinus dicens: *Non ait: Pro eo, vt diligerent me, interficiebant me; sed detrahebant mihi. Ideo quippe interfecerunt, quia detraxerunt negantes Dei filium, & dicentes, quòd in principe dæmoniorum, eijcit dæmonia: & dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis? Et cætera talia. Qua detractione ab illo auertebant eos, quorum conuersionem ille quærebat. Et ideo potius hoc dixit; vt ostenderet magis eos nocere, qui Christo detrahunt, & per hoc animas interficiunt; quàm eos qui mortalem carnem, mox præsertim resurrecturam sæuiendo peremerunt.* Ex quo colligitur magis Redemptorem de animarum iactura, quàm de propria passione, & morte doluisse. Quod si Christus Dominus animarum salutem propria vita cariorem habuit quanti nos eam æstimare debemus? Quare Bernardus Augustini sententiam secutus ait: *Nec detractoris linguam ipso etiam mucrone, qua*

Serm. de triplici custodia manus, linguæ, & cordis.

Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro; nec iam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit; seu etiam clauis ferreis, quos sanctissimis manibus illis, & pedibus consummatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Nisi enim hi, quod nunc pungitur, & transfodit, corporis sui vitam, illius vitæ corporis prætulissent; numquam illud pro isto mortis iniuria, crucis ignominiæ tradidisset.

Detractoria verba spinis acutiora.

47. Ecclesiastici 28. n. 29. dicitur: *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire.* Præstat enim spinas circa aures habere, quàm murmuratoris verba. Spinæ enim recens natæ, cum molliores sint, non pungunt: at murmuratoris verba etiam cum mollissima videntur, veluti acutissima iacula feriunt. *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Ps. 54.

Murmuratio lepræ similis. *Num. 12.*

48. Cum Mosis soror Maria contra fratrem murmurasset, fœdissima lepra percussa est: *Ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. Ecce iam medium carnis eius deuoratum est à lepra.* Ex lepra quasi nix apparuit; quòd fratris famam denigrasset: rursus niuem corpore referebat, quod in eius anima fraterna charitas refrixisset. Sed si quæratur, cur potius lepra, quàm supplicio alio punita sit? Respondetur vt culpæ pœna similis foret. Hinc apud August. ser. 26. ad fratres de Eremo legitur: *Sicut lepra proprium corpus deuorat, & sibi adhærentes inficit; sic & murmurator non solùm seipsum destruit; sed etiam cunctos audientes inficit, & perimit.* Eo quòd audientes murmuratio perimat, dicitur à Salomone: *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia procul sint à te.* Septuaginta legunt: *Remoue à te os obliquum.* Verè os obliquum, obliquamque linguam instar fulminis murmurator habet. Sicut enim fulmen nubem primùm, in qua generatur lacerat; deinde non recto, sed obliquo tractu è nubibus descendit, & ad dextram, & ad læuam ferit: *Obliqui via fulminis*, ait Seneca: ita obliqua murmuratoris lingua primùm ipsius murmuratoris animam, à qua prodit murmuratio, lacerat: deinde obliquo cursu ipsos auditores, & illinc lethaliter lædit. *Vnus est, qui loquitur*, ait Bernardus: *& vnum tantùm verbum profert: & tamen illud vnum verbum in vno momento multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit.* O verè momentum vnde pendet æternitas! Quid mirum est, si obliquo fulmini maledicum os comparetur: cum fulgur illud in lingua habeat: de quo dicitur à Domino: *Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem. Detractor, & libens auditor; vterque diabolum portant in lingua*, ait Augustinus. Dices, detractionis auditor in aure potius, quàm in lingua diabolum portare videtur. Respondeo cum Paulo 2. ad Timot. 2. de loquentibus noxia verba bene dici posse: *Sermo eorum, vt cancer serpit.* Cancer, seu vt Græcus textus habet, Gangræna, morbus est, qui corrosa vna corporis parte ad aliam corrodendam transit. Ita detractionis sermo in aure instillatus, ad cor, & ad os inficiendum transit: ita vt detractionis auditor sæpè ipse detractor euadat: & sic diabolum non solùm in aure, sed in ore portet.

Prou. 4. n. 24. Maledici lingua fulmini obliquo cursu ferienti similis. Hic, & n. sequen.

Serm. 24. in Cantic.

Lucæ 10. Detractor eiusque libens auditor, diabolum in lingua portant. *August. serm. 4. lib. de salutaribus documentis.* Detractio Gangrænæ similis.

Detractio fulmini similis.

49. Fulmen trisulcum dicitur, eò quod tripartitam flammam deferre videatur. Talis est murmuratoris lingua, cum veluti tergemina lethali flamma seipsam, & absentem proximum, & præsentes auditores incendat. Nam iuxtà S.

In Ep. Iacobi c. 3.

Thomam, detractor seipsum, & auditores detractioni consentientes per culpam interficit; proximum per infamiam; vel etiam per culpam; si impatienter sui detractionem ferat, & illatam iniuriam vlcisci velit. Hinc detractor *trilinguis* à Chaldæo Paraphaste vocatur Ecclesiastis cap. 10. n. 11. Rursus fulmen sæpè, quem exanimat, integrum relinquere videtur, nullo vulneris indicio apparente: Similiter maledici fulminea lingua tam occultè, & simulatè proximò detrahit, vt inflictum famę vulnus planè lateat. *Non habet latam data plaga frontem; sed vorat tectas penitus medullas.* Medullas deuorat, nempe Christi viscera, idest proximum Christi sanguine redemptum, de quo non minus Dominus, quàm Apostolus ait: *Tu illum, vt mea viscera, suscipe.*

Verba mutuata ex Seneca in Hipp.

50. Psalmo 100. à Dauide dicitur: *Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar.* Ex Chaldæo legitur: *Loquentem lingua triplici, hunc persequebar.* Quare de maledica lingua ait Bernardus: *Numquid non lancea est ista lingua? Profectò, & acutissima, quæ tres penetrat ictu vno. Lingua, inquit, eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, immo triceps est lingua detractoris.* Quàm benè Domini testimonio murmuratores Iudæi *Genimina viperarum* appellantur! De maledici enim lingua ait idem Bernardus: *Numquid non vipera est lingua ista? Ferocissima planè: nimirùm quæ lethaliter tres interficiat flatu vno. Occides enim lingua vipera,* dicitur Iob 20. Detractorem scilicet ipsius lingua linguæ viperæ instar occidet; quamuis hæc viperæ similitudo ad detractionis pestem indicandam, impar sit. Vipera enim non toto corpore venenum diffusum habet; cum ex ea capite, & cauda abscissis, reliquum ad lepræ remedium salutaris cibus sit: eúmque ex ea insuper ad veneni antidotum theriaca conficiatur. At detractor quantus quantus est, totus venenum sibi, & aliis est. Corde enim venenum contra proximum fouet, illudque ore, & toto corpore gestu proximum aspernante diffundit. *Non quiescit hoc malum; sicut nec venenum, quod ex vno membro transit ad aliud,* ait Hugo de Sancto Caro in c. 3. Epist. Iacobi. Quo etiam veneno auditor detractioni consentiens spiritualiter moritur. *Annon & ipse moritur, qui venenum bibit, quod ei maledica detractoris lingua propinat?* inquit Bernardus. Quare murmuratoribus cum Chrysostomo dicere deberemus: *Habes aliquem, quem laudes, & commendes? Aures aperio, vt vnguenta suscipiam. Si verò malè velis dicere, verbis ingressum obturo: non enim stercus, & cœnum accipere sustineo.* Non tantùm stercus, & cœnum; sed venenum, pestem, Inferni habitum dicere poterat Chrysostomus.

Serm. de triplici custodia, manus, linguæ & cordis.
Maledici lingua triplex est, gladius veluti triceps.
Psal. 56.
Matth c. 23. n. 33.
Maledici lingua viperæ similis & viperà peior.
Bern. ibid.

Bernardus sup. citat.
Detractoribus quid respondendum sit.
Chrysostomus hom. 3. ad popul.

51. Meritò igitur iustus Israëlitarum rex aiebat: *Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar. Loquentem in abscondito contra proximum suum hunc interficiebam,* legit Hieronymus. Dicea, seuera nimis pœna videtur, si detractionis verbo violenta mors rependatur. At latrones nonne iusta lege mortis rei sunt? Tales sunt detractores; hinc Ezechielis 22. dicitur: *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem.* Vbi Septuaginta legunt: *Viri latrones fuerunt in te.* Sunt enim detractores verè latrones, cum proximi famam detrahendo diripiant: immo latronibus, qui externa bona rapiunt, peiores sunt: nam iuxta Salomonem Prou. 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Quare Anacletus Epist. 3. detractores peiores esse latronibus asserit, redditque rationem: *Quia isti, quæ extra nos sunt, licèt nostra sint, auferunt; detractores propriè nos ipsos diripiunt.* Secundò nonne iustè homicidæ, mortis rei iudicantur? Tales sunt detractores: nam iuxtà Alexandrum Pontific. Ep. 3. *Summa iniquitas est detrahere, nec dissimile homicidio crimen.* Clemens Romanus scribit Petrum Apostolum tria homicidii genera distinxisse, & eorum pœnam parem fore: *Si quis interficeret alium, si odisset, si detraheret.* Tertiò incendiarii nonne iusto supplicio capite damnantur? Incendiaria lingua detractoris est, ita vt mirum non sit si lingua flammæ figuram, ignisque colorem referat. *Ignis linguam* vocauit flammam Isaias c. 5. n. 24. *Ecce quantus ignis quàm magnam syluam incendit! Et lingua ignis est,* ait Iacobus Apostolus. Apta quidem, sed adhuc impar ignis, & linguę similitudo est. Ignis syluam incendendo syluestribus feris nocet; murmuratoris verò lingua homines lædit. Ignis inutile syluæ senticetum incendit: sed, vt videre est in hoc Euangelii loco, maledica Iudæorum lingua non spinas, sed Christum Dominum floridam Iesse virgam, suauissimum campi florem, candidissimum lilium conuallium incendere, & denigrare nititur, dicens: *Non bonus est, sed seducit turbas.* Subdit Iacobus: *Lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis: lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à Gehenna;* hoc est iuxta Bedam, incendit totum mortalis vitæ cursum; quæ à die natiuitatis vsque ad mortem, veluti semper circumacta curriculi rota peragitur: ita vt maledica lingua nullo vitæ tempore à detractione cesset; neque ætati vlli vmquam parcat. *Omnes petit,* inquit Nazianzenus; *viuos, victuros, mortales, superos, instantes, caros, amicos, hostes, malos, bonos, vicinos, distantes.* Nec vllo vmquam tempore à detractione cessat: cumque reliqua corporis instrumenta temporis cursu imbecillia reddantur; lingua toto vitæ tempore expedita semper, & libera remanet ad detrahendum. Hinc perpetuò *inflammat rotam natiuitatis nostræ,* scilicet humanam vitam, quæ annua circulatione veluti rota conuoluitur. In hac, veluti molari rota linguam acuit obtrectator ad proximorum famam acutius configendam. Vel sicut molendini rota triticum comminuit, & conterit; ita toto vitę tempore à detractore proximi fama comminuitur, & conteritur. Denique vt notatur apud Nicephorum, *rota sublimia demittit, demissa sublimat:* sic detractor teste Nazianz. *Eum, qui reus est, innocentem declarat; & reum, qui innocens est.* Propterea detractoribus comminatur Isaias cap. 5. *Væ, qui dicitis bonum malum, & malum bonum.* Tales erant in hoc Euangelio Iudęi dicentes de Christo summè bono: *Non bonus est, sed seducit turbas.* Cum igitur talis sit detractoris lingua, & inflammet rotam natiuitatis nostræ; meritò tamquam incendiaria à iustissimo Rege Dauide morte punitur: *Loquentem in abscondito contra proximum suum hunc inte ficiam.* Quod si mortis reus est secretus detractor; qua pœna dignus est publicus obtrectator? Vtrique certè æternę damnationis pœna statuitur, & meritò; quia à Gehenna, hoc est inferni igne maledica lingua inflammatur, teste Iacobo Apostolo. Quare detractori Gilbertus Abbas ait: *Ignem hunc, quem euomis, haustis de Gehenna; inde incipit, & corripit.*

Psal. 100.
Detractores latronibus similes iisque peiores.

Detractores homicidis similes.
Clemens Epist. 1.
Homicidii tria genera, detractores incendiariis similes.
Iacobus c. 3.
Maledica lingua igne nocentior.

Nazianz. De ieiunio silentio
Maledica lingua nemini parcit.

Maledica lingua cur rotæ comparetur.

Lib. 18. c. 29. Car. 54. de silentio.

Psal. 100. c. iuxta lectionem Hieronymi, & Anacletum Ep. 2.
Serm. 24 in Cantica.
Maledica lingua inferno igne euomens, eò damnanda

52. Cum Hebræorum populus ex Ægypto eductus contra Deum, & Mosem murmurasset dicens: *Cur eduxisti nos de Ægypto, vt moreremur*

Num. 21.

in

Num. 21. Murmuratores serpentibus similes serpentum morsu puniti sunt. Hic, & n. seque[nti]. Cap. 10. 11.

in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ; anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Misit Dominus in populum ignitos serpentes. Tali etiam punitione murmurationis culpæ par pœna respondit. Murmuratores enim illi, & nunc Iudæi isti, qui susurronum more, & murmure Christo in hoc Euangelio detrahunt, benè serpentibus assimilari possunt iuxta Ecclesiasten. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Cassianus legit: *Si momorderit serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori.* Idest, si serpens occultè momorderit; quamuis incantator multùm in serpentes possit; difficilè tamen effuso iam latenter veneno mederi poterit. Nihilominus potest tam proximo, quàm ipsius murmuratoris animæ inflicto vulneri medela adhiberi; dummodo *plaga incantetur diuinæ scripturæ carminibus*, vt loquitur Chrysostomus. Incantationis huius carmen debent esse scripturæ verba; quibus nobis præcipitur: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Dilectio canticum est. Vox cantoris feruor est sancti amoris*, ait Augustinus. Ex hoc cantico famę restitutio, atque adeo inflicti vulneris curatio prouenit. Labia, vt à detractionis labe libera sint, ignito charitatis calculo, qualem Isaias habuit, sunt mundanda. Alioqui, qui proximi charitatem negligit detrahendo; nec saltem postea famam restituere satagit, quantum ex se est Deum iniustum charitatis legislatorem esse significat. Quod iuxta Bedam indicauit Iacobus Apost. dicens: *Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem.*

Murmurationis inflicto vulneri quæ medela adhibenda. Hom. 48. in Ioann. Matth. 15. n. 19. In Psal. 95. & ser. 256 de tempore. Isaia c. 6. Labia, ne proximo detrahant, charitatis ignito calculo mundanda. Cap. 4. n. 72. Detrahens proximo suo, Dei, qui charitatis est legislator, detractor est.

53 Rursus, quòd murmurationis spiritus serpenti assimiletur, benè docuit Dauid Psal. 139. *Acuerunt linguas sicut serpentis; venenum aspidum sub labijs eorum.* Quæ verba de Iudęis in Christum murmurantibus explicat Hilarius. Venenum sub labiis, non in labiis habere dicuntur, iuxta Augustinum; ad occultum detractionis murmur significandum. Sub serpentis lingua vesica veneno plena latet, quæ cum serpens mordet, rumpitur. In hoc etiam serpentis morsus cum murmuratoris morsibus conuenit; quandoquidem murmurator inuidia disrumpi se sentit, dum proximum detractionis morsibus lacerat. Ita vt meritò dici possit: *Rumpatur quisquis rumpitur inuidia. Dentibus suis fremet, & tabescet*, de murmurante ait Dauid. Maceratum enim se, & liuore rabescere maledicus sentit, dum in alios murmurando fremit. Exiguam, vt dixi, vesicam veneno plenam serpens sub lingua habet; murmurator verò totum os maledicentiæ veneno repletum habet: *Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo*, dicitur à Dauide, & à Iacobo Apostolo maledica lingua dicitur *plena veneno mortifero.*

Murmuratores serpentibus similes. Murmurator sibi ipsi pœnalis est. Martialis. Psal. 111. Psal. 9. Cap. 3.

54. Aspis ex Euthymio, cui murmurator comparatur, cùm in aliquem furit, nisi in illum venenum infuderit, exanimatur. Sed in hoc murmuratoris peior casus est; aspis enim dummodo venenum transfundat, non moritur; murmurator verò detractionis virus effundendo seipsum spiritualiter interimit. Aspidis morsum cum voluptate eius, qui læditur, coniungi docet Ælianus. Aspidem morsu soporiferam quietem afferre docet Rhodiginus. At de murmuratoris lingua dicitur: *Sub lingua eius labor, & dolor*: Laborem scilicet, & dolorem proximis afferendo, vt explicat S. Thomas. *Aspidis venenum insanabile*, dicitur à Mose Deuteron. 31. vt mystice significetur, quàm difficilis sit famæ restitutio ad venenum murmuratoris tamquam aspidis ore transfusum expellendum. Benè igitur Deus ad puniendos murmuratores, qui serpentes imitantur, ignitos serpentes immisit: ignitos quidem ad murmurationem puniendam; quę tamquam ignis flamma in sublime fertur, sublimiora, & sanctiora capita impetendo. *Apertio oris illius inflammatio est. Nil in rerum natura tam sacrum est, quod sacrilegum non inueniat*, teste Seneca. Tribus pueris Deum laudantibus pepercit Babylonicus ignis; iustis verò viris, diuinis laudibus, Deique gloriæ semper intentis, maledicæ linguæ flamma non parcit, vt benè notauit Chrysostomus hom. de tribus pueris.

In Psal. 57. Aspis furens, nisi venenũ transfundat, moritur. Maledicus aspide peior. Lib. 9. de animal. cap. 2; lib. 27. cap. 14. Psal. 9. Aspidis morsu voluptatem, & soporem inducit.

Famæ restitutio quàm difficilis. Num. 21. Eccl. 10. Maledica lingua Babylonicæ fornacis igne crudelior. Danielis 3.

55. Cerasta angue pessimo murmurator est peior. Nam, vt dicitur Gen. 49. *Cerastes mordes vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* Murmurator verò immediatè in ipsam animam, quæ corpori insidet, insurgendo virus effundit. Coruus voracissimum, & cadauerum cupidissimum animal obtrectatoris symbolum est. Ex Aristotele autem coruus hoc habet proprium, vt in oculos insiliat, eosque effodere gaudeat. Similiter detractor in sanctissimos viros Ecclesiæ lumina, sæpè maledica lingua insurgit. In præsenti quidem Euangelio murmuratores Iudæi seductorem appellando Christum Dominum, maledico rostro, tamquam corui, inuecti sunt in eum, qui sub sancti Iobi figura *oculus fuit caeco. Caecus est genus humanum, quod in parente primo à Paradisi gaudiis expulsum claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur*, ait Gregorius. Huic cæco oculus fuit Christus Dominus eum illuminando. Cum igitur coruus detractoris symbolum sit; eum Deus tamquam abominabile animal vitandum esse præcipit Leuit. 11. *Hæc sunt, quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis. Omne coruini generis in similitudinem suam.* Si ex diuina lege sola detractoris figura abominabilis est; quàm abominabilis detractor erit? Immo tamquam ipsa abominatio haberi debet; vt meritò *abominatio hominum detractor* à Salomone dicatur Prou. 24. & ab Apostolo *susurrones, & detractores odibiles Deo.* Ad Rom. c. 1. n. 30.

Murmurator cerasta peior. Coruus cur obtrectatoris symbolũ. Teste Aquinate in Psal. 110. n. 9. de animal. c. 5. Iob c. 29. Gregor. hom. 2. in Euang. Maledicus hominum abominatio.

56. *Sataniciun barathrum* appellat Chrysostomus detractionem. Sed à Satanico barathro peccatores quidem absorbentur, non iusti; Detractor verò Satanico barathro peior, ipsos iustos maledito ore absorbere non erubescit. Hinc Eccles. 28. de maledica lingua dicitur: *Vtilis potius infernus, quàm illa*, idest minus nocens. Nam vt ait Hugo de sancto Caro, *Infernus non nocet nisi malis; lingua verò nequam nocet bonis, & malis.* Sed quamuis os obtrectatoris veluti porta sit Inferni; nihilominus de iustorum cœtu, & Ecclesia dicitur: *Portæ inferi non praualebunt aduersus eam. Flamma sua non comburet iustos*, dicitur ab Ecclesiastico de lingua nequam. Exodi 3. vidit Moses rubum, in quo Deus insidebat, ardere, & non comburi: similiter, etsi lingua nequam in sanctos viros maledicentiæ incendia iactat; huiusmodi tamen flammis eos comburi Deus innocentiæ assertor non permittit. Nubes quidem solari luci tenebras offundere possunt; sol tamen quamuis nobis sublunaribus obscurior videatur, cœlestibus clarissimè fulget. Sic iustorum fama, quamuis maleditæ linguæ incendio denigrata videatur; eorum tamen conscientia in cœlesti theatro diuinis oculis nitidissimè splendet. *Fulgebunt iusti sicut sol in conspectu Dei.*

Maledica lingua multiplici ex causa inferno peior. Hic, & n. sequenti. Matth. 16. Eccl. c. 28 n. 26. In officio paschali.

ti dumantur: ad maledicum Hebraicum populum cohibendum, neque cibi subministratio, neque cibi subtractio vtilis fuit. De eo enim dicitur Deut. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit:* de eodem dicitur: *Si verò non fuerint saturati, & murmurabunt.* Quare, cum neque cibo dato, neque subtracto murmuratrix lingua dometur: benè eam *Inquietum malum* Iacobus appellauit.

Maledica lingua merito inquietum malum appellatur.
Psal. 58.

61. Steuartius explicans supracitata Iacobi verba de feris mansuetudinem addiscentibus, refert cetum seu balenam, cum adeo vasta sit, pisciculi tamen, cui nomen Masculus, natando ducatum sequi: Quare si quis intra nassam Masculum habeat, balenam quò voluerit circumagere poterit. *Facies homines, quasi pisces maris,* dicitur Habacuc 1. & iuxtà Nyssenum, & Damascenum de B. Virgine, eiusque sanctissimo filio dicitur Isaiæ 66. 7. *Antequam veniret partus eius, peperit masculum. Antequam veniat dolor parturientium, peperit masculum,* legunt septuaginta. Dum ergo veluti pisces *hoc mare magnum, & spatiosum manibus* viuendo tranamus; sanctissimus Deiparæ filius, *qui cum malediceretur, non maledicebat,* nobis ad benedicendum ducatum præstat.

Supra Balena pisciculū nomine Masculum ductorem sequitur.
Nyssen orat. de resurrectione. Damasc. lib. 4 de fide, c. 15
Psal 103. 25.
1. Petri c. 2.

61. Si ergo maledicendo eius ductum impiè renuamus; immanes profectò feræ ad mansuetudinem procliuiores, quàm humana lingua, habendæ sunt. Teste Tullio ditiores Romani multos barbatos, nobile piscis genus, in piscinis habebant; qui si mansuetiores facti ad manum accederent, præ felicitate putabant se digito cœlum attingere. Sed si linguam piscis instar lubricam mansuetiorem reddamus, illam à maledicentia, noxiisque verbis coercendo; non per hyperbolen, sed iuxta veritatem cœlum attingemus; cum cœleste regnum perfectis viris paratum sit; & *si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.*

Lib 6. ad Attic Ep. 1. Mulli mansuefacti Romanis in delicijs fuerunt.
Iacob 3.

63. Ex naturali historia, & experimento plura auium genera mansuefieri, & humanum sermonem addiscere constat. *Habebant & Cæsares iuuenes sturnum, item luscinias Græco, atque latino sermone dociles: præterea meditantes in diem, & assidue noua loquentes, longiore etiam contextu,* ait Plinius lib. 10. c. 42. Cum rationis expertia animalia ad humanos sermones imitandos supra brutalem naturam quodammodo assurgant; deberent vtique homines humanam conditionem transcendentes, Angelicam loquelam pro viribus imitari: sunt autem sancti Angeli ita à maledicia verbis alieni, vt neque ipsi diabolo maledicere velint. *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ; sed dixit: Imperet tibi Dominus,* teste B. Iuda Apostolo. Quod expendens Hieronymus ait: *Si Michaël non fuit ausus diabolo, & certè maledictione dignissimo iudicium inferre blasphemiæ; quantò magis nos ab omni maledicto puri esse debemus?* Quare sicut teste Augustino maledicus *Diabolum in lingua portat*; ita à maledicentia alienus, cui benedicens, & benedicta lingua est, Angelum in lingua præferre videri potest.

Aues ad Græce, & Latinè loquendum dociles.
Maledicentiæ abhorrens lingua, angelicam loquelam imitatur.
Hieronymus in Epist. ad Titum c. 3.
[illegible] *de salutaribus documentis c. 20* Maledicus Diabolum in lingua portat.

64. Iacobi sententiam de domita omnium bestiarum natura ab homine, intelligit Hugo Victorinus, & Hugo Cardinalis, cum homo in statu innocentiæ fuit; tunc enim animalia omnia, etiam fera sibi subiecta habuit. Quare hinc etiam maledicæ detrahentis linguæ malignitas ponderanda est. Status enim innocentiæ, qui aduersus bestiarum omnium immanitatem præualere potuit, easquè sibi subiectas habuit; contra detractionis malitiam non præualuit: quandoquidem ab innocentiæ statu diabolus humani generis parentem nonnisi detractione deiecit; primumquè detrahendi exemplum hominibus dedit; quod benè sic explicat Rupertus: *Rebellis luminis, Altissimo se fore similem dixit: Quid dicemus quando contra Altissimum sibi similem facere contendit? Mendax enim ipse est; inuidus ipse est: mendax autem sibi similem, idest mendacem vult facere Deum, dum dicit: Nequaquam morte moriemini. Quid enim hoc aliud est, nisi mentitus est ille, qui dixit: Morte moriemini? Item verò inuidus, præcepti Dei causam esse inuidiam audet asserere, cum dicit: Scit enim Deus, quia in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij. Nam cum dixisset: Nequaquam morte moriemini: quasi quæreretur: Quare ergo tam seuerè interdixit? Quare tam minaciter prohibuit? Scit enim, inquit, quia aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij. Quid ergo hac blasphemia draconis horribilius? Quid hac præsumptione nequissimi nebulonis sceleratius? Quasi parum fuerit, quod superbiendo Dei similitudinem perdidit; adhuc detrahendo similem sibi Deum asserere præsumit: Immo Deum mendacem, se autem veracem habendum esse misero persuadet homini.* Ex quibus Ruperti verbis colligitur Primò, Deum primùm detractionis ictus sustinuisse: quod quidem ad solatium suorum seruorum, & patientiæ documentum notari debet; cum à maledicis iniustè sibi detrahi sentiunt. Secundò ex vltimis Ruperti verbis vera ratio colligitur, cur peccatores ad detrahendum sint procliues; nempe, cum ipsi praui sint, alios etiam sibi similes existimari volunt. Ex quo fit, vt detractoris inflammata à Gehenna lingua dum aliis detrahit, sibi tamquam illis simili simul infamiæ notam inurat. Hinc de detractoribus Psal. 63 dicitur: *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* Paruuli dicuntur detractores, eò quòd inuidi sint. *Paruulum occidit inuidia,* dicitur Iob 5. Paruulus autem inuidus dicitur, quia ad inuidiam pusillo animo vrgetur: cum nonnisi aliis depressis, non propria virtute, assurgere se posse credat. Hinc benè Hieronymus ait: *Vilium satis hominum est, & suam laudem quærentium alios viles facere; quia alterius vituperatione se laudari putant: & qui suo merito placere non possunt, placere volunt in comparatione peiorum.*

Detractio Diaboli hominum innocentiæ statum abstulit.
Annot. in Gen.
In Gen. lib. 3. cap. 6.
Isaiæ c. 14. 14
Detractio prima in Deum fuit
Gen. 3.
Maledicentiæ procliuitas vnde proueniat.
Detractores, & inuidi cur paruuli dicantur.
Ep. 1. ad Demetriadem.

65. Porrò primus detractionis auctor, vt vidimus, diabolus fuit; qui Euam alloquendo, diuinæ bonitati detrahere est ausus. Quare si serpenti detractores comparare libet: *Acuerunt linguas suas sicut serpentis:* serpenti illi comparentur, de quo dicitur Apoc. 12. *Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas.* Quamuis hæc etiam detractoris cum serpente diabolo comparatio impar sit; nam diabolus sub serpentis figura deliciatum paradisum ingredi non est ausus. *Non serpens, præsertim à Diabolo corporaliter inuadente possessus, in paradiso fuit,* ait Rupertus: *sed mulier corpore, & oculis vaga dum incontinenter deambulat, fortè prospectans qualis extra paradisum mundus haberetur, locus diabolo datus est, & occasio porrecta, vnde tenta ret.* At in spiritualium virorum cœtum, qui deliciarum paradisum in terris referre debet, detractionem ingredi sæpè videmus. *Vix reperias etiam inter professores vitæ perfectioris, qui hoc vitio non laborent, istoque diaboli laqueo aliqua ratione non teneantur,* legitur apud S. Hieronymum. Petrus autem Damiani cum religiosis viris dixisset: *monasterium vestrum, dilectissimi, quidam paradisus est.* Subdit deinde; *Nihil ferè*

Detractor primus Diabolus fuit.
Psal. 139.
Detractor homo, diaboli detractoris audaciam superat.
Lib 3. in Genes. c. 2.
Linguæ peccata Religiosis valde timenda.
Ep. 14. ad Celantiam.
Lib. 1. Ep. 18. vel opusc. 52. c. 23. & 26.

in monasteriis agi, vnde mens sua terribilius super monachos immineret Dei iudicium suspicetur, quam linguæ peccata. Præterea inter animalia serpentem solummodo, sub cuius figura diabolus erat, Deus maledixisse reperitur: *Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ. Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Similí quidem maledictione dignus est proximi detractor iuxta Ecclesiasticum: *Susurro, & bilinguis maledictus.* Vbi cum detractor præsentem adulando lambat, absentem detrahendo pungat, meritò bilinguis dicitur. Sed detractor, quamuis serpenti similis, non tamen terram solùm, sed etiam cœlum sibi in cibum deposcit; cum terrenos æquè, ac cœlestes homines maledico dente carpat: *Cibus eius electus*, dicitur Habacuc Primò: & Psal. 13. de detractoribus conqueritur Deus iuxta S. Ephrem, & Richardum Victorinum: *Deuorant plebem meam, sicut escam panis*, idest sanctos meos. Primò, sicut ad omnes escas panis adhibetur; ita ad omnia hominum genera detractio se extendit. Vel sicut panis cum cibis omnibus immiscetur; ita obtrectator omnes suos sermones detractione commiscet. Secundò sicut ex aliis cibis aliquid non comeditur; ex carne relinquuntur ossa; ex piscibus spinæ; ex pomis, & fructibus corticulæ, putamina, & nucleus; panis verò totus assumitur; sic nulla hominis pars est, quam obtrectator maledico dente non corrodat. *Non remansit de cibo eius*, Iob 20. dicitur. Tertiò sicut panis quotidie comeditur; sic in maledicis quotidiana proximorum detractio est: ita vt à diabolo quotidie flagitare videantur: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quare si *Nullus dies sine linea*, de Apelle dictum est. Ita. Nullus dies sine puncto, vel potius punctione, de maledico dici potest. *Cætera, quæ manducamus*, ait August. *possumus modo illa; modo illa: non semper hoc olus, non semper hanc carnem, non semper hæc poma; semper autem panem. Quid est ergo: deuorant populum meum in cibo panis? Sine intermissione, sine cessatione deuorant.* De quotidiano hoc detractoris pane Satanica metamorphosi dicitur Iob 20. *Cum dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud in lingua sua. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.* Quādo scilicet ex maledicentia lethale venenum in suam perniciē sibi parere sentiet obtrectator.

Genes. 3.

Cap. 28. n. 15.

Detractor cur bilinguis dicitur.

Detractor serpente peior.

Tom. 3. de timore Dei l. de exercit. spiritualis c. 10.

Detractio detractoris triplici ex causa sicut panis est.

A

B

C

Lucæ 11.

Plin. l. 10. c. 35.

August. in Psal. 13.

D

66. Est & alia ratio, cur diabolo detractor similis dici potest: quòd scilicet vterque Pardo sæuissimæ bestiæ assimiletur. De detractoris lingua ait Ecclesiasticus c. 28. *Qui relinquunt Deum, incident in illam: & exardebit in illis, & non extinguetur; & immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos.* De diabolo autem ait Basilius hom. 21. *Postquam vidisset hominem ad imaginem, & similitudinem Dei factum; cum non posset Deum impetere, in imaginem Dei prauitatem suam euacuauit. Pardales naturalem quamdam habent aduersus hominem iram; & solent maximè hominis oculis insilire. Qui ergo infamia ipsius bestiæ illudunt, ex charta imaginem velut hominem ostentant. Illa verò quæ nimiò impetu nulla reputatione facta, chartam velut hominem dilaniat, atque illic odium erga hominem declarat. Sic etiam diabolus in imaginem Dei ostendit, quoniam Deum attingere non potest.* Cum ergo similiter maledicus in hominem Dei imaginem inuehitur; quasi Pardum, & Diaboli imitatorem se exhibet. Benè ergo ad peruersitatem maledicæ linguæ indicandam Iacobus dixit: *In ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.* In hoc autem Euangelio diabolica lingua murmurantica Iudæi in Dei filium inuehuntur; qui teste Apostolo, *est imago Dei inuisibilis; & figura substantiæ eius.* De Pardale, seu Panthera, cui Basilius Diabolum comparauit, ait Aristoteles: *Animantium nullum suauiter olet, excepta Panthera: quæ etiam ipsa nonnisi bestiis ita olet.* Talis certè est detractor diaboli imitator, cuius loquela nonnisi diabolicis auribus iucunda est; ita vt meritò ab Augustino dicatur, *Detractor, & libens auditor vterque portare diabolum.* Panthera, dixit Basilius, maximè in oculos insilit: similiter diabolus per detractoris linguam in sanctos viros inuehitur; quibus à Deo dicitur Zach. 2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Detractor, & Diabolus cur Pardo similes.

Cap. 3.

Ad Coloss. c. 1. Ad Hebr. c. 1.

Probl. sect. 13. & 9. de animal. c. 6.

Panthera suauiter olet, sed tātùm bestiis.

Tom. 4. lib. de salut. documentis c. 26.

Panthera furens in hominum oculos insilit.

67. Rursus de maledica lingua Ecclesiasticus ibidem ait: *Lingua tertia multos commouit populos; & dispersit illos de gente in gentem.* Dicitur detractoris linguæ, *Lingua tertia.* Primò, quia inter duos se tertium detractor immiscet; & nunc vni separatim, nunc alteri detrahendo, inter eos dissidii, & odii venenata semina iacit. Secundò detractoris lingua, *Lingua tertia* dicitur; quia maledicus, non, vt decet, hominum linguis, vel Angelorum; sed diabolica lingua loquitur; ita vt meritò dixerit Augustinus: *Detractor diabolum in lingua portat.* Tertiò dicitur maledica lingua, *Lingua tertia*, quia sæpè ita sub blandis verbis detractio latet; vt tertium quid, quod neque vera laus neque aperta vituperatio sit, confingatur. Et sic sub ficta laude, monstroso partu, *ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio*, vt dixit Iacobus c. 3. Monstrosum tertiæ linguæ detrahendi genus sæpè sub charitatis specie, fictæque verecundiæ, & proximorum zelo personatum apparet. Quod egregiè Bernardus ser. 24. in Cantica describens ait: *Alij quidem nudè, atque irreuerenter vti in buccam venerit virus euomunt detractionis. Alij autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum grauitate, & tarditate, vultu mæsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem; & quidem tantò persuasibiliorem, quantò creditur ab his, qui audiunt, corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri: Doleo, inquit, vehementer pro eo, quòd diligo eum satis, & nunquàm potui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem, ait benè compertum fuerat de illo istud; sed per me nunquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum: dolens dico, reuera ita est.* Similiter Chrysostomos hom. 3. ad popul. Antioch. de detractoribus, veluti de aliena fama sollicitis, quam ipsi mox detrahunt, ait: *Cum aliquid arcanum dixerint: rogant audientem, & adiurant, ne cuiquam amplius alteri dicat.*

Cap. 28.

Detractoris lingua dicitur lingua tertia triplici causa.

Supra

Detractoris versuta lingua charitate ficta & verecundia larvata detrahit. Hic & n. sequēti.

68. Benè ergo Iacobus huiusmodi detractores arguens ait: *Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam? Mirum*, inquit Plinius, *in lacu Ascanio, & quibusdam circa Chalcida fontibus, summas aquas dulces esse, potarique, inferiores nitrosas.* Petrus Martyr scribit in Hispaniolæ prouincia Caixuma summam aquam dulcem esse, mediam salsam, infimam prorsus amaram. Tale quid in detractoris ore, veluti in monstroso fonte videtur: quandoquidem primi eius sermones simulatè blandi sunt, fraternæque charitatis dulcedinem sapere videntur: subsequentia autem verba venenatæ detractionis amaritiem habent. Ex huiusmodi tartarei fontis fundo sulphureum nitrum

E

Cap. 3. Plinius l. 3. c. 10.

In hist. indica.

Fontium ali quorum superiores aquæ dulces, inferiores amaræ, murmurantium sermonibus similes.

extrahitur; quo diabolus suas tormentarias machinas aduersus homines, & Vrbes integras, populosque explodit. Hinc de lingua tertia Ecclesiastici 28. dicitur: *Ciuitates muratas diuitum destruxit, & domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit.*

Murmurator ex triplici capite dicitur *Homo oris.*

69. Porrò citata Ecclesiastici verba de detractore Arabica lectione leguntur: *Homo oris eduxit multos in captiuitatem: & dispersit eos de gente in gentem.* Dicitur primo Murmurator *Homo oris*, eo quòd tanta loquacitate polleat; vt quantusquantus est, os esse videatur. Sicut clamoso homini dictum est: *Vox est, præterea nihil.* Secundò eò quod totius corporis partibus, nempe rugosa fronte, arcuato supercilio, adunco naso, pressis labiis, manibus, brachiisque in contemptum extensis, auerso tergo, tumenti pectore, rabido corde, detrahere proximo conetur: ita vt propterea *homo oris* esse dicatur; quasi multiplici ad detrahendum ore conflatus. *Militat omne feri corpus*, de Erinacio vndique spinis circumsepto Poëta cecinit. Similiter vndique pungere maledici corpus dicere verè possumus. Tertio dicitur Maledicus *Homo oris*, sicut à Dauide Psalm. 75. iuxtà Ambrosium dicuntur *Viri diuitiarum*; eo quòd diuitiarum, quas non possident, sed ab iis ipsi possidentur, serui sint. Similiter *homo oris* murmurator dicitur; eo quòd à maledico ore, in quo diabolus tamquam in throno insidet, possideatur: ita vt oris maledicentiæ, vt supra dixi, omnia eius membra deseruiant.

Claudianus.

1. ad Cor. c. 10.

Murmurantes nebulos Angelus puniēs cur exterminator dicatur.

70. Ad murmurationem vitandam monet Apostolus: Non *murmurauerítis; sicut quidam murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Quod quidem factum esse legimus Numerorum 16. *Murmurauit omnis multitudo filiorum Israël contra Moysen, & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini.* In cuius murmurationis pœnam *Fuerunt, qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum, & septingenti.* Huius tam seueræ pœnæ minister fuisse Michaël Archangelus creditur; qui Danielis 10. dicitur; *Princeps populi Israël.* De Angelo autem Israëlitici populi principe, dicitur: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paraui. Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaueris.* Quæritur ergo cur Michaël puniens murmurantes Iudæos non proprio nomine, sed *exterminator* ab Apostolo appelletur. *Murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore?* Respondet Bernardus: *Ille nimirum exterminatore, qui positus est in hoc ipsum, vt à terminis beatæ illius ciuitatis arceat murmurantes, & longè faciat à finibus eius, cui dicitur: Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, qui posuit fines tuos pacem. Nihil enim commune habet murmurator, & pax.* Fraternæ ergo pacis, & concordiæ perturbatores certò se sciant excludendos esse à Dei regno; cum de eo dicatur: *Factus est in pace locus eius.* Quomodo enim ad pacis regnum peruenire possunt; cum viam pacis ignorent, dicente de murmurantibus Dauide: *Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est: contritio, & infelicitas in vijs eorum; & viam pacis non cognouerunt?* Contra murmurantes lege Ammochium monachum homil. 29. & Laurentium Iustinianum de interiori conflictu cap. 2. Damascenum in Parallelis lib. 1. cap. 67. Chrysostomum tom. 5. hom. 3. Quod detrahere, quàm humanum corpus comedere peius sit.

Exodi 23.

Bernard in sermonib.

Ps. 14.

Ps. 75.

Ps. 13.

Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudaeorum.

71. PAlàm non loquentes de Christo propter metum Iudæorum eos tantùm intelligendos esse, qui de Christo benè sentiebant, asserunt Augustinus, Beda, & Rupertus, quibus subscribunt Caietanus, & Maldonatus. Contra verò tam eos, qui contra Christum, quàm eos, qui pro Christo erant, comprehendi existimat Toletus, cui fauet sacer textus dicens absolutè: *Nemo loquebatur de illo propter metum Iudaeorum.* Metus autem prouenire poterat primò, quia *prohibuerant Iudæi omnem de Christo sermonem, & contentionem; vt eius memoria ab omnibus mentibus deleretur*, vt ait Toletus. Secundò ne disputando de Christo malè sentientes à benè sentientibus conuincerentur. Tertiò quamuis tam benè, quàm malè sentientes de Christo liberè loqui timerent, eorum tamen metus non idem motiuum habebat: nam malè sentientes liberè loqui de Christo non audebant, timentes scilicet turbas, *quoniam sicut Prophetam eum habebant*, vt dicitur Matthæi 25. Contra verò metuebant etiam palam loqui, qui de Christo benè sentiebant; quia vt dicitur Ioan. 9. *Iam conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret.*

Aug. tract. 28. in Ioan.

72. Hinc autem apparet, quàm vera sit Ioannis sententia: *Perfecta charitas*, (qualis in Iudæis non erat) *foras mittit timorem.* Quæ sententia, vt ait Ambrosius: *Quàm pulchrè de martyribus dicitur, qui verè militant Christo, qui persecutiones, vngulas, gladios, incendia non timentes, infestis se regibus obtulerunt. Timorem etenim, quem poterant habere pœnarum, excluserunt amore martyrij.* Perfectam hanc charitatem foras eiicientem timorem consecutus certè erat, qui aiebat: *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Hinc Ambrosius scribens ad Theodosium Imperatorem ait: *Nihil in sacerdote tam periculosum apud Deum, tàm turpe apud homines; quàm, quod sentiat, non liberè denunciare; siquidem scriptum est: Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Propterea Isaiæ 16. dicitur: *Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum, vniuersæ bestiæ syluæ. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi; canes muti, non valentes latrare.* Vbi dæmones se inuicem ad animas deuorandas hortantur; cum sacerdotes, quorum munus est aduersùs vitia oblatrare, veluti canes muti præ timore reddantur.

Ep. 1. c. 4.

In Ps. 118. Serm. 9.

Psal. 118. v. 46.

Sacerdotes populi vitia non reprehēdētes opportunitatē dæmonibus dāt ad animas deprædandas.

Ep. 29.

FERIA QVARTA

POST DOMINICAM PASSIONIS.

Facta sunt Encænia in Ierosolymis, & hyems erat: & ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis, &c. *Ioan.* 10.

Euangelij nexus, & ordo.

1. CHRISTI Domini testimonium dicentis hic adstantibus Iudæis: *Non estis ex ouibus meis:* verissimum esse reipsa vel inuiti comprobant Iudæi. Inter animantia enim oues simplicitate, & erga pastoris vocem obedientiâ, & erga omnes mansuetudine excellunt. Iudæi autem cum hîc se versipelles, diuinæ voci inobedientes, seque immites exhibeant; apertè se ex ouium numero eximunt. Primo eorum versutia ouis simplicitati contraria ostenditur verbis illis: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Paratos se esse ostendunt, vt credant: hæc autem dolosa fraus erat; cum obstinato ad non credendum animo accederent; quandoquidem tot Christi visis miraculis adhuc increduli erant. Secundò cum diuinæ pastoris voci B inobedientes se planè Iudæi exhiberent, meritò increpat eos Dominus, dicens: *Loquor vobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt.* Tertiò Iudæi se maximè immites, & ab ouis mansuetudine alienos ostendunt; cum à familiari colloquio ad lapidandi rabiem deueniant. *Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum.*

Facta sunt Encænia in Ierosolymis, & hyems erat.

Encænia quâ solemnitatem significent.

2. ENcænia sunt solemnia, quibus dedicationis templi, vel altaris memoria celebratur. Græcè enim ἐγκαινίζειν innouare, dedicare, seu initiare significat, quare Encænia initialia Latinè vertere possumus. Hinc 3. Reg. 8. vbi legitur: *Dedicauerunt templum Domini*, à Septuaginta interpretibus dicitur ἐνεκαίνισαν. Encænia hæc instituta sunt à Iuda Machabæo, eiusque fratribus, cæterisque fidelibus Israëlitis, cum Ierosolymitanum templum à Gentilibus pollutum, & semirutum, iterum nouo altari excitato, ad diuinum cultum restauratum, & dedicatum est, vt D dicitur Mach. lib. 1. cap 4. *Statuit Iudas & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israel; vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo, à quinta, & vigesima die mensis*

Ibid.

Casleu cum lætitia, & gaudio. Mensem Casleu, mensam nonum, scilicet Nouembrem, eadem sa-

A cra Machabæorum historia fuisse testatur. Cumque à vigesimaquinta illius mensis per octo dies Encænia celebrarentur; hinc est, vt etiam talis solemnitas ad primos Decembris dies spectaret. Quare ad huiusmodi festiuitatis tempus significandum Euangelista addidit: *Et hyems erat.*

3. De hac templi solemnitate ait Iosephus lib. 12. antiquit. cap. 11. *Tanta lætitia ob reductos ritus patrios, & priscam religionem occupauit gentis animos; maximè quod ea felicitas ex insperato obtigerat; vt lex lata sit ad posteros, qua iuberet quotannis hoc festum reparari; & cum ceremonijs templi per octo dies celebrari: & ex eo tempore mos hic apud nostros obtinuit, vocamusque hanc festiuitatem luminum; opinor ideo, quòd insperato nobis illuxerit tanta felicitas.* Nos etiam, cum huius Euangelicæ historiæ memoriam celebramus, possumus eam festiuitatem luminum appellare. Cum enim hic Dominus dixerit: *Oues meæ vocem meam audiunt:* Vox Domini illuminans est iuxta Dauidicam sententiam: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.*

Encænia cur Iudæi festiuitatem luminū appellabant.

Psal. 118 v. 130.

4. Porrò 2. Machabæorum cap. 10. dicitur: *Qua die templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eodem die Purificationem fieri.* Quoniam verò teste Apostolo: *Omnia in figura contingebant illis:* Diruti, & profanati Ierosolymitani templi instauratio, figura fuit mystici templi, nempe generis humani restaurationis, cui dicitur: *Vos* C *estis templum Dei.* Cum autem ex communi Patrum sententia, præcipuè Irenæi, humanum genus ex transgressione primi parentis Feria sexta pollutum fuerit, labentibus seculis eodem die per Christi Domini redemptionem restauratum est: idque ad diuinæ clementiæ immensam bonitatem indicandam. Cum enim acceptæ iniuriæ dies reuertitur, solet hominibus ad iniuriam vlciscendam memoria reuocari. Secus verò diuina benignitate factum est; vt acceptæ iniuriæ dies non vltione, sed indulgentia, & peccati condonatione renouaretur.

1. ad Cor. 10.

2. ad Cor 6.

L. 5. aduersus Hæreses

Adam feria sexta peccauit.

Clementia Dei eximia.

5. Non incongruè quæri hoc loco potest; cum semirutæ Templi dedicationem celebrari quotannis solitam hic reperiamus; cur eadem anniuersaria solemnia instituta etiam non fuerint ad primam templi extructionem, & dedicationem celebrandam, à Salomone factam Septembri mense, vt habetur ex 3. Reg. 8. Respondemus hoc etiam in figura illis contigisse: nam Ierosolymitanum templum nulla ex parte pollu-

Templi restauratio potius, quam eiusdē prima ædificatio cur solēniter celebrabatur.

tum, nec profanatum, cùm primùm Deo dedicatum est, viri iusti, Deuque amici animam referebat, nulla ex parte peccati labe pollutam. Contra verò per semirutum templum à Gentilibus profanatum, peccatoris animæ figuratur, quæ licet fidei fundamentum non amiserit; in ea tamen charitatis fastigium deiectum, aliæque ædificii spiritualis substructiones semirutæ videntur. Semiruti igitur templi instauratio celebratur, potius, quàm illa prima dedicatio; quia ex Domini sententia Lucæ 15. *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.*

6. *Et hyems erat. Idcirco curauit hyemis tempus exprimere, vt messe auditorum cordibus malitiæ frigus indicaret,* ait Gregor. 2. part. cap. 6. Similiter ex Glossa Hugo. *Hyems hic commemoratur, vt significet Iudæos frigidos, qui non accedunt ad ignem, nempe ad Christũ.* etenim Deus noster, nẽpe Christus, peculiari titulo noster sub nostra humana carne, *Deus noster ignis consumens est,* ad Hebr. 12. Sed cur ad diuinum ignem non accessisse Iudæi dicuntur, cum Ioannes hic expressè dicat: *Circumdederunt eum Iudæi?* Qui ad ignem, ne ignis vim sentiat, obicem ponit, profectò ita se habet, ac si ad ignem non accederet. Obex contra ignis vim venenum est, nam ex Romanis historiis in extincti Germanici rogo cor cum intactum ab igne operiretur, Germanicum corde venenum attraxisse coniectura fuit. Obex similiter contra diuini ignis efficaciam venenum erat, quod Iudæi ex venenato corde in Christũ ore proferebant. De Iudæis enim iuxta Hugonem, & alios interpretes dicitur Psal. 13. *Venenum aspidum sub labiis eorum; quorum os maledictione, & amaritudine plenum est.* Ideo dicere non poterant: *cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur,* Lucæ cap. 24. Porrò quamuis prope Dominum Iudæi diuini ignis vim non sentirent; domino tamen loquente in iis vitiorum febrile incendium vehementer augebatur. De Christo domino mysticè prædictum est Psalm. 147. *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea,* scilicet pœnitentium hominum corda: *Flabit spiritus eius, & fluent aquæ,* scilicet vel lacrymarũ aquæ ex contrito corde; vel cœlestium gratiarum aquæ, iuxta Hugonem. Si febricitans ventorum flatibus exponatur, febris magis augebitur, iuxta Ambros. in Lucam lib. 4. c. 4. *Febris auaritia est, febris libido est, febris ambitio est, febris iracundia est.* Huiusmodi Iudæorum febris, cum ex Domini ore Spiritus sancti aura perflaret, mirificè augebatur. Iudæi ergo sicut expertes diuini caloris frigebant; ita spiritualis febris incendio vexati maximè æstuabant. Ideo velut ex vehementissima febri phrenetici, furentes in Dominum *sustulerunt lapides, vt lapidarent eum.* De ceruis ait Plin. lib. 8. cap. 32. *Febrium morbos non sentit hoc animal. Iis est cum serpente pugna; vestigant cauernas, nariumque spiritu extrahunt renitentes.* Iudæi, quia contra *serpentem antiquum, qui vocatur diabolus* Apocal. 12. non pugnabant; sed ei pacificè consentiebant; ideo spirituali febri maximè laborantes in dominum tamquam phrenetici *lapides sustulerunt.*

Et ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis.

7. POrticus hæc ex parte Orientali templo adhærebat: & quamuis diruto ab Assyriis templo prima porticus huius extructio corruerit; reædificata tamen iterum ab Israëlitis, vt constat primò Esdræ cap. 6. adhuc primum à Salomone nomen retinuit: sicut nunc etiam Roma, Romula vrbs à Romulo, & Patauium vrbs Antenoris dicitur; quamuis vtrubique prima conditoris extructio non maneat. Plura de templi porticibus habentur apud Riberam de templo lib. 1. cap. 6. Sanctus Felix Papa IV. epist. de consecrat. dist. 1. cap. 17. ait: *Solemnitates dedicationum Ecclesiarum, & Sacerdotum per singulos annos solemniter sunt celebrandæ; ipso Domino exemplum dante, qui ad festum dedicationis templi omnibus id faciendi dans formam, cum reliquis populis eamdem festiuitatem celebraturus aduenit, sicut scriptum est: Facta sunt Encænia in Ierosolymis, & hyems erat, & ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis.* Præter festi huius celebritatem, rationem aliam cur Dominus hoc maximo tempore Ierosolymam venerit reddit Theophylactus, dicens: *Nunc frequentius versatur in Iudæa, quia passio in foribus erat. Quòd prope sit tempus passionis, propterea versatur in Ierosolymis.* Corruptibilis, & secundùm spiritum fœdæ pulchritudinis profani amatores eam sæpius viam frequentant; vbi in foribus, vel fenestris amatum obiectum videndi opportunitas datur. Christus Dominus, nostræ redemptionis, atque adeo suæ passionis ardentissimo amore captus, Ierosolymam frequentabat; quia ibi *passio in foribus erat:* eiusque contemplatione per ea loca sæpius frui iucundissimum illi erat. Quare piè credi potest, cum Ierosolymis Dominus versaretur, reperisse sæpè vias, in quibus vel Annæ, & Caiphæ Pontificum, vel Pilati Præsidis, vel Herodis Regis domicilia erant; quia ibi *Passio in foribus erat.* Credibile est Dominum Gethsemani hortum sæpè adiisse; sæpè etiam Caluariæ montem ascendisse; quòd in eo vincula, in hoc mortem, passionis amantissimus subiturus erat.

Christus cur prope passionis tempus frequentius in Iudæa ac Ierosolymis versatus fuerit.

Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palàm.

8. BLanda loquendi simulatione, sed peruerso animo ad dominum Iudæi accesserunt, dicentes: *Quousque animam nostram tollis?* Huiusmodi enim verbis sollicitum desiderium dominum cognoscendi, paratamque fidem ad ei credendum ostendebant; cum reuera planè increduli peruersum in Christum animum absconderent. Quare de huiusmodi Iudæis vaticinatus est Dauid Psalm. 117. *Circumdederunt me sicut apes.* Quòd explicans Gregorius ait: *Apes in ore mel habent, in aculeo cauda vulnus. Et omnes, qui linguâ blandiuntur, sed latenter ex malitia feriunt, apes sunt: Quia loquendo dulcedinem mellis proponunt; sed occultè feriendo vulnus inferunt.*

Apibus similes Iudæi dolosè in Christum infensi.

Hom. 9. in Ezech.

9. Ezechieli sub Christi Domini figura, qui cum Iudæis patienter versari dignabatur, dictum est: *Increduli, & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas:* Vbi Gregorius ait: *Scorpio palpando incedit, sed cauda ferit; nec mordet à facie, sed à posterioribus nocet. Scorpiones ergo sunt, qui blandi, & innoxii in facie videntur; sed post dorsum portant, vnde venenum fundant.*

Ezech. c. 2. Greger ibid.

Scorpionibus similes Iudæi dolosè in Christũ infensi.

Respondit eis Iesus: Loquor vobis, & non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibens de me.

10. PEr opera in nomine Patris facta intelligit opera, quæ Diuinitatis virtute faciebat, nempe miracula. In sacris enim litteris nomen Dei pro Dei potentia sæpè ponitur. Iuxta hunc significatum Ioann. 17. Dominus dixit: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo.* Sic etiam Psal. 32. dicitur: *In nomine sancto eius sperauimus.* Adeo enim diuina virtus, & auxilium inuocantibus nu- B men Domini præsto est; vt diuini nominis inuocatio pro ipsa Dei potentia benè sumi possit: verè enim Psalm. 144. dicitur: *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate.* Quod expertus est Dauid Psal. 4. dicens: *Cum inuocarem exaudiuit me Deus:* ita vt inter inuocationem diuini auxilii, & exauditionem nulla interposita mora videatur.

Dei nomen Dei potentiā & auxilium significat

Sed vos non creditis quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt.

11. CVm iusti, si non perseuerent, ex numero electorum non sint: eumque C peccatores, si se corrigant, acquisitamque diuinam gratiam ad finem vsque conseruent; inter electos, & prædestinatos sint numerandi: quæritur hîc, an vniuersaliter iustos, an tantùm electos oues suas Christus Dominus appellet? Electus tantùm oues Christi hîc appellari censet Augustinus tract. 48. in Ioan. & Cyrill. lib. 7. cap. 10. quibus subscribit Toletus. Contra vero iusti diuinæ vocis mandata sectantes, ab incredulis, & peccatoribus fide, & charitate distincti vniuersaliter Christi oues dici possunt iuxta Theophylactum, cui subscribit Maldonatus. Hæc posterior sententia magis placet. Primò quia cum su- D pra Dominus dixit: *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili; & illas oportet me adducere; & vocem meam audient; & fiet vnum ouile, & vnus pastor:* per hæc verba iuxta Basil. homil. 28. in Psalm. 28. Gregor. homil. 14. in Euang. & alios, vniuersalem gentium vocationem ad Ecclesiam intelligit per Apostolos ab eo missos. Quare ad Ecclesiæ ouile vocantur, illudque ingrediuntur non tantùm prædestinati, sed fideles quicumque, & iusti: nemo enim dixerit extra Christi ouile esse Dei amicos, & iustos diuinæ amicitiæ tempore.

Oues Christi non tantum electi, sed quilibet iusti esse dicūtur. Hic, & sequentibus.

12. Secundo si soli Electi per Christi oues intelligerentur; idem esset dicere: *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis*, ac dicere: Vos non credi- E tis, quia non estis ex numero meorum electorum. Sed plures fuerunt Christi vocibus antea increduli, qui post Dominicam Passionem credentes, æternam salutem consecuti sunt. Et è contrario aliqui fuerunt Christi vocibus credentes, qui postea præuaricantes in electorum numero non fuerunt. Talis certè fuit Iudas prius Domini Apostolus, deinde proditor. Tales non improbabiliter fuerunt aliqui, ex illorum numero; de quibus dicitur Ioan. 6. num. 67. *Multi discipulorum eius abierunt retrò; & iam non cum illo ambulabant.* Quare cum Dominus Lucæ 8. proposuisset parabolam seminis decidentis secus viam, vel supra petram; parabolam explicans addidit: *Semen est Verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt, qui* A *audiunt; deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorū, ne credentes salui fiant. Nam qui supra petram; hi sunt, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum; & hi radices non habent; qui ad tempus credunt; & in tempore tentationis recedunt.* Propterea respondet Toletus allatam Domini sententiam: *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis*, non fuisse generalem sententiam prolatam ad omnes tunc non credentes; sed ad illos Pharisæos obstinatos, obcæcatos, & similes; quorum Dominus damnationem præuidebat: sed contra est, quia, vt ipse Augustinus loquens de Spiritus sancti aduentu ait: *Etiam aliquos ex illis, qui vi-* B *derant, & adhuc oderunt; per fidem, quæ per dilectionem operatur, sua manifestatione conuertit. Plures ex his, qui aderant, tanto miraculo stupefacti; quandoquidem viderunt loquente Petro tam magnum, atque diuinum testimonium perhiberi de Christo; vt ille, qui occisus ab eis inter mortuos deputabatur, resurrexisse, & viuere probaretur; compuncti corde conuersi sunt: & tanti sanguinis, tam impiè, atque immaniter fusi indulgentiam perceperunt; ipso redempti sanguine, quem fuderunt. Hoc ergo intuens Dominus dicebat: Odio me habuerunt gratis: cum autem venerit Paracletus, ille testimonium perhibebit de me. Tamquam diceret: Odio me habuerunt, & occiderunt videntes; sed tale de me Paracletus testimonium perhibebit, vt eos faciat in me* C *credere non videntes.* Quare si iuxta Augustinum ex iis, qui immediatè Christi Domini crucifixionem procurarunt, aliqui ex Electorum numero, non sunt excludendi: neque vniuersaliter excludendi sunt Iudæi isti, quamuis tunc obstinati, & excæcati, qui in Salomonis porticu Dominum adierunt. Quid enim obstinatius, & diuina misericordia indignius excogitari potest iis, quibus à Petro Apostolo in eadem Salomonis porticu dictum est: *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem* D *sanctum, & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis; auctorem vero vitæ interfecistis.* Et tamen ex hoc numero *Multi, qui audierant verbum, crediderunt; & factus est numerus virorum quinque millia.* Quos omnes Spiritum sanctum accepisse censet Augustinus tract. 39. in Ioan. Quod si tales reprobati non fuerunt; neque vniuersaliter reprobatos fuisse Iudæos istos censere debemus, qui in hoc Euangelio Dominum adierunt. Quin immo, etiam si omnes damnandi fuissent, adhuc illorum certam futuram damnationem significare Dominus noluisset per illa verba: *Vos non estis ex ouibus meis.* Non enim facilè reperimus in sacris litteris cuiquam certam damnationem à Deo præsignificatam fuisse; ne E misericors Dominus desperationis motiuum dedisse videretur.

To. 9 tract. 92. in Ioan.

Act. c. 2. 41.

Psal. 34.

Act. 3.

Cap. 4 n. 4.

13. Tertiò si per oues hîc intelligamus solos Electos vniuersaliter vera nō reperiretur Domini sententia: *Oues meæ vocem meam audiunt*; audire enim hîc obedire significat, vt sæpius in Scriptura. Sic Exodi 18. *Audi verba mea, atque consilia; & erit Deus tuus tecum.* Exodi 23. *Ecce ego mittam Angelum meum; obserua eum, & audi vocem eius.* Nihilominus bonus latro quamuis ad cœleste regnum electus, à diuina voce audienda plurimo vitæ tempore alienus fuit. Et è contrario plures damnandi, aliquo tamen vitæ tempore iusti, diuinam vocem obediendo audiunt. Verissima autem de iustis quibuslibet allata Domini sententia reperitur: *Oues meæ vocem meam audiunt:*

Audire obedire significat.

dum

dum enim in iustitia perseuerant, diuinæ voci obedientiam seruant. Quod si dicas tamèm de electis, non de iustis quibuslibet intelligi posse sequentia Domini verba de suis ouibos: *Ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: & non rapiet eos quisquam de manu mea*: hæc obiectio facilè soluetur ex iis, quæ dicemus; cum allata verba infra explicabimus. Dices: tantùm electi ab Ecclesia oues nominantur, cum oratur: *Inter oues locum præsta, & ab hædis me sequestra*: Respondeo extremi iudicii tempore non distingui iustos ab electis: quare hinc deduci non potest ouium nomen electis tantùm, non iustis esse tribuendum. Orandum quidem est, vt eo tempore oues Christi reperiamur; ne inter oues illas numeremur; de quibus à Dauide dicitur Psalm. 48 *Sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos*. Harum ouium pastur mors est, & mortis author diabolus iuxta Augustinum, qui legit: *Sicut oues in inferno posita: mors pastor est eis*. Rursus si harum ouium pascua quærantur, respondet Athanasius esse ignem æternum, fletum, stridorem dentium, tenebras exteriores. Boni pastoris munus, est vellera quidem tondere, non autem oues deglobere: mors ergo, vt boni pastoris speciem referat, taliter erga damnatos se gerit. *Sicut oues sæpè tondentur, & iterùm; & substantia remanet: sic illi semper affligentur supplicijs, & tamen substantia non peribit*, ait Haymo Episcopus Halberstatensis.

Damnati cur sicut oues in inferno positi esse dicuntur.

Et ego cognosco eas, & sequuntur me.

14. AD hanc Domini sententiam benè percipiendam, recolenda est sacræ Scripturæ regula ab Origene, & Hieronymo tradita. Origenes tomo 1. Hom. 3. in Psalm. 36. explicans verba illa: *Nouit Dominus dies immaculatorum*, ait: *Secundùm Scripturas, sicut in multis locis obseruauimus, Dominus non omnia cognoscit; sed sola, quæ bona sunt. Mala autem dicitur ignorare; non quòd reuera aliquid sit, quòd eius scientiam lateat; sed ea, quæ indigna sunt notione eius, dicitur ignorare. Quod ostendimus etiam de Scripturis, cum dicit Apostolus. Si quis in vobis Propheta, vel spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quoniam Domini sunt. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Et in Euangelio vbi dicit Dominus ad peccatores: Nescio vos, discedite à me operarij iniquitatis. Sicut ergo & alibi dicitur: Cognouit Dominus qui sunt eius, sic hic non impiorum, sed immaculatorum dies cognoscere dicitur Dominus*. Eamdem regulam repetit idem Origenes tom. 2. in ca. 8. epist. ad Romanos. Similiter Hieronymus in Ierem cap. 19. explicans verba illa: *Quæ non præcepi, sine cogitaui, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum*, ait: *Non quod Deus futura nescierit; sed quod indigna sua notitia, ignorare se dicat; iuxta illud Euangelicum: Discedite à me operarij iniquitatis; nescio vos. Nouit enim Dominus eos, qui sui sunt: & qui ignorat, ignorabitur*.

Nescire, & ignorari à Deo cur peccatores dicantur. Hi, & n. sequentis. 1 ad Cor. c. 14. Matth 7. Luca 13. 2 ad Tim. c 2. Iuxta lectionem Hebræam. Luc. c. 13.

15. Ratio huius regulæ est; quia sacræ litteræ sæpe de Deo humano more loquuntur. Quare sicut, quos amamus, in oculis nos ferre dicimus; ita è contrario quos molestos, & exosos habemus, ab oculorum conspectu, mentisque cogitatione remouere conamur. *Quos odio habemus, ne vocem quidem audire, nec vultum eorum videre æquo animo patimur*, ait Chrysostomus. Similiter, quia peccatores, maximè Deo exosi sunt; ideo de iis sacra Scriptura loquitur, veluti à diuina mente submotis. E contrario, quos Deus suæ cognitionis intuitu aspicere dicitur, iis misericordiæ suæ dona concedit; quibus iusti, & amici Dei fiunt: Propterea diuinę cognitionis intuitum Dauid flagitabat, dicens: *Aspice in me, & miserere mei*. Præterea sicut viri excellentia, eius apud alios notitiam parit; ex quo insignes in ciuitate viri, nobiles, quasi noscibiles dicuntur: ita è contrario homunciorum vilitas, vt ipsi ignorentur, efficit: dicanturque proinde ignobiles, seu ignoti. Hinc consueuerunt homines iis, quibus infensi sunt, in contemptum dicere, à se nesciri. Similiter in contemptum à Deo peccatoribus, dicitur: *Nescio vos*: De hoc contemptu, & ignobilitate Deus 1. Reg. cap. 2. dixit: *Quicumque glorificabit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*: seu, vt legitur apud Xystum tertium Papam: *Qui pro nihilo habent me, ad nihilum redigentur*. Peccatores pro nihilo Deum habere videntur; cum ita se gerant, ac si Deus scelerum vindex, præmiique largitor non esset. Hinc ipsi ad nihilum spiritualis vitæ redacti, iuxta Dauidem sub persona peccatoris, dicentem: *Ad nihilum redactus sum*: meritò extra diuinam cognitionem esse dicuntur; ac propterea planè ignoti, & ignobiles sunt. Porrò cum ignobiles, terræ filii dici soleant; cur non ignobilis peccator sit; qui terrenis affectibus deditus non è cœlo, sed à terra se genus ducere indicat, verè *homo de terra terrenus*? Et vtinam terram tantùm parentem peccatores haberent, & non etiam à vilissimo patre eorum stirps ignobilitatē contraheret; scilicet à diabolo: *Verè ignobiles sunt, quorum pater diabolus est*, ait Bonauentura. Quæ ignobilitas peccatoribus à Domino exprobratur Ioan 8. *Vos ex patre diabolo estis*. Contra verò glorificantes Deum glorificantur, hoc est gloriā consequuntur. Per gloriā autem hîc non tantū æterna felicitas intelligi debet; sed etiam (vt vniuersaliter gloria definitur) clara notitia, seu fama cū laude. Hanc autem claram notitiam, famāque cum laude sicut peccatores nō habent; sic eam Dei amici apud homines, & apud Deum consequuntur; ita vt propterea absolutè, & veluti antonomasticè à Deo cognosci dicātur: & quòd hoc modo cognoscantur à Deo, fit, vt etiā gloriosi, & notissimi apud homines sint. Quare S. Hieronymus de Pammachio loquens ait: *Antequam Christo tota mente seruires, notus erat in Senatu: sed multi alij habebant infulas proconsulatus: totus orbis huiuscemodi honoribus plenus est. Primus erat, sed inter primos; præcedebat aliot dignitate; sed & alios sequebatur. At nunc omnes Christiam Pammachium loquuntur. Miratur orbis pauperem, quem hucusque diuitem nesciebat*.

Chrysost. hom. 66. in Ioan. Ps. 118. Peccatores meritò ignobiles dicuntur. Xystus in ep. de malis Doctorib. quam tamē ep Bellarm. de scriptoribus negat esse Xysti. Psal. 72. 1. ad Cor. c. 15. Bonau. ser. 3. in Domin. 12. post Pentecost. Ep. 26. c 3.

16. Cum ex dictis Christi cognitio de suis ouibus non qualiscumque intelligatur, sed cognitio familiaritatis, & motus amoris: hinc est, vt benè Dominus addiderit: *Et sequuntur me*. Inuisibilibus enim, & iucundissimis amoris vinculis suas oues Diuinus pastor, vt ipsum sequantur, ad se trahit: de quibus vinculis loquitur Oseæ 10. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: In funiculis hominum traham eos*, legunt Symmachus, & Septuaginta apud Hieronymum: Adam enim Hebræo idiomate nomen commune hominis est: homo autem amore maximè trahitur: huiusmodi vinculis tractæ rationales Christi oues eum sequuntur. Rationis expertes oues pabulo trahuntur; amore verò oues rationis participes. Quare August. explicans Domini verba: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum*, ait: *Non dixit duxerit; sed tra-*

Iusti ad se sequendum amore Dominus trahit. Tract. ser. 2. de verb. Apost. Ioan 6. 44.

xerit: Ista violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? Crede, & venis: ama, & traheris: non arbitreris istam asperam, molestamque violentiam: dulcis est, suauis est; ipsa suauitas te trahit. Nonne ouis trahitur, cum esurienti herba monstratur? & puto, quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur. Sic & tu veni ad Christum: ad illum enim, qui vbique est, amando venitur, non nauigando.

Oues suas Dominus Eucharistiæ pabulo ad se trahit.

17. Secundò si Adam pro primi parentis nomine proprio accipiatur, quibus vinculis irretitus, & tractus est primus parens ad præuaricandum? cibo scilicet, hoc est vetiti pomi comestione. Similiter cœlesti pabulo diuinus pastor, vt ipsum sequantur, suas oues trahit; nempe sanctissimo sui corporis cibo, sub Eucharistiæ Sacramento. Quare cum Dominus dixisset: *In funiculis Adam traham eos*, subdidit: *Et declinaui ad eum*, scilicet populum meum, *vt vesceretur*: idest, vt S. Hieronymus interpretatur: *Dedi eis escam manna in deserto, quo vescerentur. Pro quo interpretatus est Symmachus: Et declinaui ad eum cibos: non quod Deus ad eum declinauerit; sed quòd cibum mannæ ad eum fecerit declinare.* At in Euangelica lege, vt homines ad se traheret, ipse Deus in cibum ad nos declinauit, dicens: *Declinaui ad eos, deserens regna cœlorum, vt cum eis vescerer assumpta forma hominis.* Siue; *Dedi eis escam corporis mei, ipse est cibus, & conuiua.* Sic Dei Filios loqui inducitur apud S. Hieronymum.

Supra.

Ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: Et non rapiet eas, quisquam de manu mea.

18. HÆc verba fauere videntur sententiæ, quæ hîc ouium nomine prædestinatos intelligit; fideles enim, & iusti, si prædestinati non sint; tandem in diaboli potestatem è diuinis manibus excidunt, & in æternum pereunt. Sed cum ipsi prædestinati etiam interdum in peccata labantur; & pro eo statu rapi è diuinis manibus videantur; quæro cur verè vniuersaliter à Domino dici potuerit: *Non rapiet eas quisquam de manu mea?* Respondent auctores allatæ sententiæ id intelligi cum limitatione, scilicet non excludendo omnem raptum; sed finalem, & æternum. Similiter pro nostra sententia dicendum est allatam Christi promissionem, *Vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum; & non rapiet eas quisquam de manu mea*, factam esse ad omnes iustos, qui verè Christi sunt oues; intelligi tamen cum limitatione conditionis; scilicet dummodo extra Christi gregem, & ouile præuaricando non aberrent. Sic etiam cum à Domino ad Apostolos dictum est Marci 16. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*: omnes aduocantur ad Christi ouile; & credentes omnes intra illud admittuntur; iisque promissio fit de æterna salute: sed cum conditionis limitatione; scilicet dummodo fidem formatam per charitatē finaliter retineant. Similiter Ioa. 4. de diuinæ gratiæ aqua à Domino dictum est: *Qui biberit ex aqua hac, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*: posita tamen conditione; quòd huiusmodi cœlestis aqua intra animam refrigerandam retineatur; & non foras peccando egeratur.

19. Præterea cum dicitur: *Vitam æternam do eis*: si verbum, *Do*, vt sonat secundùm significationem præsentis temporis accipiatur; tunc vita æterna debet accipi, vt inchoata, & in semine, scilicet in gratia, quæ gloriæ semen à Theologis dicitur. Simili acceptione dixit Dominus Ioann. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*: hæc autem inchoata, seu radicalis æterna vita iustis omnibus, non tantùm electis à Christo Domino datur.

20. Denique verbum *Do*, hic non tàm actualem exhibitionem, quàm actualem animi præparationem ad exhibendum significare potest. Sic Exodi 5. cum à Pharaone Hebræis captiuis dictum est: *Non do vobis paleas*: non in præsentia se non dare paleas, quod manifestum erat; sed animi dispositionem ad non dandum in posterum significare voluit: Eodem significatu intelligenda sunt Apostoli verba 2. ad Corint. 13. *Ecce tertio hoc venio ad vos*: hoc est paratus sum ad vos venire. Similiter etiam Dominus ante Paschatis diem dixit Matth. 26. *Apud te facio Pascha cum discipulis meis*: & Ioann. 20. multò antequam in cœlum ascenderet, dixit: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum.* Zacchæus etiam Luc. 19. dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; & si quid aliquid defraudaui, reddo quadruplum*: idest dare, & reddere sum paratus. Hoc posito, cum à Domino dicitur: *Vitam æternam do eis*, idem est, ac dicere: Promptus sum ad dandam eis vitam æternam. Talis autem animi præparatio ad vitam æternam dandam, est ex parte Christi respectu cuiuslibet iusti, non tantùm prædestinati: quod si postea quispiam olim iustus vitam æternam non consequatur; & in æternum pereat; id culpa illius accedit, cum à iustitia recedit.

Et non rapiet eas quisquam de manu mea.

21. VIdentur hæc verba difficultatem inuoluere; plures enim carnis illecebris, & diaboli astu Dei amicitiam deserunt; ex quo è diuinis manibus rapi videntur; cum diuinæ manus iustorum tantùm locus sint, iuxta verba Sapient. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Sed quia rapi est violentiam, & coactionem pati; voluntas autem humana non inuita, sed liberè peccat; hinc est, vt benè dicatur nemo per peccatum rapere posse iustum de manu Dei. Quare cum iustus à iustitia recedit; recessus ille non est raptus ab extrinseca violentia; sed voluntarius discessus ab intrinseca libertate. Ideo apud S. Athanasium ad S. Abbatis Antonii pedes procidens diabolus dixisse narratur: *Cur mihi maledicunt homines? sibi imputent, si cadant. Ego enim nihil possum, nisi ipsi sponte se mihi subdant.* Hoc ipsum multò verius est post Christi aduentum, Augustino teste, qui ait: *Ante aduentum Christi solutus erat diabolus; veniens Christus fecit de eo, quod in Euangelio dictum est: Nemo potest intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem. Venit ergo Christus, & alligauit diabolum; Sed dicit aliquis: Si alligatus est, quare adhuc tantùm præualet? Verum est, fratres charissimi, quia multùm præualet; sed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim tamquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera se-*

In vita Anton.

Tom 10. ser. 197 de tempore.

Matth. 12.

curitate coniunxeris. Iam videte, fratres, quod stultus est homo ille, quem canis in catenæ positus mordet. Tu te illi per voluptates, & cupiditates seculi noli coniungere; & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet à nobis consensum, sed petit.

22. Dices, ante Christi aduentum neque diabolus per vim ab humana voluntate consensum ad peccandum poterat extorquere: Ergo tunc etiam, non solùm post Christi aduentum, alligatum fuisse dicendum est. Respondeo quoad coactionem humanæ voluntatis diabolum semper fuisse alligatum: quia tamen ante Christi aduentum tanta gratiæ vbertas, Sanctorum virorum exempla, & Sacramentorum munimenta, quibus diabolum arcere possumus, non erant; hinc est, vt tunc, quia multùm prauis suggestionibus diabolus præualebat, non ita, sicut post Christi aduentum, alligatus diceretur. Quare de diabolo in Euangelica lege ait Magnus Antonius teste S. Athanasio: *Hamo crucis, vt draco aduncatus à Domino est, & capistro ligatus, vt iumentum; & quasi mancipium fugitiuum vinctus circulo, & armilla labia perforatus, nullum omninò fidelium deuorare permittitur. Nunc miserabilis, vt passer ad ludendum irretitus à Christo, calcanea Christianorum substratus gemit. Ille, qui vniuersa maria à se deleta plaudebat; ille, qui orbem terrarum manu sua tenere pollicebatur, ecce à nobis vincitur.* Ex quibus Magni Antonii verbis patet primò, cur adeò diabolus crucem, eiusque sanctissimum signum fugiat: est nimirum veluti callidus piscis, qui hami acumen semel expertus, ab eo se celerrimè retrahit. Secundò quia armilla, hoc est ferreo circulo labia perforata habet; expeditè voces proferre nequit: ideo cum dicitur, adueniens Christus labia diabolo perforasse, significatur diabolus suas suggestiones liberè, & expeditè humanæ mentis auribus proferre non posse: profert autem eas quodammodo mutilatas. Hinc est, vt cum ex diuina gratia expressè idololatriam, homicidia, adulteria, furta suadere nequeat; talium suggestionum saltem partem proferat: Nimirum pro idololatria auaritiam, quæ quidem auro seruiens, ex parte *est Idolorum seruitus*: pro homicidio blasphemias in proximum; pro adulterio saltem lasciuam complacentiam; pro furto alienæ mercedis retentionem.

Diabolus est post Christi aduentū ligatus dicitur.

Diabolus perforata labia habuisse dicitur, quia prauas suggestiones mutilatas profert.

Ad Eph. 5.

23. Præterea eò quòd Magnus Antonius dicat diabolum calcaneo Christianorum substratum gemere; ne quis nostrûm securitatem sumat contemnendi diaboli insidias, in memoriam reuocet Dauidis verba Psalm. 48. *Cur timebo in die mala?* hoc est mortis, & Iudicii tempore iuxta Remigium. Cui interrogationi respondet ipse Dauid: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Cum calcaneo homo toto corpore innitatur, calcaneum significare fiduciam; calcanei verò iniquitatem, malam fiduciam significare, Nicolaus Treuetus docet. Ideo subditur: *Qui confidunt in virtute sua.* Mala hæc fiducia cum ex Dauide valde extimescenda sit; non est cur Christianus securus, & otiosos diaboli contemnat insidias: cum de eo dicatur: *Calcaneo eius insidiaberis: Mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.*

Diaboli insidiæ noxiæ securitate contemnendæ non sunt.

Gen. 3. Gen. 49.

24. Dices: cum etiam post Christi aduentum ex fidelibus plures in diaboli potestatem decedant; quomodo verè dici potuerit ab Antonio de diabolo: *Nullum omninò fidelium deuorare permittitur?* Quod si dicas; id intelligi de fidelibus iustis, in fide, & charitate perseuerantibus; quatenus verè, & omninò fideles sunt; non solùm nihil falsum credentes, sed nihil graue contra amicitiam committentes, amicitiæ debitam fidem non frangendo: Contra est; nam tales neque ante Christi aduentum diabolus ad se trahere poterat. Respondetur ergo primò: Postquam in Euangelica lege Christi potentiâ diabolus ligatus est; interdum quidem fideles animas morsu lethali ferit; eas tamen non deuorat, deuorare enim est sine dentium labore deglutire: Cum ergo multo maiori astu, ac labore in Euangelica lege vti cogatur diabolus; hinc est, vt bene Magnus Antonius dixerit: *Nullum omninò fidelium deuorare permittitur;* hoc est, nullum ex iis, qui verè, & omninò fideles sunt, ita deuorare permittitur, vt magna facilitate, & celeritate eos decipiat. Respondetur primò, quia fideles, & iusti olim è vita decedentes intra Limbum diu detinebantur; vbi quodammodo diaboli erant captiui, qui eos inde egredi prohibebat: de his enim ibi detentis dicitur Christus: *Ascendens in altum captiuam duxisse captiuitatem:* nempe iuxta Hieronymum, *Vt Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ secum ad cœlos victor adduceret:* hinc est, vt Antonius benè dixerit de diabolo: *Nullum omninò fidelium deuorare permittitur;* eo quòd ab huiusmodi captiuitate fideles, Deique amici iam liberi sint. Quod si in Purgatorio post discessum ex hac vita iusti detinentur, ibi diaboli captiui non sunt: non solùm, quia in animas in Purgatorio detentas diabolus potestatem nullam habet, vt docent Scholastici, & præcipuè S. Thomas in 4 dist. 21. quæst prima art. 1. Sed quia iam humanæ captiuitatis pretium solutum est per Christi Domini passionem: ex quo canit Ecclesia: *O verè digna hostia, per quam fracta sunt Tartara; redempta plebs captiuata; reddita vitæ præmia.*

Fideles deuorare non permittitur.

Ad Eph. 4. ex Psal. 67.

In hymno post Pascha

25. Porrò quàm inexcusabilis sit, qui diaboli suggestionibus consentiens è diuinis manibus sponte eripi se sinit; testatur ipse diabolus; qui coram Christo iudice peccatoribus sic insultans inducitur apud S. Cyprianum: *Ego pro istis, quos mecum vides nec alapas accepi; nec flagella sustinui; nec crucem pertuli; nec sanguinem fudi; nec familiam meam pretio passionis, & crucis redemi: sed nec regnum cœleste illis promitto; nec ad paradisum restituta immortalitate denuo reuoco: & munera mihi quàm pretiosa, quàm grandia, quàm nimio, & longo labore quæsita sumptuosissimis apparatibus comparant. Tuos tales munerarios, Christe, demonstra. Tu æternam vitam operantibus pollicerìs; & vix tui meis pereuntibus adæquantur; qui à te diuinis mercedibus, & præmiis cœlestibus honorantur.*

Cyprianus serm de eleemosyna.

Diaboli in peccatores diuinæ beneficentiæ immemores exprobratio.

26. Quòd autem diaboli, vel propriæ concupiscentiæ tentatio nulla tanta sit, quæ Dei gratia semper nobis parata vinci non possit, testatur Apostolus, dicens: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis:* Neque *ad excusandas excusationes in peccatis* humani cordis fragilitatem obtendere satis est dicendo: *Habemus thesaurum in vasis fictilibus.* Deus enim humani cordis singularis artifex, *Qui finxit singillatim corda eorum*; humanum cor veluti fictile vas, neque nihil, neque nimis tentationis igne concoqui sinit: non nimis, ne tentatione frangatur: neque nihil, ne mollius sit. Quod bene docuit S. Ephrem tract. de patientia, dicens: *Si figulus vasa sua igne excoquit, eò vsque, dum ritè coquantur; nec ante ea eximit, ne minus cocta, & solida sint: nec rursum vlterius ea sinit in igne, ne adurantur, franganturque inutilia; multò magis idem facit Deus, vt igne tentationum,*

Tentari supra vires Deus neminem sinit.

1. ad Cor. 10.

Psal. 140.

2. ad Cor. 4.

Psal. 32. 15.

eò vsque nos coquat, dum percoquat, & perficiat; vlterius verò tentatione aduri, & consumi nos non finet.

Ad Rom. 8. v. 38.
Separare nos à Deo nihil potest.
Tom. 3. q. 9. ad Aglasiã.

27. Freti igitur Dominicâ sententiâ, dicente: *Non rapiet eas quisquam de manu mea*, fidenter cum Apostolo, dicamus: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? certus sum* (hoc est, certa spe confido, vt interpretatur Hieronymus) *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei.* Mors separare non potest; nam Dei amicus mortem non timet; non enim aliam mortem agnoscit, & reformidat, B quàm non diligere Deum.

Aug. to. 1. l. 1. de morib. Eccles. 11.

Id ipsum, quòd diligimus Deum, mori non potest; nisi dum non diligimus Deum, cum mors ipsa sit non diligere Deũ, ait Augustinus. Rursus tyrannus separare non potest comminando mortem, pollicendo vitam. Nam sicut frustra quispiam promissa alibi aqua sitientem viatorem à limpidissimo, & perenni fonte abstrahere conaretur: ita per vitæ promissionem Dei amicus à Deo, qui est vitæ fons, se

Ibid.

diuidare numquam debet: *Nemo à Dei charitate separat, pollicendo vitam: nemo enim ab ipso fonte separat pollicendo aquam*, ait Augustinus. Præterea si quis intra munitissimam, & planè inexpugnabilem arcem thesaurum cælatum haberet, eius direptionem ab hoste timere non potest: Ita sancti C Viri vitæ iacturam timere non possunt; cum eorum vita intra munitissimam illam arcem abscondita sit; de qua dicitur: *Turris fortissima, nomen*

Prouerb. 18.
Ps. 60.
Ad Colos. 3.
Aug. supra.

Domini. Turris fortitudinis à facie inimici; teste autem Apostolo, *Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo.* Addit Augustinus: *Non separat Angelus; non enim est Angelus, cum inhæremus Deo, nostra mente potentior. Non separat virtus, quæ potestatem habet in hoc mundo; nam toto mundo omnibus sublimior est mens inhærens Deo: Non separant instantes molestiæ; hoc enim leuiores eas sentimus, quò eis, vnde nos separare moliuntur, arctius inhæremus. Non separat promissio futurorum; nam & quidquid boni futurum est, certius promittit Deus; & nihil est ipso Deo melius, qui iam benè sibi inhærentibus* D *præsens est. Non separat altitudo, neque profundum: quid enim mihi cælum pollicebatur, vt à cæli fabricatore seiungar? Aut quid terreat infernus, vt Deum deseram? Quem si numquam deseruissem, inferna nescirem. Postremò quis me locus ab eius charitate diuellet; qui non vbique totus esset, si vllo contineretur loco?*

Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est; & nemo potest rapere de manu Patris.

28. L*Oquitur vt homo*, inquit Toletus; *& sic Patrem dedisse ei id, quod maius omnibus est, dicit: quia Diuinitatem illius humanitati* E *coniunxit, & fecit, vt homo ille Deus esset.* Sed cum Verbum diuinum humanam naturam assumendo, ei Diuinitatem communicauerit; Christus, vt homo, à diuino Verbo proximè Diuinitatem communicatam habuit, non à Patre; qui humanam Christi naturam non assumpsit: Coniunctio autem Diuinitatis cum humanitate effectiuè per vnionem hypostaticam, non à Patre solùm; sed à Verbo, & Spiritu sancto ad extra indiuisibiliter operantibus fuit. Christus tamen non vt homo, sed vt Deus à Patre per æternam genera- A tionem diuinam naturam habet; ad quod significandum addidit: *Ego, & Pater vnum sumus.* Quare vt Deus, Deique Filius, non vt homo, verè de Diuinitate dixit: *Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est.* Et hinc fit (Christus ait) vt sicut nemo de manu, hoc est Patris mei potestate; ita neque de manu, ac potestate mea meas oues rapere possit. Potuit etiam Christus, vt homo, verè dicere: *Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est*: non quia Diuinitatem humanitati coniunxit; quod commune toti Trinitati fuit: sed quod Diuinitas humanitati coniuncta originaliter à Patre ipsi filio communicatur.

29. Præterea hæc eadem verba intelligi possunt de dignitate, & potestate, quam Christus vt B homo, Deique Filius habet merendi, & communicandi hominibus gratiam iuxta testimonium Ioann. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est; gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*: Vbi *Gratiam pro gratia* dicitur: idest per Iesu Christi substantialem gratiam Diuinitatis, & vnionis hypostaticæ homines accidentalem gratiam consequuntur. Gratia autem efficax, quæ per Christum homini communicatur, maius omnibus est; hoc est, obstacula omnia superat; nec quisquam impedire potest, quominus suum effectum habeat. Cum enim gratia efficax ea sit, quæ à Deo præuidetur infallibilem consensum habitura, si detur; cumque repugnet, quod à Deo futu- C rum præuidetur, infallibiliter non fore: hinc est, vt gratia efficax maius omnibus sit, eique nemo resistere possit; neque ipsa humana voluntas dissentire; non quidem ex necessitate antecedente, sed consequente: sicut enim posito quòd voluntas consentiat, non potest dissentire: ita posito, quòd consensura sit, & ita à Deo præuideatur, non potest non esse consensura.

Ego, & Pater vnum sumus.

30. PVdeat Arianos in assequendo vero huius sententiæ sensu ab ipsis perfidis Iudæis superari. Ariani enim perperam allata verba de morali vnitate, & consensu voluntatum D intellexerunt: contra verò Iudæi de naturæ vnitate eadem verba benè intelligentes Christo dixerunt: *Tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Quibus Iudæorum verbis facilè iuxta Arianorum sensum, si verus esset, respondere Dominus potuisset, se non facere seipsum Deum, asserendo se consonam diuinæ voluntati voluntatem habere. Respondit tamen Dominus iuxta verum sensum indicando eiusdem naturæ vnitatem: *Pater in me est, & ego in Patre*: & clarius deinde addidit: *Vos dicitis: Quia blasphemas; quia dixi: Filius Dei sum.*

31. Præterea iuxta Apostolum ad Hebr. 4. *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*: pro ancipiti in Græco textu habetur δίστομος, idest habens duo ora, nempe duas acies E vtrinque scilicet incidens. Quod idem explicans Ioannes Apoc. 1. de Christo Domino dixit: *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*: talem esse Dei sermonem apertè patet in allata Euangelica sententia; in qua duobus verbis, hinc Arianam, inde Sabellianam hæresim lethaliter cædit. Cum dicit *Vnum*, significat vnitatem naturæ, quam negabat Arius: cum dicit: *Sumus*, pluralitatem personarum significat, quam Sabellius non admittebat. *Vnum ad vnitatem Diuinitatis refert: Sumus autem personis assignat*, ait Nazianz. in tract. de fide.

Dei sermo velut gladius vtraque parte acutus vno ictu duplicem hæresim cædit.

Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum.

32. ECclesiastici cap. 21. vers. 29. dicitur: *In ore fatuorum cor illorum.* Iudæi autem isti verè fatui, ideoque Christo Dei sapientiæ infensi, non tantùm in ore, sed in manibus etiam cor habere videntur; cum enim ex obstinata perfidia lapideum cor haberent, lapides in manibus habuerunt, vt Dominum lapidarent. Abiecerunt tamen Iudæi lapides, non mitiores facti, sed diuinitus à scelerata audacia cohibiti: vt hinc, si sani fuissent, ad Christi Diuinitatem credendam ab ipsis solo stratis lapidibus satis emolliri potuissent.

Iudæi ex lapideo corde lapides in Christum acceperunt.

Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo: Propter quod eorum opus me lapidatis?

33. QVàm diuerso modo Deus, & diabolus, seu cum diabolo mundus beneficia ostendit! Ostendere Deum beneficia, est ea conferre. Verè enim Christus in Iudaicum populum beneficia plura per miracula, sanando languidos, cæcos illuminando, suscitando mortuos contulerat. Eodem sensu Psalm. 84. Deo à Dauide, dicitur: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam*; hoc est tuæ misericordiæ beneficia nobis exhibe, & elargire. E contrario terrena dona, quæ diabolus, seu mundus offert, ita ostenduntur, vt statim subtrahantur. Sic Lucæ 4. Satan tentans Dominum, quem tunc purum hominem esse censebat iuxta Hieronymum: *Ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis*: Vbi bene Ambrosius notans momentaneam terrenorum regnorum ostensionem ait: *Non tam conspectus celeritas indicatur, quàm caduca fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt; & sæpè honor seculi abijt antequam venerit: quid enim seculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint secula?* Patet hoc Danielis 5. vbi *Iubente rege indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo eius, & prædicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in regno suo.* Mũdanus hic honor Danieli exhibitus quàm diuturnus fuerit, si quis noscere cupit, pergat in sacro texto, ibique legat: *Eadem nocte interfectus est Balthassar Rex Chaldæus.* Vnaque cum Balthassaris casu eiusdem beneficia breuissimo temporis spatio corruerunt. Momentanea ergo sunt mundana dona; ita vt propterea momento temporis ea ostensa esse dicantur. Contra verò diuina beneficia diuturna sunt; aduersitates verò à Deo immissæ momentaneæ dici possunt iuxta Apostolum: *Momentaneum, & leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis?* Aduersitatum flagella ostendere nobis videtur Deus, non vt in ea incurramus; sed vt vitemos. Hinc Psalm. 59. cum dixisset Dauid: *Ostendisti populo tuo dura*, subdidit: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Venator se. & arcum in nemorum saltibus abscondit, vt incautam feram iaculis configat. Contra verò Dominus, ne diuinæ iustitiæ iaculis configamur, arcum ostendit, vt ictum velocius fugiamus. Ne tamen hinc noxiam fiduciam euadendi semper diuinam vindictam peccatores sumant; audi Hieronymum: *Sicut, qui paulatim arcum tetendit, tempus dat alteri, vt fugiat, qui si fugere velit, tantò fortius sagitta emissa configitur, quantò maiori tempore arcus intensio fuit facta. Sic Deus, qui laneos habet pedes, sed ferreas manus, tarditatem supplicij grauitate compensat.* Vide Plutarchum lib. de sera numinis vindicta.

Ostēsi aliquid à Deo, & aliquid à mundo, vel Diabolo ostendi valde diuersa.

2 ad Cor. 4.

Responderunt Iudæi: De bono opere non lapidamus te; sed de blasphemia; & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.

34. MIrum est Iudæos vndique captantes occasionem calumniandi Christum; nihilominus hîc ausos non esse negare eum bona opera fecisse; eum dicant: *De bono opere non lapidamus te.* Apertè igitur mentiuntur in caput suum addentes: *sed de blasphemia: & quia, tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Quomodo*, inquit Rupertus, *Vni homini cum blasphemia bonum opus attribuitis? Numquid Deum blasphemando quis, bonum simul faciat opus; præsertim qualia hîc operatur*, nempe miracula? Iudæi calumniantes Christum dicunt: *Tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*: nos contra vera fide illuminati Redemptoris infinitam bonitatem collaudantes, verborum ordinem inuertamus, dicentes: *Tu Deus cum sis*, ad nostram redemptionem verò te hominem effecisti.

Iudæorum verba sibi contradicunt. In Ioan. l. 10.

Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestra: Ego dixi Dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est; & non potest solui Scriptura: quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas; quia dixi: Filius Dei sum?

35. ET si Iudæis, vt dicitur Ioan. 1. *Lex per Moysem data est*, nihilominus non solùm Mosis libri, sed etiam Prophetæ, præcipuè Dauidis Psalmi, legis nomine significantur. Promiserat Deo Dauid Psalm. 50. *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur*: quod quidem promissum per omnes Psalmos diuinam legem docendo exequitur. Hinc Psalm. 33. ait: *Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos: Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum: diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.* Psalm. 77. *Attendite popule meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum; loquar propositiones ab initio.* Et Psalm. 118. *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Quare meritò postea subdidit: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*: Particeps scilicet eorum meritorum, ex eo præsertim capite, quòd meis Psalmis ad diuinam legem seruandam eos instruxerim.

Legis nomine etiā Dauidis Psalmi intelliguntur.

36. Allatum ergo à Christo testimonium acceptum est à Psalm. 81. vbi quæritur, quibus dictum sit: *Ego dixi: Dij estis?* Toletus subscribens Augustino, putat verba illa dicta esse vniuersaliter ad filios Israël, quos præ omnibus nationibus Deus ad salutem erudiuit, eisque legem suam dedit; ad quod explicandum subditur: *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est. Nec videtur verum*, inquit Toletus, *quod aliqui dicunt, sermonem dictum esse haberi ad iudices, quia in officio, & munere sunt constituti à Deo.* Nihilominus verba illa: *Ego dixi Dij estis*, Iudicibus præcipuè, & directè dicta esse dicendum potius videtur: quia sermonem Dei ad aliquem fieri idem est, ac à Deo alicui officium aliquod committi. Quare cum prædicandi munus Prophetis committeretur

Iudices Dii appellātur

tur, dicitur factum esse Verbum Domini ad Prophetas, vt Ionæ Primò, *Factum est Verbum Domini ad Ionam filium Amathi dicens: Surge, & vade in Niniuen Ciuitatem grandem, & prædica in ea.* Et Lucæ 3. *Factum est Verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto: & venit in omnem regionem Iordanis prædicans.* Præterea eodem Psal. vbi dicitur: *Deus stetit in Synagoga Deorum; in medio autem Deos diiudicat:* à Chaldæo paraphraste dicitur: *Deus, cuius maiestas commoratur in congregatione iustorum, qui potentes sunt in lege, in medio Iudicum in veritate iudicat.* Dicitur autem Deus Hebræo vocabulo Elohim ab אל el, & אלה ala, idest *fortis adstringens*: quare Elohim etiam Iudices appellantur, quod lata sententia alios adstringant. Et quamuis Elohim sit numeri multitudinis, in singulari enim dici deberet Eloah; nihilominus Elohim vsitate recipit etiam significationem numeri singularis; idque ad explicandam personæ auctoritatem: veluti à Pontifice, vel rege scriptum significante dicitur: *Nos.* Porrò quòd citato Psalmo ad Iudices sermo sit, apertè patet ex verbis illis: *Vsquequo iudicatis iniquitatem, & faciem peccatorum sumitis:* idest: Vsquequo iniquam sententiam iudicando profertis; & non iuxta meritum, sed iuxta faciem iudicatis; ita vt potentis aspectum reuereamini, pauperis verò despiciatis: ex quo subditur: *Iudicate egeno, & pupillo; humilem, & pauperem iustificate.* Atque hinc Christus Dominus ad conuincendos Iudæos, qui scandalizabantur, quòd ipse cum homo esset, se Dei filium asserendo, Deum esse diceret; argumentum ducit probans, hominibus Dei nomen benè tribui posse; arguens à minori ad maius. Si enim inquit Iudices adhuc in sacra Scriptura dii appellantur; cur ab eo, quem Deus Pater *sanctificauit*, tale nomen vsurpari non potest? Quod autem in eo iniquitas nulla esset, sed sanctificatio, benè ostenderat per miracula diuinitus facta dicens: *Multa bona opera ostendi vobis*: quod certè ipsi Iudæi negare non sunt ausi. Ostenderat id etiam antea dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Ioan. 8.

37. Venatores raptis catulis insequentium tigrium rabiem retardare dicuntur iaciendo specula, in quibus propriam tigres figuram aspicientes immorantur. *Scriptura sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, vt interna nostra facies in ipsa videatur*, ait Gregorius. Ideo Dominus sacræ Scripturæ dicens, *Ego dixi, dij estis*, testimonium, veluti speculum Iudæis proponit; vt ibi seipsos populi iudices constitutos, patresque ipsorum Deos appellatos; & hinc suam rabiem in Redemptorem cohibere cogantur.

Gregor. lib. 2. Mor. c. 8. Scriptura sacra mētis oculis veluti speculū est.

38. Quærit hoc loco Caietanus: *cur diuertit sermonem Dominus à Deitate per essentiam ad Deitatem per participationem, afferendo Psalmum loquentem de viris excelsis: Ego dixi dij estis? Apparet siquidem, quòd seipsum voluit intelligi Deum simili modo, sicut illi, quibus dicitur: Ego dixi dij estis. Et hinc sequeretur Arriana hæresis, quòd Christus non se dixit verum Deum per essentiam dicendo: Ego, & Pater vnum sumus.* Cui difficultati respondetur Dei nomen tribui posse multipliciter: De quo Hieronymus epist. 136. ad Marcellam disserit: Primò tribuitur iis, ad quos sermo Dei factus est, vt supra vidimus. Secundò Dei nomen participatur à iustis per gratiam habitualem sanctificantem, quæ est participatio diuinæ naturæ; & hinc iusti filii Dei vocantur iuxtà Ioannem dicentem: *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus?* Tertiò per gratiam vnionis hypostaticæ, qua Christus vt homo diuinitati personaliter vnitus, verè Deus nominatur. Quartò per naturam, quomodo Christus, vt Verbum diuinum à Patre per æternam generationem diuinam naturam communicatam habet. Cum igitur Deum, vel Dei filium dici, genericè acceptum, commune sit quatuor allatis modis; conuincit Christus Iudæos, quod scandalizari non deberent audientes se Dei filium appellasse. Poterant enim, & debebant credere tale nomen saltem sibi tribuere Christum, tum quòd ad ipsum sermo Dei factus esset; tum quod iustus, & Dei amicus esset, vt eius opera ostendebant. Quod tunc si credidissent, deinde maiori lumine illuminati intellexissent etiam Incarnationis, & Vnionis hypostaticæ mysterium; & quomodo propter Diuinitatem humanæ naturæ vnitam verè Christus dicere potuisset: *Ego, & Pater vnum sumus. Pater in me est, & ego in Patre.* Quare afferendo Christus testimonium illud Psalmi: *Ego dixi, dij estis*, quæstionem non aliò diuertit; sed potius ex vno ad aliud Iudæos manuducere contendit: ostenditque homini non absolutè repugnare Dei nomen; & posse hominem Deum appellare patrem, seque Dei filium dicere. Ex quo fit, vt malè Iudæi Christo dicerent: *Blasphemas, quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.*

Iansenius 11. q. 1.

Dei nomen quibus tribuatur.

Euang. c. 1. Epist. 1. c. 3.

39. Affert Caietanus duo bis magis subtilia, & minus conuincentia, quibus Christus indicare Iudæis voluit se gratiam vnionis personalis cum Deo habere dicendo. *Quem Deus sanctificauit. Quem*, inquit Caietanus, *est relatiuum substantiæ, & refert hypostasim. Inter sanctificationem siquidem aliorum hominum, & Christi hominis hæc est differentia, quòd sanctificatio aliorum primò refertur ad animam, & mediante anima ad personam, qua sanctificatur: sanctificatio verò Christi hominis primò terminatur ad personam: nam ex hoc ipso humanitas Christi fuit primò sancta; quia facta est in hypostasi Verbi.* Sed licet hoc verissimum sit; non tamen conuincitur ex motiuo Caietani: nam Ieremiæ à Deo dictum est: *Antequam exires de vulua sanctificaui te*; per gratiam scilicet habitualem, vt docent Athanasius, Hieronymus, Leo. Nazianz. Ambrosius, Petrus Damiani, Thomas 3. p. quæst. 27. art. 6. & tamen dicendo *Te*, quamuis personam alloquatur; nihilominus animæ tantùm Ieremiæ habitualis gratia, adeoque sanctitas data est; quamuis inde persona denominatiuè sanctificata fuisse dicatur.

Caietani interpretatio refutatur hic, & sequenti.

Ier. c. 1.

40. Secundò ait Caietanus: *Adiunxit Dominus alterum manifestum caput, vnde poterant huiusmodi vnionis gratiam percipere, addendo illud verbum: Et misit in mundum. Nam etsi sanctificatio communi modo acciperetur; ex isto adiuncto intelligeretur vna persona filij Dei, & filij hominis. Fuerunt siquidem multi alij sanctificati; sed nullus fuit, cui conueniant hæc duo; scilicet quod fuerit sanctificatus, & fuerit missus in mundum: & nota bene ly, in mundum, hoc est in vniuersum.* Sed contra est, quia etiam Apostolis Marci vltimo dictum est: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quod singulis Apostolis dictum esse benè docet Maldonatus; ita vt nulli Apostolorum vllus

terminus ex his verbis præfixus fuerit; & singuli in vniuersum spiritualem iurisdictionem habuerint. Hinc iuxta Chrysostomum Apostolis Christus dicit: *Non ad duas vrbes, aut decem, aut viginti, neque ad vnam gentem vos mitto, sicut mittebam prophetas; sed ad omnem terram prorsus, ac mare, totumque mundum.* Quare de Apostolo Paulo Ecclesia ait: *Deus, qui vniuersum mundum Beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti.* Quod si dicat Caietanus hoc Apostolos non per seipsos tantùm, sed per successores executos esse: Idem quoad hoc dici potest de Christo, qui licet in vniuersum mundum à Patre missus sit; ad mundi tamen vniuersi conuersionem, alios adhibere voluisse compertum est. Quoad corporalem autem præsentiam de seipso Dominus dixit: *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Missus quidem est in mundum multò excellentiori modo Christus, quàm Apostoli, sed hoc absolutè ex motiuo Caietani non conuincitur.

Chrys. hom. 15. in Matth.

Matth. 15

A

B

Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum.

41. AN vt Deus, an vt homo sanctificatum se à Patre Christus dicat, disputant hic sacri Interpretes. Scilicet an sanctificatum se dicat à Patre, vt Deus per æternam generationem communicantem ei Diuinam naturam, quæ substantialis, & increata sanctitas est: an verò sanctificatum se dicat à Patre, vt homo per Diuinitatem humanitati hypostaticè vnitam? Vtrobique difficultas est: si enim dicatur sanctificatus per æternam generationem; *Sanctificari*, inquit Caietanus, *alienum est à Deo per essentiam: filius enim Dei non est sanctus factus, sed sanctus genitus: & propterea affirmando se sanctificatum à Patre, affirmat se factum sanctum à Patre, ac per hoc non esse Deum per essentiam.* Rursus si dicatur sanctificatus vt homo; huic interpretationi opponit Toletus: *Quia verba indicant sanctificationem antequam mitteretur in mundum; dicitur enim: Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum; quasi prior esset sanctificatio, quàm missio in mundum: quod non potest intelligi, nisi de sanctificatione ratione Diuinitatis;* quæ illi antequam mitteretur in mundum, per æternam generationem à Patre communicata fuit. Ex his sententiis probabilius mihi videtur dicere cum Athanasio lib. de Incarnat. Hilario lib. 7. de Trinit. Chrysostomo homil. 60. Christum vt hominem dici sanctificatum à Patre; idque propter rationem allatam, quia sanctificari importat fieri; fieri autem diuino Verbo per æternam generationem non conuenit. Contra verò cum possit verè dici cum Ioanne: *Verbum caro factum est;* hinc per diuinitatem à Patre Diuino Verbo communicatam, Christum, vt hominem, à Patre sanctificatum fuisse dicendum est. Quare bene Caietanus ait: *Licet sanctitas illius personæ non sit facta in se; est tamen facta sanctitas illius natura assumpta; sicut persona filii Dei est facta persona illius naturæ.* Displicet tamen, quod Caietanus, & alii hanc sanctitatem explicant per vnionem hypostaticam; cum potius explicanda sit per Diuinitatem hypostaticè vnitam: Diuinitas enim Verbi, quæ hypostaticè vnitur, est à Patre; vnio verò ipsa hypostatica, vt quid creatum à tribus omnibus diuinis personis est; licet tantùm ad Verbum terminetur.

Christus vt homo sanctificatus à Patre dicitur Hi: & sequentibus. Ientaculo 12 q. 1.

C

D

Ioan. c. 1.

E

42. Porro negandum est, quod opponit Toletus, per verba illa: *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum,* significari prius fuisse sanctificationem, quàm missionem in mundum. Nam cum Ioannis 1 dicitur: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis plenum gratiæ, & veritatis:* non prius significatur Verbum fuisse incarnatum, deinde habitasse in nobis plenum gratiæ, & veritatis. Nam Chrysostomus hom. 10. Ambros. lib. de Incarnat. cap. 6. Hilarius lib. 10. de Trinit. Cyrillus lib. 1. cap. 16. habitasse in nobis intelligunt de mansione, & vnione Verbi diuini in carne eiusdem naturæ cum nostra; ita vt idem sit *Habitauit in nobis*, ac est, in nostra humana carne assumpta permansit, eam numquam dimittendo. Quam interpretationem confirmat textus originalis Græcus, vbi pro *Habitauit in nobis*, dixit Ioannes: *Et in tabernaculo in nobis habitauit;* in tabernaculo scilicet assumpti corporis: tabernaculum enim corpus vocauit Petrus Apostolus: *Velox est depositio tabernaculi mei.* Vnionem etiam diuini Verbi cum humano corpore per habitandi verbum expressit Paulus ad Coloss. 2. dicens: *In ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Nec dicas tabernaculum; ac proinde Christi corpus non intelligi posse nomine tabernaculi, eò quod Diuinum Verbum, quod semel assumpsit, numquam dimisit: reperio enim in sacris litteris cœlestem, æternamque Patriam etiam tabernaculum appellari, vt Psal. 83. iuxta Theodoretum, & alios: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Quod si dicente Ioanne: *In tabernaculo in nobis habitauit*, nomine tabernaculi Virgineum vterum intelligere libeat iuxta Athanasium, Damascenum, & Thomam in illa Psal. 45. verba: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus:* tunc simul, & *Verbum caro factum est, & in tabernaculo in nobis habitauit;* hoc est in vtero Virginis. *Habitauit in nobis*, inquit Rupertus, *cum in illo fœmineo secreto naturæ decem mensibus absque peccati contagione hospitatus est: & inde tamquam sponsus de thalamo suo procedens in sole posuit tabernaculum suum: hoc est sanctissimam humanitatem suam in luce visibilem exposuit.*

Ep. 2. c. 1.

Athan. tract. de Deipara Damasc. in carmine.

In fine lib. 5. in Genes.

Psal. 18. 6.

43. Ex quibus patet successiuam sententiam non semper successionem indicare. Quod si dicas: *Habitauit in nobis*, significare visibiliter cum hominibus conuixisse iuxta vaticinium Baruch 3. *In terris visus est; & cum hominibus conuersatus est:* tunc dico hunc sensum verum esse; sed ex hoc priorem allatum sensum non excludi: potest enim in sacra Scriptura eadem sententia multiplicem verum sensum habere.

Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite; vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.

44. VIs huius sententiæ in eo sita est. Deus summa bonitas, & summa veritas, fraudi non patrocinatur, neque mendacia contestatur: si ego fraudulenter, & mendaciter me Dei filium esse dicerem; Deus per me operando miracula, quorum tantùm ipse principalis causa esse potest, fraudi patrocinaretur, & mendacia contestaretur: cum ergo hoc de Deo non credatis; consequenter me Dei filium esse profitentem, neque fraudulentum, mendacem, & blasphemum credere debetis. Non enim ex

eodem ore mendacium, & blasphemia prodire potest; & sputum, quo loquela muto, & cæco visus diuinitus detur: & tamen vtrumque Iudæi viderunt, vt habetur Marci 7. n. 34. *Expuens tetigit linguam eius, & statim solutum est vinculum linguæ eius*: & Ioann. 9. *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo; & dixit ei: Vade, & laua in natatoria Siloe. Abijt ergo, & lauit, & venit videns.* Moltò ergo eminentius Christus Dominus Euangelicam legem Iudæis (*Epist. 1. Ad Thessal. c. 1.*) afferens, seque Dei filium esse contestans, Apostoli verba proferre potuit *Euangelium meum non fuit ad vos in sermone tantùm; sed in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa*: scilicet ad pleniorem fidem faciendam, addendo miraculis vitæ innocentiam, prophetiam, & scrutandi cordis secreta potestatem. Denique vltima verba: *Pater in me est, & ego in Patre*, quòd intelligenda sint non tantùm de charitatis vnione, sicut illa *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet*; (*Ioann. Ep. 1. c. 4.*) sed de vnitate naturæ, patet ex ijs, quæ diximus supra in illa verba: *Ego, & Pater vnum sumus.*




FERIA QVINTA

POST DOMINICAM PASSIONIS.

Rogabat Iesum quidam de Pharisæis, vt manducaret cum illo. *Luc. 7.*

Euangelij nexus, & ordo.

Cap. vlt. Magdalena ad Domini pedes prouoluta à se septem dæmonia eiecta ostendit.

1. Peccatrice Magdalena iuxta Marci testimonium *septem dæmonia* à Christo Domino fuisse eiecta, præsenti Euangelio demonstratur. Primò acediæ, hoc est spiritualis torporis in rebus ad salutem pertinentibus eiectum dæmonium ostenditur verbis illis: *Vt cognouit, quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi*; scilicet nulla interposita mora, segnitie nulla retardante, statim ægra ad cœlestem medicum, fœda ad lauacrum, captiua ad Redemptorem, ad Saluatorem perdita venit. Secondò Magdalena inuidiæ stimulis se non agitari ostendit, cum stans retro secus pedes Domini, humili illa prostratione contenta, assidentibus conuiuis primos accubitus non inuidit. Ambiit tamen sublimes cœlestes spiritus æmulari. Si enim Seraphim gloriæ sibi ducunt Domini pedes velare, testante Isaia c. 6. *Vidi Dominum super solium excelsum: Seraphim stabant super illud; sex alæ vni, & sex alæ alteri; duabus velabant pedes eius.* Magdalena stans retrò secus pedes Domini, sanctissimos illos pedes ore, osculis, & capillis, velando, beatorum spirituum piissimam se æmulam præstitit. Tertiò maligno auaritiæ spiritu Magdalenam vlterius non adstringi inde constat, quod pretiosi liquoris effusione Domini pedes vnxerit: *Attulit alabastrum vnguenti; & pedes eius vnguento vngebat.* Quartò quod fœdo gulæ spiritu non dominaretur, inde patet; quod cum Dauide dicere Magdalena potuit (*Psal. 41.*): *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes.* Ideo *lacrymis cœpit rigare pedes eius. Venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura conuiuium: pœnitentiæ ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in mensura*, ait Chrysologus. Pias lacrymas *cibum animæ* S. Macarius esse dixit hom. 25. (*Chrysologus Ser. 93.*) Pœnitentiæ lacrymæ sunt refectionis aquæ, de qua Psal. 22. pœnitens Dauid ait: *Super aquam refectionis educauit me Dominus, animam meam conuertit.* Quintò à vesano etiam iræ spiritu se planè liberam Magdalena testatur; cum è corde largissimos lacrymarum riuos eduxerit: *Lacrymis cœpit rigare pedes eius.* Cum enim à Philosopho ira sanguis accensus circa cor esse dicatur; cor lacrymarum piis aquis affluens, ab æstuantis iræ flammis liberum indicatur. Sextò immundissimum lasciuiæ spiritum à se procul eiecisse inde habetur, quod oscula, & comptæ comæ, quibus alliciuntur, & irretiuntur turpissimi lasciuiæ sectatores, ad Christi Domini pedes venerandos & tergendos castissimè adhibuerit: *Capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius.* Septimò denique superbiæ affectu se non intumescere ostendit; cum palàm coram conuiuis humillimè ad Domini pedes prouoluta, se pœnitentiæ lacrymis peccatricem esse confessa est. Præterea cum Domini verbis Magdalena apertè Pharisæo præferri se audiit: *Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti; hæc autem, ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos; Oleo caput meum non vnxisti; hæc autem vnguento vnxit pedes meos*: tunc quòd sic Pharisæo prælata Magdalena non superbierit; patet ex eo, quòd ei Dominus dixit: *Vade in pace.* Pax animique tranquillitas esse non potest, vbi cor veluti spumans superbiæ spiritu intumescit. Meritò igitur Magdalenæ, quæ olim Domino rebellis fuerat, hoste omni eiecto, defectionis culpa condonatur; eique Domini verbis: *Remittuntur tibi peccata tua*, indulgentiæ sententia pronunciatur.

Rogabat illum quidam de Pharisæis, vt manducaret cum illo; & ingressus domum Pharisæi discubuit.

1. HVic conuiuio, in quo Dominus Pharisæo innitante discubuit; alia, quæ in sacris litteris celebrata conuiuia legimus, libeat comparare. Genes. 21. *Fecit Abraham grande conuiuium in die ablactationis Isaac.* Cur tanto conuiuio Isaaci ablactatio celebrata est? quia *Ingens est gaudium, cum homo non lacte, sed solido sapientiæ, & virtutis cibo vescitur,* respondent ibi August. & Ruper. Propterea conuiuium celebrari debebat, cum Magdalena resipiscens solido sapientiæ, & virtutis cibo vesci inciperet; & à lacte abduceretur; de quo sapiens ait: *Fili, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.* De fideli in Euangelica lege recens à mundi illecebris ablactato vaticinatus est Isaias 11. *Delectabitur, siue vt legit Hugo, ablactabitur infans ab vbere: super foramine aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Ablactatus ab vbere,* inquit Hugo, *ponet manum suam in cauerna aspidis, & reguli: per aspidem, & regulum intelligit diabolum, qui flatu suggestionis suæ multos necare solet. Per cauernas illorum intellige venenosa corda peccatorum; in quibus quasi in cauernis propriis habitant dæmones. Ablactatus ergo ab vbere, idest ab amore temporalium, vel à carnalibus desideriis, manum suam mittet ad extrahendum diabolum de cauerna sua.* Talis Magdalena fuit; quæ à carnis lacte ablactata; & in hoc conuiuio compunctionis vino per lacrymas potata, suo è corde dæmones expulit testante Luca: *De qua septem dæmonia exierant.* Mirum non est in lacrymoso Magdalenæ corde dæmones remanere non potuisse. Nam, vt benè notar B. Petrus Cellensis: *Satan tolerabilius sustinet flammam suam, quàm lacrymam nostram: acriusque contriti cordis lacryma, quàm flamma infernalis incendij torquetur.* Et ratio huius est, quia ob lacrymas pœnitentiæ, cuius incapaces sunt dæmones, vehementi inuidia cruciantur. *Nam quòd corruerit prodidor Angelum; Concessis meritò pulsus honoribus; Ardens inuidia pellere nititur, Quos cœlo Deus aduocat.* Qua Inuidia Stygij nullum subeunt tormentum maius.

Ablactatio pueri Isaac cur conuiuio est celebrata.

Prou. c. 1. ver. 10.

Cap. 8.
Lib. de panib. c. 12.
Lacrymis pœnitentis magis, quàm inferni flammis diabolus cruciatur.
Hic. & n. 91.
In Hymnis.

2. Porrò Abrahami conuiuium ablactato Isaac, cuius nomen risum significat, Saram exhilarauit: *Dixitque Sara: Risum fecit mihi Deus.* At de pœnitentiæ lacrymis dixit Chrysostomus: *Quauis risu sunt hæ lacrymæ iucundiores.* Præsens ergo Euangelicum conuiuium, non risu sed Magdalenæ lacrymis condire Dominus voluit ad cœlestes spiritus per hoc conuiuium exhilarandos. Hinc benè Bernardus dicere potuit: *Deliciæ Angelorum lacrymæ meæ. Omne opus ipsorum laudare Deum; sed deest laudi, si desint, qui dicant: Transiuimus per ignem, & aquam.* Per ignem scilicet ardenter amando; per aquam vberrimè lacrymando. Quare audacter Bernardus ibi pronunciat: *Audeo dicere expertum meæ beatitudinis ipsam beatam vitam; nisi se dignetur fateri, quòd per charitatem ea in me fruitur, & per me.* Confirmatur id Domini testimonio Luc. 15. *Gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente; quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Vbi Gregorius ait: *Agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas, vberes fruges profert: quam eam, quæ nunquam spinas habuit, & numquam fertilem messem produxit:* Nam sicut combustæ in agris spinæ terram fertiliorem reddere solent: ita præterita peccata incentiuum pœnitentibus addere solent ad vberiorem gratiam maiori feruore acquirendam; quod incentiuum tepidiores iusti non habent: itavt benè dictum sit ab Apostolo: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Aqua terram irrigans, quæcumque in ea germina reperit, fæcundat. Sed si aqua reperitur, quæ simul inutiles terræ frutices arefaceret, vtilesque fœcundaret; quàm pretiosa apud agricolas talis aqua foret! Huiusmodi certè aqua in spirituali agricultura reperitur. Nam cum pœnitentiæ lacrymis peccatrix anima irrigatur, in ea peccatorum spinæ arescunt; & eorum loco vberes gratię fructus germinant. Hinc de lacrymantis Magdalenæ corde per pœnitentiam in Domini habitaculum consecrando vaticinatus est Ioel c. 3. *Fons de domo Domini egredietur; & irrigabit torrentem spinarum:* scilicet, vt in Magdalena peccatorum spinæ arescerent. & eorum loco gratiæ germina pullularent. *Egredietur ergo fons de domo Domini,* hoc est ex animæ pœnitentis corde; vt pœnitentiæ lacrymæ, iuxta sanctum Hieronymum, *spinas nostras & vitia, atque peccata, quæ nullam frugem habuere iustitiæ, commutent in Domini noualia; & ariditatem nostram rigent aquis largissimis; & pro spinis, ac vepribus flores virtutum multiplices germinemus. Et in eo loco, vbi fornicatus est Israel, & mutatus est Beelphegor, lasciuiæ idolo, lilia castitatis, & rosæ pudoris, ac virginitatis exuberent.* Vt fidelis anima cœlestem sponsum ad quietem inuitans dicere possit: *Lectulus noster floridus,* necesse est, vt prius eum Dauide dixerit: *Stratum meum lacrymis meis rigabo.* Pœnitentiæ enim lacrymæ flores parturiũt; quibus est quasi lectulus ornatur; vbi cælestis sponsus libentissimè conquiescit.

Gen. 21.
Hom. 12. in Ep. ad Colossens.
Ser. 6. in Cant.
Lacrymæ pœnitentis, deliciæ Angelorum.
Psal. 65.
Pœnitentia peccatoris quomodo præstet cœli innocentiæ magis Angelos lætificet.
Ver. 7. & v 10.
Gregorius Hom. 34.

Ad Rom. 5.
Lacrymis virtutis spinæ arescunt; & iustitiæ fruges germinãt. Hic & n. 79.

In Ioelem. c 3.
Cant. 1.
Psal. 6.
Lacrymis flores germinant, quibus cœlesti sponso lectulus apparatur.

3. Regum 1. c. 10. cum à Samuële Saul conuiuio exciperetur: *Tulit Samuël lenticulam olei, & effudit super caput eius; & deosculatus est eum; & ait: Ecce vnxit te Dominus super hęreditatem suam in principem.* Sed in præsenti conuiuio de Magdalena erga Dominum multò felicius dictum est, *Attulit alabastrum, & osculabatur pedes eius. & vnguenta vngebat.* Vngebat vnguento, vt Christum Dominum regem agnosceret; & diabolo, ad quem antea defecerat, nuncium remitteret. Præterea in Samuëlis cõuiuio *Leuauit coquus armum, & posuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce, quod remansit, pone ante te, & comede; quia de industria seruatum est tibi. Hanc partem,* inquit Procopius, *Sauli apposuit, tamquam regnaturo, & propopulo periculum adituro.* Pro armo ponit Theodoretus tibiam, eo quòd eum armo anterioris animalis tibia includatur. Victimæ ergo tibiam S. üil in documentum habuit. Magdalena verò Domini pedes: *Stans retrò secus pedes eius.* Scilicet, vt quæ olim malè ambulauerat, in voluptatis lubrico vestigia non ponere à sanctis illis pedibus tandem addisceret. Et iuxta Chrysol. ser. 93. *Vt Christi vesti gijs nunca percurreret per viam vitæ, quæ per viam concurrerat mortis.* Ibi sanctis affixa pedibus dicere videbatur: *Vias tuas, Domine, notas fac mihi; & semitas tuas doce me.*

Samuelis post conuiuium in Re. est Saül & in Pharisæi conuiuio Magdalena vt Dominũ Regẽ agnosceret, vnxit.
1. Reg c. 9.
Saulo tãquã regnaturo victimæ armus in cibũ est datus.
Non sancte... Theodoret. pro armo ... tibiam illarum ... inter anteriores tibia, quæ est illi loco brachij, includitur. Hinc armillæ ... quamuis brachij ornamentum sit ab armo nomen est ductum.
Psal. 24.

5. Danielis 5. Baltassar rex fecit grande conuiuium optimatibus suis. *Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de tẽplo, quod fuit in Ierusalem. Et biberunt ex eis rex, & optimates eius, vxores, & concubinæ illius.* In eo igitur conuiuio sacra templi vasa profanauit Baltasar: præsens autem conuiuium, vt Baltassaris profano conuiuio opponeret Dominus, Magdalenam pro...

Baltassar suo in conuiuio sacra vasa profanauit. In Pharisæi cõuiuio Dominus Magdalenam in vas electionis sanctificauit.

A

fanatum lasciuia vas in vas electionis consecrare voluit: adhibitis tamen ad illud abluendum prius pœnitentiæ lacrymis. Hinc de Magdalena Ecclesia cecinit: *Fit ex lebete phiala: Ex vase contumeliæ In vas translata gloria.* Porrò in Baltassaris conuiuio post profanata vasa, diuina sententia damnatus est rex: *Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis.* In hoc autem Euangelico conuiuio à Domino Magdalena absoluitur: *Remittuntur tibi peccata tua.* Baltassaris conuiuium proximè subsecutum est Persarum in Babylonios bellum, & victoria, & Baltassaris mors: *Eadem nocte interfectus est Balthassar rex Chaldæus.* Quod præuidens Isaias Babylonios irridens dixit: *Pone mensam, contemplare in specula comedentes, & bibentes: surgite principes, arripite clypeum*: hostis scilicet adest; Cyrus Babylonem ingreditur. Contra verò in hoc Domini conuiuio pax, & gratiæ vita Magdalenæ datur, dicente ei Domino: *Vade in pace.*

Dan. 5. Isa. 21.

B

6. Assuerus Persarum, & Medorum rex, vt legitur in libro Esther, *Fecit grande conuiuium cunctis principibus, & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coram se; vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui.* Similiter præsens Euangelicum conuiuium adire Dominus voluit; quia erga peccatricem Magdalenam iuxta Apostolum *Deus volens notam facere patientiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum; vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* In Assueri conuiuio *non erat, qui nolentes cogeret ad bibendum.* Quare cum peccatores pœnitentes lacrymis potari debeant iuxta Dauidem dicentem: *Potum meum cum fletu miscebam. Potum dabis nobis in lacrymis in mensura*: Scilicet, vt peccati delectationi doloris mensura respondeat: hoc in conuiuio Magdalena, vt eius pœnitentia remissionis meritoria foret; non coactè, sed liberè lacrymarum sibi potum vberrimè propinauit. Suo in conuiuio Assuerus, *præcepit eunuchis, vt introducerent Vasthi reginam coram rege. Quæ renuit; & ad regis imperium, quod per Eunuchos mandauerat, venire contempsit.* Ideo ab Assuero eiecta est, & eius locum pulcherrima Esther obtinuit. Non dissimiliter in hoc Euangelico conuiuio Magdalena peccatrice reiecta, innocens Magdalena eligitur: ita vt cum S. Petro Chrysologo de Magdalena dicere possimus: *Venit ipsa, sed altera; altera, sed ipsa: Vt mulier mutaretur vitâ, non nomine; virtute, non sexu.* Hinc Magdalenæ bene Ecclesiæ verbis dici potest: *Magis te consumeris; innouauit te dolor.* Consumeris, vt peccatrix; & vt innocens innouaris ex anteactæ vitæ dolore.

Ad Rom. 9. v. 23.

C

Psal. 101.

Psal. 79. Lacrymę ex pœnitentia, non coacta effundi debent, vt peccati remissionem mereantur.

D

Ser. 74.

Dom. 2. Adu. Michea c. 4. 9.

7. Porro Assuerus idem, ac Artaxerxes, Longimanus dictus est; quia præ cæteris manus, & brachia longiora haberet; adeo, vt stans sua genua extremis digitis contingeret: quas etiam longiores manus ad donandum largius extendebat; dictitans teste Plutarcho: *Magis regium esse addere, quàm detrahere.* At Christus Dominus quàm longè ad beneficia largienda longiores manus habet? Ita vt merito iuxta Ambrosium Christo Redemptori dixerit Dauid: *Aperiente te manum tuã omnia implebuntur bonitate. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Quo in loco bene notat Hugo Christum ad maius liberalitatis indicium non solùm aperuisse manus, sed in passione perforasse, vt largius, & facilius nostræ redemptionis pretium effunderetur. Hoc autem Pharisæi conuiuio quàm largè erga Magdalenam manum aperuit Dominus condonans ei debitum infinitæ solutionis! *Dixit ad illam: Remittuntur tibi peccata tua.* Ad indicandum Christi Domini manuum liberalitatem dicitur Cantic. 5. *Manus versatiles*, hoc est, agiles dicuntur; quod ad benefaciendum sint semper paratæ, vt ait S. Iustus Episc. Orgelitanus. Versatiles sunt ad dexteram, & ad sinistram, benefaciendo scilicet tam in prosperitate, quàm in aduersitate constitutis. 2. *Qui torno operatur, facilius, citius, atque perfectius operatur*, ait Rupertus. Tornatiles ergo dicuntur Christi manus, hoc est beneficæ eius operationes ob liberalitatis velocitatem. 3. In tornatili figura, quæ ponuntur facilè defluunt; ad significandum ergo in Christi manibus hyacinthos, hoc est cœlestia dona reposita ad nos facilè defluere; eius manus tornatiles plenæ hyacinthis benè dicuntur.

Artaxerxes ob manus, & brachia lõgiora longimanus dictus, maximè liberalis fuit. Salianus tom. 5 anno Mundi 3590. In Apophtegmatis. Liberalitas Christi Domini. Ambros. 2 de Spiritu sancto c. 10.

E

Psal. 28. Ps. 144. v. 16 Christi Domini manus dicuntur tornatiles, cur versatiles dicantur.

8. Assuerus quamuis non corpore tantùm, sed etiam liberalitate Longimanus; nũquam ad infensos, & rebelles benefaciendo manus extendit: Extendit autem Dominus, vt Isa. c. 65. testatur. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi*; seu ex Hebræo *Ad populum rebellem, & contumacem: profundens in eos munera, & charismata*, vt ait Theodor. Denique Assueri humanitatem commendat Plutarchus; quòd cum ei iter facienti, *plebeius quidam vtraque manu haustam è profluente aquam, (quia nihil habebat aliud) obtulisset, hilari vultu accepit.* Quanta Christi humanitas in præsenti Euangelica historia elucet; cum iucundissimo vultu lacrymarum poculum, quod ei geminis oculis Magdalena profundebat, libentissimè acceperit?

Liberalitas Christi Domini. Apud Pierium Ad Rom. 10. Plutarch. Supra Assuerus à plebeio vtraque manu aquam oblatam libentissimè accepit.

9. Ioan. 2. inuitatus Dominus ad Canæ Galilææ conuiuium, ibi per miraculum aquam in vinum transmutauit. Ad hoc itidem Pharisæi conuiuiũ vocatus Dominus Magdalenæ lacrymas in vinũ conuertit. Quodnam in vinum? In illud scilicet, de quo sub persona pœnitentium Dauid dixit: *Potasti nos vino compunctionis*; seu, vt alii legunt *contritionis. Bene compunctionis magna vino potatur*, inquit Arsenius Abbas, *qui propeccatis suis apud se intus stimulatur: quoniam perfectè abluitur immunditia sordis, quàm sæpius lauerit lacryma cordis. Hæc est cõpunctio illa reconciliatrix per quam reconciliata est Deo Maria peccatrix; quando per iudicium Diuinitatis acceptum dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.*

Christus in Cana Galilææ conuiuio aquam in vinum conuertit: in Pharisæi conuiuio et Magdalenę lacrymas in vinum compunctionis effecit. Psal. 59. Tom. 2. Biblioth. Serm. Natalis Martyrum.

10. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*, ait Apostolus; quasi aliud vinum sit, in quo luxuria non sit; sed pudicitia: non dissolutionis crapula, sed sanctimoniæ lætitia. Hoc est vinum cõpunctionis ex pœnitentiæ lacrymis. *Vinum*, inquit Bernardus, *in quo est lætitia, non luxuria: vinum totius suauitatis, nullius libidinis: hoc certè vinum lætificat cor hominis.* Ad huius vini potũ à cœlesti sponso inuitamur Cant. 5. *Bibite, & inebriamini carissimi. Hoc vinum*, vt ait Ambros. *sobrios facit: hæc ebrietas gratiæ, non temulentiæ est: lætitiam generat, non titubantiam. Sobria hæc est ebrietas*, ait Bernardus, *vero, non mero ingurgitans: non madens vino, sed ardens Deo.* Quare bene nos hortatur Ambrosius ad saturare hoc compunctionis vino, largè potandum: *Læti bibamus sobriam ebrietatem spiritus.* Quod si pœnitentiæ lacrymæ iuxta Bernardum *ardent Deo*: benedixit Isaias 64. *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes. Aquæ arderent igne*: scilicet lacrymarum aquæ igne illo arderent, de quo cum Mose dixit Apostolus: *Deus noster ignis consumens est. Consumit enim veterem vitam diuinus amor, &*

Ad Ephes. Vinum, in quo non luxuria est, sed pudicitia, est vinum compunctionis. In Cant. Ser. 30. Psal. 103. De Cain & Abel c. 5. Tract. de diligendo Deo In hymnis. Aquæ ardẽt igne, cum cõpunctionis lacrymæ ardẽt Deo. Deut. 4. Ad Hebr. 12.

Aug. contra Adimantū c. 24 & 32.

innouat hominem, ait Augustinus explicans hæc Mosis verba. Quam beatam à diuino igne consumptionem experta est Magdalena, vt peccatrix consumpta; & vt innocens, & sancta felicissimè innouata.

Psal. 35.

11. Porrò etsi de Beatis in cœlesti regno scriptum est: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ.* Et Psal. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*: nihilominus Angelici spiritus mirum in modum animarum salutem cupientes, ad cœlestes sedes Luciferi casu desertas implendas, pœnitentium lacrymas sitiunt. *Hoc vinum constat Angelos bibere cum lætitia. Gaudent in conuersione, & pœnitentia peccatorum, salutem hominum sitientes. Lacrymæ pœnitentium vinum eorum*, ait Bernardus. In hoc igitur vinum pœnitentis Magdalenæ lacrymæ in præsenti conuiuio diuina gratia transmutantur. Quo etiam vino in hoc Pharisæi conuiuio ipse Dominus potari voluit. *Accubuit Christus*, inquit Chrysologus, *non pocula saporata melle, floribus odorata sumpturus: sed pœnitentis lacrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus. Deus delinquentium gemitus esurit, sitit lacrymas peccatorum.* Quamquam ipsæ quidem lacrymæ pocula saporata melle fuerunt. Nam olim in conuiuiis fuit in deliciis mulsum, quod erat vinum ex melle commixtum; in hoc Euangelico conuiuio mulsum non desideratur: cum enim Magdalenæ lacrymæ in compunctionis vinum transmutarentur, mellis dulcedinem admixtam habebant. *Nam rorulenta aspergines lacrymarum, vt dulcor mellis sunt cordi*, ait B. Antiochus. Porrò cum pœnitentiæ lacrymæ diuinitus excitentur; hinc est, vt bene lacrymas rorulentas aspergines B. Antiochus vocauerit; cum roris instar è cœlo fluere videantur. Teste Plutarcho Ægyptii boui, quem sub Apis nomine, vt Deum venerabantur, ex peculiari puteo, non ex Nilo potum præbebant; huius vanæ religionis rationem reddentes, quòd Nili aquam profanam arbitrarentur ob crocodilos, qui ibi erant. At verus noster peccatorum lacrymas non dedignatur; quamuis è corde prodeant, quod peccata crocodilis multò peiora monstra enutriuit. *Deus delinquentium gemitus esurit, sitit lacrymas peccatorum.*

Lacrymę pœnitentiū sunt vinum Angelorū.

Supra. Lacrymas peccatorum Deus sitit. Hic & n. 6. & 104. ser. 93.

Plin. 12. cap. 24. Lacrymæ pœnitentis ornatæ, mellitæ sunt cordi ipsius pœnitentis, & Deo. Hic, & n. 96.

Tom. 2. Bibl. hom. 107. de Compunctione. Lacrymæ pœnitentis velut cœli rores sunt.

Plutarch. Comment. de Iside, & Osiride. Ægyptii boui, quem sub Apis nomine vt Deum colebant, cum Nili aquas non potabant.

Mar. 6.

12. Herodes in natalis sui conuiuio Herodiadis filiæ regni dimidium obtulit: *Quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei.* In hoc Euangelico conuiuio Magdalenæ Dominus integrum cœleste regnum, condonatis eius culpis elargitur dicens: *Remittuntur tibi peccata tua.* In Herodis conuiuio saltatrix puella in saltationis præmium Ioannis caput habuit: *Præcepit afferri caput Ioannis in disco, & dedit illud puellæ.* Hoc in conuiuio Magdalena non Ioannis caput, sed Domini pedes obtinuit; eosque, veluti vberem campum in possessionem acceptum lacrymis rigauit; vt inde sibi suauissimos ad animæ cibum fructus educeret. *Non sic semina delatus imber germinare, & crescere facit; vt pietatis semen excitat, & vernare facit ex lacrymis ruens imber*, ait Chrysostomus: ita vt verè diceret Dauid: *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Ad pedes Christi cucurrit Magdalena*, inquit S. Paulinus; *sequè in illis abluit, & cibauit. Atque ipsos sibi pedes sacrarium (vt ita dixerim) & altare constituit. In quibus libauit fletu, lauauit vnguento, sacrificauit affectu.* Quare æquum fuit, vt è beatis illis pedibus Magdalena

Herodes in conuiuio saltatrici dimidium regnum obtulit. Christus in Pharisæi conuiuio integrū cœleste regnum Magdalenæ. Lacrymarū imber, vt spiritualia semina fœcunde germinent, efficit.

Chrysost. Hom. 4. ad Popul. *Psal. 125.* *Ep. 4. ad Seuerum.* Christi pedes Magdalenæ pro sa-

A spiritualis vitæ sibi alimenta compararet, iuxta Apostolum dicentem: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt; & qui altari deseruiunt, cum altari participant.*

crificāti altare fuerūt. Hic, & n. 99. *Ep. 1. ad Cor. c. 9.*

13. Euangelicus paterfamilias, cum prodigum filium resipiscentem lauto conuiuio excepisset; conuiuium illud harmoniaca symphonia, & suauissimo cantorum choro celebrari voluit: *Filius eius senior cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum.* Huic conuiuio, in quo pœnitens Magdalena Dominum inuenit, symphonia, & suauissimus concentus non defuit: fuit is fletus, & gemitus Magdalenæ. Benè enim de Magdalena B Chrysologus ait: *Ad delicias Deuatis totas, totam pulsat cordis sui, & corporis symphoniam: organi planctibus dat clamorem; citharam per suspiria longa modulatur; gemitus aptat in fistulam; & dum pectus ipsam conscientiam arguens sæpè percutit, facit placitura Deo cymbala personare.* Pœnitentiæ ergo gemitus, & lacrymæ Diuinis, & Angelicis auribus iucundissimam harmoniam efficiunt. Quod bene noscens Dauid dicebat: *Confitebor tibi, Domine, in gemitibus; & nomini tuo cantabo*; seu *lacrymabor*, vt legitur ex Hebræo. Idem Dauid, sua vt deprecatio à Domino exaudiretur, lacrymarum, gemituumque concentum addidit, quem Deo iucundissimum esse nouerat: *Exaudi orationem meam, Domine, C & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas.* Hinc exultans dicere potuit: *Exaudiuit Dominus vocem fletus mei.* Ideo ad diuinam opem suauissimo, & efficacissimo concento implorandam, hortatur Ierusalem Ieremias Thr. 2. 18. *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, & noctem: neque taceat pupilla oculi tui.* Hinc Chrysostomus asserit, multò melius fuisse Paulum lacrymantem, & gementem videre, quàm innumerabiles choros. Hinc Psal. 29. Dauid aiebat: *Conuertisti planctum meum in gaudium*: vbi Hieronymus legit: *Conuertisti planctum meum in chorum*; vnde scilicet harmonicus cantus resonat.

Luca 15. Gemitus pœnitentis cordis grauissimam harmoniam Deo resonant. Hic, & n. 14. 16. 17. 18. & 74. *Ser. 93.*

2. Reg. 8. 22. *Psal. 38.* *Psal. 6.* *Hom. 12. in Ep. ad Coloss.*

14. Ad idem indicandum Cantic. 2. cum cœlestis sponsus ad sponsam exhilarandam iuD cundissimum, & opportunum tempus adesse dixisset, quo simul conuenirent: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: iam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit: Flores apparuerunt in terra nostra*: ibi postea non ad rem additum fuisse videtur: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Quæ enim voluptas percipi potest à turturis voce? Quandoquidem, vt benè ait Bernardus, *Turturis vox non dulce admodum sonat, gementi, quàm canenti similior.* Hinc potius dici debuerat: Lusciniæ, aut Cygni vox audita est in terra nostra. Sed cœlestis sponsus, vt gemitum tamquam suauissimum cantum se existimare ostenderet; turturis tantùm voce se obleE ctari significauit. Et ideo iuxta originale Hebræum ibi præmisit: *Tempus cantationis aduenit*; quasi talium cantum, quam gemitum non agnosceret. Ideo pia quælibet anima Dei sponsa Magdalenam imitata, instar turturis sanctis gemitibus diuinas aures mulcere frequentius gaudet. *Dum sancta quæque anima*, ait Bernardus *Christi præsentiam suspirat; regni dilationem molestè fert: desideratam patriam gemitibus, & suspiriis à longè salutat: nonne videtur vice fungi gemebunda, ac castissima turturis?* Propterea Cantic. 1. sponsæ à cœlesti sponso dicitur: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Vbi ex Hebræo legitur: *Turtures aureas faciemus*

Ser. 59. in Cant. *Supra.* Murenalæ aureæ cur Dei sponsæ promittuntur.

tibi. Quibus verbis iuxta Anselmum, & Bernardum inauures pendula aurium ornamenta describuntur. Sponsæ igitur auribus aureæ turtures dantur in præmium, quòd instar turturis sanctis gemitibus diuinas aures suauius oblectauerit.

Cap. 2.

15. Ad idem significandum ibidem à cœlesti sponso subditur: *Surge, amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ: ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Decora quidem pœnitentis, pieque lugentis animæ facies est, cum in ea nulla sit *macula, neque ruga*: peccatorum enim maculæ, lacrymarum aqua planè tolluntur. *Sicut*, inquit Chrysostomus, *faciem corporis tui quotidie abluis; ne qua fortè macula faciei inhærens fœda appareat: sic & animæ curam habe, quotidie lacrymis eam abluens; hac enim aqua macula deponuntur.* Similiter Berengosius Abbas dixit: *Perfectè abluitur immunditia sordis, quam sæpius lauaris lacrymacordis.* Deponuntur etiam rugæ; cum pœnitens lacrymis irrigatus dicere possit cum Dauide: *Refloruit cor meum*: hoc est, iterum ad iuuentutem, spiritualemque vigorem rediit. Decora rursus pœnitentis facies est, cum eius oculi lacrymis, veluti gemmis ante Dei conspectum pulcherrimè niteant: *Quidnam dic, oro, oculis illis formosius, perpetuo lacrymarum imbre, & quasi margaritarum decore ornatis?* ait Chrysostomus. Benè igitur pœnitenti animæ à cœlesti sponso dicitur: *Facies tua decora.*

Ad Eph. 5. vers. 27. Hom. 21. in Gen. Lacrymarū aqua spirituales maculæ, rugæ, sordesque tolluntur. Hi., & o. 92. & 107. Tom. 2. Bibl. ser. in Natali Martyrum. Psal. 27. v. 7. iuxta Theodotionem Lacrymæ velut preciosæ gemmæ animam ornant. Hom. 30. in Gen. In Cantica

16. Sed in quo vox tua dulcis? inquit Rupertus. *In eo videlicet, quod columba mea es; & sicut columba gemitum pro cantu habes. Canendo gemis, & gemendo canis; & ipsa exultatio, qua exultauit spiritus tuus in Deo salutari suo, plena est gemitibus, plena lacrymis. In quo facies tua decora? In eo videlicet, quòd magna est fides tua, magna humilitas.* Quod quidem speciatim Magdalenæ conuenit, cui dictum à Domino est: *Fides tua te saluam fecit*: & ex humilitatis spiritu *fleuit retro secus pedes Domini.* Porrò qui musico concentu valde delectantur, cantores, & musica instrumenta eò deferre solent, vbi è cauerna aliqua harmonicas voces, resonum Echo geminare soleat. Similiter adeo cœlestis sponsus gementis animæ concentu oblectatur; vt suæ sponsæ vocē è cauerna resonare suis auribus velit, dicens: *In cauerna maceriæ sonet vox tua in auribus meis*: scilicet, vt iucundissimi gemitus diuinis auribus geminentur. *Delectatur admodum*, inquit Bernardus, *istiusmodi cauernis Deus, ex quibus sibi vox resonat.* Hinc mirum non est, si in Massiliensi spelunca diutius vitam degere Magdalenam Dominus voluerit; vt inde scilicet pœnitentis Magdalenæ gemitus diuinis auribus iucundissimè geminarentur. Quare, vt suauissimo gementis Magdalenæ concentui vices rependeret Deus; pluries quotidie eam in sublimem aërem receptam suauissima Angelorum melodia oblectare voluit; vt Magdalenæ testatur historia. Quam diuinam beneficentiam admirata Magdalena, in gratiarum actionem sua in spelunca quotidie Angelorum concentui piis gemitibus vices reddebat. Benè igitur Bernardus ait: *Delectatur admodum istiusmodi cauernis Deus: ex quibus vox sibi resonat gratiarum actionis; vox admirationis, & laudis.*

Ibidem.

Magdalena in Massiliēsi solitudine quotidie Angelicam melodiam audiebat.

In Psal. 127.

17. Quòd si Romana theatra ad populum exhilarandum musicis concentibus resonabant; *Dulciores sunt*, inquit August. *lacrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum*: certè Euangelico patrisfamilias voces illæ resipiscentis prodigi filii: *Pater peccaui in cœlum, & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus*: iucundiorem harmoniam reddiderunt, quàm symphonia illa, & cantorum concentus, quos ipse pater ad conuiuium exhilarandum aduocauerat. Præterea adeo Deus gementis, & lacrymantis animæ concentu delectatur; vt, quamuis in cœlesti regno perpetuam melodiam habeat Angelorum, aureis citharis citharizantium; nihilominus gemituum, & lacrymarum concentum multò ardentius expetere videatur. Hinc pœnitenti animæ per Ieremiam ait: *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, & noctem: non des requiem tibi; neque taceat pupilla oculi tui. Consurge, lauda in nocte; in principio vigiliarum: effunde, sicut aquam, cor tuum ante conspectum Domini*; idest, *effunde ex intimo corde lacrymas compunctionis*, vt ait S. Paschasius. Ex istis lacrymis harmonica laus Deo redditur: propterea cum dixisset: *ne taceat pupilla oculi tui*, subdidit: *Consurge, lauda in nocte.* Hæ lacrymarum aquæ, tanquam musicæ voces, præcipuè ad Deum laudandum, & benedicendum inuitantur. *Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt Domino.* Merito aquæ super cœlos, dici possunt lacrymæ: Primò, quia supra cœlestes Domini pedes è Magdalenæ oculis fluere dignæ fuerunt. Hinc benè Chrysologus ait: *Animutatur ordo rerum: pluuiam terra cœlum dat semper: ecce nunc rigat terra cœlum: immo super cœlos, & vsque ad ipsum Dominum imber humanarum prosilit lacrymarum, vt iuxta Psalmistam & de aquis fletuum cantetur illud: Et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Secundò pœnitentis lacrymæ super cœlos sunt, quia in cœlum potestatem habent, cœleste regnum hominibus per pœnitentiam acquirendo: Tertio quia iuxta Gregorium *Cœlum est anima iusti*, Similiter Bernardus ait: *Ego puto omnem animam talem, non modo cœlestem esse propter originem; sed & cœlum ipsum posse non immeritò appellari propter imitationem. Est ergo cœlum sancta aliqua anima, habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes.* Hinc iuxta Bernardum, cum Dominus dixisset Isai. 66. *Cœlum mihi sedes est*: id per Salomonem explicans ait: *Anima iusti sedes est sapientiæ*, sapientiæ scilicet increatæ, quæ est diuinum Verbum, Deique filius. E mystico igitur hoc cœlo, nempe ea anima iusti, compunctionis, & amoris lacrymæ defluunt. Quartò denique super cœlos sunt lacrymæ; quia, vt supra dictum est, ad sanctos Angelos, reliquosque beatos ob peccatoris pœnitentiam exhilarandos in cœlum ascendunt. *O quantum gaudium est in cœlis, simul ac peccator in terris lacrymas profuderit*, ait S. Ephrem.

Luc. 15. Thr. c. 2. Dan. 3. Lacrymæ quadruplici titulo dictæ aquæ, quæ super cœlos sunt. Ser. 93. Psal. 148. Cœlum est anima iusti Gregorius Hom. 38. in Euang. Bern. ser. 27. in Cant. Sap. 7. Lacrymæ pœnitentis cœlites exhilarant

18. Psal. 136. cum Chaldæi à captiuis Israëlitis peterent: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion*: iusti Israëlitæ diuinis laudibus intenti responderunt: *Quomodo cantabimus canticum nouum in terra aliena?* Renuerunt pii Israëlitæ hominum aures canticis oblectare; cum nobiliori concentu, nempe gemitu, & lacrymis, diuinas aures mulcere studerent dicentes: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, cum recordaremur Sion*: cum scilicet non tam terrenæ, quàm cœlestis Ierosolymæ, ad quam aspiramus, memoria nos ad gemitus, & lacrymas excitaret; vt Augustinus interpretatur. Quod expertus Bernardus cœlestis similiter Ierosolymæ desiderio captus, aiebat: *En ipsa eius recordatio ad lacrymas pro*

Ser. 4. de Compunctione. Ser. 33. in Can.

mecat; plani iuxta affectionem, & vocem dicentium: super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.

Orat. hortat. ad Gentes Ps. 118. v. 85. Lacrymæ ex inferno Magdalenam, e sepulchro Lazarum extraxerunt.

19. *Accedat*, inquit Clemens Alexandrinus, *ipsa quoque Poetica, quæ est quidem omninò in falso occupata; sed vix tandem aliquando testatur veritatem. Orpheum musico concentu sponsam Euridicem ab inferis reuocasse fabulosè narratur.* Hinc profectò Deo dicere possumus: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes; sed non, vt lex tua.* Verè enim, non fabulosè in præsenti Euangelico conuiuio Magdalena Christi sponsa ab Inferorum faucibus eripitur; non alio, quàm lacrymarum, & gemituum concentu. Similiter Magdalenæ frater Lazarus gemitu, & lacrymarum concentu è morte ad vitam à Domino reuocatus legitur Ioan. 11. *Infremuit spiritu*, hoc est, *ingemuit*, iuxta Eusebium Emissenum; *& lacrymatus est Iesus.* Ita vt in corporalem, & spiritualem mortem gemitus, & fletus emodulatio imperium habere videatur.

Et ingressus domum Pharisæi discubuit.

20. CVm Christus Dominus Pharisæos adeo sibi infensos, & calumniatores agnosceret; quibus etiam Matth. 23. dixit: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ; quia similes estis sepulchris dealbatis. Pleni estis hypocrisi, & iniquitate:* Cur tam libenter domum huius Pharisæi ingredi voluit, ibique etiam discumbere? Scilicet quia ea diuina prouidentia ad arguendam Pharisæi incredulitatem, eum in locum venturam Magdalenam Dominus præcognosceret. Hinc benè Chrysologus ser. 54. ait: *Quando quis se bestiis immiscet; nisi cum vult liberare captiuum? Et qui pretiosam perdit margaritam, loca squallida non dedignatur intrare; & eam inter stercora ipsa perquirere non abhorret.* Margarita perdita Magdalena erat; de qua canit Ecclesia: *In thesauro reposita Regis est drachma perdita: Gemmaque luce inclyta, De luto luci reddita.* Hanc gemmam in Pharisæi domo perquirere Dominus non est dedignatus.

Magdalenā ve perditam gemmam in Pharisæi domo, velut in sordido loco quærere Dominus est dignatus.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.

21. MVlierem hanc Magdalenam nomine, Lazari, & Marthæ sororem fuisse ostendimus ser. 6. Domin. 4. Ciuitatem, in qua Magdalena tunc erat, Naim fuisse non improbabiliter existimat Toletus. Paulò ante prope vrbis huius portam emortuale lignum manu tangens Dominus vitam defuncto adolescenti reddidit: ibidem nunc Domini pedibus à Magdalena osculo tactis, illa de portis mortis ad vitam gratiæ reuocatur. Ibi defuncti adolescentis matri Dominus dixit: *Noli flere*; sed ibidem Magdalenæ fletum libentissimè admisit; eamque Pharisæo commendauit: *Aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lacrymis rigauit pedes meos.* Scilicet, vt doceret animam spiritualiter mortuam, pœnitentiæ lacrymis posse ad vitam gratiæ excitari: secus verò lacrymas super defunctorum cineres effusas, steriles omninò esse; nec iis posse aridum vitæ germen reuiuiscere. *Sterilis est omnis effusio lacrymarum*, ait B. Petrus Cellensis, *quæ non effunditur propter regnum cælorum. Inanes sunt lacrymæ, quas damnum, vel incommodum extorquet temporale. Flendum solummodo est, aut pro peccato commisso, aut pro amisso*

[illegible] 7. Magdalena [illegible] ciuitate [illegible] Do- [illegible] [illegible].

Lacrymæ [illegible] steriles, [illegible], sed fœcundæ ad [illegible], non ad terram [illegible] gaudem [illegible] debent.

[illegible] depo- [illegible] c. 11.

paradiso Quare S. Ephrem ser. 4. de compunctione explicans Domini verba Matth. 5. *Beati, qui nunc fletis, quoniam ridebitis*, ait: *Non quidem dixit beatos illos, qui deflent mortuum, aut damnum domus, aut necessitatem, aut quid aliud seculi huius: sed beati, inquit, illi, qui lugent de peccatis suis. Nunc enim ad modicum tempus plorant; illic autem in sempiterna consolabuntur secula. O lacrymarum virtutem, quæ ab inferis ad cælos vsque reducis desiderantes te.* Lacrymarum aqua mortalibus ad irrigandum cœlum, non terram, data est; quòd ibi gratiarum fœcunditatem pariat; hîc verò planè afferat sterilitatem. Salsis marinis aquis lacrymæ assimilantur: *Magna est velut mare contritio tua*, lacrymanti Ieremias dixit. Marinis aquis terra sterilescit; eædem verò si cœlum versus eleuentur, relicta salsedine dulcescunt, & fœcundæ sunt: similiter lacrymæ, vt animam fœcundandi vim habeant, cœlum versus fundendæ sunt. Hinc benè Rupertus ait: *Aquarum natura salsa est, nec potui habilis: ascendens autem de abysso in illam quasi terræ mammam, idest Paradisi fontem, quodammodo lacteam sumit dulcedinem; vt potent omnes bestiæ syluæ, & expectent Onagri in siti sua.* Idipsum docuit S. Ephrem, dicens: *Certò scitote, fratres, non fore in terra quid dulcius gratia lacrymarum; si quis vestrûm expertus lacrymarum dulcedinem, mediante oratione desiderauerit eleuari à terris: Totus hic extra corpus in cælum fertur.* In cœlum ergo cum ipso lacrymante lacrymæ sunt eleuandæ. Ex Aristotelis sententia 7. de hist. animalium, Pluuialis aqua è cœlo decidens, multò fœcundior est, quàm fontana, aut fluuialis aqua. Sicut ergo cœlestes imbres antea terrestres aquæ fuerunt; sed in cœlum ascendentes, ibi fœcundandi vim maiorem acquirunt: ita lacrymæ, vt animam fœcundandi vim magnam habeant, è terrestri humano corde cœlum versus ad spirituales fructus impetrandos fundendæ sunt.

Thr. 2.

Lib. 2. in Gen. c. 9.

Tom. 3 or. de extremo Iudicio.

Pluuialis aqua, quàm fontana fœcundior.

21. Porrò Adrichomius non in ciuitate Naim, sed in Magdalo ipsius Magdalenæ castello Dominum apud Pharisæum discubuisse putat. Hoc autem nobis diuinam misericordiam maximè indicat; cum in Magdalum Dominus, vt peccatricem Magdalenam reperiret, consultò venerit. Misericors enim Deus potius peccatores quærit, quàm ab ipsis quæritur: quod benè noscens Dauid aiebat: *Erraui sicut ouis, quæ periit: quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* Benè de peccatrice anima ait Bernardus: *Non quæreret, nisi quæsita fuisset.* Sicut ergo Ioann. 4. Christus Dominus *venit in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar*; vt ibi Samaritanam inueniret, eamquè ad salutem reuocaret: sic in Magdalum venit, vt ibi Magdalenæ similiter animæ salutem impertiret. *Magdalum*, inquit Adrichomius, *Mariæ Magdalenæ castrum, vbi & nata, & sanata est, situm est in littore maris Galilææ.* In Galilæa autem tunc Dominus versabatur; vbi etiam erat ciuitas Naim, in qua paulò ante, vt supra diximus, mortuum adolescentem suscitauerat. Opponi tamen potest Adrichomio: quòd, vt ipsemet ait, Magdalum castrum erat, non ciuitas: at hîc de Magdalena dicitur: *Mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Propterea, qui Adrichomii sententiam sequi vellet: ciuitatis nomine hîc Antonomasticè Ierosolymam, quam Magdalena frequentabat significari deberet asserere: sicut cum Lucæ 21. dicitur: *Euntibus vobis in ciuitatem; occurret vobis homo.* Sic Latinè cum absolutè Vrbs dicitur, Roma solet intelligi. Nisi quis

In descript. terræ S. Pag. 141. n. 66.

Peccatores potius Dominus quærit, quàm ab illis quæritur.

Psal. 118. v. 176.

Serm. 48. in Cant.

Supra.

dicat hîc ciuitatis nomen genericè sumptum A etiam oppido fuisse tributum.

Magdalena neque tantùm ex lasciuæ formæ ostentatione, neque ea meretricia vita peccatrix est dicta.

23. Præterea, cum dicitur hîc, *Mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix*; neque ita excusanda Magdalena videtur, vt peccatrix dicta sit; quòd tantùm lasciuam formam plus nimio ostentauerit; quodque multorum amantium obsequium solummodo affectauerit; quo viuendi modo ciuitati in scandalum fuerit: neque ita accusanda est, suam vt pudicitiam planè prostituisse dicatur: Non primum, quia peccatrix nota plus aliquid significare videtur: non secundum, quia Magdalenæ nobilitas, & diuitiæ; insuper Lazarus frater, & eiusdem Magdalenæ superbia, ei meretriciam vitam non permisissent. Dicitur enim de Magdalena Luc. 8. *Maria, quæ vocatur Magdalena, de qua septem dæmonia exierant*, B hoc est septem vitia capitalia iuxta Bedam, Theophylactum hîc, & Gregorium homil. 33. Inter dæmonia hæc, seu capitalia vitia, superbia præcipuum obtinebat locum in fœmina nobili, diuite, & formosa: ex superbia ergo saltem, in meretriciam vitam Magdalenam non incurrisse dicendum est. Cum autem meretricis nomen illi tribuunt Augustinus serm. 18. de tempore; Hieronymus cap. 26. in Matth. Ambrosius, Gregorius, Beda, Chrysostomus homil. 62. ad popul. & Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 141. meretricis nomen non mediocriter impudicam significare dicendum est. Non tamen Magdalena adultera dicenda non est; cum neque coniugem eam habuisse, C neque cum coniugato peccasse reperiamus. Quamuis autem tali nomine eam Augustinus appellet; id intelligerem de spirituali adulterio contra cœlestem sponsum, ex quo hoc peccatricis titulum meruit; eo etiam sensu, quo Marci 8. de Hebraica gente Dominus dixit; *In generatione ista adultera, & peccatrice*. Quare negandum est, quod in Marci commentario apud sanctum Hieronymum dicitur Magdalenam viduam fuisse.

Homil. 23. inter. 50. Magdalena quo sensu adultera dicta est.
Ca 15. v. 40.

24. Fœda carnis voluptas, & lasciuiæ illecebræ, quibus obnoxia Magdalena fuit, quantam vim habeant ad animam peccatis maculandam, adeoque quanta sollicitudine carnis insidiæ timendæ sint, & vitandæ, benè ponderat Origenes in epist. ad Rom. cap. 8. vbi in illa Apostoli ver- D ba: *Neque vlla creatura alia poterit separare à charitate Dei*, ait: *Ostendit Paulus ex his omnibus salutis suæ confidentiam; cum iam neque Angelis aduersantibus, neque virtutibus impugnantibus, neque præsentibus, neque futuris sibi oblectationibus, neque vlla prorsus creatura aduersante à charitate Dei, se posse diuelli dicit; nec ex vllo tot aduersariorum caperet metum; vt verum ostenderet, quod perfecta charitas foras iam misit timorem. Habuit tamen aliquando ipse metum, & timuit, ut fortè caderet: & iste, qui modò cœlestium virtutum aduersum se si commouerentur, bella, non metuit, aliquando vel carnem suam metuit, & ex ea consurgentes insidias formidauit, quando dicebat ad Corinth. 1. cap. 9. Macero corpus meum, & in seruitutem subijcio, ne fortè cum alijs* E *prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Et ideo præ cæteris omnibus carnis insidiæ formidandæ sunt. & ille, qui de nobis procedit, cauendus est hostis; donec in tantum profectum veniat anima, vt dulcedine charitatis Dei adstricta, corporis blandimenta, & carnis illecebras abhorrescat, vnus cum Deo spiritus facta*. Quod certè Magdalena pœnitens consecuta est.

Carnis insidiæ quàm timendæ, quàm sollicitè vitandæ.

Vt cognouit, quod accubuisset in domo Pharisæi.

25. PRopter celeritatem, qua Magdalena Dominum, statim ac aduenisse cognouit, adiit; diuinæque vocationi nulla interposita mora respondit, verè cum Apostolo dicere potuit: *Cum placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit me per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me: Continuò non acquieui carni, & sanguini; neque veni Ierosolymam*. Ierosolymam quidem Magdalena non venit, cum Dominus eo tempore in Galilæa versaretur, & tunc speciatim esset in vrbe Naim, vt supradictum est. Reperit tamen, vbi Dominus erat, Ierosolymam, quæ *Visio pacis* interpretatur: vbicumque enim Dominus est, visio pacis est, iuxta Dauidem testantem: *Factus est in pace locus eius*. Hinc cordis pacem consecuta Magdalena rediit dicente ei Domino; *Vade in pace*. Benè autem in vrbem Naim diuinæ voci obediendo Magdalena venit: Naim enim nomen Hebraicè, pulchrum, significat: congruum igitur fuit, vt ibi Magdalena amissam animæ pulchritudinem diuinæ inspirationi obediendo acquireret: nam teste Chrysostomo, *Pulchritudo animæ pendet ab obedientia erga Deum. Anima enim quamuis deformis, si obtemperauerit Deo, deponit peccatum, & speciosa redditur*: Sponsa ad cœlestem sponsum vocantem accurrere renuit, dicens: *Laui pedes meos*. Contra verò Magdalena, vt Domini pedes pœnitentiæ lacrymis ablueret, statim ac eum internè vocantem cognouit, accurrit. Hinc Domini abluendo pedes, eosque vnguento vngendo, inflictis animæ vulneribus Magdalena medelam inuenit, dicente ei Domino: *Remittuntur tibi peccata tua*. Sponsa verò in vulnera incurrens, suæ ignauiæ pœnas dedit: *Inuenerunt me custodes, & vulnerauerunt me. Quantum*, inquit Theodoretus, *detrimenti pigritia pariat, & quantum laboris afferat ignauia, hinc perdiscimus. Dum enim excusat se sponsa, nec statim sponso ianuam vult aperire, cogitur paulò post non solùm ad ianuam vsque progredi; sed ciuitatem percurrere, & plateas circumire, atque in custodes incidere; à quibus vulnera etiam accepit, & vix sponsum inuenit exoptatum. Quod si vocanti paruisset, hæc omnia incommoda euitasset*. Lucas Abbas per custodes intelligit dæmones, qui negligentem animam suis tentationibus vulnerant.

Ad Gal. 1. v. 16.
Ps. 75.
Obedientia diuinæ voci exhibita, deformem animā speciosam reddit.
To. 1 hom. in Eutrop.
Cantic. 5.
Pigra segnities erga Deum vocantē quàm sit noxia.
Cant. 5.

26. Ideo Sapientis monito benè Magdalena obediit: *Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare*. Ergo, *Vt cognouit*, statim ac diuinam vocem eam interius vocantem audiuit; continuò carni, & sanguini, quæ lasciuiam vitam illi suaserant, non acquieuit. Continua dicuntur quæ idem punctum commune habent: Quare, vt Paulum Apostolum, & Magdalenam imitantes, continuò Deo vocanti respondeamus, eodem temporis puncto diuina vocatio, & nostra ad obediendum promptitudo esse debet. *Talem à nobis obedientiam Christus efflagitat; vt neque punctum temporis differamus*, ait Chrysostomus. Quod facilè exequemur, si temporis puncto gloriæ æternitatem nos mereri posse consideremus. Quare Magdalenæ exemplo statim Deo per internam inspirationem vocanti esse obsequendum, neque pœnitentiam esse procrastinandam suademus. Æquum enim est, vt sicut Dei inuocatio, eiusque exauditio simul sunt, testante Dauide: *Cum inuocarem exaudiuit me Deus*: ita simul etiam sint diuina vocatio, nostraque per obedientiam responsio. Quare de iusto diuinæ voci obediente di-

Eccles. 9.
Continuò Deo vocanti respondet qui ne punctum quidē temporis interponit.
In Matth. hom. 14.
Ps. 4.
Imperium Dei vocantis, & hominis obediētis obsequiū nihil intermedium habere debet.

Ser. de Virt. obedientia. Gen. 1.

xit Bernardus: *Vno, eodemque momento procedit, & imperantis imperium, & obsequium obsequentis.* Io mundi exordio visibilis lux ad Dei imperium, dicentis, *Fiat lux*, statim prodiit, eamque illuminatus mundus accepit: *Fiat lux in verbo, & facta est lux in opere*, ait Augustinus. Vt ergo visibili luci interna lux per gratiam non dissimilis sit; ea simul in Dei verbo, & in nostro opere esse debet.

1. de Gen. ad literam, c. 8.

2. ad Cor. 3.

Moses eximia obediẽtia faciei splendorem meruit. Exodi 34.

57. Moses radiante facie à monte Sinai descendit, ita vt teste Apostolo: *Non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius;* Talem faciei splendorem specialiter Mosea meruit ob celerrimam erga Deum vocantem obedientiam. Cum enim Mosem Deus ad colloquium in monte Sinai verbis hisce vocasset: *Esto paratus mane, vt ascendas statim in montem Sinai. Moyses de nocte consurgens ascendit in montem Sinai.* Vt celeriter ad Deum veniret, nocte consurgens matutinum tempus præuenit. Nocturnæ illę tenebrę Mosis splendentis faciei radios meruerunt. Quod indicans Sapiens, cum de Deo erga Mosem dixisset: *Ostendit illi gloriam suam;* ex qua vultus Mosis gloria emanauit, rationem subdidit: *Audiuit enim vocem ipsius*: hoc est, Dei ad se vocantis voci statim obediit.

Eccli. 35.

28. Statim diuinę voci obedire debemus, quia Deus statim nostræ voci benignè respondet. *Ad vocem clamoris tui, statim vt audierit, respondebit tibi*, ait Isaias. Immo quod maius est, Deus preces præuenit, illas emittendas, prius quàm amissas exaudiendo, iuxta Dauidis testimonium: *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Non expectat Deus verba, sed solis cogitationibus aduocatur*, ait Bernardus: *Benignissimus Deus*, ait S. Ephrem, *ob magnam suam bonitatem protinus ab inquirentibus se inuenitur: & priusquam homo oculos ad Deum attollat, dicit ipsi: Adsum. Et antequam ad eum accedat, thesaurum coram loquente, & se inquirente aperit. Priusquam ipsum imploret, reconciliatur ei; & priusquam ipsum oret, misericordiam ab eo consequitur.* Quod quidem ipse Deus Isaiæ 65. testatur, dicens: *Antequam clament, ego exaudiam.* Dauid, cum se ad peccatorum veniam impetrandam præpararet, iam eam consecutum se esse cognouit: *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei.* Quasi dicat iuxta Augustinum: *Vox mea in ore nondum erat; sed auris Dei iam in corde erat. Non expectatur, vt vota ad Dominum præmittantur; quia Dominus ipse ante efficit, quàm oretur*, ait Chrysostomus. Tanta hæc Dei ad nos exaudiendos celeritas nonne extorquere à nobis debet celerrimam erga eum per internam gratiam nos vocantem obedientiam? Alioquin quomodo possumus Deo, dicere: *Domine ad adiuuandum me festina*; si ipsi ad obediendum Deo vocanti non festinantes, sed segnes simus? Magdalena quidem segnis, hoc est (vt huius vocis etymologia indicat) sine igne non fuit; quandoquidem de ea dicitur: *Pater superni luminis, Cum Magdalenam respicis, Flammas amoris excitas.* Ideo, *Vt cognouit*, nulla segnitie statim ad Dominum accurrit.

Isaias c. 30. 19.
Ps. 9 vel 10. iuxtà Hebr.
Serm. 9. in Cantic.
Ser. 1. de Pœnitentia.
Psal. 32.
Chrysost. 10. ... ser. ... 5.
Deo celerrime nos exaudienti, celerrimè et obediendo respondere debemus.
Hic. & n. 32.
Psalm. 69.
In hymno.

59. Mirum erga Deum vocantem obedientiæ exemplum Apostoli sancti, præcipuè Petrus, & Andreas reliquerunt. Quæritur Lucæ 5. cur Petrus, & socij, inter quos non abfuisse Andream eius fratrem credi potest; ad Domini imperium. *Concluserunt piscium multitudinem copiosam; & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur!* Fuit hoc in celerrimæ obedientiæ cum fœnore præmium: Petrus enim, & Andreas vocati à Redemptore, cum iam in mare retia iecissent, illa extrahere non curarunt, piscium iactura neglecta, vt statim ad Dominum vocantem accurrerent. *Vidit Iesus duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare; & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. Perpende*, ait Chrysostomus, *& fidem, & obedientiam vocatorum. Siquidem in medio ipsius operis constituti (scitis autem quàm auida res sit piscatio) cum illum audiuissent iubentem; nihil distulerunt. nihil omninò cunctati sunt.* Pro hac ergo celerrima obedientia etiam iuxta temporale præmium centuplum acceperunt.

Obedientiæ cum fœnore præmium.
Matth. 4.
Hom. 14. in Matth.

30. Ne vocanti Deo statim obedire renuamus, monet Dauid: *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Similiter Sapiens: *Non tardes conuerti ad Dominum; & ne differas de die in diem. O homo quare differs de die in diem, fortè hodie habiturus vltimum diem?* ait Augustinus. Diabolus cum totum humanæ vitæ tempus sibi, carnisque voluptati deposcere non audeat; dolosè partem saltem sibi concedi petit: Cum autem ex vitæ tempore præsens certum sit, futurum incertum; iniquus deceptor præsens sibi deposcit, futurum Deo relinquendum suadet iturus, cum futurum præsens sit; tunc illud ipsum, quia iam præsens est, sibi vindicare contendit: vt hoc pacto per versutiam totum sibi tempus assumat; quamuis partem tantùm postulare videatur. Talem diaboli astum sic egregiè Basilius explicat: *Peccatum hodie facere suggerit, iustitiam verò in crastinum differre nobis suadet. Quapropter Dominus dissipans praua eius consilia: hodie, inquit, si vocem meam audieritis. Ille dicit: Hodiernum mihi, & crastinum Deo. Dominus contra vociferatur: Hodie vocem meam audite. Considera inimicum; non audet consulere, vt in totum à Deo discedas; nouit quod graue est hoc auditu Christianis. Sed auribus fraudulentam aggressionem astutè facit; Sapiens est ad malefaciendum. Conspexit, quòd secundùm præsens nos homines viuimus; & quòd omnis actio iuxta id, quod instat, peragitur. Itaque hodiernum diem per fraudem nobis furans, spem nobis in crastinum dimittit. Deinde vbi crastinus dies venerit, rursus accedit iniquus ille portionum nobiscum diuisor, & hodiernum rursus sibi ipsi cederè expetit, crastinum verò Domino. Atque sic semper præsens quidem per voluptatem subtrahens, futurum verò spei nostræ dimittens, nos non sentientes è vita expellit.*

Psal. 94.
Eccli. 5. v. 8.
Ser. 201. de tempore.
Diabolus vitæ partem à nobis poscens, totum vitæ tempus astutè sibi acquirere studet.
In concione exhortatoria ad S. Baptismũ.

31. Volaticis humanæ vitæ horis diabolus, veluti callida auis suis pullis consulit, ne à pœnitente peccatore rapiantur. *Talem*, inquit Basilius, *ego aliquando vidi astutiam volucris valde astutæ. Cum enim pulli faciles captu ipsi essent ob teneritudinem, seipsam veluti prædam paratam obijciens, & in manibus venantium diuersans, neque ex proclius capi poterat; neque prædæ desperationem venatoribus inducebat: sed ipsos spe variè detinens per occupationem circa ipsam, pullis fuga copiam, ac securitatem procurauit. Deinde postremùm etiam ipsa auolauit.* Sic diabolus dum futuræ pœnitentiæ, veluti illaqueandam prædam se obijcit; vt præsentes humanæ vitæ horæ sine pœnitentia auolent, efficit; hodiernum sibi tempus poscens, crastinum verò pœnitentiæ. In hoc ergo diaboli tamquam versuti sophistæ calliditas accuratè est notanda. Crastinum enim tempus, vt crastinum, actualis pœnitentiæ incapax est: est autem pœni-

Basilius supra.
Diaboli astutia pœnitentiã procrastinare suadentis.
Hic, & n. sequenti.

A tentiæ capax, cum tempus, quod crastinum fuit, hodiernum fit: sed tunc, vt hodiernum diabolus sibi deposcit: ex quo fit, vt nullum tempus actuali pœnitentiæ relinquatur. Similis calliditas esset venatoris, qui veluti venationem tantùm exercendi voluptate contentus, feras omnes, quotquot per syluam vagarentur, sociis se concessurum diceret: cum autem irretitæ feræ essent, tunc eas sibi dandas contenderet: eo quod sociis vagantes tantùm feras se concessurum dixisset.

32. Artifices, qui ea, quæ elaborauerunt, venalia exponunt, solent interdum officinæ foribus inscribere. *Non hodie, sed cras nummis non præsentibus venditur.* Ex quo fit, vt semper emptor numeratam B pecuniam soluere cogatur; numquam enim cras, sed hodie artifex vendere se testatur. Sic diabolus, cum ignauis peccatoribus non hodie, sed cras liberum pœnitentiæ tempus se relinquere suadeat; fit, vt peccator nullum præsentem diem ad pœnitentiam peragens, miserrimè decipiatur: neque vnquam crastinum tempus inueniat. Curet propterea, vt resipiscens tandem deceptori diabolo dicat:

In Martiale.

Quam longè cras istud vbi est; aut vnde petendum?
Dic mihi cras istud, perfide, quando venis?

Pudeat Christianum monita à profanis ethnicis expectare, qui dicunt:

Martialis.

Non est, crede mihi, sapientis dicere: Viuam. C
Sera nimis vita est crastina; viue hodie.

Horat. li. 4. ode 7.

Quis scit, an adijciant hodiernæ crastina summæ
Tempora Dij superi?

Euripides in Alcibiade.

Non est mortalium quisquam, qui sciat, crastina futura die an viuat. Propterea cum interna inspiratione nos Deus ad pœnitentiam vocat, talem quisque se exhibere debet, qualem S. Bernardus serm. de gradibus obedientiæ docet: *Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes: totum se colligit, vt imperantis colligat voluntatem.* D

Tom. 10. ser. 12. de verbis Domini propè finem. Pœnitentia, & conuersio ad Deũ non procrastinanda. Hic, & sequentibus. Idem Aug. in Ps. 102. Genes. 8.

33. *Scio*, inquit Augustinus; *& mecum omnis homo, qui paulo attentius considerauerit, neminem Deum timentem sub verbis eius non se corrigere; nisi qui putat, quia plus habet viuere. Ipsa res est, quæ multos occidit, cum dicunt: Cras, cras, & subitò ostium clauditur. Remansit foris cum voce coruina, quia non habuit gemitum columbinum. Fratres, non tardetis conuerti ad Dominum: Sunt enim, qui præparant conuersionem, & differunt; & fit in illis vox cornina cras, cras. Coruus de arca missus non est reuersus. Non quærit Deus dilationem in voce coruina, sed confessionem in gemitu columbino: Missa columba, reuersa est.* Columbinum gemitum Magdalena habuit ad Domini pedes vberrimè lacrymans: E coruinam vocem non habuit; non enim *cras* dixit; sed statim *Vt cognouit*, ad Dominum venit. Pergit

Tundendo pectus, non autem conscientiam. Pectus duriore lapide nõ contritum. Ezech. 18.

Augustinus: dicens: *Geme vt columbus, & tunde pectus; sed plagas tibi dando in pectus, castus correctus esto; ne non videaris conscientiam cædere; sed malam conscientiam pugnis pauimento solidiorem reddere, non correctiorem. Fortè enim dicis tibi: Promisit mihi Deus indulgentiam; quando me correxero, securus sum: lego diuinam Scripturam: Iniquus in qua die conuersus fuerit ab iniquitatibus suis, & fecerit iustitiam, omnes iniquitates eius obliuiscar. Consentio, concedo, & cognosco, quia indulgentiam Deus promisit tibi; crastinum autem diem quis tibi*

A *promisit? Vbi mihi legis indulgentiam te accepturum, si te correxeris; lego ibi mihi quantùm victurus sis. Non lego, inquis. Nescis ergo quantùm victurus sis: Esto correctus, & semper paratus.* Similiter in Psal. 144. monet Augustinus: *Deus pœnitentiæ tuæ indulgentiam promisit; sed huic dilationi tuæ crastinum non promisit.* Similiter Gregor. homil. 12. in Euang. ait: *Qui pœnitenti veniam spopondit; peccanti diem crastinum non promisit.* Propterea egregiè Basilius quærit: *Quis adeo fide dignus apud te futurorum vas, ac sponsor est?* Talis profectò esse non potest diabolus; tum quia mendacii pater fide dignus non est; tum quia æterni patrimonii B decoctor, futuri temporis vadimonium promittere non potest.

Basilius supra. Diabolus futuri tẽporis vadimoniũ promittere veraciter nequit.

34. Cur *omnis homo mendax* dicatur à Dauide Psal. 115. diuersimodè sacri interpretes respondent: *Omnis homo mendax*, quatenus merus homo, non per gratiam eleuatus iuxta Enthymium, & Nicephorum. *Omnis homo mendax*, hoc est, peccans, iuxta Augustinum: Peccatum enim quoddam mendacii genus est; cum aliud homo, tamquam Dei imago referat, & aliud peccando proferat. Sed egregiè ad rem nostram respondet Chrysostomus, mendacem dici omnem hominem; scilicet non aliis vniuersaliter, sed sibi mendacem; cum vitæ tempora, plura sibi futura promittat. *Nihil*, inquit Hieronymus, *ita decipit humanum genus, quàm dum ignorant spatia vitæ hu-* C *manæ, longiorem sibi seculi huius promissionem repromittunt. Vnde & illud egregiè dictum est. Nullum tam senem esse, & sic decrepitæ ætatis, vt non se adhuc vno plus anno viuere suspicetur.* Quare sapienter satis ab auctore naturæ factum est, vt curuato humero caput terram versus silicernius senex dimitteret, vt sepulchri lapidem aspicere possetque, si in eum imprudens inciderit, improuiso lapsu fiat illi, *lapis offensionis*. Sed esto futuri vitæ temporis certitudo detur; ita vt crastinum diem sibi non mendaciter promittere quispiam possit, adhuc incertum est, an talis dies cum libero rationis, sensuumque vsu sit peragendus. Quid si dormientem occupet mors, qualem Sisaram occupauit; *qui soporem morti consocians, defecit, &* D *mortuus est*? Quid si mors occupet insensatum? *Vita hæc misera est, mors incerta. Si subitò obrepat, quomodo hinc exibimus? Quid si mors ipsa omnem curam cum sensu amputabit, & finiet?* ait August. Rursus licet certus foret crastinus dies, & cum eo libet rationis vsus; adhuc incertitudo remanet validæ, vel inualidæ pœnitentiæ, vt infra explicabitur.

Mẽdax omnis homo triplicter. L. de mendac. c. 20. Hom. in Ps. 115. Futurũ vitæ tẽpus nobis mendaciter speq; fallaci promittimus. Ep. 1. 9. 1. Petri c. 2. Futurũ vitæ tẽpus quãuis certò haberetur, adhuc de pœnitentia ex triplici capita simus incerti. Hic, & in sequenti. Iudic. c. 4. Aug 6. Confession. c. 11.

35. *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies*, monet Salomon Prouerb. 27. Cur crastinum tempus sibi promittere per gloriandi verbum expressit? Primò, sicut iactantia, & inauis gloriatio foret, si quis, quod in aliena potestate est, sibi tamquam proprium vindica- E ret; ita iactanter, & nimis gloriosè futura tempora sibi homo promittit; cum humanæ vitæ tempora in Dei tantùm potestate sint, iuxta Dauidis testimonium. *In manibus tuis tempora mea.* Secundò stultè nimis arcticusis seruus gloriaretur ea scire, quæ rex in arcano secretorum conclaui decernit: ita dementer gloriatur homo longius vitæ tempus sibi promittens, quasi illud futurum sciat: cum Dominus dicat, non modo tempora, sed neque ipsa momenta nobis nota esse posse: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Momenta hic non solum temporis articulos significant; sed etiam, iuxta Basilium, rei benè gerendæ opportunitates, & con-

Crastinum tempus sibi promittens ex triplici capite dementer se gerit. Ps. 30. v. 16. iuxta Psalterium Romanum. Act. 1. Epist. 141. Basilius.

& congruas occasiones. Quare etiam si quis certò sciret se vlterius vitæ tempus habiturum; adhuc Magdalenam imitari deberet, celeriter oblata opportunitate ad pœnitentiam accurrendo: quia quamuis vitæ tempus detur, adhuc incertum est, an pœnitentiæ opportunitas iam data, iterum danda sit. *Ecce ostium pœnitentiæ apertum est*, ait S. Ephrem; *festina peccator, priusquam illud occludatur. Non expectat ad tuam negligentiam tempus; at neque ipsum ostium te segnem, & desipicientem cernens, tuum semper contemptum sustinebit. Ignoras qua hora cœlestis medicus ostium medicina sua occludi iussurus sit.* Hinc ocus ait: *Tempore accepto exaudiuite; & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis.* Cum dies salutis nunc sit, ne cras perditionis sit dies, timeamus. Tertio denique stultum esset, si Pygmæus, cum gigante luctando, victoriam se reportaturum speraret. *Exultauit vt gigas ad currendam viam*, de sole, atque adeo de tempore dicitur, iuxta Cæsarium. Gigas hic ineluctabilis est: *Venit summa dies, & ineluctabile tempus.* Propterea monet Salomon: *Ne glorieris in crastinum*, ille enim in crastinum gloriatur, qui stultè ineluctabilis temporis dies pro suo arbitrio disponere posse se iactat. Luctando cum tempore vtilis industria foret Antæum imitari; quem in palæstra, cum terram corpore tangebat, inde robustiores vires sumpsisse fabulantur: Homines si se terram, in quam citò reuersuri sunt; sæpè animo reuoluerent; ex tali certè cogitatione, de tempore victoriam reportarent; quia tempus præsens salutari pœnitentiæ inseruire cogerent: neque ab incerta futuri temporis spe decipiendos se per ludibrium miserrimè exhiberent.

Serm. 1. de Pœnitentia.
2 ad Cor. 6.
Ex Isa. 49.
Ps. 18.
Cæsarius dial. 1.
Æn. 2.
Antæi fabula, quomodo salutariter sit imitanda.

36. *Ignoratis, quid erit in crastino*, monet Iacobus Apostolus: Similiter Salomon: *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies.* Ad futuræ pœnitentiæ incertitudinem significandam, bene Sapiens dixit nos ignorare quid futura dies paritura sit. Nam de mulieris partu planè incerti sumus; an scilicet maturum fœtum; an abortum; an singularem prolem; an gemellos paritura sit mulier; an etiam nascentis filii vitam parientis matris obitus consequatur. Hæ similiter incertitudines in temporis partu euenire possunt. Accedere enim potest, vt futurum tempus, in quod pœnitentia differtur, pœnitentiam quidem pariat, sed abortiuam, atque adeo planè inutilem; immo cum ipsius pœnitentiam parientis morte. Id Iudas Domini proditor miserrimè est expertus: qui *pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum. Et proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit. Et suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.* Eius viscera diffusa sunt; eo quòd per seram, & abortiuam pœnitentiam misericordiæ viscera reperire non meruerit. Hoc ipsum sacrilegus Antiochus expertus est imminente morte: *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus*: quia nimirum serà, & abortiuà pœnitentia mouebatur. Quare ex diuina vltione *homicida, & blasphemus pessimè percussus peregrè in montibus miserabili obitu vita functus est.*

Cap. 4.
Prouerb. 27.
Fu... circa partum quàm ... mu... Hi..., & ... sequenti.
Matth. 27
Pœnitentiæ inualidæ, & inutilis exempla.
Act 1. v. 18.
2. Mach. 9.

37. Pœnitentiam in crastinum differre peccator non debet, *ignorans quid superuentura pariat dies*: nam impœnitens adhuc moritur; nisi superuentura dies non vnicum fœtum, sed gemellos pariat: scilicet si non solùm crastinum vitæ tempus tribuat; sed etiam cum tali vitæ tempore simul sit opportunitas, & perseuerans voluntas salutarem pœnitentiam peragendi; quod totum incertum est. De Iuda dicitur Matth. 26. *Quærebat opportunitatem, vt Iesum traderet.* Opportunum tempus proditionis reperit; opportunum autem tempus ad salutarem pœnitentiam peragendam non inuenit. Quàm seduli peccatores sunt ad peccandi opportunitates plurimas reperiendas? Quàm segnes ad pœnitendi opportunitates admittendas? Quare cum certo experimento verissima semper repetiatur sententia illa: *Nocuit differre paratis*: pœnitentiæ partus non in crastinum est differendus; sed præsenti tempore in lucem emittendus: &, vt nata proles in æternam vitam adolescat, piis lacrymis veluti lacte est nutrienda: quod egregiè peccatricem Magdalenam præstitisse videmus.

Lucanus.
Pœnitentiæ partus lacrymis veluti lacte nutriendus. Hic, & n. 96.

38. Quod Diuinæus ille magister ad profani amoris documentum scripsit; sed multò ardentius ad diuini amoris ignem quamprimùm per pœnitentiæ gemitus excitandum seruare debemus,

Ouid. l. 3. de arte.

Vtendum est ætate; cito pede labitur ætas;
Nec bona tam sequitur; quàm bona prima fuit.

Qui enim pœnitentiam in senectutem differt; meretur, vt eam acquirendæ diuinæ gratiæ opportunitatem, quam prius inuenerat, postea in ignauiæ pœnam amittat. Hinc Basilius admonitione ad filium spiritualem ait: *Ne velis dicere: Donec viget ætas mea, carnis concupiscentiam exercebo; & postremò in senectute malorum meorum pœnitentiam geram: pius namque est Dominus, & multùm misericors, nec vltra facinorum meorum memorabitur. Noli taliter, fili, cogitare; quia summa stultitia est hoc mente apud Dominum concipere; cum & impium sit talem licentiam à Deo expectare quempiam. Noli, inquam, sic cogitare, cum nescias qua die moriturus sis. Quis enim nouit hominum, diem exitus sui? Non enim omnes in senectute priuabuntur hac luce, sed in diuersis ætatibus de hoc mundo migrabunt: & in quibus actibus vocabitur homo; in iisdem necesse est reddere rationem: nemo enim in inferno confitebitur Domino. Sed nec tu cuncteris ad pœnitentiam conuerti, semper ante oculos tuos versetur vltimus dies. Cum enim diluculo surrexeris; ad vesperum te ambigas peruenire: & cum in lectulum ad quiescendum membra tua posueris: noli confidere de lucis aduentu; vt faciliùs te possis refrenare ab omnibus vitiis.* Basilii sententiæ, vel naturali lumine ethnicus Poeta subscribit, dicens: *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.* *Latet vltimus dies, vt obseruentur omnes dies*, ait Augustinus. Sanctus Philippus Nerius aberrantem iuuenem, ad salutis viam conuertisse legitur, eum precatus, vt quotidie post septies Beatam Virginem pia oratione salutatam, terram deosculatus secum ipse, diceret: *Contingere potest, vt cras moriar.* Cui salutari monito obsecutus iuuenis post quatuordecim annos magno pietatis sensu è vita decessit.

Pœnitentiam in senectutem procrastinare stultum est.
Hor. l. 1. ep. 4.
To. 10 hom. 13. inter quinquaginta.
Iuuenis quotidianâ imminentis mortis cogitatione præmonitus. In eius vita l. 2. c. 3.

39. De peccatore, qui Deum vocantem, & monentem non audit, aut statim pœnitentiam

agar, eamque non vlterius differat, conqueritur Deus Ierem. 8. *Turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui; populus autem meus non cognouit iudicium Domini*, vocantis eum ad pœnitentiam iuxta Hugonem. Quasi dicat: Aues istæ, præcipuè hirundo, à frigida regione ad calidum cœlum opportuno tempore redire nouerunt; peccator verò à peccatorum hyeme ad ver diuinæ misericordiæ reuerti nescit; semperque redeundi ad pœnitentiam tempus differt, eò quòd longiorem sibi vitam promittat.

Hirundo ne pœnitentiam procrastinemus, imitanda.

Quare Iudicum 5. vers. 20. legitur: *Stellæ manentes in ordine, & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt.* Sisara Hebraicè interpretatur: *Videns hirundinem*; significatque peccatorem, qui videndo hirundinem ad ver fugientem, maximè culpabilis est; cum ipse ab horrida peccatorum hyeme procrastinando pœnitentiam fugere nolit. Contra quem stellarum concursus pugnare dicitur; eo quòd sæpe homines à stellarum concursu, qui in ipsorum natiuitate fuerit, Astrologorum figmentis decepti, longiorem sibi vitam promittant, ideoque pœnitentiam differant. *An non tibi vitam crastini diei promisit Deus, & promisit illam tibi Mathematicus, vt damnet te, & illum? Quàm, ô Deus, multos Mathematici fefellerunt! & quia sibi plerumque lucra promiserunt, & damna inuenerunt*: Ait Augustinus. De hirundine, ait Ambrosius: *Summitatem pennarum aqua infundit, vt facilè his puluis adhæreat, & fiat limus; quo paulatim festucas, vel minutos surculos sibi colligat, atque adhærere faciat; eo genere nidi totius fabricam struit.* Si homo pœnitentiæ lacrymis madefactus sepulchri puluerem, in quem breui tempore reuersurus est, mortis cogitatione colligeret; diceretque cum Iob: *In nidulo meo moriar*: vtique pœnitentiam procrastinando non differret.

Stellæ cōtra Sisaram quomodo pugnasse dicuntur.

Astrologi è stellarum in natiuitate concursu longū vitæ tēpus promittendo multos decipiunt.

To. 10. ham. 23. inter 50.

To. 10. ser. 59. de verbis Domini.

Ambros. l. 5. Hexam. c. 17.

Iob 29.

40. Quis fœtidum cadauer vermibus scatens non illico domo efferret? Quis ignitos carbones non statim manu excuteret? Quis epoto veneno, illud statim euomere nollet? Quis aspidem, vel viperam gremio irrepentem non statim eijceret? Quis confixo iaculo saucius, illud extrahere procrastinaret? Lethalia peccata vermes sunt, animam, veluti cadauer ex amissa gratia, corrodentes. Igniti carbones sunt, quibus animæ vigor absumitur. Venenum sunt, quo anima miserrimè contabescit. Aspis, & vipera sunt, cum de peccatore, Iob. 20. dicatur. *Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ.* Denique iuxta Apostolum lethalia peccata ex Gehennæ officina *ignea tela* sunt, quibus anima sauciatur. Hinc benè Tertullianus ait: *Cornus sagitta transfixus, vt ferrum, & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum: peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesim sciens, præteribit illam?* Si ad expellendum confixum lateri iaculum dictamnus ceruis medelam exhibet; ad expellenda ignea diaboli tela cordi infixa, contritio, & pœnitentiæ gemitus medelam exhibent peccatori, teste Eusebio Emisseno: *Multo gemitu, multo dolore cordis ad sanandos ipsius cordis dolores, tota incumbendum est ipsius spiritus contritione, vt vetusta mala tamquam sagitta quadam de conscientia depellantur. Non sufficit summis labijs dicere: Peccaui, parce, remitte.*

Ad Eph. 6.

Lib. de Pœnit. sub fin.

Ignea diaboli iacula cordi infixa quo dictāno extrahenda.

Emissen. vel Faustus Rhegiensis tom. 5. ad Monachos.

41. Præterea quis adeo demens esset, vt propriæ domus incendium aqua, quæ in promptu esset, restinguere differret? Lethale peccatum incendium est, quod ab inferno igne excitatur; incendium hoc solis pœnitentiæ lacrymis restingui potest: *Lacrymæ ipsum etiam Gehennæ incendium norunt extinguere*, ait Chrysostomus. Dementer igitur sæuiente peccati incendio pœnitentia procrastinatur. *Quis poterit habitare cum igne deuorante?* ait Isaias 33. Cui responderi potest, cum incendio deuorante habitare posse peccatorem, qui peccati incendium per pœnitentiam restinguere in crastinum differt. Viennæ à magistratibus iussum est, vt ciues in superiori domus parte semper aquæ vasa seruarent; eo quòd ea in vrbe lignea domicilia incendio essent obnoxia. Similiter, cum ex humana fragilitate concupiscentiæ incendio obnoxii simus; per celerem pœnitentiam semper paratam lacrymarum aquam habere debemus ad peccati incendia restinguenda.

Lacrymæ Gehennæ incendium extinguunt. Chrysost. in c. 10. Luca hom. 1.

Viennensiū industria ad domorū incēdia vitanda.

Petrus Matth. in vita Ludouici 11.

42. Samsonem imitari debemus, qui statim ac audiit: *Philisthym super te, Samson*; nulla interposita mora, vincula, quibus adstrictus erat, disrupit. Quare iuxta Dauidis monitum à peccatorum nexibus statim solui per pœnitentiam cupientes, nos ipsos adhortemur, dicentes: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.* Vbi notandum est diabolum per peccata, post vincula addere iugum; eo quòd postquam peccatorem, tamquam hominem vinxit; eidem tamquam bestiæ iugum insuper imponit. Sanctus Hieronymus pro iugo vertit *laqueos*; sicut enim laquei guttur adstringunt, vocemque impediunt, ita per peccata diabolus peccatori guttur obserat, ne ad pœnitentiam per peccatorum confessionem confugiat. Quales sint laquei, qualia vincula, quibus diabolus peccatorem procrastinatorem pœnitentiam adstringit, explicat Augustinus 8. Confess. cap. 5. *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruit libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis tenebat me obstrictum dura seruitus.* Quare formidabilis est Dauidis Psalm. 58. prædictio: *Conuertentur ad vesperam*; hoc est extremo vitæ tempore, vt explicat Nicephorus; tunc per inualidam pœnitentiam ad Deum conuerti peccatores volent; *& famem patientur vt canes.* Quemadmodum enim canes diu catena vincti rabida fame torquentur; cum ob vincula sibi cibum quærere nequeant: ita peccatores peccatorum assidua catena alligati, iminente morte quotidianum panem diuinæ misericordiæ habere digni non erunt; eo quod illum quotidie antea despexerint. Conuertentur quidem ad Dominum; sed per inualidam pœnitentiam, quæ peccatorum condonationem non mereatur. *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est: pœnitentia, quæ à moriente tantùm petitur; timeo ne ipsa moriatur*, ait August. ser. 37.

Iudic. 16. Samson ad peccatorum vincula disrumpenda est imitandus.

Ps. 2.

Iugum post vincula diabolus addit.

Diabolus suis laqueis peccatoris guttur adstringit, ne peccata cōfiteatur.

Laquei diaboli qui sint.

Peccatores quomodo famem vt canes patiantur.

Pœnitentia in infirmo sæpe infirma est, & in moriente mortua.

43. Peccatorum ergo catenis obstricti generosè nos ipsos adhortando dicamus: *Dirumpamus vincula eorum.* Quomodo autem hæc vincula disrumpenda sint, à Chrysostomo doceamur, qui Homil. 5. ad populum ait: *Multi fugitiuorum seruorum postquam compedes, ac catenas pertrahentes fugerunt, ad riuos aquarum venientes, & vinctos aquis pedes committentes, & sic mollius ferrum facientes, facilè lapide percutientes diffringūt. Quidquid, an aquis emollitū, & fragile redde*

Vincula peccatorum quomodo frangenda.

ferrum possit; certum est pœnitentiæ lacrymis peccatorum compedes, & catenas facilè frangi posse, adiuuantibus Christi Domini ictibus, de quo dixit Apostolus: *Petra autem erat Christus.* Cui obtenta à peccatorum vinculis solutione dicere benè possumus: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

1. ad Cor. 10.
Psal. 115. 17.

44. Peccatores procrastinantes pœnitentiam Psalm. 67. his verbis à Dauide describuntur: *Qui exasperant, qui habitant in sepulchris.* Sicut sepultis in longissimum tempus, scilicet in extremi iudicii diem resurrectio differtur; ita, qui in fœtido peccatorum sepulchro amissa gratiæ vita extincti iacent, solent in longissimum tempus suam inde resurrectionem differre: propterea bene huiusmodi homines, dicuntur: *Qui exasperant,* nempe diuinam bonitatem. *Ne dicas*, inquit Chrysostomus: *Erit aliquando tempus, quando conuerti licebit. Verba enim hæc Deum valdè exasperant.* Subdit Chrysostomus: *Sed multis iniquis, dedit Deus priuilegium, vt in vltima senecta confiterentur. Quid igitur, numquid, & tibi dabit? Fortasse dabit, inquit. Cur dicis Fortasse? Contingit aliquoties. Cogita quod de anima deliberas; proinde etiam de contrario cogita, & dic: Quid autem si non det? Quid autem si det, inquit? Det quidem ipse; verumtamen hæc illo certius, & vtilius.* Vbi de æternitate pœnæ, vel gloriæ agitur, periculi suspicio omnis vitanda est. Quod si quis in vitæ finem pœnitentiam differre velit, boni latronis exemplo motus, qui præterito vitæ tempore malè viuens, tandem extrema hora Christum Dominum cœli regem paucis verbis confessus, salutem consecutus est; is meminerit Augustini verborum de latronis conuersione, dicentis: *In cruce hoc miraculum operatus est.* An iterùm in crucem Dominum ascensurum speramus, & simile miraculum renouaturum? *Non minus fuit*, inquit Chrysostomus, *in cruce latronem conuerti, & Paradisum intrare; quàm petras collidi.* An iterum saxorum collisionem peccator expectet, vt obstinatum cor collisus lapides imitando frangatur? Legitur aliquando quempiam modico nauigio temere Oceanum transfretasse: nemo tamen hinc mouetur; vt non ingentibus, tutisque nauibus Oceanum nauigare velit. Ne ergo plus mortalis vitæ, quàm æternæ salutis naufragium timeamus. Ne magis Oceani vndas, quàm Gehennæ flammas reformidemus.

Pœnitentiā procrastinātes quomodo in sepulchris habitare dicantur.
Hom. 22. in ep. 2. ad Cor. Pœnitētiam procrastinātes diuinam bonitatem exasperant.
Pœnitentia exēplo boni latronis nō est procrastinanda.
Ser. 120. de tempore.

45. Audiuimus salutare monitum, quo seipsum Augustinus ad animæ salutem procurandam excitabat: *Pereant omnia, & dimittamus hæc vana, & inania; conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis. Quid cunctamur relicta spe seculi conferre nos totos ad quærendum Deum, & vitam beatam? Sed expecta: iucunda sunt ista; habent non paruam dulcedinem suam; non facilè ab eis præcidenda est intentio.* Subdit Augustinus: *Cum hæc dicebam, & alternabant venti, & impellebant huc, atque illuc cor meum: transibant tempora, & tardabam conuerti ad Dominum Deum meum; & differebam de die in diem viuere in te: & non differebam quotidie in memetipso mori; amans beatam vitam, timebam illam in sede sua; & ab ea fugiens quærebam eam.*

Aug. 6. Confess. c. 11. Augustini exhortatio ad animæ salutē procurandam.

46. Cum Deus coniugem corporalis vitæ adiutorium dare vellet Adamo, dixit: *Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adiutorium simile sibi.* Vt hoc adiutorium daret, *Immisit Dominus Deus soporem in Adam.* Diabolus contra, ne gratiæ adiutorium homini detur, torporem quemdam, & veluti somnolentiam in humanum animum immittit; vt ex hac spirituali somnolentia pœnitentia differatur. Quod egregiè sic ex experimento explicat Augustinus: *Sarcinâ seculi, velut somno assolet, dulciter premebar; & cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium; qui tamen superati, soporis altitudine remerguntur. Et sicut nemo est, qui dormire semper velit, omniumque sano iudicio vigilare præstat: differt tamen plerumque homo somnum excutere, cùm grauis torpor in membris est; eumque iam displicentem carpit libentius, quamuis surgendi tempus aduenerit: ita certum habebam esse melius tuæ charitati me dedere, quàm meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat, & vincebat; hoc libebat, & vinciebat: Non enim erat, quod tibi responderem dicenti mihi: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus: & vndique ostendenti vera te dicere, non erat omninò quod responderem veritate conuictus; nisi tantùm verba lenta, & somnolenta: Modo, ecce modo; sine paululum. Sed modo, & modo non habebant modum: & sine paululum in longum ibat.*

Gen. 2.
Diabolus torporis sopore à pœnitentia retardat peccatores.
8. Cōfess. c. 5.
Ad Eph. 5.

47. Contra obstinatos Iudæos Dominus, dixit: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.* Similiter contra Christianos longiorem vitam sibi promittentes, ideoque pœnitentiam procrastinantes non Magdalena solùm, quæ, *Vt cognouit*, pœnitens ad Dominum accurrit; sed Ethnicus Seneca solo naturali lumine adiutus in iudicio surget, eosque condemnabit; cum illius monitum tale fuerit ep. 1. ad Lucilium: *Ita fac, mi Lucili, vindica te tibi; & tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut subripiebatur, aut excidebat, collige, & serua. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? Qui diem æstimet? Qui intelligat se quotidie mori? In hoc fallimur, quòd mortē prospicimus. Magna pars vitæ iam præteriit. quidquid ætatis retro est, mors tenet. Fac ergo quod facere te scribis: omnes horas complectere; sic fiet, vt minus ex crastino pendeas, si hodierno manum inieceris. Dum differtur, vita transcurrit. Omnia aliena sunt; tempus tantùm nostrum est.* Si tempus tantum est nostrum, audiamus Apostoli monitum: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Vbi Hieronymus ait: *Breue est curriculum huius vitæ. Titus Vespasiani filius, cum quadam nocte serò recordaretur in cœna se nihil boni illa die fecisse, dixit amicis: Hodie diem perdidi. Nos non putamus perire nobis horam, diem, momentum, tempus, ætates.* Vnusquisque caueat, ne sub mortem noctescente mortali vita serò etiam dicere cogatur: Non diem solùm, sed dies plurimos perdidi, vel etiam omnes.

Matth. 12.
Senecæ monitū vt vitæ tēpore benè vtamur.
Ad Gal. 6.
Titus Vespasianus diē perdidisse existimauit, quo nihil boni fecisset.

48. *Beatus vir, qui facit fructum in tempore suo*, ait Dauid. Tempus suum est, antequam Deus extremo vitæ fine sibi tempus accipiat, de quo ait: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Vt homo pœnitentiæ fructus faciat in tempore suo, esse debet iuxta Dauidem, *Tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Videat quisque*, ait Bernardus, *vt eligat sibi lacum irriguum, in quo fructificans proferat in tempore suo vitæ fructum. Sunt autem decursus aquarum stillicidia lacrymarum.* Iuxta hos aquarum decursus vnà cum lacrymante Magdalena pœnitentiæ fructus non serotinos, sed præcoces educere debemus; huiusmodi enim fructus expetit à nobis Deus. Mich. 7. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea:* ex Hebræo legitur: *Primitiuas fructus desiderauit anima mea.*

Psal. 1.
Ps. 74.
Ps. 1.
Fructus vt in tempore suo fiat, lacrymarum irrigatio iuuat.
In sentētijs.

49. Psalm. 144. dicitur: *Oculi omnium in te sperant Domine; & tu das escam illorum in tempore*

Deo escam in tempore opportuno dantes quomodo gratas vices rependere debemus.

opportuno. Si opportuno tempore nobis escam Deus elargitur, vt gratas vices rependamus, quem sibi à nobis cibum expetit Deus, opportuno tempore non procrastinando ei dare debemus. Cibus autem, quem sibi à nobis Deus expetit, peccatorum pœnitentia est: *Deus esurit pœnitentiam*, ait Chrysologus: *Epulatur non cibo, sed reditu peccatoris.*

Ser. 50. *Ser. 29.* *Pœnitentiam Deus esurit.* *Lib. de breuit. vitæ.* *Pœnitentiam in senectutem, vel in morbi tempus procrastinare stultū est.* *Psal. 48.*

50. *Nonne pudet*, ait Seneca, *te reliquias vitæ tibi reseruare; & id solum tempus bonæ mentis reseruare, quod in nullam rem conferri possit? Quàm serum est tunc viuere incipere, cum desinendum est!* Stultum certè est difficillimum æternæ salutis negotium in illud tempus differre, quo animi vires, proximæ mortis languoribus debilitatæ, vix aut ne vix quidem suum munus obire possunt. B *Cur timebo in die mala*, hoc est propinquæ mortis tempore, ait Dauid? Sibique respondet: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Ista profectò est certi timoris causa, si in terrenæ voluptatis luto, veluti fixo calcaneo, inde egredi non curauerim, pœnitentiamque in vltimum vitæ tempus differre voluerim. Ne huiusmodi calcanei iniquitatis rea foret Magdalena, ad Dominici pedes celeri gradu tempestiuè confugit.

51. In parabola de operariis à cœlesti patrefamilias in vineam missis Matth. 20. per *denarium diurnum* illis in mercedem datum iuxta SS. Patres cœlestis beatitudo intelligitur; redditque rationem Irenæus lib. 4. cap. 70. eo quòd *denarius sicut regis imaginem habet; ita qui salui erunt, conformes fient imagini Filij Dei*, teste Apostolo ad C Roman. 8. Rursus per primam horam, tertiam, sextam, nonam, & vndecimam, quibus operarii vocantur, diuersa humanæ vitæ tempora designantur. E.g. infantia, vel pueritia; adolescentia, vel iuuentus; virilitas, senectus; & ætas decrepita, iuxta Basilium in regulis breuioribus interrogatione 224. Hieronymum, & Bedam hoc loco; & Fulgentium epist. 7. Hinc procrastinantes pœnitentiam, argumentum desumunt ad eam in vltimam senectutem differendam: eunt *denarium diurnum*, hoc est cœlestem beatitudinem consecuti sint etiam operarii, qui vltima hora laborauerunt: immo in hoc aliis etiam, qui multò antea D laborauerant, sunt prælati, dicente Domino: *Voca operarios; & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos.* Diabolicum hoc sophisma, quo peccatores ad pœnitentiam differendam decipi possunt, refert, & refellit egregiè Augustinus tom. 10. serm. 59. de verbis Domini: *Attendite & vos fratres mei, ne ideo quisque differat venire ad vineam; quia securus est; quoniam quandocumque venerit ipsum denarium accepturus est. Securus est quidem, quod ipse denarius illi promittitur, sed differre non iubetur. Numquid enim, & illi, qui sunt ad vineam conducti, quando ad illos exibat* E *paterfamilias, vt conduceret, quos inuenit hora tertia, & conduxit; V. G. dixerunt illi: Expecta, non illuc imus, nisi hora sexta: aut quos inuenit hora sexta, dixerunt: Non imus, nisi hora nona: aut quos nona inuenit, dixerunt: Non imus, nisi vndecima? Omnibus enim daturus es tantumdem; quare nos amplius fatigamur? Quid ille daturus sit, & quid facturus sit, penes ipsum consilium est. Tu quando vocaris, veni. Merces enim cunctis æqualis promittitur; sed de ipsa hora operandi magna quæstio est. Si enim illi, qui vocati sunt hora sexta, in hac ætate corporis constituti, vbi iuueniles anni feruent, sicut ipsa hora sexta feruet, si dicerent illi iuuenes vocati: Expecta; audiuimus enim in Euangelio, quia omnes vnam mercedem accepturi sunt; cum senes fuerimus,*

Matth. 20. Sophisma diaboli pœnitentiæ procrastinationē suadens. Hic, & n. sequent.

A *hora vndecima veniemus, tantumdem accepturi: quare laboramur? Responderetur eis, & diceretur: Laborare non vis; qui vitam vitas vsque ad senectam nescis? Sexta hora vocaris, veni: paterfamilias tibi quidem etiam vndecima venienti denarium promisit; sed vitam vivas vsque ad septimam nemo tibi promisit. Non dico vsque ad vndecimam, sed vsque ad septimam. Quare ergo differs vocantem te, certus de mercede, incertus de die? Vide, ne forte, quod tibi ille daturus est promittendo, tu tibi auferas differendo.* Subdit etiam Augustinus de procrastinantibus pœnitentiam, dicens: *Incipiunt dicere in cordibus suis: Si quacumque die conuersus fuero à via mea pessima, Deus misericors, sicut veraciter per Prophetas promisit, omnes iniquitates meas obliuiscetur; quare hodie conuertor, & non cras? Quare* B *hodie, & non cras? Est hodiernus dies sicut hesternus; sit in nequissima voluptate; sit in flagitiorum gurgite; voluetur in mortifera delectatione. Cras conuertar, & finis est. Respondetur tibi: Cuius rei finis? Dicis: Iniquitatum mearum. Bene, gaude, quia crastino iniquitatum tuarum erit finis? Ergo benè quidem gaudes; quia propter iniquitates tuas conuerso tibi indulgentiam Deus promisit; sed crastinum diem tibi nemo promisit. Ne ergo differas. De misericordiæ operibus quodam loco Scriptura dicit. Ne dixeris, vade, & reuertere; cras ego dabo, cum possis continuò benefacere. Non enim scis quid contingat sequenti die. Audisti præceptum non differendi, vt in alium sis misericors; & differendo in te es crudelis? Non debet differre panem daturus, & differs indulgen-* C *tiam accepturus? Si miserando alterum non differs; miserere & animæ tuæ placens Deo. Exhibe & animæ tuæ eleemosynam.*

Ezech. 18. *Prou. 3.*

52. Denique ad superius diaboli sophisma diluendum in allata parabola de operariis manè, siue vesperè laborantibus, & eumdem denarium recipientibus, notandum est iuxta communem Patrum sententiam præcipuè Augustini, & Origenis, ibi sermonem non esse de fidelibus iam Christianis ad pœnitentiam vocatis: sed de iis, qui extra Ecclesiam ad baptismum, & veram fidem amplectendam serius, vel ocyus aduocantur. Sed quomodocumque intelligatur; quàm benè August. citato loco spem consequendi salutem extremo vitæ fine, quam procrastinantes pœ- D nitentiam habent, spem peruersam vocat. Si enim planè peruersum iter foret eius, qui Orientem versus iturus, Occidentem versus viam iniret: multò peruersius est ad salutis terminum per peccandi licentiam, veluti per prærupta præcipitia tendere. Idem enim hoc est, ac per naufragia ad portum appellere posse sperare.

Spes procrastinantis pœnitentiam peruersa quare dicitur.

53. Dices eodem loco, quo Ecclesiasticus monet: *Non tardes conuerti ad Dominum; & ne differas de die in diem*, ait etiam: *Misericordia, & ira ab illo citò proximant.* Seu, vt legit Vatablus: E *Tam ira, quàm misericordia festinat ab eo.* Si pari passu, & celeritate diuina ira, & misericordia festinant; non est cur peccator in vltimum vitæ tempus pœnitentiam differens, potius diuinam iram timeat, quàm misericordiam speret. Respondeo ipsam talem Dei misericordiam esse valdè timendam: festinat enim Dei misericordia diuina ira associata ad peccatores pœnitentiam procrastinantes ex hac vita tollendos, ne adiiciant peccatum super peccatum; & maiores cruciatus subire cogantur. Et ideo cum dixisset Sapiens: *Misericordia, & ira ab illo citò proximant:* subdit: *In peccatores respicit ira illius. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ dis-*

Cap. 5. Sophisma aliud pœnitentiā procrastinantis solutum.

Deus ex misericordia peccatoribus mortem accelerat, ne in peiora labantur. Hic & n. sequent.

perdere. Ad id probandum loquens Chrysostomus de peccatoribus Noë tempore pœnitentiam procrastinantibus, quærit. *Quare, cum dixerit Dominus, centum viginti anni erunt dies eorum; promisitque se tanto tempore longanimitate vsurum; antequam implerentur anni promissi, vniuersale introduxit excidium? Etiam hoc eius misericordiæ maximum est argumentum, & indicium. Nam quoniam vidit quotidie incurabiliter illos peccare; & non solùm nihil ex indicibili eius longanimitate proficere; sed & incrudescere vlcera, propterea succidit tempus; ne maiori scilicet pœnæ se obnoxios facerent. Vt igitur ij peccata coaceruantes maioribus se pœnis obnoxios non facerent, Dominus misericors, & benignus duritiem illorum pœnitere nescium videns, tempus, quo se longanimem futurum promisit, abbreuiauit.* Præterea cum Eccles. de Deo ait: *Misericordia, & ira ab illo citò proximant:* Quæro vnde constat respectu eiusdem potius, & non respectu diuersorum, diuinam iram, & misericordiam citò approximare: bene enim allata verba verificari possunt, si intelligamus tam diuinam iram, quàm misericordiam citò accelerare; vtramque, vt meritam retributionem hominibus det, iram scilicet ad reos puniendos; misericordiam ad iustos remunerandos.

Hom. 25. in Gen

Gen. 6.

A

B

54. *Proiecisti populum tuum*, ait Isaias 2. & subdit: *Non est finis thesaurorum eius.* In auido peccatoris corde non solùm non est finis thesaurorum auri, & argenti; sed neque finis est perniciosi illius thesauri, de quo loquitur Apostolus 2. ad Romanos: *Ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram:* hoc est coaceruas peccata prouocantia diuinam iram, & vltionem. *Thesaurizas tibi thesauros iræ pro prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis*, ait Bernardus. Huiusmodi horribilibus thesauris vt finis imponatur, festinat diuina misericordia peccatoris fœdæ vitæ finem imponere. Bene autem diuina ira thesauri nomine appellatur: thesauri enim absconditi esse solent: sic diuina ira abscondita videtur, dum longanimi patientia Deus peccatorem tolerat: *Latet vltimus dies*, ait Augustinus; scilicet *dies Domini, dies vltionis, vt sumat vindictam de inimicis suis*, iuxta Ierem. c. 46. Hinc, vt notat Gregorius, Psalmista ait: *Deus iudex iustus, fortis, & longanimis. Dicturus quippe longanimem, præmisit iustum; vt quem vides peccata delinquentium diu patienter ferre; scias hunc quoque aliquando districtè iudicare.*

C

Thesaurizare diuinã iram quomodo, & cur peccatores dicuntur. Serm. de tripl. miseri cordia.

D

Augustinus Hom 13. inter 50. Psal. 7. Gregor. ho. 1 in Euãg

55. *Sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo*, ait Ecclesiasticus 9. Quinam est hamus, quinam laqueus, quo homines die mortis capiuntur, captique damnantur? Est profectò inanis spes, qua ad pœnitentiam differendam decipiuntur. Propterea peccatores pœnitentiam procrastinantes Zacharias 9. hortatur: *Conuertimini ad munitionem vincti spei:* Quasi dicat: Vos, qui longioris vitæ vana spe vincti, & illaqueati estis; ideoquè pœnitentiam differtis; conuertimini ad munitionem, hoc est ad Dominum, cui Dauid ait: *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluum me facias.*

Spes lõgioris vitæ hamus, & laqueus est, quo homines capiuntur.

E

Psal. 70.

56. Quomodo inanis spei longiorem vitam pollicentis vinculis nos soluere debeamus, egregiè Seneca Ep. 101. docuit: *Omnis dies, omnis hora, quàm nihil simus ostendit; & aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos, cum æterna meditantes respicere cogit ad mortem. Quàm stultum est ætatem disponere! Ne crastino quidem dominamur. O quanta dementia est spes longas inchoantium! Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere. Id quoque, quod tenetur per manus, exit; & ipsam quam premimus horam, casus incidit. Voluitur tempus rata quidem lege, sed per obscurum. Cum interim ad latus mors est: quæ, quoniam numquam cogitatur, nisi aliena nobis subinde ingerantur mortalitatis exempla, non diutius, quàm dum miramur, hæsura. Quid autem stultius, quàm mirari id vllo die factum, quod omni potest fieri? Stat quidem terminus nobis, vbi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit; sed nemo scit nostrum quàm propè versetur. Sic igitur reformemus animum tamquam ad extremum ventum sit: nihil differamus. Quotidie cũ vita paria faciamus. Qui quotidie vitæ suæ summam manum imposuit, non indiget tempore. Ex hac autem indigentia timor nascitur, & cupiditas futuri exedens animum. Nihil est miserius dubitatione venientium, quorsum euadant. Quantum sit illud, quod restat, aut quale, collecta mens inexplicabili formidine agitatur. Quomodo effugiemus hanc volutationem? Vno; si vita nostra non prominebit; si in se colligetur. Ille enim ex futuro suspenditur, cui irritum est præsens. Ideo propera viuere, & singulos dies singulas vitas puta. Qui hoc modo se aptabit; cui vita sua quotidie fuit tota, securus est.*

Spem lõgioris vitæ quomodo præcidere debeamus.

57. Mirum sanè foret si quis, vt emptorem ad emendas merces hortaretur, eas malas esse diceret: & tamen Apostolus monet, vt ideo simus *Redimentes*, seu ex Græco textu *mercantes tempus, quoniam dies mali sunt.* Sed causam hanc emendi tempus addidisse Apostolum admirationem non afferet, si Nazianzenum audiamus. *Vita nostra*, ait, *est quasi mercatus; cuius dies, cum abierit, tempus amplius non erit emendi quæ velis.* Quoniam igitur mortalis vitæ dies mali, hoc est, parci, pauci, & breues sunt; ideo celeres esse debemus ad præsens tempus emendum. Non alio autem pretio tempus præsens emitur, quàm præteriti temporis malè transacti pœnitentia. Pœnitẽtię quidem lacrymæ gemmæ sunt, quibus est tẽpus emendum. *Tempus redimimus*, ait Anselmus, *quando anteactã vitam, quam lasciuiendo perdidimus, flendo reparamus.* Domini lacrymis amissam corporalem vitam Lazarus recuperauit: *Lacrymatus est Iesus, & voce magna clamauit: Lazare veni foras.* Magdalena verò propriis lacrymis amissam spiritualem vitam iterùm acquisiuit.

Ad Ephes. c. 5.

Dies cũ mali sint, cur ad eos emẽdos nos Apostolus hortatur.

In sentẽtiis

Lacrymæ gemmę sunt ad tempus emendum.

Ioan. 11.

58. Quare pœnitentem Magdalenam imitantes, Deo cum Ezechia dicamus: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Præteritę vitę annos recogitando vnusquisque seipsum vrgeat dicens Dauidicis verbis: *Tempus faciendi, Domine; dissipauerunt legem tuam.* Præteriti meæ vitæ anni legem tuam dissipauerunt; ideo tempus est faciendi, Domine. Cum sacrificare nobilissima actio sit, hinc antonomasticè facere sacrificare significat: vt Leuit. 23. *Facietis & hircum pro peccato.* Cum igitur præteritæ vitæ anni diuinam legem dissipauerint; præsens tempus faciendi, hoc est sacrificandi tempus est. Quodnam autem sacrificium est faciendum? Non aliud, quàm quod Dauid Psal. 50. docuit: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum, Deus, non despicies.* Hoc sacrificio anteactæ vitæ peccata expiantur: nam vt Innocentius Papa docuit, *contribulatione pu-*

Isa. 38.

Psal. 118 v. 126.

Facere sacrificare significat.

Sacrificium quondam fit ad præteritę vitę peccata expiãda.

nitur operatio lasciua; contritione cogitatio iniqua; humiliatione oris locutio superba. Et iuxta eumdem Innocentium, contribulato spiritu per pœnitentiam, in aquis lacrymarum inferni draconis capita contribulantur; ne amplius in nos lethale peccatorum virus effundat quod Dauid Psal. 73. significauit dicens: *Contribulasti capita draconum in aquis.* A

Lacrymæ aquæ sunt, in quibus draconum capita contribulantur. Hic, & n. 80.

59. Reuocemus denique in memoriam formidandam illam, quam apud Iob. 35. Eliu protulit sententiam: *Semel loquitur Deus, & secundò id ipsum non repetit.* Quod intelligendum est minaciter dictum, & iuxta nostra demerita, ob quæ iterum Deum alloquentem audire indigni reddimur. Sæpe ergo contingit, vt qui Dei voci ad pœnitentiam opportuno tempore vocanti obedire renuunt, eamdem audiendi diuinam vocem, opportunitatem iterùm non habeant; atque adeo animæ salutem non consequantur. *Vocaui, & renuistis,* ait Dominus; *extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret.* Quare & vocare, & manum extendere Deus dicitur? Redditur ratio Isaiæ 42. *Quis cæcus, nisi seruus meus? Et surdus, nisi ad quem nuncios meos misi?* Homo, qui omni iure Dei seruus esse debet, vel culpabili ignorantia cæcus est; vel si non cæcus, cum clarè Dei voluntatem videat; sæpè est obstinatione veluti surdus. Ideo tamquam ad cæcum Deus vocem dirigit; tamquam ad surdum Deus manum extendit; vt verbis, & signis vel cæcos, vel surdos ad se per pœnitentiam vocet. Quòd si ad Deum venire peccatores renuant, audiant quid ibi Deus minaciter pronunciat: *Ego quoque in interitu vestro ridebo,* Teste Chrysologo, *Deus delinquentium gemitus esurit; sitit lacrymas peccatorum.* Qui sitienti Deo pœnitentiæ lacrymas denegat; iustè amarulentum Dei risum meretur: *Ego in interitu vestro ridebo.* Quæ verba de iis propriè dicta esse censet Augustinus, quibus longioris vitæ spes nimia sollicitudinem adimit præsenti tempore salutis curandæ. B C

Deus quare semel loqui dicatur.

Prou. 1. n. 24.

Deus quare non solùm vocare peccatorem, sed ad eum extendere manum dicatur.

Prou. 1. n. 26.

Ser 93.

In Ioa. Hac. 23.

60. In peccatricis animæ damnationis interitu Angelorum custodum vox illa est Ierem. 51. *Curauimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam. Steterunt medici,* inquit Origenes, *sub magno medico Angeli Dei volentes curare imbecillitates nostras, volentes animam liberare de vitiis; sed nos ipsi repellimus eos, dum consiliis eorum non acquiescimus. Caue homo, ne quando relinquat te medicus, siue Angelus Dei, siue quicumque hominum, cui tradita est cura sermonum ad salutis medicinam deferendam. Cum te deseruerint, quid tibi aliud euenturum est, nisi quod solet his accidere, qui à medicis desperantur, vtentes voluntate morbi sui, vt ad peiora demergantur? Sic & hi similiter in consuetudine huius vitæ à prudentibus medicis. Accedit aliquis eorum ad languentem; quantum ars patitur, & industria, medicamina non cessant. Sed si ægritudo tanta sit, vt repugnet curationi; aut ipse inualidus per impatientiam doloris contra faciat, quàm iubetur; relinquit medicus, desperat huiusmodi hominem, & recedit; ne inter manus suas expirans causam interitus eius ad se retorqueat. Sic ergo & nos, ne in sanctorum Angelorum manibus, qui ad nos curandos à Domino destinati sunt, moriamur, relinquunt nos, desperantes animam nostram.* Quare sicut Matthæi 4. de Domino dicitur: *Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt:* ita è contrario accedunt dæmones, cum peccatrix anima à sanctis Angelis tanquam cœlestibus medicis desperantibus eius salutem, deseritur. Tale exitium D E

Angeli tamquã hominum medici ne ob obstinationem nostram salutem desperent, cauendum est.

ne Magdalena incuteret, *Vt cognouit,* [illegible] iuxta Augustinum *Magnus de cælo descendit medicus, quia magnus in terra iacebat ægrotus,* scilicet genus humanum; statim *ad Dominum accessit ægra, vt rediret sana,* iuxta eumdem Augustinum.

Tom. 10 Ser. 9. de verbis Apostoli.

Tom. 10. hom. 23. inter 50.

Attulit alabastrum vnguenti.

61. DE alabastro Plinius lib. 36. cap. 8. ait: *Lapidem alabastriten vocant, quem cauant ad vasa vnguentaria; quoniam optimè seruare incorrupta dicitur. Nascitur circa Thebas Ægyptias, & Damascum Syriæ. Hic cæteris candidior.* Ex Damasci Alabastro Magdalenæ vnguentarium vas fuisse probabile valde est; cum Damascus quinque tantùm dierum itinere à Ierosolymæ vrbe distet. Damasci etiam in suum electionis vas Paulum Dominus formare voluit; vt in eo pretiosum, & odoriferum nominis sui vnguentum reponeret: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & regibus, & filiis Israel:* Christo autem Ecclesiæ sponso dicitur Cantic. 1. *Oleum effusum nomen tuum:* seu, vt legit Arabicus: *Nomen tuum vnguentum suaue effusum.* Magdalenæ vnguento Christi Domini sunt pedes inuncti. Sed sanctissimo Iesu nomine fidelium capita signanda sunt; vt eo veluti mystico oleo vngantur in reges; & verè dicere possint: *Fecisti nos Deo nostro regnum;* seu, vt legit Tertullianus, *Reges, & sacerdotes; & regnabimus super terram.* B C

Act. 9. v.

Magdalenæ vnguento Christi pedes vnxit. Fideles Iesu nomine, quod oleum effusum dicitur, sua capita inungere debẽt.

62. Porrò odorifera aqua, quæ ex odoratis herbis, floribus, & aromatibus subiecto in fornacula igne extrahitur, hic, & in aliis sacræ Scripturæ locis vnguenti nomine debet intelligi; non quòd aliquid spissum, & crassum sit, adeo que commaculans; sed quòd ex herbis, floribus, & aromatibus pinguedinem, hoc est perfectiorem partem, fæculentis partibus relictis, contineat. Quare Hebræi vnguentum שֶׁמֶן Semen quasi pinguedinem dixerunt. S[illegible] etiam Psal. 80. dicitur: *Cibauit eos ex adipe,* seu pinguedine *frumenti;* hoc est ex perfectiori magisque sapida, & delicata frumenti parte. Ob eamdem rationem, scilicet quòd pinguedinem herbæ, vel floris, vel aromatis contineat, odorifer liquor etiam olei nomine in sacris literis appellatur. Hinc Psal. 108 dicitur: *Genua mea infirmata sunt à ieiunio; & caro mea immutata est propter oleum:* Vbi ex Hebræo legitur: *Caro mea immutata est à pinguedine;* hoc est ex pingui macilenta reddita est. Quare Ecclesiastę 9. dicitur: *Omni tempore sint vestimenta tua candida; & oleum de capite tuo non deficiat:* Nisi enim olei nomine tenuis, liquidus, & valde limpidus, liquor intelligeretur; non bene sibi allata sententia congrueret dicens: *Sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Est etiam altera causa, cur huiusmodi odoriferi liquores vnguenti, vel olei nomine dicti fuerint. Vnguentum enim, seu oleum, postquam illo aliquid inunctum fuerit, non tergimus, sicut tergimus partes aqua ablutas: quia igitur odoriferi liquores non absterguntur, sed vt odor magis insinuetur, in vnctis partibus relinquuntur; ideo iis vngi dicimur; & inde vnguenti, vel olei nomen apud priscos habuerunt. Ideo Magdalena suas quidem lacrymas, non autem effusum vnguentum in Domini pedibus tersisse dicitur. Propterea medicinali aqua, licet tenuissima ea D E

Vnguenti, seu olei nomine intelligendi liquidi, & tenues liquores ex herbis, & floribus expressi significantur.

fit, quippe stillatitiea, dicimur iungi; vt patet in tenuissimo vini latice, qui vulgò aquanitis dicitur; cuius vnctio ad frigus dissoluendum, & ad cottoborandam algentem aliquam corporis partem adhiberi solet, necdeinde abstergi.

Vaguentorum vsus.

63. De vnguentorum vsu apud antiquos pluta habentur lib. 3. cap. 15. & lib. 33. cap. 3. conuiualium antiquitatum. De eodem scribit Fuluius Vrsinus in appendice ad Ciaconii tricliniorum. Matsilius Cognatus lib. 1. Variarum obseruationum cap. 9. Athenæus lib. 15. cap. 14. & 15. Dioscorides lib. 1. cap. 53. Plinius lib. 13. cap. 2. & 5. Roa lib. 1. singul. & lib. 3. cap. 1. Pradus in Ezechielem cap. 23. Sotomaior in Cant. c. 5. Quibus addi potest Clemens Alex. cum Scholiaste Gentiano 2. Pædagogi cap. 8.

Stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius.

Ientaculo 29. q. 1. Magdalena quomodo adhuc stans Domini pedes rigare cœpisse dicatur.

64. PRoponit hic Caietanus dubitationem: *Quo pacto mulier peccatrix stans lauerit pedes Domini lacrymis?* & ab eodem respondetur: *Lucas Euangelista exuberantiam fletus, & lacrymarum in illa peccatrice describit ex hoc, quòd non potuit continere lacrymas; immò lacrymarum profluuium, vsque ad sui prostrationem ad pedes Christi. Sed tanta esset commotio ad fletum, & affectus ad irrigandum pedes lacrymis; vt adhuc stans, idest erecta, profluuium lacrymarum inceperit ad pedes emittere; propter quod signanter Euangelista non dicit, quòd stans rigauit pedes eius, sed quod stans cœpit rigare, significans per hoc incontinentiam, & exuberantiam lacrymarum.* Quæ Caietani sententia, quamuis non vt falsa reiicienda sit; non tamen necessariò ex Euangelico textu colligitur: nam per verbum standi in Scriptura non necessariò rectus corporis situs, sed tantùm præsens esse significatur: Vt Matthæi 16. num. 28. *Sunt quidam de hic stantibus*, idest ex præsentibus, *qui non gustabunt mortem*, &c. Marci 11. num. 25. *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem.* Vbi per verbum standi tantùm coram Deo præsentiam, & quietam corporis consistentiam significare Dominus voluit, non autem erectum corporis situm: quandoquidem ipse Dominus non solùm flexis genibus, sed etiam procidens in faciem suam in Gethsemani horto orauit, vt habetur Lucæ 22. num. 41. & Matth. 26. num. 39. Denique eò quod standi Verbum commune sit cuilibet corporis situi; hinc facile dissoluitur quæstio de Angelis adstantibus ad Domini tumulum; quos ibi sedisse Matthæus, Marcus, & Ioannes scribunt; Lucas verò stetisse. S. Hieronymus explicans Ezechielis verba cap. 2. *Stà super pedes tuos*, ait: *Nullum peccatorem stantem legimus, sed ad sanctos dicitur: State succincti lumbos vestros. Peccator autem illud Deuteron. 28. mereetur audire: Non erit stabile vestigium pedistui.* Idem Hieronymus explicans Ieremiæ verba cap. 14. 10. *Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit mouere pedes suos, & non quieuit, & Domino non placuit*, ait: *Notandum in Scripturis sanctis, quòd semper peccatorum mouentur pedes; & Sanctis dicatur cum Moyse Deuter. 5. Tu verò hic sta mecum: & alibi scriptum sit. Laudate serui Dominum, qui statis in domo Domini.* Huic Hieronymi sententiæ opponi potest quod Iob. 2. dicitur: *Cum venissent Filij Dei, & starent in conspectu Domini; venisset quoque Satan inter eos, & staretin conspectu eius.* Præterea Psalm. 1. dicitur: *Beatus vir, qui non stetit in via peccatorum.* Respondert tamen potest, S. Hieronymum intellexisse de verbo standi propriè dicto, prout quietem, & rectum corporis situm significat: quomodo non intelligitur in locis in oppositum citatis. Iob enim 2. significatur tantùm Satan inter bonos Angelos se præsentem exhibuisse: & Psalm. 1. vt benè explicat Bellarminus: *Stare in via non est quiescere, & non ambulare; sed est ambulando non recedere à via inchoata.*

Standi verbum non semper rectū corporis situm, sed tantū esse præsens significat.

Hieronymi sententia circa standi verbum expenditur. 1. ad Eph. 6. 7. f. 134.

Discumbendi situs apud veteres.

65. Porrò quomodo Magdalena retrò stans, deinde postrata Domini, pedes lacrymis rigare potuerit, bene intelligitur ex corporis situ, quo discumbere Veteres consueuerunt; scilicet in lectis iacendo; & puluino cubitum fulciendo, caput ad mensam conuersum habentes; pedes verò versus extremam lecti partem extensos. De quo plura eruditè disserit Pradus in Ezechielis verba c. 23 v. 4. *Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te.*

Clamor bel auribus est desiderium vehemens. Bern. ser. 16. in Ps. 90. Aug. ser. 32. ad fratr. in Eremo.

66. Quamuis Magdalena stans retro secus pedes Domini ad peccatorum veniam impettandam, vocem nullam orando protulisse legatur; eius tamen taritæ, feruentisquè orationis clamor diuinis Redemptoris auribus resonabat. *Clamor in Dei auribus est desiderium vehemens*, ait Bernardus. Similiter Exodi 14. *Dixit Dominus ad Moysen. Quid clamas ad me?* cum Moyses taceret, corde tamen feruenter oraret. Ideo Augustin. monet: *Cum oras, clama; non voce, sed mente; nam & tacentes exaudit Deus.* Addit Augustinus, ad orandum certo aliquo loco orantem non indigere. Nam *non est locus, vbi non sit Deus.* Daniel orauit inter leones; tres pueri in Babylonica fornace, Iob in sterquilinio; Susanna inter senes calumniantes; latro in cruce; Stephanus inter lapidantes. Felicius tamen Magdalena Domini pedes ad veniam impetrandam & ad orandum elegit. Et quamuis apud S. Anselmum legatur: *Mulierem purus à peccato Gehennam intrare; quàm peccati sorde pollutus cælorum regna tenere*; Magdalena præteritæ vitæ sorde polluta cælestis Domini pedes tenere voluit; & ad eos, valuti ad cæli portum naufraga quidem appulit, sed fortunata. Secus pedes Gamalielis se in Mosaica lege eruditum testatus est Paulus Act. 22. Multò felicius Magdalena ad Domini pedes prauam mondi legem dedocta diuinam doctrinam addidicit, iuxta Mosis monitum Deuteron. 33. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.*

Lib. 6 de similitudinib. c. 190.

Hom 13. in Euang. Magdalena cur retro ad Domini pedes accesserit. Hic, & sequentibus. Ex Ouidio 2. Metamorphos. Nyctimenes in noctuam conuersæ fabula.

67. Ad pedes potius, quàm in Domini conspectu se sistere Magdalena voluit, anteactæ vitæ turpitudinis conscia. Benè enim de peccatrice anima Gregorius ait: *Videre eum, quem contempsisse se meminit, iudicem formidat.* Nyctimenen ob fœdam libidinem fuisse in noctuam conuersam fabulati sunt Ethnici. Hinc ille canit: *Dire facta volucris crimine Nyctimene, fœda sibi conscia culpa, conspectum, lucemque fugit, tenebrisque pudorem celat.* Non tamen fabulosè Dauid turpis lasciuiæ, & adulterii consciens aiebat: *Factus sum sicut nycticorax, seu vt noctua in domicilio.* Talem etiam cum se cerneret Magdalena, noctuæ instar diuini Solis conspectum fugiens, se retro sistere voluit.

Psal. 101 7. Pontifici cadauer aspicere non licebat. Lib. de consol. ad Marciam c. 15.

68. Apud Hebræos Pontifici cadauer aspicere non licebat. Hinc Leuit. 21. præcipitur: *Pontifex ad omnem mortuum non ingredietur omninò: super patre quoque suo, & matre non contaminabitur.* Idem apud Ethnicos Romanos Pontifici vetitum fuit. Hinc de Tiberio in filii morte refert Seneca: *Stetit in conspectu posito corpore, interiecto*

A *tantummodo velamento; quod Pontificis oculos à funere arceret.* Magdalena cum se ob amissam gratiam, quæ est animæ vita, veluti cadauer agnosceret, retro stetit; ne à diuinis illius oculis aspiceretur; de quo dictum est: *Talis decebat, vt nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.*

Ad Hebr. c. 7. 26.

69. Qui sordibus inquinatam faciem habet, priusquam se abluat, ante speculum se sistere refugit. Puritatis speculum Dominus erat; ideo Magdalena antequam lasciuiæ maculas lacrymis ablueret, Redemptoris conspectum vitare voluit. Ad Domini igitur pedes prouoluta in propriam conscientiam peccatis pluribus coinquinatam mentis oculos Magdalena conuertens, Domino dicere cum Dauide videbatur: *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Peccatum*, inquit Augustinus, *vnde se Deus non auertit, aduertit: si aduertit, animaduertit. Tu peccatum tuum ante faciem tuam conuerte; si vis, vt inde Deus faciem suam auertat. Tu agnosce, vt ille ignoscat. Videre Dei animaduertere est, & punire. Qua fronte impudentia volet auerti faciem Dei à peccatis suis; qui corde non dicit: Quoniam facinus meum ego agnosco, & peccatum meum ante me est semper? Quo pacto quæso Deus dignatur ignoscere, quod in se ipso homo dedignatur agnoscere?* B

Ps. 50.

August. in Ps. 44. Idem Aug. hom. 50. inter 50.

70. Prima ergo pœnitentis Magdalenæ virtus verecundia enituit. Meritò ergo Bernardus virtutum primitias verecundiam appellauit. Primitias has ad Domini pedes Magdalena obtulit, quos teste S. Paulino *Sacrarium, & veluti altare sibi constituerat.* Cum verò ibi, vt idem Paulinus ait, Magdalena se lacrymis abluisset; potuit postea diuinum conspectum expetere cum eodem Dauide, dicens: *Faciem tuam, Domine, requiram: ne auertas faciem tuam à me.* C

Verecundiæ affectus sūt virtutum primitiæ. Serm. 86. in Cantica. Epist. 4. ad Sev. Magdalenę Domini pedes sacrariū, & altare fuerunt. Ps. 26.

71. De Redemptoris aduentu vaticinium est Malachiæ 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Seu ex Hebræo. *Sanitas in alis eius.* Alati dicti sunt Redemptoris pedes; eo quòd ad Crucis metam propter humani generis salutem celerrimè contendebant. De peccatoribus sanguinariis dixit Dauid: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*; sanguinem scilicet alienum: at Domini velociores pedes fuerunt ad proprium sanguinem effundendum. In his ergo Domini pedibus animæ sanitatem reperit Magdalena: *Sanitas in pennis eius*: sanitas in pedibus eius. *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus*, dixit Dauid. Anima mea in pedibus tuis semper, & legem tuam non sum oblita, dicere Magdalena potuit. Hinc sæpissimè ad Domini pedes, vbi animæ sanitatem repererat, rediit. Vt Lucæ 10. *Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*: Et Ioannis 11. *Maria cum venisset, vbi erat Iesus, videns eum cecidit ad pedes eius*: & Matthæi vltimò de Magdalena vnà cum Maria Cleophæ, dicitur: *Illæ accesserunt, & tenuerunt pedes eius.* D E

Ps. 13.

Psal. 118 v. 109. Magdalena ad Domini pedes, vbi salutē repererat, sæpius redit.

72. Quàm dissimiles cultores diuini Redemptoris pedes habuerunt; nempe Iudaicum odium, & Magdalenæ amorem! Iudaicum odium Domini pedes fodit, iuxta Dauidis vaticinium Psalm. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos. Melius dixit foderunt, quàm transfixerunt*, inquit Haymo Episcop. Halberstatensis: *quia sicut terra fossa fructificat, ita illa fossio Christi magnum fructum dedit.* Ad hunc fructum sibi acquirendum Magdalenæ amor Domini pedes lacrymis irrigauit:

Magdalenæ amor, & Iudæorū odiū, cultores Domini pedū, sed dissimiles.

A Ex quibus oleam pacis germinantem accepit, dicente ei Domino: *Vade in pace.* Citato Psalmi loco legitur ex Chaldæo: *Momorderunt pedes meos*: ex Aquila: *Deturparunt pedes meos.* Vtrique Christi pedum Iniuriæ, Magdalena oscula, & lacrymas opposuit: opponendo scilicet morsibus oscula; & deturpationi, lacrymarum lauacrum.

73. Porrò quamuis Magdalena retro ad Domini pedes constitisset, ibique lacrymaretur; suas tamen lacrymas benè nouerat ad diuinum Redemptoris conspectum peruenturas; ita vt benè cum Dauide dicere potuerit: *Deus vitam meam annunciaui tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Visa est in hoc Magdalena Euangelicum Centurionem imitari: ille enim cum se Redemptoris conspectu indignum existimasset; impetraturus tamen à Domino serui sanitatem, amicos nuncios ad eum misit: *Misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari: non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres: propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te.* Similiter Magdalena Redemptoris conspectu indignam se iudicans, retro secus pedes Domini se sistens, lacrymas, veluti internuncias misit, vt animæ sibi sanitatem, peccatorumque veniam impetraret. *Lacrymæ*, inquit Ambrosius, *solent legationem suscipere pro delictis.* Apud terrenos Principes Legati à latere magnam potestatem habent; maiorem certè habent apud cœlestem Regem Legati à corde, quales pœnitentis lacrymæ sunt. Arcana quidem, & naturali ingenio planè inscrutabilia negotia lacrymæ, tamquam legati à corde, apud Deum pro humana salute pertractant: quippe quæ ad diuinas aures accedentes secretò eum alloquuntur: ita vt propterea dixerit Dauid: *Auribus percipe lacrymas meas: O lacrymarum virtutem ad cœlos vsque pertingentem; & magna cum fiducia absque impedimento ingredientem*, exclamat S. Ephrem. *O lacryma humilis*, ait Beatus Laurentius Iustinianus, *tua est potentia, tuum est regnum, Tribunal Iudicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis: non est qui te ad Deum accedere vetet. Si sola intras, vacua non redibis. Quid plura? Vincis inuincibilem, ligas Omnipotentem, inclinas filium Virginis, aperis cœlum, fugas diabolum.* Æquum est, vt humanus oculus per lacrymas cœlum aperiat, qui videndo vetitum pomum *pulchrum oculis, aspectuque delectabile* cœlum occlusit. Primis parentibus peccatum oculos aperuit ad ignominiam, & confusionem: *Aperti sunt oculi amborum; cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus.* Contra verò pœnitentiæ lacrymæ mentis oculos aperiunt, & illuminant, non ad confusionem, sed ad cœlestem gloriam consequendam: *Compunctio mentis illuminatio est animæ; quia tunc anima illuminatur, quando ad lacrymas compungitur*, ait Bernardus. B C D E

Ps. 55.

Lucæ 7.

In Psal. 37. Lacrymæ legatorum munere apud cœlestē Regem funguntur.

Ps. 38. Lacrymarū vis multiplex apud Deum. Serm. 4. de Compunct. Lib. de ligno vitæ c. 5.

Oculus primorū parētum cœlum clausit. lacrymāis pœnitētium oculus cœlum aperit. Gen. 3. Gen. 3. Tract. in modo bene viuendi c. 10.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius.

74. AD conuiuii lautitiem spectat, dum cibo gustus oblectatur, aures harmonicis musicæ vocibus delinire. Huiusmodi concentus deliciæ ne conuiuio, in quo Dominus accumbebat, deessent, lacrymantis Magdalenæ gemitus, vt supra etiam diximus, accesserunt: Nam, vt Augustinus epistol. 121 cap. 5. ait: *Ex corde desiderante ac feruente gemitus inenarrabiles emittuntur, quibus velut suaui musica Christus demulcetur.* Cœlestis harmonia audita est à Ioanne

Gemitus pœnitentis cordis suauissimā harmoniā diuinis auribus resonant.

Apoc.

Apocal. 14 *Audiui vocem de cælo tamquam vocem aquarum multarum; & vocem, quam audiui citharædorum citharizantium in citharis suis.* Tali pœnitentis Magdalenæ harmonia fuit, quæ cum fluentibus ex oculis lacrymarum riuis, gemitus concentum diuinis auribus suauissimum iunxit. Dauid, vt 1. Regum 16. legitur, musico concentu à Saule immundum spiritum expulit. Magdalena multò felicius pia gemituum harmonia à se septem dæmonia expelli meruit. Cum Apostolus Petrus periurio Dominum negasset, & deinde resipisceret, amarè quidem fleuisse, ad Domini tamen conspectum venisse, suumque ibi peccatum confessum esse, & veniam postulasse non legimus. Respondet S. Ambrosius: *Petrus doluit, & fleuit, quia errauit vt homo. Non inuenio quid dixerit, inuenio quod fleuit: lacrymas eius lego, satisfactionem*, hoc est excusationem, & veniæ petitionem *non lego: Sed quod defendi non potest, ablui potest. Lauant lacrymæ delictum; quod voce pudor est confiteri: & veniæ fletus consulunt, & verecundiæ lacrymæ sine horrore culpam loquuntur. Lacrymæ culpam sine offensione verecundiæ confitentur: Lacrymæ veniam non postulant, sed merentur.* Hanc lacrymarum vim similiter Magdalena bene noscens, oculos in lacrymas; non linguam, & vocem in veniæ petitionem adhibuit.

David cithara & cantu è Saule dæmonem expulit. Pœnitentes [illegible] lacrymas [illegible] In Luc. cap. 22. lib. 10. [illegible] satisfacturus ad Domini [illegible] conspectum [illegible] veniam.

75. Sed quomodo lacrymis Domini pedes rigauerit, videamus. Marci 6. cum duodecim Apostolos ad euangelizandum Dominus mitteret, præcepit eos virgæ, seu baculo innixos, & sandaliis calceatos iter facere: hinc iisdem sandaliis Dominum, qui in omnibus suis discipulis exemplo prælucebat, vsum esse dicendum est. Quod confirmat Hieronymus, dicens: *Milites vestimentis Iesu sorte diuisis, caligas non habuere, quas tollerent: nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat seruis.* Religiosi Prælati, qui sibi nimis indulgentes, sibi plura licere censent, & in aliis disciplinæ rigorem exigunt, notent hoc Hieronymi argumentum: *Nec poterat habere Dominus, quod prohibuerat seruis. Principes gentium, & qui potestatem habent super eos,* multo sibi vendicant, quæ seruis non licent. Secus verò in religiosa, ac pia administratione contingere debet. Nil Prælatus habeat, quod subditis prohibetur. Hæc obiter; sed ad Domini sandalia redeamus.

Sandaliis Dominus est vsus. Ep. 22 c. 0.

Prælatus ne habeat, quod subditis prohibetur. Matth. 20. Lucæ 22.

76. Dices, Act. 12. 8. ab Angelo dictum est Petro: *Calcea te caligas tuas.* Respondetur, ibi caligas non accipiendas esse pro tibialibus sed pro calceis. Sicut etiam Genes. 14. *A filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ.* Rursus ibi iuxta Lyranum, caligæ significant calceamenti genus, quod non habet supernè corium, qualia sandalia sunt. Sandalia enim pedis plantam muniunt, superiorem autem pedis partem ferè nudam relinquunt. Super huiusmodi autem Domini sandalia cum eliquari in lacrymas Magdalenæ oculos sancti Angeli cernerent, dicere bene poterant: *Sandalia eius rapuerunt oculos eius.*

Caligæ pro calceis accipiuntur.

Magdalena in supernudos Domini pedes lacrymas fudent. Hic, & sequent. Iudith. 16.

77. Dici secundo potest Magdalenam à Domini pedibus reuerenter pallii fimbriam, & sandalia amouisse, vt sanctissimis illis plantis melius & osculis, & lacrymis obsequium exhiberet. Dici tertio potest, vt censet Cornelius in Exodum cap. 12 in mensæ accubitu consueuisse Veteres sandalia, seu calceos relinquere: quam etiam sententiam sequi videtur Pradus in Ezechiel. cap. 23 vbi antiquam in mensa recumbendi consuetudinem imagine repræsentat. Similiter Ribera de templo lib. 5. cap. 3 *In cœnis sine calceamentis discumbebant, ne tororum stragula pollluerentur, ita M. Magdalena lacrymis lauit pedes Domini, quos ad cœnam nudauerat more Hebræorum, & aliarum gentium.* Horum sententia an vniuersaliter admittenda sit de discumbentibus omnibus, videbitur infra. Dici tamen hîc valdè probabiliter potest piissimum Dominum futuri Magdalenæ lacrymarum obsequii præscium, consultò, cum discumberet, sandalia reliquisse. S. Bonauentura in opusculis num. 10. epistolam scribit, in qua explicatur quomodo Christus, & Apostoli incesserint discalceati. Sed ex prædictis modis quomodocumque dicatur, ad Redemptoris sanctissimos pedes prouoluta Magdalena dicere cum Dauide videbatur: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Vbi legit Ambrosius: *In decursus aquarum descenderunt oculi mei. Habet hoc*, inquit Ambrosius, *vis summi doloris, vt cum lacrymis oculi quodammodo ipsi videantur descendere: eo quod tanta vis lacrymarum fit, vt putentur oculi in fletus resolui, & in lacrymas effundi. Descendit oculis suis in hos ductus aquarum, quæ lacrymis rigauit in Euangelio Domini pedes: & ideo fidei suæ pretium emit animæ suæ, & corporis sanitatem.* Quare si peccatrix Magdalena ex lasciuis obtutibus dicere potuit cum Ieremia: *Oculus meus deprædatus est animam meam*: eadem deinde pœnitens oculis largissimè in lacrymas effusis dicere è contrario potuit: *Anima mea deprædata est oculos meos.* Idem, quod de S. Paula refert Hieronymus, sine dubio Magdalena respondisset: *Cum à nobis*, inquit Hieronymus, *crebrius moneretur, vt parceret oculis, & eos seruaret Euangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, & cerussa, & stibio sæpè depinxi: affligendum corpus, quod multis vacauit deliciis: longus risus perpeti compensandus est fletu.*

Psal. 118. 136.

Thr. 3. v. 51.

In Epitaphio. Lacrymari cùm sancta Paula prohiberetur, quid responderit.

78. Porrò eodem citato Psalmi loco legit Hilarius, & Cassiodorus: *Exitus aquarum transierunt oculi mei.* Verè Magdalenæ oculi aquarum exitus, hoc est fluuiorum fontes superarunt. Si enim de fluuiorum nobilissimo dicitur Genes. 2. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum*: Multò præstantius à Magdalenæ corde, & oculis, non voluptatis, sed doloris loco, lacrymarum fluuius egrediebatur; non ad Paradisum, sed ad ipsum Paradisi auctorem irrigandum. *Lacrymis cœpit rigare pedes eius.*

Lacrymarum Magdalenæ oculi terrestris Paradisi fluuio præferendi.

79. Bene autem dicitur Magdalenæ lacrymis non abluisse, sed rigasse Domini pedes; nam beatis illis pedibus pulueris sordes non adhæsisse credendum est. Nihilominus veluti diuini amoris monitum audire Magdalena visa est,

Et si nullus erit puluis, tamen ablue nullum:

Ex Ouid.

Sed quia anima magis est vbi amat, quàm vbi animat; ad Domini pedes oculis, & corde effusa Magdalena, ibi propriæ animæ ariditatem potius ad pœnitentiæ fructus educendos, quàm Redemptoris pedes rigare videbatur, dicens cum Bernardo: *Quo imbre lacrymarum perfundere sufficiam sterilitatem animæ meæ? Quibus lacrymis rigabo sterilitatem vineæ meæ? Omnes palmites eius aruerunt præ inopia; iacent sine fructu, eo quòd non habent humorem.* Verissimum enim est Isaiæ 61.

In Cantic. ser. 18.

Lacrymæ animæ sterilitate sublata, eam spiritualiter fœcundant.

vaticinium: *Sicut terra profert germen suum; & sicut hortus germen suum germinat; sic Dominus Deus germinabit iustitiam*, hoc est germinare faciet. Germinat terra fruges irrigata imbribus; germinat peccatrix anima iustitiam, cum contritionis lacrymis irrigatur. *Os meum aperui, & attraxi spiritum*, aiebat Dauid: Oculos meos in lacrymas aperui, & attraxi spiritum, dicere Magdalena potuit; & cum ea quilibet peccator, qui pias pœnitentiæ lacrymas verè contritus effundit. Nouerat Dauidis sententiam Magdalena: *Pluuiam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ: & infirmata est; tu verò perfecisti eam.* Humana anima, Dei filia, & hæreditas est: hæc cum ob peccata infirmatur, vt perfectæ sanitati restituatur, voluntaria pluuia à Deo in eius medelam exhibetur: voluntariam pluuiam lacrymarum effusionem ex peccatorum dolore intelligit Hugo Cardinalis.

Ps. 118. v. 131.

Ps. 67.
Lacrymæ spiritualem animæ sanitatem restituunt.
Lacrymæ sunt pluuia voluntaria.

80. De peccatoribus, qui per prauam vitam à Deo recesserunt pronunciauit Dauid: *In diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Diluuij nomine carnales voluptates intelligit Innocentius tertius, in quibus qui versantur, ad Deum non approximant. Magdalena ergo, ne ex hoc diluuio detenta accedere prohiberetur, benè carnalium voluptatum diluuio, lacrymarum inundationem opposuit. Nam iuxta Gregorium Nazianzenum sicut diluuij aquæ arcam Noë supra altissimos montes cœlum versus euexerunt; ita inundantes pœnitentiæ lacrymæ ad Deum euehunt pœnitentes. Rursus, sicut ad auferenda à facie terræ hominum peccata, ea à Deo intra vniuersalis diluuij aquam demersa fuerunt: ita per pœnitentiam intra largam lacrymarum effusionem suas culpas Magdalena demersit. *Lacryma sunt peccati diluuium, & mundi piaminum*, ait Nazianz. Quare de lacrymarum aquis Dauidis vaticinium Psalm. 73. impletur: *Contribulasti capita draconum in aquis*, hoc est capitalia, & lethalia peccata. Hinc aptissima fuit illa Vrbani IV. ad Deum oratio: *Bone Deus, qui contribulasti capita draconum in aquis, contribula venenata superbia mea caput in diluuio lacrymarum.*

Ps. 31.
Diluuij nomine carnales voluptates significantur.
Lacrymæ, sicut diluuium Noë arcam, ita animã cœlũ versus euehunt.
Gen. 7.
Gregor. or. 3.
Nazianz. or. 3.
In Biblioth. nouiss. PP. Som. 13.

81. *Sunt quadam littera*, inquit Origenes, *quas Deus scribit; quadam littera, quas nos scribimus. Peccati litteras nos scribimus. Audi Apostolum dicentem: delens, quod aduersum nos erat, Chirographum. Istud quidem, quod dicit Chirographum peccatorum nostrorum, cautio fuit. Vnusquisque etenim nostrûm in his, qua delinquit, efficitur debitor, & peccati litteras scribit. Vnicuique dicitur: Accipe litteras tuas. Vnde constat nostras esse litteras peccati; litteras autem iustitia Deus scribit.* Tales contra se litteras Magdalena habebat; quas vt deleret, sapienter satis super eos pœnitentiæ lacrymas fudit. Cum ad Alexandrum contra ipsius matrem multa scripsisset Antipater; respondit Alexander: *Ignorare videtur Antipater, quòd vna matris lacryma multas delebit epistolas.* Peccatrix anima per pœnitentiam ad Deum conuersa, cum diuinæ voluntatis mandata, & inspirationes mente efficaciter concipit, quodammodo Dei mater efficitur iuxta Domini testimonium: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Constituta igitur Dei mater pœnitens anima, multò felicius, quàm Olympias Alexandri mater, potest lacrymis litteras, quibus præteritæ culpæ accusatur, delere: *Peruexigua lacryma multa potest abolere peccata*, ait Sanctus Ephrem serm. 4. de compunctione.

Hom. 13. in Genes.
Ad Coloss. 2.
Luca 16.
Lacrymæ nostri reatus Chyrographum delent.
Matth. 12. n. 50.

82. Obiecta intra aquam immersa, quippe quæ per medium crassum species immittunt, maiora videntur. Secus verò accidit in pœnitentiæ lacrymis, intra quas cum peccata conspiciuntur, multò minuta, & tandem planè nulla videntur. Id benè cognoscens Dauid aiebat: *Deus, vitam meam annunciaui tibi; posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Vbi sanctus Hieronymus legit: *Pone lacrymam meam in conspectu tuo.* Quasi pœnitens Dauid dicat: Deus vitam meam annunciaui tibi; & dum vniuersa vitæ meæ series tibi repræsentatur, in ea grauia quidem peccata reperiuntur; sed vt illa minora, & tandem nulla, & planè deleta videantur; *pone lacrymam meam in conspectu tuo*; scio enim intra lacrymarum aquam peccatorum magnitudinem imminui; eaque tandem deleri. Quare si *posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*: tamquam meriti supplicij antidotum *pone lacrymam meam in conspectu tuo.* Possò, quod maius est, sicut intra lacrymas peccata minora videntur; ita è contrario bona opera augentur. Quod quidem suis in lacrymis experta Magdalena est: cum enim de pluribus eius culpis mentio fieret, hæ omnes non singillatim, sed vnico verbo conclusæ sunt: *Remittuntur tibi peccata tua.* Contra verò pia eius obsequia erga Redemptorem singillatim, pluribusque verbis ab ipso Domino explicantur: *Hac lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Hac ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Hac vnguento vnxit pedes meos.*

Lacrymæ sũt intra aquam peccata minora videntur, vel et à deleta; & e contrario bona opera maiora.
Ps. 55.
Ps. 89.

83. Ambrosius lib. 5. in Hexam. cap. 2. cum docuisset, non solùm terram, sed etiam mare suos serpentes habere; aliaque in aquis animalia terrestribus respondentia reperiri: subdit: *Ea, qua timemus in terris, amamus in aquis; etenim noxia in terris, in aqua innoxia sunt; atque ipsi angues sine veneno. Leo terribilis in terris, dulcis in fluctibus. Murana, quam ferunt aliquid habere noxium, esca pretiosa est. Rana horrens in paludibus, decora in aquis, omnibus ferè præstat alimentis. Mustela grauis in terris odor, in aquis suauis.* Similiter dicere possumus. Peccata extra pœnitentiæ lacrymas venenata sunt, animæque lethaliter nocua; & propterea valdè timenda, & abominanda: Eadem tamen intra pœnitentiæ lacrymas venenum amittunt, & compunctionis immersæ fletu erga peccatorem Dei misericordiam, amoremque trahunt. Quæ timemus in terris, in lacrymarum aquis amantur. Venenata animalia, vt serpentes, & dracones sub stellarum nomine in cœlum fuisse translata fabulati sunt Ethnici: iuxta quorum fabulosa figmenta immanibus bestiis pro veneno siderea lux succedebat. Sed absque vlla mendaci fictione lacrymans Magdalena ad cœlestis Regis pedes translata, peccatorum eiecto veneno, stellæ instar ita coruscare cœpit; vt peccatores plures sibi antea similes in humanæ vitæ pelago per pœnitentiam ad salutis portum dirigere salutari luce potuerit.

Lacrymarũ intra aquã lethalia peccata venenũ amittunt.

84. Cum ergo supernæ Ierosolymæ fundamenta cœlestis architectus adeo gemmarum prodigus fuerit, vt intra ea gemmarum omnia genera coniecerit: *Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata*: cur è contrario, in portis eiusdem sanctæ ciuitatis extruendis

Apoc. 21.

primo aspectui obuiis, adeo parcus fuit, vt in iis A

Lib 41 sulas margaritas adhibere voluerit? *Duodecim*

Margaritis porta duodecim margarita sunt.* Respondetur te-

cur cœlestis ste Presto Valerano, margaritas, seu vniones

Ierosolymæ fuisse lacrymarum symbolum, eò quod visæ per

portæ con somnium margaritæ futurum lacrymarum pro-

stare dicun- fluuium somniantì portendere soleant. Sed rete-

tur. ctis somniis; benè S. Macarius *pretiosas margari-*

Margaritæ *tas* lacrymas appellauit. Quia ergo per pœniten-

lacrymarū tiæ lacrymas tamquam per pretiosas margaritas

sim.. lum. aditus ad cœlestem patriam aperitur; ideo ea so-

visæ per lis margaritis cœlestis patriæ portæ constare di-

somnia su- cuntur. Hinc Ecclesia canit:

turā fletum

portēdunt. *Porta nitent margaritis*

S. Macarius *Adytis patentibus* B

hom. 25

Lacrymis Porrò Deus tanti lacrymarum margaritas æsti-

cœli aditus mat, vt ad eas habendas anticipata solutione suos

patet. Hic, thesauros libentissimè profundat. Hinc de Deo

& sequenti- erga pœnitentem S. Ephrem. serm. 11. de pœni-

bus tentia ait: *Priusquam effundat lacrymas, misera-*

Lacrymis *tionum suarum thesauros effundit super eum.*

quā à Deus

æstimat. 85. *Fulgura in pluuiam fecit*, de Deo dicitur

Psalm. 134. Fulgura Magdalenæ oculi fuerant,

quibus toties per lasciuiam amantium iuuenum

corda afflauerat. Illius ergo oculi tandem diuina

aspirante gratia in lacrymarum pluuiam erupe-

runt. Quoniam verò teste Gregorio Thaumatur-

Lib. 10. c. 13. go cum Æliano quando ros intra marinam con-

Ros mina chain fulgurıs splendore allabitur, in margari-

nuā conchā tam concrescit: ideo è Magdalenæ oculis, & la- C

vna cū ful- crymis velut è fulgure, & rore margaritæ eati-

guris splen- terunt, per quas illi aditus ad cœlestem Ierosoly-

dore labens, mam patuit S. Ambrosius in illa Dauidis verbis:

in margari- *Auribus percipe lacrymas meas; quoniam aduena*

tā concre- *ego sum apud te, & peregrinus*, ait: *Fundit lacry-*

scit. *mas, quoniam cum aduena in terram venerit, demo-*

Ps. 38. *ratur, & separetur à patria longo detentus exilio.*

Considera nunc mihi illum Adam de Paradiso eie-

ctum, in castellum relegatum, spectantem vnde de-

iectus sit, flentem vbertim; quia reminiscitur quid

amiserit, quoue deciderit. Et ideo gratias agamus

Deo, qui nos perpetuo exilio liberauit, aperiens ia-

nuam, qua reuertamur ad patriam: ianuam scilicet

apertam per pœnitentiæ lacrymas.

86. Christophorus Columbus adeo mariti- D

mæ artis peritiæ fidebat; vt diceret se posse in

Lacrymarū cœlum ascendere, si illuc per aquas esset iter ha-

per aquas in bendum. Sed si non per maris aquas, certè per

cœlū cōsce- pœnitentiæ lacrymas ad cœlestem patriam iter

dimus. Hic, inire possumus. Quare de lacrymarum aqua B.

& in se- Petrus Cellensis lib. de panibus cap. 12. dixit:

quenti. *Aqua hac, aut facit, aut inuenit Paradisum.*

87. Sed quod maius est, non solùm aditum

ad supernam Ierosolymam pœnitentiæ lacrymæ

reserant; sed ipsas beatæ illius patriæ claues in

animæ piè flentis potestatem tradiderunt. De Pe-

Lacryma- tro Apostolo ait S. Clemens: *Post Domini ad cœ-*

batur vber- *los ascensum, vix vllo die à lacrymis temperasse dici-*

tim Petrus *tur; atque ad eas identidem exsiccandas linteum im-*

Aposto- *teolum de manibus numquam dimisisse. Praeterea* E

lus singulis *singulis noctibus ad galli cantum procedens in genua*

noctibus ad *lacrymis vberrimis suam culpam deflebat; ita vt eius*

galli cantū. *oculi ex assiduis lacrymis, quasi sanguine respersi vi-*

Clem. Ro- *derentur.* Has Petri lacrymas ob peccati pœni-

man lib. 16. tentiam prænoscens Dominus ei dixit Matthæi

Recogn. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Petrus, ait B.

Apud Nier. Antiochus, *amarulentis lacrymis vna hora profu-*

ybergl. 1. c. 37 *sis; non peccatum modo negationis promeruit sibi con-*

Lacrymis *donari; sed & in eorum gratiam illi concredita sunt*

Petrus apo- *claues regni cœlorum.* Par enimetat, vt sicut cœ-

stolus regni lestis Ierosolymæ portæ è margaritis lacryma-

cœlestis rum symbolo constabant; ita talium portarum

claues me-

ruit

I. Mat. Bi.

aditus, nonnisi lacrymosus pœnitens eligeretur. *Bibl. hom. 107. de Cō- puncti.*

Sic, quem insila verba persuasum fecerant, piæ

lacrymæ Seraphinorum effecerunt. Seraphini a- *Supra.*

nim nomine Petrus Apostolus, vt cœli ianitor à Petrus apo-

Ruperto vocatur: Nam sicut per Cherubinorum stolus Sera-

aditus ad terrestrem paradisum prohibebatur; ità phinus vo-

per Seraphinum, nempe Petrum Apostolum cœ- catus, cœli

lestis paradisi aditus erat reserandus. E terrestri aditū aperit;

paradiso ignis per flammeum gladium primos sicut è con-

parentes arcebat; ad cœlestem paradisum piarum trario à ter-

lacrymarum aqua aditum pandit. Per banc ergo restris para-

aquam Magdalena sibi præclusum ante aditum diso aditu

ad æternam patriam reserauit: ita vt verè de di- Cherubinus

uina gratia Magdalenam ad cœlestis regni par- arcebat.

tum deducente dici potuerit. *Transfuexit illam per* Rupert. in

aquam nimiam. Isa I. l. c. 29.

88. Sicut per pœnitentiæ lacrymas aditus ad Gen. 3. n. 24.

cœlestem patriam aperitur; ita vbi pœnitentiæ Igneus gla-

lacrymæ absunt, aditus ad æternum Gehennæ dius à terre-

barathrum reseratur: *Praeparata nobis est Gehen-* stri paradiso

na, & ignis inextinguibilis; nisi flammam illam la- primos pa-

crymarum rore aspersetimus, ait S. Ephrem. Pro- rentes arce-

pterea valdè formidanda est Ezechielis ore in bat; lacry-

peccatores prolata comminatio: *Non plangetis,* marū aqua

neque flebitis; sed tabescetis in iniquitatibus ve- cœlestem pa-

stris: Sunt enim pœnitentiæ lacrymæ ad spiritua- radisi aditū

lem animæ putredinem arcendam veluti myrrhæ pandit. Hic,

liquor; qui nisi adhibeatur, animæ putredo, & & in 99.

tabes non expellitur. Quare enim Ezechiel dixis- Sap 10. 18.

set: *Non plangetis, neque flebitis*, meritò subdit: Lacrymæ

Tabescetis in iniquitatibus vestris. Benè igitur Ma- cœli pādūt;

gdalena post fusas ad Domini pedes pœnitentiæ lacrymarū

lacrymas, spiritualem pestem se eiecisse cogno- defectu in-

uit, dicente ei Domino: *Remittuntur tibi peccata* fernum.

tua. Ser. de Pæ-

89. Medicinales officinæ varios liquores ad nit. & Pæt.

diuersos morbos, languoresque curandos ha- c. 24. n. 23.

bent. Medicinalis pœnitentiæ officina lacryma- Ezech. c. 24. 23.

rum aquam tantummodo habens, eâ animæ mor- Lacrymæ,

bos omnes, quamuis inter se diuersos, expellere velut myr-

potest. *O Virtutem lacrymarum, quæ medicinalis* rhæ liquor

officina est peccatorum, exclamat S. Ephrem: & spiritualem

addit: *Ad omnem plagam peccati nobis magnum il-* animæ pu-

lo animarum nostrarum medicus dedit magnum hoc tredinem ar-

remedium. Hac veritate benè cognita intimo cor- cent, vel ex-

de imprimenda est cohortatio eiusdem sancti E- pellūt. Hic,

phrem. serm. 1. de pœnitentia: *Accede peccator,* & in sequēti.

& sanaberis facilè; preces offer, & lacrymas putre- Lacrymæ

dini vulnerum tuorum impone. Hic enim medicus cōtra omnes

cœlestis, & bonus Deus lacrymis, atque gemitibus spirituales

vulnera curat. Accede peccator ad bonum hunc me- morbos re-

dicum, & pro optimo medicamento lacrymas offer. media sunt.

Sic enim vult cœlestis medicus vnumquemque suos Serm. 4. de

sanari lacrymis. Nullus est neque lacrymis curari: Compuncti.

hoc enim medicamentum non strictius deuincit, neque

exacerbat vulnus; sed breui te compendio, & sine Lacrymæ

molestia sanat. Tuas expectat medicus videre lacry- peccatoris

mas; accede, & noli timere: ostende ei vulnus, & pro vulnera sa-

medicamento lacrymas, & gemitum offer. Mira qui- lubriter vn-

dem est lacrymarum natura; cum eadem simul guēt, Deum

ægrotum vngant, & cœlestem medicum pun- ad miseren-

gant; cum scilicet ad sanitatem dandam stimu- dū vrgenda

lent, & quodammodo cogant: *Oratio* inquit Au- pungunt.

gustinus, *vngit Deum; lacryma pungit: illa lenit, hæc*

cogit.

90. Silere in sacra Scriptura; quiescere signi- Silere quie-

ficat: hinc primo Machab. cap. primo de Ale- scere signi-

xandro, dicitur: *Accepit spolia multitudinis gen-* ficat.

tium, & siluit omnis terra. Porrò tanta est lacry-

marum efficacitas, vt Deo quietem quodammo-

do prohibeant, ne piis lacrymarum vota impletè

denegent. Propterea Deus aiebat: *Exaudi oratio-* Ps. 38.

nem meam Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas. Ne sileas: Hoc est ne à me adiuuando, quiescendo te subtrahas. Vel, *Ne sileas*: ne meis precibus non respondeas; cum meæ preces lacrymas ad deprecandum habeant adiutrices. *Ne sileas*, legit Hieronymus: *Ne mihi obsurdescas.* Cum Deus inualidas preces non exaudit, veluti surdum, & mutum erga orantem se gerere videtur. Quare sicut Christus Dominus Marci 7. saliuæ humore, muto loquendi facultatem dedit: *Expuens tetigit linguam eius, & solutum est vinculum linguæ eius*: ita nos diuinæ linguæ vinculum, quo Deus tamquam voluntarius mutus nostris precibus non respondet, lacrymarum humore auferre possumus: & ideo bene Dauid precatur: *Auribus percipe lacrymas meas, ne sileas*, ne obmutescas.

Hieron. in premiũ vers. Psal. 27.

Lacrymis, ne Deus nostris precibus obmutescat, efficitur.

91. *Lacrymas meas ne sileas*, legit S. Ephrem: hoc est, ne lacrymas meas non audire dissimules: qui enim, aliquo eum deprecante, silet, illius preces non audire se simulat. *Dauid*, ait S. Ephrem, *Lacrymas præmittens, magnamque fiduciam addẽs, audacter valde ad Dominum dicebat: lacrymas meas ne sileas. Quod si tanta est fiducia, & libertas flentis; beatus homo, qui lacrymas fundit.* Qui ad Iudicis tribunal se sistere debet; vt securus eò accedat, patronum optimum, iudicique gratissimum eligere debet. Vt securi ad Dei tribunal accedamus, piarum lacrymarum patrocinium deligere debemus. *Quando positi erunt throni*, ait S. Ephrem, *& iudicium sedebit, aperienturque libri, & vniuscuiusque actiones publicè ab Angelis, atque Archangelis legentur: tunc lacrymarum mearum memineris, vt iustus iudex. Ne in medium protuleris iniquitates meas, & lacrymas meas ne sileas; sed lacrymarum mearum in illa hora recordare; vt cum fiducia ad tribunal illud tuum formidabile accedere possim. Quicumque enim lacrymas illuc præmiserit, confidenter ad iudicium tuum accedet. Nosti quantum apud te valeant lacrymæ. Nosti quomodo peccatrix illa illacrymans iustificata sit; & immaculatos pedes tuos contingere meruerit.* Quare iuxta sanctum Ephrem Magdalena non per odoriferum alabastri liquorem, sed per cordis lacrymas Domini pedes tangere meruit: pœnitentiæ enim lacrymæ diuinis naribus multò gratiorem odorem reddunt, quàm quilibet pretiosus liquor. Hinc Apocal. 5. iustorum preces, quæ piis lacrymis associantur, intra phialas aureas repositæ dicuntur; scilicet vt lacrymæ tamquam suauissimi liquores intra phialas asseruatæ iucundum Deo odorem emittant. *Habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.*

Serm. 4. de Compunct.

Lacrymis fit, vt ad cœlestis Iudicis tribunal confidẽter accedamus.

S. Eph. ibid. Daniel 7. Apoc. 20. 12.

Lacrymæ veluti odoriferi Deo liquores sunt.

92. Cantic. 4. à Domino animarum nostrarum sponso dicitur: *Surge*, hoc est abi, *Aquilo: & veni Auster, perfla hortum meum.* Cur Aquilonem recedere, cur Austrum venire cœlestis spõsus optat? Respondetur ex eodem Salomone: *Ventus Aquilo dissipat pluuias*; imbres enim è nubilo aëre fugat. Iuxta Richardum Victorinum Aquilo dicitur, quasi aquas ligans ne fluant: Auster contra pluuius ventus est. Porrò per Aquilonem Diabolum Hugo intelligit; quippe qui spirituali torpore pœnitentiæ lacrymas remouet. Per Austrum Spiritum sanctum intelligit Nyssenus, à quo pii lacrymarum imbres proueniunt: *Cũ à Spiritu sancto mens visitatur, statim homo peccata sua plorat*, ait Bernardus. Et Psalm. 147. dicitur: *Flabit spiritus eius, & fluent aquæ. Flat Spiritus sanctus*: ait Arnobius, *vt fluant aquæ ex oculis: quibus lauentur sordes omnes, & maculæ abluantur peccatorum.* Bene igitur cœlestis sponsus ait:

Aquilonem discedere, & Austrum aduenire cur cœlestis sponsus optauerit.

Prou. 25. v. 23.

Aquilo significat diabolum.

Bern. tract. de modo bene viuendi c. 10.

Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum; & fluant aromata illius. Ex lacrymarum enim imbribus statim in anima deletis vitiis, virtutum aromata germinant; ita vt verè cum Apostolo dicere possit: *Christi bonus odor sumus. Lacrymæ sunt flagrans thymiama sunt apud Deum*, ait B. Antiochus. Talis thymiamatis odor multò velocius diabolum fugat, quam odor ex asso piscis corde; de quo Raphaël Angelus Tobiæ dixit: *Fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.* Patet hoc in Magdalena, quæ suas culpas cum amarè defleuisset, de ea dicitur Lucæ 8. *De qua septem dæmonia exierunt.* Nam vt bene ait B. Petrus Cellensis: *Satan tolerabilius sustinet flammam suam, quàm lacrymam nostram.* Et in reuelationibus sanctæ Brigittæ legitur: *Quando Maria Magdalena conuersa est, dixerunt dæmones: Ipsa in tantùm se aquis lacrymarum lauat, quòd non audemus aspectum nostrum in eam infigere. Sic feruens, & calida est in Dei seruitio, & sanctitate, quòd non audemus ei appropinquare.* Quàm bene in sacris litteris diabolus dæmonum princeps dicitur Beelzebub, hoc est muscarum dominus. Sicut enim muscæ ad vasa, vbi liquores feruent, accedere non audent; ita dæmones ad animam diuino amore feruentem, qualis Magdalena fuit, suis prauis suggestionibus accedere timent: E contrario cum anima in charitate refrixit, tunc frequentes, veluti muscæ, ad eam fœdandam dæmones conuolant.

2. ad Cor. 2.

To. 2. Bibli. hom. 107 de Compunct.

Tobiæ c. 6.

Lacrymæ tamquã suaue thymiama suo odore dæmonem expellunt.

L. de pœnit. c. 12.

Lib. 1. c. 108.

Beelzebub, hoc est muscarũ dominus, cur diabolus appelletur.

93. Porrò mirum non sit adeo pretiosas esse pias lacrymas, vt, quod supra diximus, eæ intra aureas phialas asseruari dicantur; cum Deus dicatur à Dauide Psalm. 32. *Ponens in thesauris abyssos*, hoc est copiosas aquas, iuxtà Basilium. Aquæ, quæ in Dei thesauria reponuntur, compunctionis lacrymæ sunt: *Compunctio thesaurus est desiderabilis*, ait Bernardus. Lacrymæ insuper, vt ipsi lacrymantes in Dei thesauria reponantur, efficiunt, Deus dicitur *Ponens in thesauris abyssos*, scilicet peccatores, ait S. Thomas; & subdit: *Magnus thesaurus Ecclesiæ Paulus est, & Matthæus, & Magdalena*: de qua propterea Ecclesia canit: *In thesauro reposita regis est drachma perdita.* Quia igitur cum ipso pœnitente pœnitentiæ lacrymæ in Dei thesauris reponuntur; lacrymas thesaurizemus amplectendo pœnitentiam; ne eam differendo *thesaurizemus nobis iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicii Dei.* Si enim intra phialas aureas Deo nostræ lacrymæ non offerantur; valdè timendum est, ne in nos *phialæ aureæ plenæ iracundia Dei viuentis* effundantur: quas sua in Apocal. sanctis Angelis datas esse vidit Ioannes cap. 15.

Lacrymæ in Dei thesauris reponuntur.

Bern. tract. de modo bene viuendi c. 10.

Ad Rom. 2.

94. Regionibus omnibus ceteræ, & peregrinæ merces acceptæ sunt; eæque ibi magni æstimantur. Hinc apud Indos auri, argentique diuites vitrum, & crystallum pretiosa haberi legimus. In cœlesti Empyrei regione, vbi diuitiarum omnium, & voluptatum ingens copia est, quænam merces peregrinæ erunt, ibique pretiosæ, & pergratæ habebuntur? Certè lacrymæ, cum hæ ibi, vbi æterna gaudia sunt, non nascantur. Propterea piis lacrymis tamquam exteris mercibus suo in cœlesti regno delectatur Deus. Ideo de anima, quæ in terris veluti vidua ad cœlestem sponsum anhelat, mysticè dicitur Eccli. 35. *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt vsque ad cœlum; & Dominus exauditor delectabitur in illis.* Ita aliqui legunt, cui lectioni Tigurina fauet legens: *Dominus libenter*

Lacrymæ in cœlesti regno pretiosæ merces sunt. Hic, & n. sequenti.

Lacrymæ in cœlũ ascendunt.

exaudiet eas. Cum iuxta Sapientem lacrymæ cœlum vsque ascendere possint, bene eas Magdalena ad Domini pedes profudit; vt sanctissimis illis pedibus magistris, cœlestisque itineris peritissimis, viam in cœlum ascendendi perdiscerent.

95. Cum Psalm. 23. verissimè dicatur: *Domini est terra, & plenitudo eius; orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo*: Cur non generali tantùm, sed speciali testimonio, suam humani oculi possessionem, & dominium significare Dominus voluit Zach. 9. *Domini est oculus hominis*? Ex eo scilicet, quòd piæ lacrymæ, quas veluti pretiosas margaritas magni Dominus æstimat, nonnisi oculo prodeant. Quod bene noscens Iob aiebat, non aliis, sed soli Deo, qui eas magni facit, quique in iis delectatur, suas lacrymas effundere: *Ad Deum stillat oculus meus.* cap. 16. num. 20.

Oculus hominis cur speciatim Dei esse dicatur.

96. De Magdalena prius in peccatis obdurata, deinde in lacrymas effusa, mysticum Dauidis est vaticinium Psalm. 104. *Dirupit petram, & fluxerunt aquæ*; *Dirupit petram, id est durum cor*, inquit Hugo, *& fluxerunt aquæ lacrymarum.* De petra, quæ Israëlitis in deserto limpidissimas aquas profudit, dicitur Psalm. 80. *De petra melle saturauit eos*: adeo enim sitientibus Hebræis iucundæ aquæ illæ è petra scaturientes fuerunt, vt veluti mel dulces haberi potuerint. Similiter lacrymarum aquæ, quæ è Magdalenæ corde fluxerunt mellis instar Redemptori fuerunt: *Rorulenta aspergines lacrymarum*, ait B. Antiochus, *vt dulcor mellis sunt cordi*: cordi quidem non solùm peccatoris lacrymantis, sed Dei etiam pœnitentiæ lacrymas sitientis. *Deus* enim, iuxta Chrysologum *sitit lacrymas peccatorum.* In Vitis Patrum, titulo de compunctione, Anima pœnitentiæ lacrymas effundens, dicitur, *Terra promissionis.* Promissionis autem terram vocauit Deus *terram fluentem lacte, & melle.* Verè lacte, & melle fluens anima, quæ pœnitentiæ lacrymas effundit, dici potest: dicitur melle fluens; cum lacrymis, veluti mellifluis aquis diuinæ siti satisfaciat, lacte fluens dicitur, cum iisdem lacrymis cœlestis gratiæ partus enutriat.

Hom. … de Compunct.

Ser. … … … … cur … … dicitur.

Exod. 13. 17

Lacrymæ melleæ, & lacteæ sunt.

97. De Ionatha Reg. 1. cap. 14. dicitur: *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: Et conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius*; qui scilicet oculi antea præ labore, & ieiunio caligauerant. Si Syluestre mel illuminare caligantes Ionathæ oculos potuit: multò efficacius rorulentæ aspergines lacrymarum, vt dulcor mellis, mentis oculos ad videnda ea, in quibus antea caligauerant, acuere possunt: *Sæpe, quod torpentes latuit, flentibus subtilius innotescit. Et afflicta mens certius inuenit malum, quod fecerat, & nesciebat*, ait Gregorius. Quare contra tenebrarum principem obscurantem peccatoribus commissæ culpæ notitiam, lacrymarum collyrium mentis oculis est adhibendum. Hinc Apoc. 3. dicitur: *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Vbi collyrii nomine pœnitentiæ lacrymas, per quas mentis oculus purgatur, intelligunt Ambrosius, Ansbertus, & Thomas Anglicus. Quare Dauid ob quotidianum fletum cum dixisset: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.* Idem ob clatam sui peccati notitiam dicere etiam potuit: *Peccatum meum contra me*, hoc est, *in conspectu meo est semper.*

Lacrymæ mentis oculos illuminant.

Gregor. 8. Mor. c. 11. vel 16.

Ps. 41.

Ps. 50.

98. Diaboli prauas suggestiones ignea tela vocat Apostol. *In quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Ne huiusmodi igniris telis lædamur; iis lacrymarum contraria arma sunt opponenda. *Cum tentaris, aduersum eum, qui te impugnat, gladium lacrymarum exacue*, dicitur in Vitis Patrum. Hoc gladio Magdalena capita inferni draconis habentis capita septem recidit; de quo Ioann. Apocal. 12. dixit: *Ecce draco magnus rufus, habens capita septem*; quibus septem capitalia vitia denotantur: Hinc de Magdalena dicitur Lucæ 8. *De qua septem dæmonia exierant.*

Ad Eph. 6. n. 16

Tit. de Compunct.

Lacrymæ ignea diaboli tela extinguunt.

Lacrymis tanquam acuto gladio inferni draconis capita recidantur.

99. Dauidis gladius Philistæo gigante obtruncato, in sacro Dei Tabernaculo repositus fuit, vt habetur 1. Reg. cap. 21. *Ecce hic gladius Goliath Philistæi, quem occidisti in Valle Terebinthi, est inuolutus pallio post Ephod.* Magdalena similiter suum lacrymarum gladium, quo diabolum vicerat, in sanctissimis Domini pedibus reposuit: quos, vt ait sanctus Paulinus, *Sacrarium, & altare constituit.* Huic lacrymarum gladio cœlestis Paradisi aditus reseratur; sicut flammeo gladio terrestri Paradisi aditus prohibebatur. Ante inferorum aditum Lethæum obliuionis fluuium reperiri Ethnici fabulati sunt. Nos contra ante Paradisi aditum, tamquam obliuionis fluuium, pœnitentium lacrymas esse dicere possumus. Quandoquidem peccator ante actam vitam per pœnitentiam deflens, ipsi Deo suarum culparum obliuionem inducit. Hinc Ezechielis 18. dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatem eius, quas operatus est, non recordabor.*

Lacrymæ gladio, quo Dauid gigantem occidit cõparantur.

Epist. 4. ad Seuerum.

Gen. 3.

Lacrymæ fabuloso Lethæo fluuio comparantur.

Et capillis capitis sui tergebat.

100. VSa est capillis pro linteo, de Magdalena ait Sanctus Cyprianus. Sed cur capillis potius, quàm linteo Magdalena Domini pedes abstergere voluit? Vt huic quæsito respondeam, reuoco in memoriam Abrahamum, qui cum famulos plurimos, seruosque haberet; nihilominus non per alios, sed per seipsum Angelorum hospitum pedes abluere voluit Genes. 18. De quo Hieronymus ait: *Diues erat Abraham auro, & argento, pecore, possessione, vestibus: tantam habebat familiam, vt ad subitos nuncios iuuenibus electis armare posset exercitum; & quatuor reges, quos quinque reges fugerant, in Dan consecutus occideret: & tamen post crebra hospitalitatis officia, dum non refutat homines, suscipere meruit Deum. Non seruis, & ancillulis imperabat; vt ministrarent hospitibus; nec bonum, quod exercebat per alios minuit. Ipse pedes lauit.* Similiter Magdalena tamquam maioris obsequii testimonium, non aliquid extraneum, sed proprias lacrymas, propriosque capillos ad Domini pedes lauandos, & abstergendos adhibere voluit.

Magdalena cur capillis potius, quã linteo Domini pedes absterserit.

Ep. 26.

Abrahã erga hospites eximia charitas.

101. Peccatrici hanc pœnitentiæ formam S. Ambrosius præscribit: *Lugubris tibi accipienda est vestis; & mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam, occasionem luxuriæ præstiterunt: destinant oculis lacrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt: pallescat facies, quæ quondam viruit impudicè: denique totum corpus iniuriis, & ieiuniis maceretur; cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat; quia male sibi de pulchritudine placuit.* Hæc omnia præstitit Magdalena; non autem crines amputauit; cum illos in Domini obsequium ad sanctos tergendos pedes reseruasset. De Iudith, cap vlt. dicitur: *Conopeum, quod ipsa sustulerat de cubili Holofernis, obtulit in anathema.* Sicut igitur Iudith conopæum, quod Holofernes ad lasciuiæ

Ambros. ad Virg. lapsã c. 8.

Peccatrici animæ quę pœnitentiæ forma seruanda sit.

Magdalena pœnitẽs cur sibi capillos non reciderit.

contingunt, sed non coinquinant Solem: medicum, cum tangit vulnera, putredo non polluit: iudicem, quamuis tangat reos, non potest maculare, cum supplicat. Sic peccator cum Dominum tangit, non Dominum sordidat; sed ipse & peccato caret omni, & rapit subitò sanctitatem. Diuorum coronæ è serpentum spiris olim concinnabuntur teste Horo Apolline in Hieroglyphicis. Quod si apud Ethnicos Diuorum capita serpentibus coronati, iis probro non fuit, sed gloriæ; multò honorificentius Christus Dominus suos pedes peccatores, olim venenatos serpentes, amplecti, & veluti coronare suam omnium maiorē gloriā duxit. Christi Domini imitator Apostolus Philippenses, quos à praua vita ad fidem conuerterat, suam coronam appellauit: *Gaudium meum, & corona mea* cap. 4. Ideo Cantic. 4 sanctissimæ Christi humanitati, primariæ nei sponsæ Deus ait: *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon. de cubilibus leonum, de montibus pardorum,* Vbi iuxta S. S. P. P. leonum, & pardorum cubilia peccatorum animas variis vitiis efferatas significant. Hæ à praua vita ad sanctitatem conuersæ, Christi Domini coronæ esse debebunt. Ideo vt Christi Domini pedes peccatorum accessum non dedignantes sancti viri imitarentur, inter peccatores ad eos illuminandos discurrere dicuntur. *Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent.* Sap. cap. 3. Arundineta enim serpentibus, peccatores significantibus abundare solent. Quare de diabolo antiquo serpente Iob 40. 16. ait: *Sub vmbra dormit, in secreto calami.* Et Psal. 67 eo dicitur: *Increpa feras arundinis.* i. Peccatores, iuxta Theodoretum, & Chaldæum Paraphrasten.

Et respondens Iesus dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere.

109. QVamuis interdum in Euangelio respondere, non significet responsum interroganti reddere; sed absolutè sermonem exordiri: vt Matth. 11. *Respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine, cæli, & terræ.* Matth. 12. *Responderunt ei quidam de Scribis, & Pharisæis dicentes: Magister, volumus à te signum videre:* Matth. 17. *Respondens Petrus dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse.* Matth. 21. *Respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis dicens:* Nihilominus hoc in loco respondere propriè responsum reddere significat: Dominus enim *scrutator cordium* occultæ Pharisæi cogitationi respondit.

110. Chrysostom. homil. in Matth, 81. & Ambrosius libro 6. in cap. 7. Lucæ, putant eumdem esse Simonem hunc, & illum, de quo dicitur Matth. 26. *Cum Iesus esset in Bethania in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput eius recumbentis.* Mulier hæc etiam Magdalena fuit iuxta Augustinum lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 69. *In domo Simonis leprosi,* ait Hieron. *non quòd leprosus & illo tempore permaneret, sed quia antea Leprosus, postea à Saluatore mundatus est, nomine pristino permanente, vt virtus curantis appareat. Nam in catalogo Apostolorum pristino vitio, & officio Matthæus Publicanus appellatur, qui certè Publicanus esse desierat.* Idem Hieronymus in Iob. cap. 38. ait: *Mos sacra Scriptura huiusmodi est, vt pristina culparum nomina in sanctis frequenter recenseat. Sicut Beatus Isaias Propheta ait de Deo: Benedicent me bestiæ agri, idest Gentiles, qui iumenta erant olim, licet nunc iumenta esse desierint,* Iuxta hanc regulam Matth. 11. dicitur: *Cæci vident, claudi ambulant;* hoc est, qui olim cæci fuerant: Et prima ad Corinth. cap. 11. 20 & alibi Eucharistia dicitur panis, eò quod panis antea fuerit. Exodi 7. dicitur: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum;* vbi virga Aaronis iam versa in serpentem, adhuc pristino nomine retento, virga appellatur. Similiter ergo dicitur ab Euangelista Matthæo Simon Leprosus, quamuis leprosus tunc non esset. Lepra enim leprosum ab humano commercio arcebat, vt habetur Leuitic. 13. num. 46: *Omni tempore, quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra.* Porrò Simonem hunc antequam Dominum præsenti conuiuio exciperet, leprosum non fuisse duplici coniectura suaderi videtur. Primò quia hîc nulla eius lepræ, & curationis mentio fit. Secundò quia si leprosus, & per miraculum à Domino mundatus antea Simon fuisset; verisimiliter de Redemptore, tamquam de non Propheta non murmurasset; cum in eo diuinam virtutem miracula operantem in se esset expertus. Probabile est igitur, post Magdalenæ pœnitentis ad Dominum accessum, Simonem lepram contraxisse; idquè in pœnam, quòd de Redemptore post plura eius audita miracula, tamquam de non Propheta; & de Magdalena post vberes pœnitentiæ lacrymas, tamquam de adhuc immunda intra se murmurasset. Alibi etiam legimus, murmurandi crimen leprâ à Deo fuisse punitum, nempè Numer. 12. Cum enim contra Moysen Maria eius soror murmurasset, dicitur: *Ecce Maria apparuit candens lepra, quasi nix.* Vbi S. Ephrem ait: *Ex teterrima Mariæ Prophetissæ lepra docemur quàm graue, & detestabile vitium sit obtrectatio. Corpus, quod lepra infectum cernebatur, velut speculum fuit animæ, quæ non perspiciebatur, cuius maculam indicabat.* Quod si de leproso dicitur Leuitic. 13. num. 45. *Habebit os veste contectum:* Multò magis murmurator os contegere debet, ne inde maledicentiæ fœtor exhalet, iuxta Dauidis sententiam Psalm. 106. *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* Quæ iniquitas? Illa, de qua dicitur Psalm. 62. *Obstructum est os loquentium iniqua.* Rursus cum leprosus veste os contegere debeat; qua veste murmurator suum os cooperiet? Illa, de qua loquitur Dauid Psalm. 108. *Induantur, qui detrahunt mihi pudore; & induantur sicut diploide confusione sua:* Quod explicans Gregorius ait: *Diploidem duplum vestimentum dicimus:* (hoc est interiori panno suffultum:) *confusione ergo sicut diploide induti sunt; quia iuxta reatus sui meritum, & temporali, & perpetua animaduersione feriuntur.* Murmuratoribus enim, cum hominibus, & dæmonibus abominabiles sint; tum in vita, tum post mortem suæ iniquitatis pœnas luendum est. Contraxit igitur post murmurationem Simon Lepram; de qua tamen à Domino curatus est, antequam iterum eius domum in Bethania Dominus ingrederetur; de quo dicitur citato cap. Matth. 26.

111. Porrò dicendo: *Simon habeo tibi aliquid dicere;* suam in eum licet immeritum benignitatem ostendere clementissimus Dominus voluit. *Appellatio enim ex nomine beneuolentiam testatur,* vt docet Gregor. cap. 3. Sic Genes. 3. Deus primum humani generis parentem proprio nomine appellans suam erga eum clementiam ostendit, vt notat Chrysostomus: *Ex suo, ait, ipsum nomine appellans, & dicens: Adam Vbi es? amorem suum, & multam circa eum curam ostendit: nam enim omnes nostis, quod est legitimæ indicium amicitiæ.* Sic

Matt. c. 10.

Mutatæ res sæpe pristinum nomen retinent.

Isai. 43. 20

Murmurandi crimē lepra punitur.

Tom. 1.

Murmurandi vitio obnoxius tāquā leprosus os suum cōtegere debet.

Gregor. 4. Mor. c. 33.

Diplois, hoc est vestis interiori panno suffulta quid mysticè significet.

Appellatio ex nomine beneuolentiā testatur.

Chrysostom. hom. 7. ad populum.

& mortuos revocantes facere consueverunt, continue ipsorum nomina versantes. Si iuxta Chrysostomum consuetum erat apud Veteres proprio nomine extinctos amicos, vel consanguineos appellare; quasi conarentur eos è mortis somno excitare: bene Dominus excitaturus ab incredulitatis morte Pharisæum, eum proprio nomine compellat: *Simon, habeo tibi aliquid dicere;* scilicet vt Simonem ex incredulitate ad eam vitam revocaret; de qua dixit Apostolus: *Iustus ex fide vivit.* Verba eadem Habacuc Propheta afferens antea præmisit: *Ecce, qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso.* Quàm verum est, non solùm in speculatiuis, sed etiam in moralibus Scholasticum illud principium: *Modus cognoscendi sequitur modum essendi:* quod manifestè patet in hoc incredulo Pharisæo, qui eum in se ob incredulitatem non rectam animam haberet; hinc etiam obliquè de Domino, & Magdalena iudicabat; illum scilicet non Prophetam; hanc adhuc post pœnitentiæ lacrymas immundam existimans.

Paul. ad Rom. c. 1.
En Habacuc c. 2.
Incredulus, & obtrectator animam non rectam habere dicitur.

B

At ille ait: Magister dic.

Psal. 93 v. 12.
Vox Domini quomodo audienda.

112. **B***Eatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum,* ait David. Vt beatitudinem hanc consequamur, Divino magisterio intenti, docile cor illi exhibendo, frequenter Deo nos vocanti dicere debemus: *Magister dic:* Vel cum Samuele: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus:* Vel cum Dauide: *Bonitatem, disciplinam, & scientiam doce me.* Quoniam verò surdastrum se homo; & quod peius est, malè audientem cognoscere se debet, dicere Deo debet cum Augustino: *Intona, Domine, desuper voce grandi, & forti in interiorem aurem cordis mei.* Ad divinam vocem audiendam præclarum est Bernardi monitum: *Tu, ô charissime, huic voci Dei tui dulciori super mel, & favum, si preparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem; vt expedito, & vacante interno sensu, dicas & tu cum Samuele: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Vox hæc non sonat in foro; sed nec auditur in publico. Secretum consilium, secretum quærit auditum.* Sed his Bernardi verbis opponi possunt Spiritus sancti per Salomonem verba Prouerb. 1. vbi de Divina Sapientia ait: *Sapientia foris prædicat. In plateis dat vocem suam; in capite turbarum clamitat: In foribus portarum Vrbis profert verba sua.* Respondetur à Deo ad homines duplicem vocem emitti, alteram obiurgationis ad peccatores; consolationis alteram ad iustos. Vox, quæ *in capite turbarum clamitat,* seu ex Hebræo, *in capite tumultuantium,* est vox, quæ peccatores ad eos obiurgandum alloquitur: quare ibi subdit: *Vsquequo parvuli diligitis infantiam; & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient: & imprudentes odibunt scientiam?* Contra verò vox, quæ ad iustos consolandos profertur, ea procul à mundano tumultu auditur. Propterea Oseæ 2. Deus de pia anima ait: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Vbi loqui ad cor, est blandis verbis consolari, teste Hieron. Sicut etiam Isai. 40. *Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester; loquimini ad cor Ierusalem.*

1. Reg. 3.
Psal. 118 v. 66
Aug. in Soliloquijs c. 7.

C

Bern. epist. 107.

D

Vox Domini duplex, altera ad peccatores, altera ad iustos.

E

Loqui ad cor est consolari.

113. Porrò incipiente Domino loqui, Magdalena Divinæ vocis cupida, quantò ardentiori, quàm Pharisæus, affectu tacitè intra se dicebat: *Magister dic.* Quid enim aliud, quam suauissima misericordiæ verba ex illius ore audire sperabat; de quo dicitur: *Diffusa est gratia in labijs tuis.* Psalm. 44. *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.*

A

Cant.

Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donavit vtrisque.

114. **I**N allata parabola, vt patet ex sequenti illius applicatione, per fœneratorem Christus Dominus, per debentem quingentos denarios Magdalena; per debentem denarios quinquaginta Simon Pharisæus intelligitur. Quo posito occurrunt duæ difficultates. Prima est cum fœnerari etiam apud Hebræos licitum non esset, iuxtà Leuitic. 25. num. 37. *Pecuniam tuam non dabis ei ad vsuram & frugum superabundantiam non exiges.* Et Psalm. 14. Cum quæsitum esset, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Inter cætera, respondet David: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram:* Cur igitur Dominus fœneratori, adeoque peccatori se ompa… Pr… tertim cum Deus non plus satisfactionis, quàm nostra debita, hoc est peccata, debent, ex… s, & ex sua misericordia citra condignum puniat peccatores.

B

115. Respondetur primò fœneratorem non semper in Scriptura in malam partem accipi pro vsurario; sed significare interdum iustum creditorem; & eum, qui liberaliter mutuum dat, iuxta quam acceptionem dicitur Deuteron. 15. *Fœnerabis gentibus multis; & ipse à nullo accipies mutuum.* Ecclesiastici 29. *Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius:* Sub talis ergo fœneratoris nomine Christus hic intelligitur. Homines quidem respectu Dei verè, sed licitè fœneratores sunt; cum ex divina liberalitate ob bona opera largissima retributio rependatur, vt dicitur Lucæ 6. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum:* Quod Salomon Prouerb. 19. num. 17. indicavit dicens: *Qui miseretur pauperis, fœneratur Domino, & vicissitudinem suam reddet ei.* Quare cum Lucæ 6. dicitur: *Benefacite, & mutuum date; nihil inde sperantes;* per talia verba nihil ab hominibus, non autem à Deo beneficos sperare debere percipitur. *Cum pauperi,* ait Basilius, *propter Dominum aliquid es daturus, illud idem & donum est, & mutuum: Donum quidem propter nullam præmij expectationem; mutuum verò propter splendidam Domini magnificentiam, eius vices rependentis; qui cum pauca in pauperis persona acceperit, maxima eorum nomine reponit.* Hinc apud Chrysost. homilia extat, cuius argumentum est. *Quod eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima.*

Fœnerat… dū… quū vsu… um, sed … alem … ditorem … o … ari … Deo … possumus. (side note, partly illegible)

C

D

Eleemosyna donū simul est, & mutuum.

Conc. 4. de Eleemosyna

116. Respondetur secundo. Quamuis ex diuina iustitia Deus à peccatore non plus pœnæ exigat, quàm homo peccando debeat; atque adeo ex parte Dei nullo fœnore peccati debitum augeatur: nihilominus ex parte peccatoris differentis Deo satisfacere ob culparum debitum, tale debitum in dies magno fœnore crescit; cum in dies peccator ex vna culpa in aliam, & aliam deteriorem incidendo, maiora erga divinam iustitiam debita contrahat; iuxta id, quod Lucæ 11. dicitur: *Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Ludus est dæmonum, cum vagas, & instabiles animas de vitio rotant in vitium,* ait Gregor. lib. 33. Moral. cap. 2. *Pecunia fœneris vix plantata iam pullulat. Hodie seminatur, cras fructificat; semper parit, & numquam interit. Cum exordium crescendi acceperit, in infinitum extendit augmentum,* ait Ambrosius.

E

Peccator Deo satisfacere differens, quo fœnore se obstringat. His, & sequentibus … Ludus est … dæmonum quando peccatur est.

Ambrosius. Similiter peccati debitum, cum in dies peccata alia pariat, rectè fœnori assimilatur. *Deficientibus virtutum lucris, criminum multiplicatur vsura*, ait Chrysologus serm. 93.

117. Respondetur tertiò ex Ambrosio: *Nihil interest inter fanus, & fœnus; nihil inter mortem distat, & fortem*. Quare, cum quodlibet mortale peccatum animæ spirituale funus sit, ideo bene talis peccati reatus, & debitum fœnus dici potest; & hinc Deus; cui talis debiti satisfactis debetur, dicitur fœnerator. Sed fœnerator teste Ambrosio: *Stat inflexibilis, non precibus inclinatur; non lacrymis mouetur, non eiulatibus frangitur*. Secus verò Deus ad peccati debitum condonandum, facillimè flectitur, & statim pœnitentiæ lacrymis ad veniam commouetur; vt hîc ex Magdalenæ experimento discimus.

Li. de Tobia c. 10.

Lib. de Tobia

118. Secunda difficultas circa allata verba est; an verè Magdalena respectu Pharisæi multò maius debitum, hoc est peccatorum reatum habuerit: quandoquidem Magdalena, vt debens quingentos denarios, Pharisæus verò vt quinquaginta debens, significatur. Vt huic difficultati fiat satis, supra etiam allata recolenda est regula Chrysostomi, & Cyrilli. Chrysostomus ait: *Christus sæpè ad mentem interrogationem accommodat, non ad verba eorum. Quemadmodum illo, qui interrogantis: Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Quoniam cen ad hominem nudum, & vnum è multis Iudæorum magistris, adijt; idcircò etiam ipse quasi homo ei respondet: Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus*. Similiter Cyrillus ait: *Consuetudinem fuisse Christo, maximè quando ad imperitos Pharisæos loquebatur, corda illorum aspicere; cogitationisque motus vt Deum examinare; ac ad ea, quæ illi mente versabant, orationem nonnumquam accommodare*. Hac posita regula, dicimus in parabola à Christo proposita multò maius debitum tribui Magdalenæ cum Pharisæo comparatæ; non ad significandum reuera ita esse; sed posito Pharisæi iudicio; qui se leuioris culpæ vix reum; Magdalenam verò peccatricem longè maioribus culpis obnoxiam existimabat.

Chrys. s. 2. hom. 44. in Matth. Matth. 19. Christi r[e]sponsio sæpe non est ad v[er]ba ad[]stantium, sed ad mentem. In Ioan. l. 3. c. 15.

Quis ergo eum plus diligit?

119. QVæritur hîc de qua dilectione interrogatio fiat, de dilectione antecedente, an subsequente debiti remissionem? Si parabola attendatur, videtur interrogasse de dilectione subsequente; quæ scilicet debiti remissionem ex grati animi motiuo subsequatur: primò, quia præsupposita debiti remissione, Dominus interrogat, qui ex debitoribus creditorem debitum remittentem plus diligit? Immo iuxta textum Græcum. *Quis eum plus diliget?* Secundò quia remissionis ratio non redditur ex debitorum dilectione per obsequia erga creditorem ostensa; sed tantùm ex debitorum ad restituendum impotentia: *Non habentibus illis vnde redderent*. Contra verò, si attendatur parabolæ applicatio, videtur sermo esse de dilectione antecedente, quæ scilicet debiti remissionem impetrauerit, dicente de Magdalena Domino: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Quare de Magdalenæ dilectionis signis erga Christum loquens Augustinus ait: *Cur omnia illa fecit, nisi vt sibi dimitterentur peccata?* non autem, vt gratiam se ob remissa peccata exhiberet.

Dilectio ante dem, an subsequens debiti remissionem Domini verbis significetur.

Hom. 23. inter 50.

Quamuis enim valde probabile sit Magdalenam vehementi contritione de peccatis doluisse, atque adeo ea remissa fuisse; non tunc primùm, quando ad Christum accessit; sed cum accedere decreuit: nihilominus, quia talem remissionem Magdalena ignorauerat; adhuc ad eam impetrandam ad Redemptorem accessit; obsequiaquè, & lacrymas exhibuit. Porrò subsequentia verba illa: *Cui minus dimittitur, minus diligit*, videntur promiscuè intelligi posse tàm de antecedente, quàm de subsequente dilectione; ita vt sensus sit: Qui minus diligit, minorem debiti remissionem impetrare debet; Vel, is, cui minus dimittitur, minoris dilectionis, gratique animi habet obligationem. Controuersia ergo hîc est, an dilectio maior, vel minor ponatur pro signo, & effectu consequente; an verò pro dispositione antecedente remissionem maioris, vel minoris debiti.

120. Respondetur in allata duorum debitorum parabola, & eius applicatione, contineri argumentum, quod dicitur à minori ad maius; & est huiusmodi. Si is, cui debitum maius, minusuè dimittitur, ob grati animi motiuum subsequenter creditorem magis, minusuè diligit; & ideo spe futuræ gratitudinis moueri potest creditor ad remittendum debitum: multò magis Magdalena, quamuis maiori debito obstringatur, debiti remissionem impetrare debet, atque adeo ad creditorem accedere non est prohibenda; cum non subsequenter tantùm, sed antecedenter ad debiti, hoc est peccatorum notificatam remissionem, multùm dilexerit creditorem; quod pluribus signis, nempe fusis lacrymis, & capillis, osculis, & vnguento ostendit. Cum autem dicitur Magdalena multùm dilexisse; hæc verba de dilectione Dei super omnia sacri interpretes intelligunt. *Hanc dispositiuam dilectionem*, inquit Scapletonius, *habuit Magdalena, cum diceret ei Christus: Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. De hac locutus est Christus, cum diceret: Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum*. Ioann. 14. Multò antea S. Thom. 3. part. quæst. 49. art. 11. dixerat: *Per charitatem consequimur remissionem peccatorum, secundùm illud Lucæ 7. Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multùm*.

Lib. 5. de Iustificat. prælec. 1.

Respondens Simon dixit: Æstimo, quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti.

121. AD Magdalenam defendendam Christus Dominus veritatem ex ipso obtrectantis Pharisæi ore extorsit; ita vt verè dici potuerit à Magdalena cum Mose: *Inimici nostri sunt iudices*. Et à Domino iterum dici: *De ore tuo te iudico, serue nequam*. Verum, rectumque iudicium è Pharisæi ore depromptum præfigurauit Leo, de quo dicitur Iudicum 14. *Ecce examen apum in ore Leonis erat, & fauus mellis*. Pharisæus Leo erat, qui obtrectando momorderat Magdalenam, vt adhuc peccatricem; & Dominum, vt planè inscium, nec vllo pacto Prophetam. Ex huius tamen Leonis ore veritatis mel elici posse Dominus voluit. Pharisæus hic, cæterique ad malè iudicandum procliues monentur Psal. 57. *Rectè, seu iuxta Bedam, rectè iudicate filij hominum*. Quasi dicat: Cum filii hominum sitis, fragilitatis humanæ memores, compati potius, & excusare proximum, quàm de illo malè iudicare debetis. Ille iu-

Deut. 32. Luca 19. n. 22.

Leo à Samsone necatus Pharisæi obtrectantis symbolum.

tem non rectè, sed iniquè iudicat; qui eum sibi tamquam homini, adeoque fragili indulgentior sit; erga proximum planè seuerum censorem se præstat.

Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem?

122. MAterialis sol è terra aqueos humores sursum attollit: contra verò contriti cordis lacrymæ Diuini solis oculos ad se trahunt; ideo erga lacrymantem Magdalenam oculos Dominus conuertisse dicitur. Vrbanus quartus in Psalmi 50. verba: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*, ait: *Non despicis loquelam gemitus; sed humilia respicis in cælo, & in terra. Ad quem enim respicis, Domine Deus meus, nisi ad humilem, & contritum, & trementem sermones tuos?* Chrysologus serm. 94. ait: *Conuersus ad mulierem Simoni loquitur Christus: quia cum pœnitentem respicit, arguit oblatrantem. Clementissimus Dominus se totum ad benefaciendum exhibet, oculis Magdalenam salutat; ore Pharisæi incredulitati medetur.*

Lacrymæ Domini oculos ad se trahunt.

Ps. 112. 6.

Is. 66.

Christus erga Magdalenã & Pharisæum misericors.

123. Porrò interrogando Dominus Pharisæum: *Vides hanc mulierem?* ostendit quantùm Magdalenâ iam per pœnitentiam sanctificatâ, tamquàm pretiosâ prædâ glorietur. Similiter cum in seruo suo Iob gloriaretur Deus, Satanæ, qui circuierat terram, & perambulauerat eam, dixit: *Numquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei homo similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Vbi Gregorius ait: *Deus tales electos suos iustificando facit, quibus apostata Angelus possit inuidere.* Diabolus circumdando terram, eamque perambulando quam multa pretiosa auri, argenti, gemmarumque vel intra terræ viscera, vel intra marinas, fluuialesquè aquas inspexerat! Quot magnos Reges, & Dynastas intra opulentas Regias, & palatia viderat! Et tamen relictis aliis, de solo Iob interrogatur; Quod in suo hoc vno seruo præ aliis omnibus Deus gloriaretur. Similiter cùm Deus in mundi opificio, in cælorum stabili motu, astrorumque pulchritudine gloriari posset; nihilominus Isaiæ 49. ait: *Seruus meus es tu Israel, quia in te gloriabor.*

Deus quantũ pię creaturis omnibus, suis seruis glorietur.

Iob. 2.

2 Mor. c. 7.

Intraui in domum tuam; aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit.

124. SOlebant, inquit hîc Cornel. *hospitibus, & conuiuis lauari pedes; quia olim nudis pedibus incedebant: Lauabant eos ergo, vt sordes simul, & fatigationem abstergerent; ne iis lectulos mensales, in quibus discubituri erant, sordidarent.* Sed vniuersaliter priscos illos nudis pedibus incessisse non reperio; sed potius calceatos. Mosi siquidem Exodi 3. dicitur: *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Iosue 5. Similiter: *Solue calceamentum tuum de pedibus tuis.* Deuteron. 29. Israëlitis ab Ægypto egressis, dicitur: *Adduxit vos 40. annis per desertum; non sunt attrita vestimenta vestra; nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* Quare, cum ibi quæratur vnde tot millia paruulorum, qui nati sunt in deserto suos calceos habuerunt? Respondetur ex Abulensi Hebræos ex pellibus animalium suorum confecisse corium, indequè calceos ad puerorum pedes muniendos habuisse. Quòd si dicas priscos illos seminudis pedibus incessisse; rò quòd non calceis, sed sandaliis supernè apertis vterentur; hoc etiam vniuersaliter verum non est; alioquin cur Christus Dominus speciali mandato Apostolis præcepisset: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta: sed calceati sandaliis*, vt additur Marci 6. Ieiunii quidem tempore consueuerunt Hebræi nudis pedibus incedere; vt indicat S. Leo serm. de ieiunio: *Habeant illi nudi pedalia sua; & in tristitia vultuum ostendunt otiosa ieiunia.*

Calceis an Veteres vterentur.

Matth. 10.

Hebræi ieiunii tẽpore nudis pedibus incedebant.

125. Dico prætereà pedum lotionem ante prandium, vel cœnam, non ideo consuetam fuisse, ne conuiuæ sordidis pedibus mensales lectulos inquinarent. Nam vel dicitur vniuersaliter comedentes nudis pedibus discumbere solitos; & hoc videtur gratis, nec satis probabiliter asseri: cum huic consuetudini obstaret, vel modestia, vel saltem ex pedum nuditate frigus: cum etiam hyemali tempore pedum lotio fieret; vt patet Christi Domini exemplo, qui mense Martio discipulorum pedes lauit. Adde Veteres caligis vti solitos; quæ pedes mediamque tibiam contegebant: ex quo *tibiatim, vel suratim* calceare apud Festum, & Aldelmum legimus. Dices: In lectulis discumbentes relictis caligis, vel sandaliis ad frigus arcendum stragulo tegmine vti potuisse. Sed huiusmodi consuetudinis mentio nulla apud veteres reperitur; & in imaginibus priscum in conuiuiis discumbendi morem repræsentantibus culcitra quidem, non autem stragulâ vestis conuiuas operiens videtur. Rursus, si dicatur post pedum lotionem reassumi solitos calceos, vel caligas à discumbentibus; tunc reuoco in memoriam quod dicitur Exodi 30. *Missa aqua lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus suas, ac pedes.* Vbi Cornelius ait: *Probabiliter censent Caietanus, Lippomanus, & Ribera sacerdotes nudis pedibus in tabernaculo ministrasse. Ad hoc enim videntur lauisse pedes, ne iis sordidis Tabernaculum fœdarent. Si enim postea rursum pedibus induissent calceos, & caligas, quid opus erat eos lauare?* Quod de sacerdotibus dicitur, idem de discumbentibus dici potest.

Ioan. 13.

Festus l. 10. Aldelm. de laudibus virginitatis c. 29.

Vide Tradã in Ezechiel.

Sacerdotes nudis pedibus in Tabernaculo ministrabant.

126. Prætereà cum Veteres ad mensam sederent, non discumberent; adhuc pedes lauandi consuetudo reperitur; atque adeo ad lectulorum munditiem pedum lotio non est instituta. Patet Iudic. 19. vbi dicitur: *Sederunt simul ac comederunt, & biberunt*: & idem dicitur: *Postquam lauerunt pedes suos, recepit eos in conuiuium.* Similiter Genes. 43. num 33. de fratribus coram Iosepho comedentibus, dicitur: *Sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam.* De quo Philo lib. de Iosepho ait: *Iussit sedere iuxta ætatis ordinem; nondum enim discumbendi mos receptus erat*: Quod comprobatur Exodi 32. vbi dicitur: *Sedit populus manducare, & bibere.* Et tamen abluendi pedes ante cibum mos iamdiu ab Abrahamo Genes. 18. incœperat. Denique Ezechiel. 23. dicitur: *Te lauisti, & sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te.* Ex his patet pedum lotionem ante cibum institutam esse, vel conuiuis ad delicias, sicut balneum; vel peregrinis ad sordes, & itineris lassitudinem tollendam. Dici prætereà probabiliter potest post pedum lotionẽ veteres,

Sedendi in conuiuiis priusquam discũbendi apud Veteres consuetudo fuit.

quibus ciuilior viuendi cultus erat, non forenses calceos ex itinere sordidos; sed domesticos mundos, quales apud nos crepidæ sunt, assumere solitos; ne cum ad mensam discumberent; mensales lectulos inquinarent.

Osculum mihi non dedisti; hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.

S. Maximus hom. 59. *Eccles. c. 11.* *Magdalena cur viuens, & præsens absque inanis gloriæ periculo est laudata.* *Ad Rom. c. 6.* *Lib. de vita Contemplatiua c. 21.*

127. IVxta Diuinum sermonem, ait S. Maximus, *Ne laudaueris hominem in vita sua: tamquam si diceres, magnifica post consummationem.* Cur igitur hîc præcedentibus, & subsequentibus verbis viuens, & præsens à Domino Magdalena laudatur? Respondetur primo hîc Magdalenam post eius vitam, post eius consummationem laudari: quandoquidem per pœnitentiam iam iuxta Apostolum, *Mortua erat peccato, viuebat autem Deo. Qui mortuus est peccato*, ait S. Prosper, *non eum superbia inflat; non ambitio ventosa præcipitat; non vana gloria turpiter iactat; non desiderium gloriosæ opinionis inflammat.* Cum talis iam esset Magdalena, poterat sanè citra superbiendi periculum tutò laudari.

Antidotum cõtra inanis gloriæ venenũ. Hic, & in sequẽti.

128. Secundo venenum ei non nocet, qui efficax habet antidotum. In venenum quidem sæpè laus, & glorificatio conuertitur; quo veneno humanum cor miserè intumescit. Talis veneni antidotum præteritorum delictorum recordatio est: Huiusmodi antidotum contra inanem iactantiam Dauid habebat; cum enim gloriari posset, quòd Dei amicus ita intimus fuerit; vt cœlesti Regi à secretis esse potuerit: *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi:* Nihilominus hinc ne inani gloria superbiret, paratum antidotum habebat, dicens: *Peccatum meum contra, hoc est coram me, est semper.* Cum huiusmodi antidotum Magdalena haberet, acutè præterita peccata lacrymosis oculis intuendo, potuit saoè cum præsens esset, citra superbiendi periculum à Domino laudari. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ*, aiebat Apostolus. Ne suarum laudum magnitudo Magdalenam extolleret, præteriti carnis stimuli, quibus antea miserrimè in lasciuiam deciderat, præsidio erant.

Ps. 50. *Ibid.* *2 ad Cor. c. 12.*

Grues mare transuolantes pedibus lapillũ suspendunt, & guttur arena replent. *Lib. 10. c. 23.* *Ps. 37.*

129. Grues mare transuolantes, ne vento agitentur, lapilli pondus pedibus suspensum, & guttur arena plenum habere testatur Plinius. Similiter, ne quis huiusmodi mortalis vitæ pelagus transuolans, laudum inani gloria extollatur, præteritorum peccatorum pondere cogitationem stabilire debet dicens cum Dauide: *Iniquitates meæ, sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Rursus contra inanis gloriæ ventum homo animum obfirmabit, si gruis instar illo puluere animum repleat, ex quo creatus est, & in quem conuertetur; illud sæpè sibi commemorans: *Reuerteris in terram, de qua sumptus es: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Cum cogitauerimus*, ait Chrysostom. *vnde constitutionis suæ initium natura nostra susceperit; etiamsi sexcenties supercilia subrigamus, ea deprimemus, & humiliabimur; & substantiæ nostræ qualitatem perpendentes, modestiam discemus.* Cum grues terram attigerint, eas è gutture arenam emittere docet Plinius. Similiter homo tunc terrenum se esse cogitare desinat, cum beatam viuentium terram contigerit. Vbi iuxta Apostolum: *Corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem.*

Gen. 3. *Chrysost. homil. 12. in Gen.* *1 ad Cor. c. 15. n. 54.*

Oleo caput meum non vnxisti; hæc autem vnguento vnxit pedes meos.

Lib. 15. de vnguentis.

130. OLeo, hoc est odoriferis aquis è pinguedine, hoc est è meliori succo herbarum, florum, & aromatum expressa conuiuarum caput aspergere veteres consueuerunt: Primò ad voluptatem, & ad conuiuii lautitiem, vt cum palato simul odoratus oblectaretur: Secundò teste Athenæo, ne vinum largius, meraciusque sumptum superiores capitis partes peteret; sed aquæ humectatione comprimeretur impetus eius, cerebrum refrigerando. Huius consuetudinis crebra est mentio in sacris libris. Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum; & calix meus inebrians quàm præclarus est!* Psalm. 103. *Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis; vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet:* Psalm. 140. de peccatoribus ait Dauid: *Non communicabo cum electis eorum; hoc est ex Hebræo: non vescar deliciis eorum*; & subdit: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Amos 6. *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti.* Hinc ad ieiunium dissimulandum conuiuantium consuetudinem adhibendam docet Dominus Matth. 6. *Tu autem, cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua; ne videaris hominibus ieiunans.* Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. 2. cap. 8. An vnguento, & coronis vtendum sit, quærit; egregieque respondet. Vbi etiam Magdalenæ lacrymas, capillos, & vnguentum mysticè interpretatur.

Propter quod dico tibi; remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

131. HInc non benè infertur, nunc primum remissa esse Magdalenæ peccata; non autem antea per contritionem perennibus lacrymis indicatam. Si enim iam antea multum dilexerat; consequenter antea per dilectionem Dei super omnia, veramque contritionem peccata illi remissa fuerant. Quare non remittuntur, sed remissa sunt peccata in Græco, Syro, & Arabico textu legitur: & ita legunt Ambrosius epist. lib. 2. Epist. 17. ad Theod. & lib. de Isaac. & anima cap. 8. Gregor. lib. 2. epist. 22. Cur autem in nostra vulgata dicatur: *Remittuntur*, recolenda est sacræ Scripturæ regula; in ea enim interdum aliquid fieri dicitur; non quando primò fit, sed quando quod antea fuit, notum fit. Hinc Genes. 22. Abraham ad vnigeniti sacrificium iam proximè parato, à Deo dicitur: *Nunc cognoui, quod timeas Deum:* Non quòd tunc primùm Deus id cognouerit; sed quod Abrahami obsequium, & perfecta obedientia tunc maximè manifesta fuerint. Similiter hîc dicuntur Magdalenæ peccata remitti; non quòd nunc primùm remissio fiat; sed quòd remissio prius facta, nunc expressa absolutione fiat nota. Similiter Apocal. 5. dicitur: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & Diuinitatem:* non quòd antea à suæ conceptionis initio Diuinitatem Christus non habuerit, vt impiè Photinus asseruit; sed quòd Diuinitatem antea acceptam, resurgens post passionem, notam fecerit.

Res interdũ fieri dicitur; non cũ primò fit, sed cum primũ innotescit.

132. Simile quid Magdalenæ ad Christum, & cuilibet verè contrito pœnitenti ad sacerdotis absolutionem venienti contingit; quod Lucas

17. decem leprosis accidit: *Quos Iesus, vt vidit dixit: Ito, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est dum irent; mundati sunt.* Similiter ante sacerdotis absolutionem peccatoris verè contriti peccata mundantur; & Magdalenæ culpæ deletæ sunt ante expressam Christi summi sacerdotis remissionis sententiam. *Fieri possunt digni venia pœnitentes ex desiderio sacerdotis*, ait Augustin. Quare Tridentinum sess. 14. cap. 14. docet *Contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare, priusquam Sacramentum actu suscipiatur.* Contritio charitate perfecta dicitur, quæ non ex metu Gehennæ, sed ex Dei super omnia dilectione prouenit. Includit autem perfecta contritio, vt idem Trident. docet, Sacramenti votum, seu propositum: *Per ipsum autem propositum confitendi (dummodo ex vera contritione praueniat) mundatur lepra peccati*, ait Hugo Card. iuxta Dauidis Psalm. 31. testimonium. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei.* Porrò subsequenti Psalmo de Diuinis operibus ait Dauid: *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt.* Per solum Diuinum *Dixit*, facta sunt Dei opera: per solùm humanum, *Dixit*, destrui possunt opera diaboli. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Si Verbo Domini Cœli firmati sunt; verbo hominis Infernus labefactari potest.

Aug lib. de vera, & falsa Pœnit. c. 11.

Cōtritio ex charitate perfecta hominem Deo reconciliat.

Ps. 32.

133 Sed, ne quis hinc occasionem peccandi arripiat; quòd solo verbo commissa peccata delere possit: reuocet in memoriam præter Caïnum apertè suam iniquitatem confitentem, tres alios dixisse *Peccaui*: Saul quidem 1. Reg. 15. ait: *Peccaui*. Iudas similiter Matth. 27. *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Similiter 2. Reg 12. *Dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino.* Sed vide paris dictionis quàm sit dispar exitus? Illi damnantur, Dauid absoluitur. Huius discriminis ratio egregiè à Bernardo redditur: *Reges Saul, & Dauid redarguti à Prophetis Samuele, & Nathan, dixerunt: Peccaui. Et tamen Saul audiuit: Transtulit Dominus regnum tuum, & dabit illud æmulo tuo: Et Dauid: Transtulit Dominus peccatum tuum, & non morieris. Quid est hoc, nisi quia, quod Saul habuit in ore, non fuit in corde: Et humilitas, quæ in ore Dauid extitit, in corde etiam radicauit? Cain, & Iudas puri, & humiliter confessi sunt; sed nequaquam fideliter. Quia alter eorum desperans ad laqueum cucurrit; alter illud grande scelus anamuit: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Mentiris latro; quia maior est pietas Dei, quàm quæuis iniquitas.* Cur non homicidam, seu fratricidam, sed latronem potius Caïnum Bernardus appellat? quia scilicet Diuinam potentiam, & gloriam: quam *Deus parcendo maximè, & miserando manifestat*, Caïnus desperando defraudauerit.

Gen 4. n. 13. Saulis, Dauidis & Iudæ suũ peccatũ confitentium discrimen.

Serm. de S. And sub finē operum S. Bern.

Matth. 27. Cain cur latro fuisse dicatur. Gen. 4.

Quoniam dilexit multum.

134. IN sacris litteris particula, *Quoniam*, vel, *Quia*, interdum est causalis; interdum causalis non est, sed tantùm explicatiua. Quando causalis est, per eam rei alicuius redditur ratio; idque vel à priori, nempe à causa; vel à posteriori, nempe ab effectu. Primo causalis à priori est hîc, cùm dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Dilectio enim Dei super omnia meruit, vt Magdalenæ peccata remitterentur; vt dictum est supra ad illa verba: *Quis ergo eum plus diligit?* Secundo eadem particula, *Quoniam*, causalis est à posteriori, epist. 1. Ioann. cap. 3. *In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*, scilicet Dei charitas erga humanum genus à Christi Domini passione, tamquam à diuinæ charitatis effectu bene cognoscitur. Tertiò eadem particula interdum est merè explicatiua, non causam reddendo, sed rem explicando, vt apud Ioann. ibidem. *In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis; quoniam de Spiritu sancto suo dedit nobis.* Vbi bis vsurpatur particula, *Quoniam*; antea scilicet ad explicandum; cum enim dixisset: *In hoc cognoscimus*, subdit, *Quoniam in eo manemus*; & idem est, ac dicere: *In hoc cognoscimus, quòd in eo manemus.* Deinde eadem particula vsurpatur ad rationem reddendam à posteriori, & ab effectu, cum dicitur: *Quoniam de Spiritu sancto suo dedit nobis:* Similiter ad explicandum vsurpatur Matth. 2. *Videns Herodes quoniam illusus esset à Magis*, id est, quòd illusus esset Marci 3. *Dicebant enim, quoniam in furorem versus est*, id est quòd in furorem versus est.

Particula Quoniam, aut Quia, interdum causalis est, interdum tantùm explicatiua.

Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

135. PRima circa hæc verba difficultas proponitur ab Augustin. homil. 23. inter quinquaginta cap. 4. *Si cui modicum dimittitur, modicum diligit; cui autem plus dimittitur, plus diligit: Expedit plus diligere, quàm minus diligere: oportet, vt multùm peccemus, & multùm debeamus; vt dimissorem magnorum debitorum amplius diligamus. Si mulier plus diligere eum, cui peccata plura dimissa sunt; quàm illum, qui minima peccauit; vtilior erat multa iniquitas, ne esset tepida charitas.* Acutè propositæ quæstioni respondet Augustinus, asserendo hominem erga Deum duplex debitum habere; vnum ob peccatum commissum; alterum ob peccatum, quod diuinæ gratiæ beneficio non commisit. Quare licet modicum sit debitum ob peccatum commissum; multum est debitum propter peccatum quod sine diuinæ gratiæ auxilio committeret. Remissis igitur peccatis commissis; & impeditis peccatis committendis, si Dei auxilium abfuisset; debet quilibet ex vtroque capite multùm Deum diligere. Propositis ergo duobus; altero, qui parùm; altero, qui multùm peccauit, ait Augustinus: *Hic multa commisit, & multorum debitor factus est; ille gubernante Deo, pauca commisit. Cui deputat ille, quòd dimisit; huic & iste deputat; quòd non commisit. Adulter non fuisti in illa tua vita præterita: hæc tibi dicit Deus tuus. Regebam te mihi, seruabam te mihi. Vt adulterium non committeres suasor defuit; vt suasor deesset, ego feci. Locus, & tempus defuit; vt hæc deessent, ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus. Vt non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes, & quod non admisisti. Mihi debet iste, quod factum est, & dimissum vidisti: mihi debes & tu, quod non admisisti. Nullum enim est peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit Rector, à quo factus est homo.* In eamdem sententiam Chrysostomus ait: *Propterea maximè debes humiliari, quòd pluribus donis præditus es. Cui namque plus dimissum est, plus diligit. Igitur oportet & humiliari, quòd alias prætergressus in te Deus inclinauit.* Similiter Ambros. de Pœnitentia cap. 8. cum præmisisset verba illa: *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; addit: *Plus debuisse me fateor, & plus dimissum mihi, qui de forensium strepitu ad sacerdotium vocatus sum; & ideo vereor, ne ingratus inueniar.* Sed hinc oritur.

Dibitũ duplex hominis erga Deum, tum ob peccatũ cōmissum, tum ob peccatum non cōmissum.

Hom. 38 ad Populum.

136. Secunda difficultas, si omnes, tam qui parùm, quàm qui multùm peccant, multùm Deo debent, vel ratione culpæ commissæ, vel ratione culpæ alioquin committendæ, diuino tamen beneficio impeditæ; quis erit, de quo dicatur: *Cui minus dimittitur, minus diligit?* Respondeo, posita Augustini de debito vel ea culpa commissa, vel committenda interpretatione, talem, cui minus dimittatur, reuera neminem esse; propria tamen opinione huiusmodi multos reperiri. Talis certè erat Simon iste Pharisæus, qui ea Pharisaica supra alios elatione parùm peccasse, parumquè peccaturus sibi videbatur; & hinc, cum non multum se Deo debere iudicaret, valdè tepidus in Dei obsequio erat. Ita sentit Augustinus supra: *Dictum est hoc propter Pharisæum illum, qui vel nulla, vel pauca se putabat habere peccata. O Pharisæe, ideo parùm diligis, quia parum tibi dimitti suspicaris. Non quia parum dimittitur; sed quia parum putas esse quod dimittitur.* Ita intelligenda sunt allata verba de Pharisæo erga Deum: Quæritur vlterius, quomodo intelligenda sint erga Christum, quem vt purum hominem Pharisæus agnoscebat? Cum Christus Dominus erga Pharisæos propter hypocrisim, aliaquè vitia familiarem se non exhiberet: Simon circa hanc Christi erga Pharisæos auersionem, dimitti sibi aliquid cognoscens, cum non adeo eum Christus Dominus auersaretur, ad mensam Dominum inuitauerat; sed sine osculi, lauacri, & vnguenti obsequiis: & ideo etiam respectu Christi Domini de eo verificatur: *Cui minus dimittitur, minus diligit.* Modicè enim Christum Simon diligebat; eò quòd sibi modicùm supra alios Pharisæos indulgeri à Domino cum eo conuiuante iudicaret. Sed quoniam allata verba per præteritum tempus legit Augustinus homil. 23. inter 50. *Quis ergo eum plus dilexit?* ideo possunt etiam allata verba de dilectione antecedente peccati remissionem respectu Simonis intelligi. Modicus enim ille Simonis amor, quo Dominum ad prandium inuitando dilexerat, effecit; vt à peccato aliquo committendo præseruaretur; non vt omnimodam peccatorum, quæ commiserat, remissionem consequeretur; qualem Magdalena ex magna supernaturali dilectione est consecuta.

137. De aliis etiam verificari possunt allata verba; qui enim parum peccarunt, non adeo intensa contritione de peccatis dolere solent; neque tantùm Diuinæ misericordiæ se obstrictos esse intelligunt; sicut magni peccatores, qui ad eum conuertuntur, de quibus dici potest cum Apostolo: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Cumque contritio Dei dilectionem includat; hinc verè de primis illis, dicitur: *Cui minus dimittitur, minus diligit.* Præterea siue intensè, siue remissè conteratur peccator; dummodo verè conteratur, omnia ei peccata remittuntur; neque enim dimidiari peccatorum remissio quoad culpam potest. Crescere verò, vel decrescere remissio potest quoad pœnam; ita vt magna contritio, non solùm culpæ, sed totius etiam pœnæ condonationem impetret; quam intensissimo dolore Magdalenam impetrasse censendum est; vt S. Thom. 3. part. quæst. 88. ar. 5. ad primum sic docet: *Deus quandoque tanta commotione conuertit cor hominis; vt subitò consequatur perfectè sanitatem spiritualem; non solùm remissa culpa, sed etiam sublatis peccati reliquiis, vt patet de Magdalena.* Peccati autem reliquiæ sunt tum pœnæ ei debitæ; tum praui habitus, & impedimenta, quibus intima, & feruens Dei familiaritas impeditur.

Ad Rom. 5.

Contritionis intensæ vtilitas.

138. Tertia difficultas est, quia maior peccator potest actu contritionis, & dilectionis non intenso consequi plurium peccatorum remissionem. Et è contrario minor peccator intenso actu contritionis, & dilectionis paucorum, vel etiam vnius peccati remissionem consequitur. Ergo verum non est dicere: *Cui minus dimittitur, minus diligit.* Nec dicas cum Augustino minorem peccatorem actu intenso diligere etiam Deum ob peccata committenda, & ea diuina gratia impedita. Nam contingere potest, vt nulla talis cogitatio de peccatis committendis occurrat; sed tantùm ob pauca commissa peccata aliquis intensè conteratur, & diligat. Respondetur Morales regulas, quæ pendent ex libertate, non significare infallibilem effectum ipsi regulæ conformem; sed solummodò debitum talis effectus; & id, quod regulariter contingere solet. Sic quamuis non omnes homicidæ gladio pereant, nihilominus Matth. 26. à Domino dictum est: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*: per quæ verba non significatur pœna, quam infallibiliter subituri sint homicidæ; sed quam ea lege mereantur: *Non est sensus*, inquit Caietanus, *Dominica huius sententiæ gladio materiali perituros eos, qui gladium acceperint; sed sensus est, quòd merebuntur gladio perire. Idque iuxta latam legem*, vt ait Theophylactus. Sic etiam regulariter loquendo, & iuxta id, quòd communiter experimur Ioann. 3. dicitur: *Omnis, qui malè agit, odit lucem*: quamuis peccator esse possit tam impudens, vt publicam lucem peccans non auersetur. Similiter verba illa: *Cui minus dimittitur, minus diligit*: non significant, quòd infallibiliter fiat; sed vel quod fieri debet, vel quod ex vi talis motiui fit. Patet enim, qui plura, & grauiora peccata commisit; magis de tali peccatorum multitudine, & grauitate dolere debere; magisquè ex talium peccatorum remissione Deum debere diligere; quàm eum, qui pauciora, & leuiora commisit. Quamuis posterior iste, si non ob remissa præterita peccata pauca, & leuiora; tamen vel ex proprio feruore, vel consideratione diuinæ gratiæ eum à peccatis aliis præseruantis, possit etiam Deum magis diligere: idquè vel antecedenter ad remissionem præteritæ culpæ, vel subsequenter ad eam ex gratitudine.

Regulæ morales ex libertate pendentes, non tam infallibilem effectũ quã talis effectus debitũ significant.

Iustac. 6 q. 3.

139. Porrò allatis Domini verbis contra obtrectantem Pharisæum egregiè defensa Magdalena; ac de præterita vita intenso contritionis actu pœnitens benè dicere potuit: *Non calumnientur mihi superbi; ad omnia mandata tua dirigebar; omnem viam iniquitatis odio habui.*

Ecclesia in Missa S. M. Magdalenæ ex Ps. 118. v. 104. & 128.

Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua.

140. PEccatorum remissionem iam antea datam, vt supra diximus, hic ad Magdalenæ consolationem apertis verbis significare Dominus voluit; seque Dei Filium ostendere; quippe qui potestatem haberet peccata dimittendi. Probabile est etiam, crescente intensius contritione, Magdalenam augmentum gratiæ, per quam peccata, etiam si antea remissa non fuissent, remitterentur, Domino ita loquente consecutam esse. *Loquere, Domine Iesu*, ait Ambrosius: *Verbum tuum medicina est: Verbum tuum lumen est: Verbum tuum nostræ colluuionis ablutio est: Verbum tuum fons est: Tu loqueris, & culpa lauatur.* Chrysostom. *Pretiosus est*, inquit, *pœnitentiæ fructus; quia quod defendi non potest, ablui potest. Lauant lacryma*

Ambros. in præfat. Ps. 45.

Tom. 5. homil. 1 in Cœna Domini.

charitate formata diuit Cyprianus lib. 2. epist. 2. A *In capessenda munere cœlesti mensura nulla, vel modus est. Nostrum tantum sitiat pectus, & pateat: quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum inde gratiæ inundantis haurimus.* Quare si multum gratiæ haurire cupimus, Magdalenam imitari debemus; quæ vt multum cœlestis gratiæ latices sitiret, eosque hauriret, cor largissimis pœnitentiæ lacrymis exsiccauit.

Vade in pace.

Serm. de Magdal. Ad Gal. 5. 22. Magdalena cor lacrymis irrigauit, vt Spiritus sancti fructus germinaret.

147. R*Emittuntur peccata, & in pace dimittitur; vt de præterito sit sollicita, & secura de futuro*, ait S. Bernardus, de Spiritus sancti fructibus Apostolus ait: *Fructus autem Spiritus est Charitas, Gaudium, Pax.* Cum Magdalena cor contritionis lacrymis irrigasset, inde suauissimi huiusmodi fructus diuina excolente gratia prodierunt. Prodiit charitas testante de Magdalena Domino: *Quoniam dilexit multum.* Prodiit gaudium, cum verè Magdalena dicere potuerit: *Conuertisti planctum meum in gaudium.* Hoc gaudium Bernard. serm. de Magdalena sic explicat: *Est gaudium continua sibi iucunditate firmissimum; quod perfectus animus de secura sibi conscientia pollicetur. Mens enim ab huiusmodi aspergine purè, pressèque detersa, & in Diuinæ contemplationis acumen totum desiderij sui figens affectum, gaudens gaudet in Domino, & exultat anima in Deo salutari suo. Talis anima minas aspernatur, nescit timorem, spem falsam eludit, & omnium scandalorum immunis, in pace in idipsum dormiens requiescit.*

Ps. 29. Gaudii spiritualis effectus.

148. Prodiit Pax, Gaudii custos, & comes; ideo Magdalenæ Dominus dixit: *Vade in pace*: De qua pace Redemptoris beneficio data, ait Hieronymus: *Tunc pax Christi, hoc est hæreditas nostra nobiscum est: si tranquilla mens nullis passionibus perturbatur: Hæc est illa, quam mundus dare non potest pacem.* Vocat Hieronymus pacem hæreditatem nostram; nam moriturus Dominus suis discipulis, & amicis pacem veluti hæreditatem reliquit, dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Vbi Augustinus ait: *Non poterit ad hæreditatem Domini peruenire, qui testamentum pacis noluerit obseruare. Non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Pax est serenitas mentis, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis.* Porrò cum ad filios spectet paternam hæreditatem adire, ideo qui pacem consequuntur, Dei Filij nominantur: *Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur.* Hinc S. Leo serm. de natiuitate ait: *Natalis Domini, natalis est pacis: ergo singuli fideles afferant Patri pacificorum concordiam filiorum.* Cùm simul fuerit in terris Dei natalis, & pacis, canentibus Angelis: *In terra Pax hominibus bonæ voluntatis:* Ideo in præsenti Euangelio cum in Magdalenæ corde per gratiam Deus nasceretur; pacem etiam in eiusdem corde nasci oportuit. Rursus, cum dixisset Dominus Magdalenæ: *Fides tua te saluam fecit*, meritò subdidit: *Vade in pace*: Perfectam enim fidem animi pax consequitur: *Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum*, ait Apostolus. Hoc est, postquam ex peccatoribus iusti redditi sumus per fidem perfectam; non est cur pacatum, tranquillumque animum non habeamus.

Hier. in ep. ad Galat. c. 5. v. 22. Hæreditas nostra cor pax dicatur.

Io. 14.

Aug. de verbis Domini secundum Ioannem.

Matth. c. 5.

Luc. 2.

Ad Rom. 5. 1.

1. Petri c. 1. 2. Petri c. 3.

149. Propterea Apocal. 1. dicitur: *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui venturus est.* Propterea etiam Petrus Apostolus Epistolarum initio in salutationibus huiusmodi verba vsurpat: *Gratia vobis, & Pax adimpleatur.* Similiter Paulus Apostolus idem frequentissimè repetit: *Omnes epistolæ eius in salutationis principio non prius pacem habent, & sic gratiam; sed ante gratiam, & sic pacem: vt donatis nobis peccatis nostris, pacem Domini consequamur*, ait Hieronymus. Quia ad diuinam gratiam ab anima obtentam statim consequitur pax, animique tranquillitas; Dei fauor, & omne bonum; ideo apud Hebræos incolumitas, felicitas, & bonorum omnium complexio, & perfectio vnico pacis nomine explicatur. Nam Hebraïcè Pax dicitur שָׁלוֹם Scialòm à שָׁלֵם Scialàm, idest perfecit. B *Pax*, ait Chrysostom. homil. 3. in epist. ad Coloss. *Est bonorum omnium mater, gaudij materia, & argumentum.* Hinc cœlestis regni gaudia, & beatitudinis bona, quæ iuxta Apostol. *non licet homini loqui*, vnico verbo pacis nomine significantur; quare ad Beatorum felicitatem explicandam, Salomoni visum est satis dicere: *Illi autem sunt in pace:* & de beata Patria singulari encomio, dicitur: *Vrbs Ierusalem beata, dicta pacis visio.* Propterea Isaias 52. cum dixisset: *Quàm pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem?* subdit: *Annunciantis bonum, prædicantis salutem.* Vbi S. Cyrillus legit: *Quàm verni pedes Euangelizantium pacem!* Verissimè iucundissimum ver post transactam lacrymarum hyemem, in Christi pedibus obtenta pace, & conscientiæ tranquillitate, reperit Magdalena. C Quæ benè dicere potuit

Hieron. ep. 139. ad Cypri.

Pax vera bonorum omnium complexionem significat.

2. ad Cor. 12.

Sap. 3.

Pacis ver post lacrymarum hyemem consequitur.

Pacis amor Deus est; pacem veneremur amantes.
Pax iuuat, & media pace repertus amor.

150. Porrò dicens Dominus Magdalenæ: *Vade in pace*: his verbis peccatricem animam ante pœnitentiam peccatorumque remissionem continuis perturbationibus agitari, nec vlla pacis tranquillitate perfrui significauit: *Non est pax impijs, dicit Dominus* Isai. 48. Et Ieremiæ 6. dicunt peccatores: *Pax, Pax; & non erat pax.* Quam verè de Deo pronunciauit Iob. 9. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Verè enim ex duro erga Deum corde suauissimi pacis fructus germinare non D possunt. Ideo Iob cap. 22. dicitur: *Acquiesce Deo, & habeto pacem; & per hæc habebis fructus optimos.*

Pacis fructus è duro corde non germinant.

151. Profectò semini messis respondet: neque ex venenato semine salubris messis colligi potest. *Qui seminat iniquitatem, metet mala*, dicitur Prouerb. 22. Vel ex Hebræo: *Seminans iniquitatem, metet calamitatem.* Ex peccatorum igitur semine continua cordis perturbatio pullulat; hinc Gregorius ait: *Inter multiplices humana anima tribulationes, & innumerabiles afflictionum molestias, nulla est maior afflictio, quàm conscientia delictorum. Superest itaque, vt in tribulatione positus peccator ad Deum recurrat, in quo solo vera est consolatio. Impij, quasi mare feruens quod quiescere non potest. Non est pax impijs, dicit Dominus Deus*, ait E Isaias: Vt igitur humano cordis maris instar propter peccata ferventi tranquillitas reddatur, Redemptoris opem implorare peccator debet, de quo dicitur Matth. 8. *Imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.*

Gregor. in Ps. 7 Pœnit: Conscientia delictorum maxima peccatoris afflictio.

Is. 57.

152. Citato Isaiæ loco legit Vatablus: *Impij Euripi instar fremunt.* Euripus, vbi mare ob coarctantem hinc inde terram, vehementer intumescit, dicitur quotidie septies fluere, ac refluere. Bene ergo Euripo inquietum peccatoris cor comparatur; cum septemplicem capitalium peccatorum fluctuationem experiatur: cumque pecca-

Euripo inquietum peccatoris cor simile.

tores Euripi instar ex conscientiæ stimulis modico tempore à terrenis affectibus, & peccatis recedere videantur; & mox in ea iterùm dilabantur. Bene Dauid aiebat: *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Contra verò à facie Redemptoris pax Magdalenæ pœnitenti fuit: Cum *Dominus conuersus ad mulierem dixit: Fides tua te saluam fecit: Vade in pace.*

Psal. 37.

Quatuor hominum genera pacē, vel non pacem habentium.

153 Beno Innocentius Papa explicans citata Psalmi verba: *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum*; distinguit quatuor hominum genera; malorum duo, duo etiam bonorum; docetque primos habere pacem cum peccato, cui consentientes obediunt; sed non à peccato pacem habere; cum assiduis conscientiæ morsibus torqueantur: Secundos prioribus peiores habere pacem cum peccato, & à peccato; eò quòd conscientiæ stimulos ob inueteratam peccandi consuetudinem non sentiant: tertios non habere pacem cum peccato, neque à peccato; quoniam molestissimis tentationibus pulsati, fortiter tamen peccato resistunt: quartos denique non habere pacem cum peccato, cui numquam consentiunt; sed habere pacem à peccato; eo quod longa virtutum exercitatione, assiduaque carnis mortificatione, nullas, aut paucas, easque leuissimas tentationes experiantur. Talis, vt supra ostendimus, Magdalena fuit, ex quo ei Dominus dixit: *Vade in pace.* S. Bern. circa pacem tria hominum genera distinguit: *Alij dicuntur recipientes pacem, alij retinentes pacem; alij facientes. Possunt & alijs nominibus vocari, scilicet Patientes, Pacati, Pacifici. Pacati per hanc pacem possident terram corporis sui; quia mites sunt. Patientes possident animam suam, quibus dicitur: In patientia vestra possidebitis animas vestras: Pacifici possident non solùm suam sed etiam aliarum: in quibus faciunt pacem: vnde meritò filij Dei vocantur.* Extremum hunc pacis titulum meruit peculiariter Magdalena, cùm vnà cum sociis Euangelicam pacem Massiliensibus attulit.

In sententiis tertio Pacem habentes, alii patientes, alii pacati, alii pacifici. *Luc. 21.*

154. Cum Dominus è Magdalenæ corde septem dæmonia eiecisset; ne eò iterum regrederentur, pacem ei veluti vigilem custodem dedit. Ad hanc enim pertinet humanum cor ab inordinatis perturbationibus custodire iuxta Apostoli sententiam: *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras.* Si enim à Deo non rebellans, Deum non infensum, sed pacificum habeat; sine dubio secutâ custodiâ à dæmonis incursu humana anima defenditur. Cum enim Dauid sanctæ animæ mysticè dicat: *Posuit fines tuos pacem*: Isaias infert: *Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam.* Non erit ibi leo, de quo dicitur: *Tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Si non destruatur pacis materia, *singularis ferus* animæ vineam non depascet. Alioquin ob amissum sanctæ pacis munimen bene Dauid dixit: Vt quid destruxisti maceriam eius? exterminauit eam aper de sylua, singularis ferus depastus est eam, hoc est diabolus iuxta Chrysostomum hom. 6. in Epist. ad Eph. & Hilarium in Ps. 67.

Ad Philipp. 4. 7. Pax sancta est humani cordis contra dæmones custos. *Psal 147.* *Isa. 35. 9.* *Primo Petri c. 5.* *Psal. 79.*

155. Cum data pace, expulsisque diaboli agitationibus in pacato Magdalenæ corde sedem Dominus fixerit; verè dici potuit: *Factus est in pace locus eius.* Iuxta Bernardum *Sicut in pace factus est locus Domini; ita in discordia, & perturbatione locus diabolo fit. Factus est in pace locus eius: ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum. Telum, gladium, & bellum*, legit Euthymius. Arcus erant Magdalenæ oculi, quibus per lasciuos obtutus amasios miserrimè confixerat. Hos arcus Dominus pœnitentiæ contritione confregit. Seu, vt ait Euthymius, *per arcus artificiosas dæmonum machinas intelligimus; vnde ardentes immittunt passionum sagittas. Telum autem dæmonis est Diuina permissio, quæ vires ei aduersus nos subministrat. Illius etiam gladius, quo incidere solet, separatio illa est, qua per affectus, & passiones nostras à Deo disiungimur. Bellum verò pugna illa, & lucta, qua nobiscum certat. Vel per bellum ipse dæmon intelligitur; vt quemadmodum Deus pax, ita dæmon bellum appelletur. Hæc omnia igitur arma Deus delet, ac fugat in homine pacifico*; qualis post pœnitentiam Magdalena fuit.

Psal. 75. Magdalenæ pœnitenti data pace, in ea Dominus diaboli tela confregit. *Serm. 1. in dedic. Ecclesiæ.*

156. Ad turritas arces plura spectant. Primò hostes arcendo custodire ciuitatem: Secundò in iis, si quid noui extra vrbem acciderit, à vigilibus inspici. Tertiò flammarum ardore, & lumine publicam lætitiam testari. Quartò denique frugum commeatus ad hostilem obsidionem non timendam asseruare. Hæc omnia præstitit Magdalena, quæ ab Hebræo vocabulo מגדל Migdal, hoc est à turri, Magdalena, idest Turrita dicta est. Quandoquidem post conuersionem sedulo animam à dæmonum incursu custodiit: & prima Dominum resurgentem vidit; eamque lætitiam magno fidei ardore aliis indicauit; denique vberem diuinæ gratiæ copiam semper innocens asseruauit: *Maria Magdalene*, ait Hieronymus, *ob sedulitatem, & ardorem fidei, Turritæ nomen accepit; & prima ante Apostolos Christum videre meruit resurgentem.* Turrita insuper Magdalena Dauidis precationis effectum consecuta est: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Quæ pax in Magdalena facta est? Quæ abundantia? Pax illa, de qua loquitur Apostolus: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo.* Præterea abundantia illa pacem consequens facta est, de qua ibidem dicitur: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Ad hoc igitur significandum dictum Magdalenæ à Domino est: *Vade in pace.*

Magdalena, hoc est turrita, quadrupliciter turrita fuit. *Hieronym. Epist. 16.* *Psal. 121* *Ad Rom. 5. 10*

157. Naaman Syrus Iordanis aqua ablutus, ibique à lepra iam mundus ad Eliseum venit: Qui dixit ei: *Vade in pace.* Similiter Magdalena cum se lacrymis abluisset, peccatorumque à lepra mundasset; audire à Domino meruit: *Vade in pace.* Si Magdalenæ vberes pœnitentiæ lacrymæ non præcessissent, ea à Domino iucundissimum pacis donum consecuta non esset. Nam teste Chrysostomo, *Sicut post vehementes imbres mundus aer, ac purus efficitur; ita etiam lacrymarum pluuias serenitas mentis sequitur, atque tranquillitas.* Sicut Noe post diluuium, columbam pacis symbolum oliuæ ramum portantem; & in acie Iridem fœderis signum vidit; ita Magdalena è largissima lacrymarum effusione pacis oliuam, diuinique fœderis indicem exurgere Iridem vidit. Quam verè de Deo testatur S. Tobias: *Post tempestatem tranquillum facis; & post lacrymationem, & fletum, exultationem infundis.* Quàm hilaris post auditam Domini vocem peccatorum remissionem, & pacem proferentis, Magdalena Dauidis verba mutuata dicere potuit: *Auditui meo dedisti gaudium, & lætitiam!* Quàm verè cum eodem Dauide sæpius dixit: *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi*: siue vt legit Hieronymus: *Conuertisti planctum meum in chorum mihi.* Per pœnitentiæ lacrymas meruit Magdalena post Domini ascensum quotidie per septem horas in sublime elata Angelorum choros audire.

4. Reg. 5. Magdalena Naamano à lepra mundato similis. *Hom 6. in Matth.* *Gen. 8. & c. 9.* *Cap. 3.* Lacrymarū pluuiam serenitas mētis consequitur. *Psal. 50.* Magdalenæ fletus & gemitus in Angelicum chorū mutatus. *Psal. 29.*

Quata

Quare ad Magdalenæ Massiliensem speluncam A Hetruscus Vates cecinit.

Petrarcha.

Hic hominum non visa oculis, stipata cateruis
Angelicis, septemque die subuecta per horas,
Cœlestes audire choros, alterna canentes
Carmina, corporeo de carcere digna fuisti.

Magdalenæ excrescentes capilli pro consumpta veste inseruiunt.

Cum dixisset Dauid: *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi*: subdidit: *Conscidisti saccum meum; circumdedisti me lætitia.* Hoc etiam Magdalenæ vaticinium fuit. Cum enim in Massiliensi deserto rudis, & asper saccus, quo Magdalena tegebatur, præ vetustate, omni ex parte conscissus decideret; excrescentes capilli nudum illius corpus circumdantes contexerunt, quod B ipsamet religioso viro, vt in eius historia legitur, reuelauit dicens: *Cum meæ vestes paulatim vetustate deciderent; paulatim etiam Diuina pietate mei creuêre capilli.* Bene ergo Deo dicere potuit: *Conscidisti saccum meum, circumdedisti me lætitia.* Ingenti certè perfundebatur lætitia, cum capillos, quibus Domini pedes abstergendo texerat, ex miraculo auctos sibi defluere ad pedes, quò nuda tegeretur, inspiceret.

158. De pudica quondam muliere, quæ frequentando balnea, impudica euaserat, Poëta cecinit.

Martial. lib. 1.

Dum modo Lucrino, modò se permittit Auerno;
Et dum Baianis sæpe fouetur aquis;
Incidit in flammas; iuuenemque secuta. relicto
Coniuge; Penelope venit, abit Helena. C

Magdalena è lacrymis diuini amoris flammas attraxit.
Lacrymis ad paradisum aditus patet.
Lib. de panib. c. 12.

Contrario sane exitu Magdalena pœnitentiæ lacrymas iterando, quæ piæ animæ balnea sunt, Diuini amoris flammas attraxit; cumque antea Helenæ similis fuisset, Penelope longè castior euasit. Ex Auerni aquis lasciuia, sed è pœnitentiæ lacrymis pudicitia prodijt. Ex Auerno viam patere ad Inferos, veteres crediderunt. E pœnitentiæ lacrymis ad Paradisum aditus patet. *Aqua hæc aut facit, aut inuenit Paradisum*, ait Beatus Petrus Cellensis. Magdalena ergo ad hanc aquam Helene venit, Penelope abiit. Ex Dianæ fonte aqua aspersum Actæonem quendam ex homine in belluam conuersum veteres Ethnici fabulati sunt. Verumtamen Domino dicamus: D

Psal. 118. 85.
Magdalena aspersa lacrymis pia metamorphosi alia à se ipsa effecta est.

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. Quam felici metamorphosi pœnitentiæ lacrymis aspersa Magdalena, à seipsa alia effecta est. Cœlestem hanc metamorphosim egregiè S. Bernard. serm. de Magdalena explicat: Cum enim ibi de tribus vicibus, quibus Domino Magdalena charitate, & merito crescens, odoriferos liquores exhibuit, dissereret, ait: *Felix Maria vnxit pedes Iesu: felicior eadem vnxit caput auctoris: felicissima, quæ totem vnguentarium toti corporis Christi præparauit.* Ibidem tamen ait: *Neque eadem quæ vnxit pedes, vnxit & caput: cum illa meretrix nihil horum fecisse legatur. Vnxit Maria sancta Domini verticem, profectò iam electa, iam familiaris effecta; longeque à peccatricis illius obuoluta vestigijs, quam infelix ille septenarius confundebat.* E Ibidem Bernardus de transformatione peccatoris in iustum per Dei gratiam, intelligit verba illa Prouerb. 12. *Verte impios, & non erunt: Non erunt;* scilicet salua natura, mutatis moribus, quales antea fuerant. Præterea cœlesti metamorphosi aliam à se ipsa Magdalena Dominus reddidit, cum ei dixit: *Vade in pace.* Qualis autem sit à diuina pace proueniens mutatio, egregiè sic explicat August. *Pax est quæ expoliat hominem seruitute, dat nomen ingenuum, mutat cum conditione personam; ex famulo liberum facit; filium ex seruo; Deum patrem vocat, & commu-*

Ser. 169. de tempore.
Pax peccatorem pia metamorphosi in aliam mutat.

tat seruum in filium; amicum facit ex Deo; patrem reddit ex Domino. Filius Dei esse incipit, qui pacificus esse cœpit.

159. *Vade in pace.* Nos etiam Magdalenam imitantes datam à Domino pacem habere studeamus. Euangelica pax à Christo data adeo abundans est; vt ad omnes, neminem excipiens se extendat. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*, ait Apostolus. Cur quantùm ex nobis est? Respondet Chrysostomus: *Contingit subinde, vt possibile non sit: si enim alicubi pietatem labefactari videris; ne proponas concordiam veritati, sed generosè persistas vsque ad mortem. Neque sic animo esto erga aduersarium hostili, neque mente illum auersaberis; sed in rebus tantummodo pugnabis.* Mirum sanè est Christianæ legis prodigium; quòd dum vox pro veritate pugnat, cor per charitatem amet. Hinc pacis amatores monet Gregorius: *Pacem dilectione integra intrinsecus teneant, quam per increpationem vocis sibi extrinsecus turbant. Pax si ab eis, qui corripiuntur, expellitur; integra tamen in vestra, qui corripitis, mente teneatur. Vox Domini intercidentis flammam ignis*, dicitur Ps. 28. quod quidem contingit, cum Christianus Diuinæ voci obtemperans, ita veritatis lucem retinet, & defendit; vt iræ flammam à se diuidat.

Ad Rom. 12.
Pax extrinsecus turbata visa, quouis modo intrinsecus sit seruanda.
3. Past. c. 23.
Ignis flammam quando diuina vox intercidat.

160. Egregius pacis custos fuit Dauid, qui Psal. 119. aiebat: *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Iustus inter iniquos peccatores pacem amans, dicitur esse *sicut lilium inter spinas. Lilium*, inquit Bernardus, *ipsas pungentes spinas candore proprio illustrare, & venustare non cessat. Creans fructum labiorum pacem; pacem ei, qui longè est, & qui prope*, ait Isaias c. 57. n. 19. Dicitur fructus labiorum pax, vel ex eo, quòd pia oratione à Deo impetretur iuxtà Hugonem; vel quia maximè è labiorū, linguæque moderatione pax prouenit. Vel denique quia sacerdos in sanctissimo Eucharistiæ sacramento conficiens corpus Christi, bene dicere potest: *Creans fructum labiorum pacem*; nempe Christum: *ipse enim est pax nostra*, iuxta Apostolum. *Christi autem caro, & sanguis consecratione potentialiter creatur*, iuxta Augustinum. Cum igitur benedictus hic fructus è sacerdotis consecrantis labiis prodeat, bene is dicere potest: *Creans fructum labiorum pacem.* Denique ex Isaiæ verbis, pax seruanda est tam cum eo, qui propè nos est per concordiam; quàm cum eo, qui per discordiam à nobis procul recessit: *Pacem ei, qui longè est, & qui propè.*

Cantic. 2.
Pacificus inter persequentes fit sicut lilium inter spinas.
Bern. ser. 48 in Cāt.
Pax triplici sensu dicitur labiorū fructus.
Ad Eph. 2. 14
August. relatus Vrbā de cōsecrat. dist. 2.

161. Datam à Domino pacem egregiè erga proximos Magdalena custodiit. Cum enim ob eximium amorem effudit super Domini caput vnguentum, de adstantibus ait S. Marcus 14. *Quidam indignè ferentes fremebant in eam:* Acquisitæ tamen pacis sedula custos Magdalena, verbum nullum contra indignantes, & frementes respondisse legitur. Neque id mirum, cum Magdalena *in viam pacis* se dirigere didicisset à sanctis illius pedibus, de quo dicitur: *Omnes semitæ eius pacificæ.* Nos etiam Magdalenam imitantes assidua meditatione sanctis Redemptoris pedibus affixi, ei dicamus: *Dirige pedes nostros in viam pacis.*

Magdalena eximia pacis custos.
Prou. 3. n. 17.
Luc. 1 n. 79.

162. *Quam speciosi pedes*, ait Apost. *Euangelizantium pacem; Euangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Euangelio* Euangelizanti scilicet pacem. *Alij* enim, vt docet Greuæus, *tantùm pacifici cum pacificis sunt; & hi sunt imperfecti. Alij non pacifici cum non pacificis; & hi sunt infirmi: Alij non pacifici cum pacificis; & hi sunt peruersi.*

Ad Rom. 10.
Ex Isai. 52.
Pacificorū, & non pacificorum duplex genus.
In Psal. 119. v. vlt.

Par gemma intra puluerem. Gen. 3. Exod. 8. Cinphes ab Ægyptiis Magis è puluere non excitatæ, Pacificorum symbolum.

Alij pacifici cum non pacificis, & hi sunt perfecti. Pax perfecta gemma est, quæ intra terræ puluerem reperitur: si enim assiduè vnicuique hominum dictum esse recordemur: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, pacifici etiam cum non pacificis erimus. *Pharaonis Magi*, ait Gretzerus, *percusso terræ puluere, inde cinphes excitare nequiuerunt: sic humiles lacessiti, ad impatientiæ verba non excitantur.* Cum hoc tamen discrimine; quòd Ægyptij Magi cum cinphes excitare vellent, non potuerint; humiles verò cum ad impatientiæ verba excitari possent, nolint.

Sponsa cur Sulamitis, & columba dicta. Cantic. 2. Cantic. 5. Gen. 8. Oliua pacis symbolum. Anima iusti velut vinea fructifera Deo est.

163. Sicut Deus pacificus est, cum *Deus pacis* dicatur ad Rom. 5. & *Princeps pacis* Isai. 9. ita Deus pacifica anima delectatur. Ideo cœlestis sponsus in Canticis Salomon, hoc est *Pacificus* dicitur; fidelemque animam suam sponsam *Sulamitem*, hoc est *Pacificam* nominare voluit. Ideo etiam frequentissimè cœlestis sponsa columba vocatur: *Columba mea, formosa mea: soror mea, formosa mea: Vna est columba mea:* Quia nimirum fidelis anima, Christi sponsa, veluti altera Noë columba oliuæ ramum, hoc est pacis eloquium ore proferre debet. *In oliua fructus est pacis: oleum enim pacem significat, quia charitatem significat*, ait August. in Psal. 117.

164. Præterea ex anima pacifica, veluti ex electa vinea vberes bonorum operum fructus, reddituſque percipit Deus. Hinc Cantic. 8. dicitur: *Vinea fuit Pacifico. Tradidit eam custodibus: Vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me est. Anima*, inquit Philo Carpathius, *quæ pacem Domini inuenit, & requiem à delicto; fit quasi vinea fructifera Salomonis cœlestis, qui cuncta beat in cœlo, & in terra; omniaque quieta, beata, pacifica præstat, & seruat; modò illi subiecta sint, & morem gerant. Nam nec impijs est pax, nec improbis quies, nec superbis tranquillitas; sed mansuetis, & rectis corde. Hi si sponso student placere, non mundo, non homini; sua anima, vt vinea custodes, præficiuntur. Hoc probat Propheta cum dicit: Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam. Talis pro mercede accipit mille argenteos; hoc est, totius legis, & mandatorum plenitudinem salutarem secum defert in patriam; & ibi sine fine victurus, comedit de fructu manuum suarum. Nihil Deo acceptius, quàm benefacere, & bene cæteros docere.* Propterea de huiusmodi vinea Deus ait: *Vinea mea coram me est.* Hoc Elysium, hunc Paradisum sibi ante oculos, vt iucundissimum spectaculum Deus ponit. Ideo Cant. 6. Sulamiti, hoc est Pacificæ animæ à Deo dicitur: *Reuertere, reuertere Sulamitis; reuertere, reuertere vt intueamur te.* Vbi Scholiastes legit, *Intuebimur in te, quasi in spectaculū.* Quàm iucūdum spectaculum pacificam animam inspicere Deo sit, hinc patet; quod tam feruidis, iteratisque vocibus, vt eam intueatur, aduocet. Adde etiam cum Ambrosio Pacificam animam, si tantispes à Deo declinauerit, facilè ad eum reuocari. *Rector noster Christus est*, ait Ambrosius; *anima currus, qui bonum rectorem sustinet. Christus ergo agitator dicit: Conuertere, sulamitis, conuertere. Bene quasi agitator ad currum dicit: Conuertere, sulamitis, hoc est Pacifica: quæ enim pacifica est anima, citò se conuertit, & corrigit.* Axes cursus huius, quo anima citò ad Deum reuertitur, pacis amor est, ideo Prouerb. 3. n. 17. vbi dicitur: *Omnes semitæ eius pacificæ.* Scholiastes legit: *Omnes axes eius pacifici.* Cum enim circa pacem, & conscientiæ tranquillitatem acquirendam animæ desideria, quasi rotæ conuoluuntur, velociter ad Deum conuersio fit; nec multùm à Deo recedere potest anima, cui dicitur Ps. 147. *Posuit fines tuos pacem.*

Ps. 118. 57.

Anima pacifica iucundum Deo spectaculū exhibet.

Ambros. de Isaac. c. 8. Anima velut currus est, cuius axes sunt pacifici affectus, cuius rector, & auriga Deus.

165. Habita à Domino pace, quælibet pia anima vnà cum Magdalena vsurpare cœlestis sponsæ verba Cantic. 8. potest: *Ego murus, & vbera mea sicut turris; ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens:* seu cum Septuaginta: *Tunc fui coram eo inueniens pacem*, hoc est iuxta Philonem Carpathium: *Ego iam fide munita sum, & charitate referta; & vbera mea, mea inquam (mihi enim donata, & omnibus facientibus ea) hoc est duo testamenta, & duo præcepta charitatis, Diuina gratia duce, ad altissimum probitatis gradum instar turris instar excreuerunt. Ibi iam aliena prorsus esse cœpi ab omni rerum humanarum sollicitudine, perturbatione, ac cura. Vnde sequitur: Ego sedebam in oculis eius tamquam ea, quæ pacem inuenit. Rectè iam sedere se, & conquiescere in oculis sponsi gaudet, postquam Diuina gratia munus accepit, & pacem.* De Magdalena quidem cœlesti iam pace acquisita, dicitur Lucæ 10. *Erat Maria sedens secus pedes Domini.*

166. Rursus pia anima post conuersionem, qualis Magdalena fuit, his verbis mundanos alloqui potest iuxta Honorium Augustodunensem in allata Cantic. verba: *Vos, qui in seculi negotijs laboratis, meo exemplo, quasi per ostium in spiritualis vitæ requiem intrate: quia ego primo vobis similis, & in peccatis labilis, facta sum, vt murus in spiritualibus stabilis: & vbera mea, idest Doctrina vitæ meæ, vt turris inexpugnabilis; ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens; idest ex quo me de tumultu seculi contuli ad quietem claustralem. Nam quasi in fremitu bellorum desudat, qui inter aduersa mundi, & carnis illecebras laborat: sed quasi pacem coram Deo reperit, dum in spirituali vita requiescit; quam pacem plenam habebit quando nullam pugnam inter carnem, & spiritum sentiens, in æterna pace gaudebit.* Animæ pœnitentis ad peccatores hortatio.

167. Porrò, vt pacem, quam discedens Christus Dominus veluti hæreditatem nobis reliquit, quamquè Magdalenæ dedit, acquiramus; cor veluti quadrupliciter habere debemus: nimirum cor filij erga Deum; cor matris erga proximum; cor iudicis erga nos ipsos; cor hostis erga diabolum. *Pacem veneremur*, ait Nazianzenus; *Vnum hoc bellum agnoscamus, quod cum aduersarijs potestatibus committitur.* Tale hostile cor contra diabolum habebat cœlestis sponsa, de qua dicitur Cantic. 7. *Quid videbis in Sulamite*, hoc est pacifica anima, *nisi choros castrorum?* Quæ verba de anima ad Deum conuersa, relictis mundi illecebris, qualis Magdalena fuit, intelligit Honorius; redditque rationem quomodo cum pugnacibus castris harmonici chori iungantur, dicens: *Huius subitam conuersionem, dum quisque secularis miratur; ei à spiritualibus dicitur: Quid videtis in sulamite, nisi choros castrorum? In anima prius captiuauit, sed nunc ad virtutem conuersa, non videbis amplius, nisi laudes Dei, & pugnam contra insidias diaboli. Conuersi quippe semper Deum pro sua conuersione laudant, & iugiter contra vitia pugnant.*

Cor filij erga Deū, cor matris erga proximum, cor iudicis erga nos ipsos, cor hostis contra diabolum habere debemus. Or. 4. de pace. Castrorum chori quomodo in pia anima sint.

168. Quàm verè de Sulamite, hoc est pacifica Magdalena largè præteritā vitā deflente in Cant. dicitur: *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon. In oculis Hesebon illi videntur ostensi, qui pro suis, vel alienis criminibus fontes proferunt lacrymarū*, ait Aponius. Similiter Hugo Victor. *Piscinæ Hesebon sūt diuersa genera compunctionis: Oculi igitur sponsæ sunt sicut piscinæ in Hesebon; quia inde magis, magisque clarificantur, vnde in præfatis piscinis frequētius lauantur.*

Oculi piè flentes piscinis Hesebon similes. Cap. 7. Victorinus in Annotat. in locum.

Magdalenæ mentis oculi in huiusmodi piscinis abluti anteactæ vitæ turpitudinem intime inspexerunt. Hesebon ex Hebræo iuxta Pagninum idem est, ac *Festinatio intelligendi*; quæ certè intelligendi festinatio in Magdalena fuit; nam, *Vt cognouit*, statim ad Dominum festinauit; & ab eo pacem, & conscientiæ tranquillitatem retulit.

Conuiuium spirituale quale sit, & quæ fercula habeat.

169. In Pharisæi conuiuio interna acquisita pace, Diuinæque gratiæ restituta, longè nobilius, & sanius conuiuium reperit Magdalena; nimirum illud, de quo dicitur Prouerb. 15. v. 15. *Secura mens, quasi iuge conuiuium.* Et ratio redditur ex Hugone Cardinali, qui ait: *Conuiuæ huius conuiuij sunt virtutes, quæ omnes proprijs ferculis reficiuntur.* Propterea tale conuiuium iuge est, hoc est continuum, numquam intermissum. Conuiuia alia absoluuntur, quia vel fames, vel fercula suum terminum habent. At in conuiuio, vbi virtutes omnes assident, post epulum virtuti vni datum, suum ferculum virtutibus alijs, & alij apponitur: Cumque virtutes omnes numquam maioris perfectionis famem expleant; hoc est, vt eorum conuiuium numquam terminetur; & de conuiuis illic assidentibus dici potest cum Dauide iuxta Hieronymum: *Epulabuntur in multitudine pacis.* Hinc neque ex defectu cibi terminus esse potest. Nam ad conscientiæ pacem ex Diuina gratia, & amicitia prouenientem largissime consequitur nutriendis virtutibus vbertas. Et ideo orabat Dauid: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*, hoc est in excelsis animis ad cœlum eleuatis; qualis post conuersionem Magdalena fuit; vt hinc meritò Magdalenæ, hoc est Turritæ nomen habere potuerit. De hac pacis vbertate, per quam in pacifica conscientia iuge conuiuium apparatur, dixit etiam Dauid prænuncians Euangelicæ legis tempus: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis:* Quo in vaticinio pax cum iustitia associari indiuiduo nexu significatur; quia iustus omnem abominans iniquitatem, nonnisi pacatus, & pacificus esse possit: Id etiam testatur Isaias 32. *Erit opus iustitiæ pax:* Et Apostolus: *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.* Hinc Augustinus explicans Psal. 84. verba, *Iustitia, & pax osculatæ sunt*; ait: *Fac iustitiam, & habebis pacem: vt osculentur se iustitia, & pax: si enim non amaueris iustitiam, pacem non habebis. Amant enim se duo ista, iustitia, & pax, & osculantur se; vt qui fecerit iustitiam, inueniat pacem osculantem iustitiam. Duæ amicæ sunt; tu fortè vnam vis, & alteram non facis. Nemo enim est, qui non vult pacem, sed non omnes volunt operari iustitiam. Si ergo vis pacem, ama iustitiam, quia duæ amicæ sunt iustitia, & pax; Ideo alius psalmus dicit tibi. Declina à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam. Iam non diu illam quæres; quia ipsa occurret tibi, vt osculetur iustitiam.*

Conuiuium spirituale necessariò fame, nec deficientibus epulis finē habet.

Hieronym. Psal. 36. 11.

Psal. 121.

Pacis, & iustitiæ indiuiduus nexus hinc consequētia. Psal. 71.

Ad Roman. 2.

Psal. 33. 15.

Pax fluuio, iustitia mari cur comparetur. Eccles. c. 1.

170. Ad idem confirmandum à Deo dicitur Isaiæ 48. n. 18. *Vtinam attendisses mandata mea; facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris.* Primò pax fluuio comparatur, vt ex eius perennitate, pacifica, & secura mens esse quasi iuge, & perenne conuiuium significetur. Secundò pax fluuio, Iustitia mari comparatur; quia sicut è mari flumina teste Ecclesiastico oriuntur: ita pax, animique tranquillitas è iustitia prouenit. Iustitia autem in eo consistit, vt ex Iusta lege caro spiritui, spiritus Deo subordinetur. *Nam tunc est vera pax hominis, & vera libertas; quando & caro animo iudice*

S. Leo ser. 1. de Quadra.

regitur, & animus Deo præside gubernatur. ait S. Leo. Tertiò *Pacem*, ait Nazian. orat. 3 de pace, *quamuis omnes vt bonam laudibus vehant, pauci tamen inueniuntur, atque conseruanet.* Ideo flumini pax, mari autem iustitia similis dicitur; quia pax, cordisque serenitas dulcedinem habet, quamuis iustitiam, diuinæque legis obseruantiam amaram sensus experiantur: Et in ea, velut in mari, sæpè difficultatum, & tentationum scopulos reperiant. Sed meminerit Christianus ex huiusmodi mari ad pacis flumen scopulis planè liberum nauigari. Hinc de iustis, adeoquè pacificis dicitur: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.*

Psal 118. v. 165.

171. Cur homines in diuina lege sæpè præuaricentur, & per diuinas illustrationes, & internas voces bonorum operum fructus non consequantur, reddidit Dominus rationem Lucæ 8. dicens: *Semen est verbum Dei. Quod in spinas cecidit; hi sunt, qui audierunt, & a sollicitudinibus suffocantur, & non referunt fructum.* Sunt igitur humanæ vitæ sollicitudines, & perturbationes, velut spinæ, quæ diuini verbi semen suffocant. Sed ex humano corde huiusmodi spinas euellere Pacis munus est, vt inde cœlestis sator bonorum operum fructus vberrimos colligat. Hoc S. Iacobus c. 3. significauit dicens: *Quæ desursum est sapientia, est pacifica, plena misericordia, & fructibus bonis. Fructus autem iustitiæ in pace seminantur, facientibus pacem.* Quare cum Salomone Deum enixè precari debemus: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret:* laboret scilicet cœlestem exercendo agriculturam; qua è cordis campo perturbationum omnium vepres eradicentur. Quibus eradicatis abundè suauissima poma suppetunt conuiuio illi exhibenda; de quo dicitur: *Secura mens quasi iuge conuiuium.* Cœlestis autem sapientia in humano corde excolendo, & à spinis purgando pacem semper sociam habet.

Pax è cordis agro spinas euellit, & illud ad suaues fructus educendos excolit.

Sapientia c. 9. 10.

Prou. 15. 15.

172. S. Basilius in regulis breuioribus quærit, quid sit sal illud, de quo Dominus præcepit Marci 9. n. 50. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos?* Respondet: *Ex verbis Domini nihil aliud docemur, quàm, vt nullam causam demus vllam disiunctionis, minimè dissidij: sed vt ad vnitatem spiritus nos semper conseruemus in vinculo pacis. Sal*, inquit S. Hilarius, *est in se vno continens aquæ, & ignis elementum; & hoc ex duobus est vnum.* Sicut igitur in sale contraria elementa aquæ, & ignis pacifico nexu associantur: ita in humano corde, si sapientiæ cœlestis sale condiatur, omnia, alioquin inter se discrepantia, pacem, & concordiam habere debent. Vt igitur humanum cor suis cum desideriis, & operibus tamquam victima Deo grata offeratur, tali sale est aspergendum. Alioquin sine pace omnia bonorum operum munera, quæ Deo offerentur, Illi accepta esse non possunt, dicente Domino Matth. 5. v. 23. *Si offers munus tuum ad altare; & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Quare si omnis victima sale salietur, vt præcepit Dominus; omne etiam opus bonum pacis sale est condiendum. Gen. 3. diabolo dictum est: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Vbi Rupertus ait: *Terra, idest homines, qui terrena sapiunt: sunt cibus, & pabulum diaboli.* Sed sanctæ pacis sale condita hæc terra euadit cibus Dni. Contra verò, *Qui terra insulsa est,*

Sal simul, & pacem vt habeamus cur Dominus præcepit.

Hilar. in Matth c. 5.

Marci 9. n. 50.

Terra cibus serpentis: terreni homines diaboli cibus sunt

August. de Agone Christiano c. 2.

cibus diaboli est, vt ait Augustinus. Quod quidem verissimum est. Quot enim hominum millia per discordias miserrimè Tartarus absorbet! Si Dominus, iuxta Isaiam *multus est ad ignoscendum*, multa etiam debet esse Christiana pax, vt proximus quilibet, vel etiam inimicus iuxta diuinam legem diligatur. *Pax multa diligentibus nomen tuum, Domine. Mansueti delectabuntur in multitudine pacis. Et si multi sunt, qui persequuntur, & tribulant me*: nihilominus *pax multa diligentibus legem tuam* esse debet: Dauid aiebat.

Pax multa diligentibus Deum sit, vt multus Deus sit ad ignoscendum.

Isai 55. 7
Psal. 118 v. 165.
Ps 16. v. 18.
Psal. 118. v. 157.
Chrys. in Psal. 4.

173. Quòd diuinæ legis dilectio, & obseruatio, ea qua virtutum possessio prouenit, veram pacem animo pariat, egregiè sic explicat Chrysostomus: *Nihil æquè solet pacem facere, ac Dei cognitio, & virtutis possessio; quæ animi perturbationum internum bellum domo procul ejicit, nec permittit, vt homo cum seipso seditiones agitet. Sanè si hac pace non fruatur, etiamsi sit extrinsecus summa pax; etiamsi nullus eum hostis inuadat, est omnium, qui viuunt in terra, miserrimus. Neque enim Scytha, nec Thraces, nec Sarmatæ, nec Indi, nec Mauri, nec quæcumque sunt feræ gentes tam atrox bellum gerunt, quàm improba, ac nefaria cogitatio; quæ versatur in penetralibus animæ, & quæ non castigatur intemperans libido, & amor pecuniæ, & potentiæ vehemens desiderium. Quod autem quæ intus nascuntur sint ijs, quæ extrinsecus inuadunt grauiora, hoc licet videre in omnibus. Etenim & ligni substantiam vermis, qui est intus, magis corrumpit; & vires, sanitatemque corporis morbi, qui intus procreantur, plus lædunt, quàm qui extrinsecus adueniunt: & ciuitates non tam externi, quàm interni hostes perdunt. Sed si quis timorem Dei habens perturbationes animi sedauerit, is purissima, & altissima pace perfruetur. Hanc pacem Christus largitus est.*

Vitia sæuissimo bello hominem vexant.

Pax peccatorum pessima.

174. Hanc pacem à Christo datam acquirere studeamus; non mendacem, & noxiam peccatorum pacem, de qua loquitur Dauid Psal. 72. *Zelaui super iniquos pacem peccatorum videns. Pax ista cum conscientia semper litigat; rixatur intrinsecus; & cum hostem non habeat, secum ipsa decertat*, ait Cassiodorus. De ista pace iuxta Apostolum peccatores *cum dixerint: Pax, & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus*: tunc eorum quilibet fatebitur: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Talis pax radicem quidem dulcem habere videtur; sed amarissimos habet fructus. Contra verò pax à Deo data, quam Magdalena, & quælibet pœnitens anima consequitur, ea amara radice, nempe à contrito corde lacrymis irrigata, suauissimos fructus educit.

Ad Thess. Epist. 1. c. 5.
Is. 38. 17.

Ideo post ardentissimum præteritam vitam corrigendi desiderium; & post pœnitentiæ lacrymas largè effusas, obtenta conscientiæ pace, bene Domino dicere Magdalena potuit: *Transiui per ignem, & aquam; & eduxisti me in refrigerium*: in refrigerium scilicet pacatæ conscientiæ.

Psal. 65. v. 12.

175. Quare bene etiam de peccatrice Magdalena dicere possumus cum Hugone Victorino: *Egit, recepit, rediit. Egit pœnitentiam, recepit misericordiam, rediit ad gratiam. O fructuosa, & vtilis pœnitentia! O virago amplectenda, mediatrix peccatorum fidissima! O secunda naufragij tabula! O refugium pauperum, miserorum auxilium, exulum spes, debilium fomes, lumen cæcorum, solamen orbatorum, petulantium virga, vitiorum sera, virtutum apotheca! Quæ sola iudicem flectis, conditorem arguis, omnipotentem sternis. Dum vinceris, vincis; dum cruciaris, crucias; dum vulneras, sanas; dum salubriter succumbis, gloriosè triumphas. Tu sola, cæteris silentibus, thronum gratiæ audacter conscendis. Dauidem manuducens reconcilias. Petrum restituis: Paulum illuminas: Publicanum sumptum de telonio, Apostolorum fidenter inseris choro. Mariam de prostibulo leuas in æthera, & iungis Christo: Latronem affixum patibulo adhuc vernantem sanguine inseris Paradiso. Quid plura? tui iuris est cælestis curia.*

In lucerna 2. Pœnitentia vulnus, & exinanitio.

176. De pacis laudibus egregiè scripsit S. Dionysius de diuinis nominibus part. 4. c. 11. Gregor. Nazianz. in orationibus de pace. S. Thomas a. 2. q. 29. De frequentissima pacis vsurpatione elegantissimam homiliam in epistolam ad Colossenses scripsit S. Chrysostomus. Denique vera pax à solo Deo petenda, & expectanda est. Iob. 38. Deus Iobum alloquens suæ potentiæ mirabilia commemorans ait: *Numquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadum?* ex Hebræo legitur: *Numquid congregabis delicatos fructus Pleiadum?* Iucundissimi saporis Pleiadum fructus, Olearum fructus sunt, mysticè pacis fructus significantes iuxta Hugonem Card. Pleiadum enim, seu Vergiliarum influxus oleas fœcundas reddit: *Oleæ concipiunt Vergiliarum exortu; hoc sidus illorum est*, ait Plinius lib. 16. c. 25. Huiusmodi autem oleæ, hoc est pacis fructus pacatæ peccatricis animæ, & conscientiæ elargiri, solius Dei est: propterea homini dicitur: *Numquid congregabis delicatos fructus Pleiadum?* Hos ergo fructus Christus, vt Dei filius Magdalenæ largitus est dicens: *Vade in pace*: impletumque in hoc etiam est apud Isaiam 57. 19. vaticinium: *Creaui fructum labiorum pacem.*

Hom. 3. Pax à solo Deo expectanda. *Hugon. Gen. 8.* Pleiadum fructus oleæ, pacis symbolum

FERIA SEXTA

POST DOMINICAM PASSIONIS.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum, &c. *Ioan.* II.

Euangelij nexus, & ordo.

1. DE hoc malignantium concilio vaticinatus est Dauid Psalm. 7. *Ecce parturijt iniustitiam; concepit dolorem; & peperit iniquitatem. Incidit in foueam, quam fecit.* Hoc iniquorum Pontificum, & Pharisæorum concilium primo corde *concepit dolorem*; inuidiæ enim stimulis agitati vehementer perfidi Iudæi isti dolebant, quòd Christi fama in dies per plura miracula celebrior apud populum fieret: *Ægro animo ferebant*, ait Cyrillus, *nomen Christi, & famam in dies magis, ac magis increbrescere; quam extingui potius, ac deleri voluissent; vt ipsi à populo gloriam, & nominis celebritatem amplius assequerentur. Ideirco in primis indignantur; quòd tanta faciat signa, per quæ splendor nominis eius clarior elucescat.* Ideo dicunt: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Secundò cum sacrilegum idem concilium ex inuidia corde concepisset dolorem; ore parturiit iniustitiam; scilicet cum Caiphæ ore sententiam protulit: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Tertiò peperit iniquitatem, nam *ab illo die cogitauerunt, vt interficerent Iesum*; quod tandem iniquissimo opere sunt exequuti. Propterea à Dauide de Iudaico conciliabulo subditur: *Incidit in foueam, quam fecit. In verticem ipsius iniquitas eius descendet.* Cum enim Domino mortem machinati essent; hinc perfidi Iudæi extremum exitium subierunt: quandoquidem incensa Ierosolyma, Romani exercitus præda, & mancipia miserrimè fuerunt Iudæi reliqui; qui antea vel fame, vel flamma, vel ferro non enecti supererant.

In Ioan. l. 8. c. 1.

Et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

2. AB huiusmodi concilio Moses, Dauid, & quilibet ex sanctis Patriarchis, & Prophetis abhorrens diceret: *Non sedi cum concilio vanitatis; cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui Ecclesiam malignantium; & cum impijs non sedebo. Si super isto*, inquit Rupertus, *consulerent Moysen, ex ipso audirent: Si creditis mihi, credite & huic.* Bene enim Dominus Ioannis 5. dixit: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan* (hoc est vtique) *& mihi; de me enim ille scripsit*, scilicet Deuteron. 18. dicens: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus tuus: ipsum audies. Et ait Dominus mihi: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius; loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existam.* Quæ verba de Christo apertè interpretatur Petrus Apostolus Act. 3. num. 22. & de eo esse intelligenda probat Eusebius lib. 3. de Demonstrat. cap. 2. & lib. 9. cap. 11. Idem docent Chrysostom. Clemens Romanus 6. Constit. cap. 19. & alii Patres communiter. Quare Nathanaël viso Christo, & cum eo collocutus dixit: *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum.* Sed in allata Mosis verba benè quærit Nyssenus: *Multi extiterunt Prophetæ; de quo ergo illorum loquitur?* Respondet Nyssenus: *Ipsi* (scilicet alii, præter Christum Prophetæ) *seruorum more ministrantes dicebant: Hæc dicit Dominus: Ille verò pro patria dignitate dicebat leproso: Volo, mundus esto: Mortuis: Tibi dico surge: &; Lazare, veni foras. Mare increpat; etiam flatibus pro potestate dicens: Sile, refrænare, obmutesce.*

Psal. 25. Lib. 10. in Ioan. Græca particula ἄν, quæ vertitur forsitan significat, Vtiq. Et est affirmatiua, non dubitatiua. Quare Psal. 54. vbi dicitur: Abscondissem me forsitan ab eo. Hilarius, Aug. Cassiodor. Psalterium Romanum, & Ambrosianum legunt, Vtiq. Vide, quæ diximus Fer. 6 Dom. 1. in illa verba: Tu forsitan potuisses ab eo.

Ioan. c. 1. n. 45.

Nyssenus de aduentu Domini in carne.

Christi, & aliorum Prophetarum discrimen.

3. Porrò diuinam illam comminationem: *Qui verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam*: adimpletam esse in euersione Ierosolymæ per Romanos, & in Hebræorum venditione in seruos existimant Riechellius, & Estius in hunc Deuter. locum. Quare per Christi mortem Iudæi non euaserunt, sed incurrerunt in id, quod per Christi mortem euadere putabant: scilicet *Venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.* Et sic de Iudæis machinantibus Christi mortem, verum fuit Dauidis vaticinium: *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* Vbi à Dauide Iudæi, quamuis nimia superbia intumescentes, & elati, paruuli tamen dicuntur, eo quòd ad Christi mortem procurandam ea inuidia mouerentur: inuidi enim tamquam pusillanimes arbitrantur se non posse ad aliquem honoris gradum, nisi per aliorum ruinam ascendere. *Paruulum occidit inuidia*, dicitur Iob 5. *Inuidere non possumus*, ait Gregorius, *nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Paruulus ergo est, qui liuore occiditur; quia ipse sibi testimonium perhibet, quòd eo minor sit, cuius inuidia torquetur. Hinc est, quòd hostis callidus primo homini inuidendo subripuit; quia amissa beatitudine, minorem se immortalitate illius agnouit.*

Psal. 63. v. 8.

Inuidia ex pusillanimitate prouenit.

Lib. 5. Mor. c. 33.

4. Præterea iure quæri potest, cur Deus dixerit: *Qui verba eius audire noluerit, ego vltor existam*: & non potius peracerbam vltionem comminatus fuerit in eos, qui promissi Prophetæ, nem-

ne Christi mortem machinaturi essent? Bene in hunc locum respondet Capponus: *Christi homicidium, seu Deicidium committere tam atrox scelus fuisse; vt nec Deus, si Deum aliquid latere posset, id imaginari potuerit.* Sic Solon Atheniensis legislator *cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necaret; respondit se id neminem facturum putasse.* Porrò cum Iudæi de Christo fatentur: *Hic homo multa signa facit:* hinc eorum peruersitas manifestè patet; cum Christo plura, & aperta miracula facienti (quæ non nisi per summam iniquitatem calumniari poterant, vt recens Lazari resurrectio comprobabat) mortem machinarentur. Præterea dicentes: *Hic homo multa signa facit;* ex odio Christum proprio nomine appellare dedignantur, vt vidimus etiam fer. 3. Dominicæ passionis in illa verba, *Vbi est ille?*

Cicero pro Roscio Am.

Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.

5. PAucis hisce verbis Pharisaïca superbia, inuidia, falsitas, & hypocrisis ostenditur. Primo superbia cum dicitur: *Omnes credent in eum;* omnes scilicet ex plebe; non nos, Mosaïcæ legis periti, & zelatores, qui non sumus *sicut cæteri hominum.* Secundò inuidia, cum Christi gloriam ex consecutura credentium fide ipsis maximè displicere significarent. Tertiò falsitas, mendacium, & hypocrisis, dicendo: *Venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.* Quasi dicant, vt ait Cyrillus: *Si viderint Romani turbas ipsum sequentes; sub tyrannide proprijque regis principatu nos esse constitutos arbitrabuntur, & diruent nostram ciuitatem, & populum. Sed fictitia erant, & commentitia, quæ dicebantur. Ne affectu aliquo æmulationis hæc dicere viderentur Pontifices, & Pharisæi in Christum; totam periclitari ciuitatem, & se reipublicæ consulere; & de vltimo ipsorum periculo habendam rationem dicunt.* De hac falloci Pharisæorum formidine, ne Romani ad eos perdendos venirent, vaticinatus est Dominus Ier. 17. *Confundantur, qui me persequuntur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego: induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos. Paueant illi,* inquit Rupertus, *vnam contritionem, scilicet illam; ne veniant Romani, & tollant eorum & locum, & gentem: & duplicem contritionem incurrant: videlicet, vt & Romani venientes tollant eorum locum, & gentem; & maligni spiritus aduolantes tollant animas, & corpora quoque in gehennam semper vrentem. Quia non dimiserunt Dominum sic,* ait Cyrillus; *sed tanquam malefactorem in crucem crudeliter egerunt; venerunt tandem Romani, & sustulerunt locum, & gentem. Nempe secundo, & quadragesimo anno post eius passionem, simulque gloriosam ascensionem, venientes Romani sub Tito, & Vespasiano principibus locum simul, regnum, & gentem illis abstulerunt: illosque tristi excidio, ferro, fame, & captiuitate deleuerunt. Et qui in pascha Christum occiderant, in eadem solemnitate ab hostibus obsidione cincti sunt. Quique iniuria filij patrem offenderant; ipsi à patre, & filio Vespasiano, & Tito deleti sunt.* De quo vide Iosephum de bello Iudaïco. Hoc Iudæorum excidium ob Christi mortem multò antea præuidens Rabbi Oseas apud Galatinum lib 4. c. 18 dixit: *Væ illis; væ illis iniquis, & impijs homicidis Israël; ob quorum amorem, vt peccatum eis dimitteret Deus, misit filium sanctum suum, & carnem humanam induet. Væ illis; quia propter prauas suas actiones rebelles erunt huic Messiæ: nec respicient dicta, quibus imperabit, vt mundentur aqua mundationis ad expianda peccata sua: nec incedent in vijs Deo gratis; nec facient eius voluntatem; sed ingenti iracundia percitis illum occident.*

Luca 18. 11.

Iudæi duplici contritione, seu calamitate puniti.

Lib 10. in Iean.

In Ioan. lib. 8. c. 1.

6. Porrò cum de Romanis dicitur: *Tollent locum nostrum:* Templum speciali ipsorum curæ commissum intelligere Pontifices censet non improbabiliter Maldonatus. Quare in pœnam falsi huius circa templum zeli, incendium ipsius templi, antequam vrbs ipsa incenderetur, vel Tito inuito præcessit, vt videre est apud Iosephum lib. 7. c. 9.

Templum locū suū Iudæi Pontifices appellarūt.

Vnus autem ex ipsis Caiphas, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis.

7. DE Simone, summi sacerdotis dignitatem obtinente ait Iosephus lib. 18 antiquit. c. 3. *Iussus est eam cedere Iosepho, qui cognominabatur Caiphas.* Ioseph Patriarcha frumentum seruando, Ægyptum à fame liberauit. Ioseph Caiphas Christum Dominum electorum frumentum iniquè persequendo, Ierosolymam, Iudæamque perdidit.

Ioseph Patriarchæ, & Ioseph Caiphæ antithesis.

8. Etsi supremus principatus inter minores pontifices, seu sacerdotes, primogenitis ab Aarone primo summo sacerdote descendentibus tantùm tribui debebat; eratquè dignitas donec sacerdos viueret perpetua, vt patet Exodi 28. & 29 & primo Paralip. c. 26. nihilominus, vt ait Cyrillus, *eo tempore lex illa Domini non obseruabatur apud eos; abrogata per ambitionem Iudæorum, & auaritiam Romanorum, qui in annos singulos summum sacerdotiū tunc pecunia venditabant. De hoc Caipha referunt probati historici, quòd pretio sibi vnius anni sacerdotium redemerit ab Herode.* Auaritia igitur in summum Pontificatum Caipham euexit, vt Dominum iniquissima morte damnandum pronunciaret. Auaritia Iudam ex Apostolo Domini proditorem effecit. Auaritia denique milites sepulchri custodes, ne Domini resurrectionem testarentur, corrupit. *Pecuniam copiosam,* inquit Matthæus, *dederunt militibus dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Illi accepta pecunia fecerunt, sicut erant edocti. Emitur à custodibus argento resurrectionis silentium, & mēdacium furti,* inquit Hilarius. In Christum igitur Pontificis auctoritas, proditoris perfidia, militis mendacium pecunia emitur. Verè enim teste Apostolo, *Radix omnium malorum est cupiditas,* hoc est auaritia, iuxta Ambrosium, & Chrysostomum.

Pontificatus maximus, seu summi sacerdotii primogenitis Aaronis posteris deferendus.

Cyrill. in Ioan. 8. c. 1.

Caiphas pretio Pontificatum emit.

Auaritia Pontificem, qui Dominum morte plecti pronunciaret constituit: Auaritia Dominū Iudas prodidit auaritia Dominū resurrexisse negauit.

Cap. vlt.

Cuns. 53. in Matth.

1. Ad Tim. c. 6.

9. Porrò apud Iudæos ad summi Pontificis munus quinque spectabant. Primò in Propitiatorio ante altare lucernas componere, easquè accensas seruare. Leuit. 24. *Præcipe filijs Israel, vt offerant tibi oleum de oliuis purissimum, ac lucidum ad concinnandas lucernas iugiter extra velum testimonij, in tabernaculo fœderis: ponetque eas Aaron à vespere vsque ad mane coram Domino, cultu, ritu que perpetuo in generationibus vestris.* Scelestus pontifex Caiphas pro sacræ lucernæ accensione, Christum *Iustitiæ solem, lucis æternæ candorem; splendorem gloriæ* extinguendum iniquissima morte pronunciauit dicens: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Secundò pontificis munus erat quotidie in thymiamatis altari thus incendere. Exodi 30.

Pontificis munus quintuplex Caiphas scelestissimè peruertit.

Malach. 4.

Sap. 7.

Ad Hebr. c. 1. 3.

Adolebit incensum super eo Aaron suaue flagrans mane; quando compones lucernas, incendes illud. Iniquissimus Caiphas non thura in odorem suauitatis; sed fœtida Iudæorum corda in Redemptorem incendere studuit. Tertiò ad summum Pontificem spectabat singulis hebdomadis Propositionis panes parate; eosque primis remotis recentes in mensa apponere, Leuit. 24. *Accipies similam, & coques ex ea duodecim panes; quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues.* Caiphas è contrario crucis morte Dominum damnandum esse Iudæis suadens, vaticinium de Iudæis à Ieremia c. 11. prædictum implebat: *Cogitauerunt super me consilia dicentes: Mittamus lignum in panem eius; & eradamus eum de terra viuentium.* Vbi Hieronymus ait: *Mittamus lignum in panem eius; crucem videlicet in corpus Saluatoris. Ipse est enim, qui ait: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* (Ioan. 6.) Quare *mittamus lignum in panem eius;* Arabicus vertit: *Corrumpatur per trabem cibus eius.* Quartò Pontifex diebus festis, vnà cum sacerdotibus reliquia populi sacrificia offerebat. (Libro 6. de bello Iudaico.) *Pontifex*, inquit Iosephus, *cum sacerdotibus ascendebat ad templum septimo quoque die, & Kalendis, & in annuis festiuitatibus populi; & sacrificabat.* Caiphas hic in crucis ara innocentem agnum illum sacrificandum suasit; qui de se ipso per Ieremiam prædixit: (Ier. 11.) *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* 5. deniquè summus Pontifex semel in anno die festo expiationis, solus sancta sanctorum ingressus, sanctuarium, & thymiamatis altare vituli sanguine aspergens, à peccatis populum expiabat; pro seipso, domo sua, & vniuerso populo preces fundens, vt habetur Exodi 30. & Leuit. 16. E contrariò Caiphas iniquissimi concilii locum ingressus, Christi Domini fundendo sanguine, sacrilegi sceleris reos, fœdosque Iudæos, & seipsum reddidit, dicens: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.*

Vos nescitis quidquam, nec cogitatis; quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius prophetauit.

10. CHristi mortem Iudæis expedire pronunciauit Caiphas; ne temporalis dominii, & vitæ periculum Iudæi subirent; asserens ipsos à Romanis puniendos, si Christum, vt Messiam ad Iudæam regendam à Deo missum, incolumem esse sinerent. Contra verò Spiritus Sanctus per eadem verba humano generi Christi mortem salutarem fore significauit; ne æternæ damnationis exitium incurreret. (Sap. 0. 10. 18.) *Deus, qui linguas infantium facit esse disertas*, malignantium linguas propheticas efficere potest. *Verumtamen*, vt ait Theophylactus, *Gratia spiritus ore Caipha, vsa est ad prædicendum futura; tametsi pollutum eius cor non attigerit.* Non enim à Christi morte humani generis salutem prouenturam Caiphas intelligebat. (Caiphas cũ Christum occidendũ pronunciaret, Deus intercidit flammam ignis. Psal. 28.) Ideo benè à Dauide dicitur, *Vox Domini*, hoc est Domini prophetica reuelatio, *intercidentis flammam ignis*: siquidem non solùm externa figura, & colore; sed etiam interno odio, & ardore ignem, flammamque Caiphæ lingua referebat. Hanc Dominus ita intercidit, vt externa quidem verba futuro euentui conformia proferret; eorum tamen verum sensum nullo pacto Caiphas intelligendo significaret. (2. ad Cor. 4.) *Deus*

A *igitur, qui teste Apostolo, dixit*, hoc est, iussit; *de tenebris lucem splendescere*; idem à Caiphæ ore ignorantiæ tenebris obducto arcanum redemptionis mysterium splendescere voluit. Origenes tom. 30. in Ioannem cum de his Caiphæ verbis dissereret; meminit historiæ Numer. 22. vbi asina distinctis vocibus allocuta dicitur Balaamum. Hinc benè Gregorius 27. Moral. c. 1. ait: (Caiphas Balaami asinæ loquenti cõparatur.) *Sicut irrationale animal rationis verba edidit; nec tamen ad permutationem naturæ rationalis accessit: ita sæpe quilibet indignus sancta verba per prophetiæ spiritum accipit; sed tamen ad promerendam sanctitatis gloriam non pertingit; vt & supra*
B *se loquendo emineat; & infra se viuendo torpescat.* Porrò quamuis Caiphæ sententia nihil futurum prædiceret; sed quid in præsentia expediret, significaret; nihilominus adhuc prophetia dici potuit; non solùm quia in ea tamquam in causa mors Christi futura includebatur, vt docet Cornelius; sed etiam, quia occultum erat mysterium redemptionis humanæ ex Christi morte proueniens. (Prophetia est occulta pronũciare. 1. Reg. 18. 19.) *Prophetia autem est dicere aliquid occultum, quod alij homines nesciunt*, vt docet Tostatus 1. Reg. c. 19. quæst. 31. vbi multa eruditè disserit de variis prophetandi generibus; docetque quomodo Saül peccator prophetasse in sacro textu dicatur. Ex allatis Caiphæ verbis colligi-
C tur vera sententia, quam docet S. Augustinus 12. confess. c. 18. c. 25. 26. 31. & 32. citatus à S. Thoma Augustinum sequente p. p. q. 1. a. 10. in corpore: quam etiam sententiam confirmat Concilium Lateranense cap. firmiter de summa Trinitate: scilicet eiusdem sententiæ sacræ Scripturæ posse esse plures litterales sensus; non solùm inter se subordinatos, tamquam figuram, & figuratum: sed etiam dissimiles, & disparatos, vt patet in Caiphæ verbis, in quibus videmus alium esse sensum litteralem iuxta mentem Caiphæ; alium iuxta intentum Spiritus sancti. (Scripturæ sacræ in eadem sententia plures litterales sensus esse possunt. Hic, & in sequenti.) Sic Ioannis octauo, cum à Iudæis Christus Samaritanus appellatur; ab ipsis significatur esse Schismati-
D cus; quales erant Samaritani, qui in aliquibus, Gentilium ritus sequentes à Mosaïca lege desciuerant. Sed à Spiritu Sancto per Samaritani nomen Christus significatur esse humani generis custos. Nam, vt notat Gregor. hom. 18. (Psal. 126.) *Samaritanus interpretatur custos, & ipse veraciter custos est, De quo Psalmista ait: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam: & cui per Isaiam dicitur: Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* (Isa. 21.) *Respondere noluit Dominus: Samaritanus non sum. Custos namque humani generis, si Samaritanum se non esse diceret, esse se custodem negaret.*

11. Sic etiam num. 23. & 24. cùm Balaam inuitus (vt placet Abulensi) benediceret Israëlitis,
E per verba Balaami, clarus sensus propheticus futurorum intendebatur à Spiritu Sancto; sensus verò planè obscurus, materialis, & diuersus ipsi Balaamo repræsentabatur. Exempli gratia, cum prædiceret: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel; & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth*: per stellam, & virgam insignem aliquem Dei fauorem, virumque aliquem victoriis inclytum, regnaturum in Israël, hostesque domiturum intelligebat; non autem Messiam verum Dei filium iuxta verum sensum litteralem, & propheticum intentum à Spiritu Sancto. De Messia autem vaticinium illud interpretatur Origenes in librum numer. hom. 13. 15. 18. Epiphanius in Epitome: Cyprianus serm. de stella, & Magis: Ambros. 2. in Lucam, Eusebius

lib. 9. demonstrat cap. 1. & alii. Censendum notem non est sacrosanctum Incarnationis mysterium, æternique Verbi sub mortali carne aduentum innotuisse Balaamo impio ariolo, qui à dæmone augnria, & diuinationes captabat teste Cyrillo lib. 6. de Adoratione. *Balaam famosissimus erat in arte Magica, & in carminibus noxijs prapotens*, ait Augustinus serm. 103. de tempore. Bene enim de seipso Balaam ait: *Dixit homo, cuius obturatus est oculus:* eo quod clarè quæ loquebatur, non intelligebat.

Abulensis sententia de litterali sensu refellitur. *Tost. q. 28. in c. 13. Matth.*

12. Ex dictis patet duas extremas opiniones circa sensum litteralem sacræ Scripturæ esse falsas. Prima est Tostati asserentis sensum litteralem illum esse, qui à Spiritu Sancto intenditur: sed iuxta hanc definitionem etiam sensus mystici essent litterales; cum verè præter sensum litteralem, à Spiritu Sancto intendantur: & Caiphæ sensus de morte Christi, iuxta mentem ipsius verè fuit litteralis; licet à Spiritu Sancto non intentus. Altera huic opposita opinio est, sensum litteralem esse illum, qui ab immediato sacræ Scripturæ authore, vel ab immediatè loquente spectatur; etiamsi non intendatur à Spiritu Sancto. Pro hac sententia ratio affertur, quia sensus Caiphæ litteralis est, vt diximus; aliique huiusmodi in sacra Scriptura reperiuntur sensus, qui tamen à Spiritu Sancto, quippe falsi, & impii non intenduntur. Sed contra est primò, quia tales sensus, licet non intendantur à Spiritu Sancto, præcognoscuntur tamen; & tales, quales sunt, referendo, non asserendo, in sacra Scriptura ponuntur. 2. possunt in sacra Scriptura esse plures sensus litterales veri, & pii; quamuis ii omnes ab immediato authore non cogniti, atque adeò non intenti fuerint. Quare Augustinus 12. confess. c. vlt. ait: *Domine, numquid Spiritum tuum bonum latere potuit quidquid eras in eis verbis tu ipse reuelaturus legentibus posteris; etiam si ille, per quem dicta sunt, vnam fortassis ex multis veris sententiam cogitauerit?* Maneat igitur sensum litteralem esse illum, quem immediatè, & proximè verba significant; siuè verba propria sint, siue translata. Quare litteraliter, quamuis translato verbo ad Philippen. 4. dicitur ab Apostolo: *Gauisus sum vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis*; hoc est nouo charitatis affectu reuiguistis, vt iuxta litteralem sensum explicat Chrysostomus. In illis verò metaphoricis locutionibus: *Ego sum vitis vera, & vos palmites.* Ioannis 15. *Vos estis sal terra.* Matth. c. 5. *De petra melle saturauit eos*: vt sensus litteralis habeatur, subintelligenda est particula similitudinis, *Sicut*, iuxta idioma Hebræum. Quæ particula interdum omittitur, vt Psal. 10. *Transmigra in montes sicut passer*; vbi in Hebræo textu particula illa, *sicut*, non habetur.

Sensus litteralis in sacra Scriptura quinam sit.

Psal. 80.

13. Porrò ex allata Caiphæ sententia verè patet humanam prudentiam, & sollicitam regiminis curam in iniquissimam versutiam degenerare; cum spreto debito iure, à propria tantùm vtilitate, & à diaboli suggestione politici Principes directionem accipiant. Quod serpentia exemplo præcepti transgressionem Euæ suadentis, probat Rupertus lib. 3. in Gen. c. 2. dicens. *Sciendum, quòd serpens antequam fieret organum diaboli ad perditionem hominis, sapiens, vel prudens poterat dici. Vnde in alia editione scriptum est: serpens erat sapientior cunctis animantibus terra. Postquam autem prudentia eius malitia diaboli coniuncta est, & opportunum ministerium mortis prabuit, callidus, & nequam, siue versipellis rectius potest nuncupari. Prudentia namque eius antequam illi patri mendacij ministerium prabuisset, talis erat, vt discipulis Christi ipso teste Christo, adhuc imitabilis sit. Ait enim Matth. 10. Estote prudentes, sicut serpentes.*

Quòd Iesus moriturus erat pro gente: & non tantùm pro gente; sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.

14. NOn solùm pro gente Iudaica; sed etiam pro Gentilibus regionis, vanæque religionis diuersitate dispersis Christi, mors, & redemptio futura erat. Nomina autem filiorum Dei intelligi puto non solùm prædestinatos, vt censet Toletus; sed etiam fideles vniuersos per sacri Baptismatis lauacrum in adoptionem filiorum Dei ritè nascituros: hi enim in sanctæ Ecclesiæ vnitatem congregandi erant. Quare si *in vnum* intelligeretur in vnum cœleste regnum; tunc quidem nomine filiorum Dei tantùm prædestinati significarentur. Quia tamen *in vnum* intelligitur communiter etiam iuxta Toletum, vnum Ecclesiæ ouile; ideo Dei filii fideles omnes per Baptismum intra Ecclesiæ gremium ritè admittendi debent intelligi. *Videte* inquit Ioannes, *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus.* Quibus verbis Apostolum non prædestinatos tantùm, sed fideles omnes Dei amicos alloquitur teste Hincmaro, & Alphonso de Castro contra Prædestinatianos hæreticos, & Caluinistas. De quo citatur Arnobius in psalmos, apud Maldonatum Ioannis 3.

Ep. 1. c. 3.

Hincmarus lib. contra Pradestinatianos Alphons. de Castro contra hær. verbo Pradestinatio

15. Circa nomen filiorum Dei fidelibus Dei amicis attributum, notanda est Varronis sententia, quam refert Augustinus 3. de ciuit. c. 4. scilicet: *Vtile esse ciuitatibus, vt se viri fortes, etiamsi falsum sit, ex Dijs genitos esse credant; vt eo modo animus humanus velusi diuina stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumat audacius, agat vehementius; & ob hoc impleat ipsa securitate felicius.* Hinc ait Augustinus: *Putata sunt ciuibus etiam de ipsis Dijs prodesse mendacia.* Fidelis Dei amicus ad res magnas generoso animo aggrediendas, mendacia sibi confingere non debet; cum per infusam gratiam diuinæ consors factus naturæ verè filius Dei sit, & nominetur. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus*, ait Ioannes. *Agnosce, ò Christiane, dignitatem tuam: & diuina consors factus natura, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire. Memento cuius capitis, & cuius corporis sis membrum*, ait S. Leo ser. 1. de natiuitate.

Dii legentos cum E... aliqui crederent, illis ad magna aggrediendo prodesse.

Ep. 1. c. 3.

Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum.

16. N*On quòd & antea iam id non cogitassent; cum superius in eius necem conspirasse; & eum comprehēdere sæpius voluisse legantur. Sed quia tunc firmiter, & fixo animo in scelere perficienda mortis eius constrinxerunt; & quàm citissimè possent, iniqua sua consilia perpetrare decreuerunt*, ait Cyrillus. Quare bene de iis vaticinatus est Dauid Psal 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Ex superbia enim Christum Pharisæi insectabantur; eò quòd eius famam, & gloriam quotidie apud populum propter miracula crescere, & Pharisaicæ sectæ præferri cernerent. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*: legunt alii *crescit, augescit semper.* Arborea,

Superbia Pharisæorum augmentata.

quò

quò profundiores radices centrum versus demittunt, eò sublimius verticem ad cœlum attollunt. Similiter Pharisaïca superbia velut arbor, in qua nidificabant dæmones, in Dei filium se extulit. eò quòd radice ad Tartara tenderet. Ex Augustino *superbia deorsum cor demittit*. Quare quò magis ex superbia deorsum cor demittitur; eò audacius, & sublimius humanum cor suas machinationes in cœlum attollit.

August. 4. de Ciuit. c. 13. Superbia deorsū cor deprimit.

17. Porrò cum tam facilè Caiphæ venenum in reliquos diffusum fuerit; planè constat quàm noxium reipublicæ sit malum caput; cum inde facilè pestis in membra reliqua diffundatur. Prouerb. 29. v. 12. legit S. Paschasius: *Rex iniustus omnes ministros habebit impios*. Ex quo patet, quæ ex capite prouenit, crescere in membris luem: ex Principis enim iniustitia, in ministros

Princeps iniquus quàm sit Reipublicæ noxius.

A non iniustitiæ tantum, sed impietatis malum, quod maius est, deriuari dicitur iuxta citatam Salomonis sententiam.

Iesus ergo iam non in palā ambulabat apud Iudaeos; sed abijt in regionem iuxta desertum, quæ dicitur Ephrem; & ibi morabatur cum discipulis suis.

18. HVc reuocanda sunt, quæ diximus Sabbato post Domin. 4. Quadrag. in illa
B verba: *Nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius*. Et Dominica Passionis in illa verba: *Iesus autem abscondit se*. Et fer. 3. eiusdem Dominicæ passionis in illa verba: *Ambulabat Iesus in Galilaeam; non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.*

SABBATVM

POST DOMINICAM PASSIONIS.

Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent, &c. *Ioan.* 12.

Euangelij nexus, & ordo.

1. SI oblitus fuero tui Ierusalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui: si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ, dicitur Psal. 136. Hæc verba maximè Redemptori hoc in Euangelio conueniunt. Nam Christus Dominus Ierosolymam veniens plurima hic lætitiæ incentiua habuit. Primò ingentem populi plausum, qui eum in vrbem aduentantem, vt Ierosolymæ Regem exultans excipiebat: *Turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audisset, quòd venit Iesus Ierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Israel*. Secundò publicum turbæ testimonium de Lazaro diuinitus ad vitam reuocato: *Testimonium perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis*. Tertiò ardens Gentilium desiderium ipsum Dominum videndi: *Erant quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, & adorarent in die festo: hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilaeæ; & rogabant eum dicentes: Domine, volumus Iesum videre*. Quartò ad augendam apud Iudaïcum populum Redemptoris gloriam: *Venit vox de cœlo: Et clarificaui, & iterum clarificabo*. Quintò proxima iam de diabolo victoria: *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras*. Nihilominus tot inter lætitiæ incentiua ad nouam Ierosalem, hoc est Ecclesiam à se propria morte fundandam, singulariter animum, memoriamque dirigere Dominus voluit dicens: *Si granum frumenti ca-*

Christus passioni proximus, Ierosolymā veniens quinque lætitiæ incentiua habuit.

A *dens in terram mortuum fuerit, multum fructum affert. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*. Proposuit igitur Dominus Ierusalem, idest Ecclesiam in principio lætitiæ suæ; hoc est eam super omnes iucunditates, vt primam, & summam lætitiam habuit.

Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.

B 2. SAcerdotum princeps, cum singulariter, & absolutè dicitur, summum sacerdotem, seu Pontificem significat, vt Matthæi 26. v. 57. *Tenentes Iesum duxerunt ad Caipham principem sacerdotum*. Sed hîc sacerdotum principes, vel ij dicuntur, qui antea pontificis dignitatem obtinuissent; vt supra c. 11. *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium*: vel probabilius intelliguntur ij, qui sacerdotum classibus præficiebantur: Nam, vt Paralip. 1. c. 24. habetur, diuisit Dauid sacerdotes omnes in viginti quatuor classes; in sedecim scilicet constantes ex nepotibus Eleazari,
C qui Aaronis maior filius fuit: & in classes octo constantes ex nepotibus Ithamari, qui fuit Aaronis filius minor. Eleazari autem classes præponebantur classibus Ithamari: quare illi sacerdotes primi ordinis; hi verò ordinis secundi sacerdotes dicebantur. Rursus hæ classes cum singulis hebdomadis per vices suas Templo ministrarent; hinc factum est, vt etiam vices dicerentur. Sic Lucæ 1. Zacharias præcursoris pater dicitur *Sacerdos de vice Abia*, hoc est ex classe.

Sacerdotum Principum nomine qui intelligātur.

Sacerdotes in viginti quatuor classes à Dauide diuisi.

cui Abias sacerdotum princeps præsidebat. Dicuntur etiam hæ classes 2. Paralip. c. 20. *turmæ:* nec mirum; nam, vt ait Iosephus lib. 2. contra Appionem. *Hæ sacerdotum classes*, quas *tribus* appellat, *singulæ habent hominum plusquam quinque millia.* Quare, cum in tam ingenti sacerdotum multitudine debita pietas, & sanctimonia non reperiretur; sed potius auaritia, ambitio, & hypocrysis, illud Isaiæ 9 verè de ea multitudine verificari potuit: *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam*: lætitiam scilicet, quæ ex debito fructu afferendo à iam magna multitudine expectabatur. Caueamus ne idem de iis, qui in Euangelica lege sacris ordinibus initiati sunt, dici possit. Certè S. Bernardus de suæ ætatis Clericis ait: *Multiplicasti gentem, Domine, non magnificasti lætitiam; dum nihil minus apparet decessisse meritis, quàm numeri accessisse. Currunt passim ad sanctos ordines; & reuerenda quoque spiritibus Angelicis ministeria homines apprehendunt sine reuerentia, sine consideratione. Neque enim signum Regni occupare cælestis, aut illius timent imperij gestare coronam; in quibus auaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia; sed & iniquitas, & luxuria etiam principatur.* Idem Bernardus Ser. 1. in conuersione S. Pauli ait: *Heu, heu, Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum. Nunc autem dati sunt sacri ordines in occasionem turpis lucri; & quæstum æstimant pietatem. Copiosissima siquidem pietatis inueniuntur in suscipienda, immo accipienda magis animarum cura; sed hæc apud eos cura minor, & de animarum salute nouissima cogitatio est.* Similiter in declamationibus Ser. 1. Bernardus conqueritur: *Dotatas, & ditatas videmus Ecclesias à potentatibus, & diuitibus huius seculi. Sed heu data est ipsa prouidentia eorum in occasionem carnis: & qui sibi pariter, atque alijs in cælo tabernacula æterna parare debuerant, in terra coniungunt domum ad domum, & agrum copulant agro.* Ibique plura prosequitur.

Sacerdotũ singulæ classes plusquã quinque millia sacerdotum continebant.

Clericos coana, & sacerdotes sancti Bernardi reprehensio.
Ser de conuers. ad Cleric. c. 29.

3. Gillius dialogo 5. narrat, cum coram Innocentio 4. vis pecuniæ magna numerarentur, dixisse Pontificem sancto Thomæ Aquinati, qui aderat: *Vides tu, Thoma, Ecclesiam, non amplius sicut olim, cum primùm cœpit, dicere posse: Argentum, & aurum non est mihi?* Cui S. Thomas modestè respondit. *Nec potest nunc imperare claudo dicens: surge, & ambula.* S. Hieronymus scripturus historiam sancti Malchi ait: *Historiam scribere disposui ab aduentu Saluatoris vsque ad ætatem nostram; idest ab Apostolis, vsque ad nostri temporis faciem, quomodo, & per quos, Christi Ecclesia nata sit, & adulta persecutionibus creuerit, Martyrijs coronata sit: & postquam ad Christianos Principes venit; potentia quidem, & diuitijs maior, sed virtutibus minor facta sit.*

Innocẽtius quartus cũ Ecclesiæ diuitias ostẽtaret, S. Thomas quid argutè responderit.
Act. 3.

4. Sed, vt in Iudæam ad sacerdotum Principes redeamus; certè cum ingenti sacerdotum multitudine eorum vitia creuerant; idque maximè in sacerdotum Principibus; quos hic videmus prius de Christi Domini, deinde de Lazari morte per summam impietatem decreuisse. Vtinam dici potuisset tunc: *Sicut populus, sic sacerdos.* Populus quidem Christum, vt Israëlis regem plausibus excipiebat; dum impii sacerdotum principes ei, eiusque Diuinitatem testanti rediuiuo Lazaro mortem machinabantur. Qui aliis, vt Principes præsident, *Anguli* in sacra Scriptura appellantur 1. Reg. 14 *Applicate huc vniuersos angulos populi.* Iudicum 20. *Omnes anguli populo-*

Sacerdotũ Principes apud Iudæos populo peiores.
Isai. 24.

Principes cur anguli in sacra Scriptura appellantur.

A *rum, & cuncta Tribus Israel in Ecclesiam populi Dei conuenerunt.* Si boni Principes sunt, Anguli dicuntur, quòd velut anguli maioribus, magisque conspicuis lapidibus, hoc est virtutibus muniti rempublicam fulciant, firmamquè reddant. Si verò Principes mali sint, quales isti sacerdotum Principes erant; Anguli dicuntur, quod velut anguli sordium receptacula esse soleant. *Vbi anguli, ibi sine dubio sordes*, ait Bernar. Ep. 51.

5. *Cogitauerunt ergo*, seù ex Græco textu, *Consultauerunt sacerdotum Principes*, Lazarum per dolum interficere, vt viuum testimonium de diuina virtute in Christo operante, mortuosquè ad vitam reuocante de medio tollerent. Verè de iis Dominus Dauidis ore vaticinatus est Ps. 37. *Qui*
B *inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* Verè dolos tota die meditabantur; cum superiori capite de Domino, hic de Lazaro interficiendo cogitassent. Sed verè vanitates sua inconsultatione loquebantur. Vanissimum enim erat ad occultandam Domini, qui Lazarum suscitauerat, famam, Lazarum interficere. 1. quia, vt notat Augustinus, Dominus, qui antea mortuum Lazarum suscitauerat, poterat etiam eumdem occisum iterum ad vitam reuocare. 2. quia Dominus, qui è Bethaniæ sepulchro Lazarum rediuiuum extulerat; poterat etiam impediendo Lazari necem, eumdem Lazarum è sepulchro illo eripere; de quo dicitur Ps. 13. *Sepulchrum patens est guttur eorum: quorum os maledictione, & amaritudine plenum est: veloces*
C *pedes eorum ad effundendum sanguinem;* sanguinem scilicet innocentem, qualis Lazari sanguis erat. Verè autem tali è sepulchro Lazarum Dominus eripuit; cum irritas contra Lazarum Iudæorum insidias reddiderit; ipsumque Lazarum per triginta annos superstitem conseruauerit. 3. denique vanitates loquebantur, quia quamuis Lazarum interfecissent, suam quidem peruersitatem manifestassent; Domini autem miraculum occultare nequiuissent; quia *testimonium perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis.*

Pharisæorũ dolosæ cogitationes triplici ex capite vanæ, & untæ. Hic, & 2. sequent.

De Lazaro superstite vide F. 6. nom. 4.

In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, &c.

D

6. QVæ hic de celebri Redemptoris in vrbem Ierosolymam ingressu, populique plausu dicuntur, sequenti Euangelio, vbi hæc iterum habentur, explicantur.

Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis, quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abijt.

7. NIl mirum est Pharisæos ad opprimendam diuinam Domini lucem, & gloriam nihil
E proficere: nihil enim proficeret arida stipula si insurgendo ignis splendorem opprimere conaretur. *O infelix stipula* (Pharisæis Rupertus ait) *hic Deus noster ignis consumens est; & tu illum opprimendo proficeres? Deficies potius, & consumeris; quia non stipula ignem, sed contra stipulam ignis consumit. Quantò illum pertinacius incumbendo presseris, tantò amplius flammam suæ charitatis cum tui detrimento dilatabit.*

Deu. 4. 24. Pharisæi stipulæ, Dominus igni cõparatur.

8. Sed dicendo: *Ecce mundus totus post eum abijt*, verè *mentita est iniquitas sibi.* Si mundus totus post eum abiit; non est, cur Romani Christi celebritate offensi in Iudæorũ perniciem venturi timeantur. Sed inuidi Pharisæi ad maiorem

Psal. 26.

Christo constandâ inuidiam hyperbolicè loquuntur. Hoc præterea inuidorum est propriũ alienos honores multò maiores existimare. Sic Gen. 37. cum Ioseph inuidis fratribus somnium narraret dicens: *Putabam nos ligare manipulos in agro; & quasi consurgere manipulum meum, & stare; vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Responderunt fratres eius: Numquid Rex noster eris, & subiiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum, atque sermonum inuidiæ fomitem ministrauit.* Vilis paleæ manipulus supra ipsorum manipulos assurgens, veluti regius honor Iosephi fratribus præ inuidia videbatur. Et è paleis, iisquè non realibus, sed somniatis linoris flamma incendium excitare potuit.

Inuidis aliení honores maiores videntur.

Erant quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, vt adorarent in die festo.

9. Circa hos Gentiles tres sententiæ sunt; prima, media, & extrema. Prima asserit fuisse Iudæos, qui in Gentilium regionibus viuebant. Media asserit fuisse Gentiles, sed proselytos, hoc est aduentitios; qui vel re, vel in voto iam circumcisi, Iudæorum religioni credebant. Extrema docet fuisse planè Gentiles: & hæc sententia videtur probabilior. Si enim verè Iudæi fuissent, eos Gentiles Ioannes non nominasset, sed Iudæos; quamuis inter Gentiles vixissent: sicut Act. 2. dicitur: *Erant in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est.* Similiter si proselyti fuissent; hoc potius nomine eos Euangelista appellasset; cum non infrequens tale nomen in scriptura reperiatur: vt Act. 2. *Iudæi quoque, & proselyti, Cretes, & Arabes.* Erant ergo hi, qui Ierosolymam ascenderant ad diem festum planè Gentiles. Hanc sententiam indicare videtur Rupertus; qui de Gentilibus istis, sicut Chananæa verè Gentilis de seipsa dixerat, ait: *Cupientes saturari de micis, quæ de mensa cadebant; immo & tamquam catelli sub mensa dominorum residua fragmenta colligere venerant.* Porro Gentiles etiam religionis causa Ierosolymam venire solitos patet ex Eunucho Candacis Reginæ Act. 8 & aliis.

Gentiles religionis causa Ierusolymam veniebant.

Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum dicentes: Domine, volumus Iesum videre.

10. De Magdalena Ioannis 20. dicitur: *Existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi.* Magdalena præ amoris magnitudine, quem hortulanum putabat, Dominum appellauit; eò quod ei Christum Redemptorem, quem anxiè quærebat, indicare posset. Sic Gentiles isti Philippum pauperem piscatorem Dominum appellant, eò quod ad Iesum videndum posset aditum aperire. *Quomodo confractum cor habent erga Dominum Dominorum; cum intercessorem ambientes, seruum Domini vocant Dominum?* ait Rupertus. Fidelis quæque anima ingenti Dominum videndi desiderio accensa, ei cum Augustino dicat: *Cur faciem tuam abscondis? Fortè dicis: Non videbit me homo, & viuet. Eia, Domine, moriar, vt te videam, vt hic moriar. Nolo viuere, volo mori: dissolui cupio, & esse cum Christo. Mori desidero, vt videam Christum: Viuere renuo, vt viuam cum Christo.*

Tom. 9. in soliloquiis cap. 1 Exodi 33 Ad Philip. c. 1. 2. 3.

Venit Philippus, & dixit Andreæ: Andreas rursum, & Philippus dixerunt Iesu.

11. De Ruben dixit Iacob Gen. 49. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium filiorum meorum,* iuxta Septuaginta interpretes. Cum Andreas primogenitus Domini fuerit, cumquè eius nomen fortitudinem sonet, benè ei à Domino dici potest: *Primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium filiorum meorum.* Cum igitur Gentiles per veram fidem in Dei filios essent adoptandi; id per Andream tamquam per aliorum filiorum principium, ac primogenitum fieri oportuit; vt foret ipse primogenitus in multis fratribus. Primogenitus accipiebat duplicem partem hæreditatis paternæ. Hinc Deut. 21. n. 17. dicitur: *Agnoscet primogenitum; dabitque ei de his, quæ habuerit, cuncta duplicia.* Andreas ergo duplicem partem tamquam Domini primogenitus habere debuit: per primitias scilicet Iudæorum, atque Gentilium. Antea enim adduxerat ad Christum fratrem suum Petrum: nunc ad eundem Dominum primitias Gentium affert.

Andreas apostolus, Domini Primogenitus.

Primogenito cuncta duplicia dabantur.

Iesus autem respondit eis dicens: Venit hora, vt clarificetur filius hominis.

12. Venit hora, hoc est tempus aduentat, & iam proximum est. Eodem significatu Ioan. 4. dicitur: *Scio, quia Messias venit*: hoc est, propinquus eius aduentus est. Proxima autem hæc Christi clarificatio est Euangelicæ legis notitia per Apostolos ad Gentes omnès promulganda, post completam humani generis redemptionem per Christi mortem, quæ iam imminebat. Ex istis ergo Gentium primitiis Iesum magno affectu videre cupientium prænunciat ipse Dominus vberem è Gentilium conuersione messem fore colligendam.

Christi clarificatio Euangelicæ legis notitia.

Amen, amen dico vobis: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solùm manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

13. Similitudine ea frumenti grani accepta duo indicantur; scilicet ea Domini passione, & morte maximam fidelium multitudinem nascituram; sicut ex frumenti grano plures frumenti spicæ germinant. Significatur præterea Dominum planè innocentem crucis mortem subiisse, vt alios per fidem viuificaret; cum ipse morte planè indignus foret. Nam quæ in terram proiiciuntur, omninò vilia, & nullius pretii sunt: nihilominus frumenti granum, quamuis sincerum, & in cibum sit optimum, in terram proiicitur, non vt vile aliquid; sed vt in vberem segetem germinare possit. *Non idcirco mortuus est filius hominis,* ait Rupertus, *quia peccati, vel mortis debitor est; sed ob hoc, vt vna mors eius multorum vitam fructificet. Sicut granum frumenti non idcirco proiicitur in terram, quia vitiosum est; sed quia sic proiectum, cum fuerit mortuum, idest à solo vigore suo per humorem terræ defectum, rursus germinando resurget, & multa secum grana referet. Eat igitur hoc frumenti granum, & mortificetur in infidelitate Iudæorum; vt proiectum in sepulchro reuiuiscat, & multiplicetur fide populorum: sicque multam in horrea cæli messem referat; quo si mortuo-*

Christus frumenti grano in terram cadenti duplici ex capite cõparatur.

In Ioa. l. 10.

Iustinus Apologetici.

luisset, se lùm se recipere poterat. Si iuxta Tertullianum, *sanguis martyrum semen est Christianorum;* ad Christianos germinandos quantò fœcundius semen Christi sanguis erit?

Christi passio cur Gentibus stultitia videatur.
Isai. c. 53.

14. Apostolus 1. ad Cor. c. 1. ait: *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Nam si quis assereret magnam pomorum copiam ex arbore nascituram, si ea è terra eradicetur, stultus profectò haberetur. Nihilominus arbor vitæ Christus Dominus per crucis mortem eradicatus, ingentem fidelium numerum protulit. Ideo de Redemptore dixit Isaias: *Generationem eius quis enarrabit?* Hoc est, iuxta Dionysium: *Quis ingentem fidelium multitudinem per baptismi regenerationem à Christo propagandam enumerabit?* Tam ingens autem prolis numerus vnde proueniet? Respondet Isaias: *Quia abscissus est de terra viuentium.* Idquè iuxta æterni Patris promissum ibidem dicentis: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Et additur: *Pro eo, quòd laborauit anima eius, videbit, & saturabitur.* De Domino autem allegoricè dicitur: *Labores manuum tuarum manducabis.* Laborauerunt diuinæ manus, cum cruci affixæ sacri corporis pondus sustinuerunt ad humani generis redemptionem: & inde animarum cibum, quem vehementer esuriebat, sibi Dominus comparauit: quod multò antea indicauerat dicens: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Opus autem æterni Patris perfecit, cum Euangelicam fidelium Ecclesiam propria morte fundauit.

Christus laborem manuum suarum quomodo manducauit.
Psal. 127.
Ioan. 4.

Christi nomen cur vnguentum exinanitum dicitur; & quæ eius sic exinaniti efficacitas.
Lib. 1. de Virg.

15. De Redemptore Ecclesiæ sponso dicitur Cantic. 1. *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Vbi legit Ambrosius: *Vnguentum exinanitum est nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te.* Vnguenti, vel olei nomine iuxta phrasim Hebræam, odoriferum liquorem intelligere debemus: at odoriferi liquores, cum exinaniti euaporant, inefficaces sunt ad alliciendum. Contra verò Christus Dominus se per cruciatus, suumque nomen per opprobria exinaniuit, vt homines ad se alliceret. Hinc verè ei dicitur: *Vnguentum exinanitum est nomen tuum, propterea adolescentulæ,* hoc est fideles animæ recens conuersæ, *dilexerunt te. O oleum vsquequaque effusum,* exclamat Bernardus; *quàm carum, quàm vile? vile, sed salubre. Si vile non esset, non mihi effunderetur; si salubre non esset, non me lucraretur. Et quid mirum si sponsi effusum est nomen, cum ipse quoque effusus sit? Nam semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Denique ait: Sicut aqua effusus sum. Effusa est plenitudo diuinitatis habitans super terram corporaliter; vt de illa plenitudine omnes, qui corpus mortis gestamus, caperemus; ac vitali odore repleti diceremus: Oleum effusum nomen tuum.* Quare cum Apostolus Petrus Christum crucifixum prædicaret dicens: *Certissimè sciat omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis:* Subdit sacer textus: *Appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Ecce quomodo *Vnguentum exinanitum est nomen eius, propterea adolescentulæ,* hoc est fideles animæ recens conuersæ, *dilexerunt eum.*

Ser. 15. in Cant.
Ad Philipp. 2.
Psal. 21.
Act. 2. 36.

Apostolici viri, vt Christi bonus odor sint, exinaniri se debent.
2. ad Cor. 2.

16. Discant hinc viri Apostolici, quibus cum Apostolo dicere conuenit: *Christi bonus odor sumus:* si proximos ad animæ salutem allicere velint; ipsos oportere per labores, & ærumnas, per mortificationem, & humilitatem se exinanire. Sic enim; non per elegantium verborum lenocinia, non per scientiæ ostentationem spiritualis odor animos allicit ad salutem. De Ioanne quidem Chrysostomo sanctissimo, & eloquentissimo viro, duo illa simul commemorantur; scilicet *Incredibile est, & quanta mala perpessus sit, & quàm multos ad Iesu Christi fidem conuerterit.* Ideò Apostolicis viris à Domino dicitur: *Vos estis sal terræ.* Sal liquefit, & totum dissoluitur, vt à putredine carnem, in quam aspergitur, præseruet. Eliquari omninò per mortificationem, & exinaniri debet vir Apostolicus; vt à peccatorum putredine proximos liberet. Hoc de seipso, suisque seruis Dominus indicare frumenti similitudine voluit dicens: *Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Matth. 5. Apostolici viri cur sal terræ dicantur.

17. Hoc idem diuina æterni Patris sapientia sub humana carne ad hominum redemptionem ventura sub multiplici olim similitudine indicare voluit Ecclesiastici 24. dicens: *Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi: Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.*

Christus cur cinnamomo comparatur.

18. Primò Christi odor ad eum sequendum homines alliciens cinnamomo comparatur: hoc enim maximè redolet benè contusum. Similiter Christus Dominus, quòd pro humani generis redemptione flagellis contusus fuerit, plagisquè laceratus, ingentem fidelium numerum ad se trahere meruit. *Cinnamomum redolentiam habet, cum frangitur,* ait Hugo Cardin. Cinnamomum, teste Plinio, in densissimis vepribus, rubisquè gignitur: inter spinas igitur fragrantiam attrahit. Similiter quòd Christus Dominus spinea corona caput præcinxerit; ideo fideles animæ eius odore allectæ ad eum intuendum, & sequendum inuitantur: *Egredimini, & videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua. Significat,* ait Bernardus *Iesum Christum nostrum verum Salomonem, qui est Salomon idest pacificus. Videant ergo eum peccatores in corona miseriæ, & compungantur: Egredimini filiæ Sion, egredimini de sensu carnis ad intellectum mentis: de seruitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ: Egredimini de terra vestra, & de cognatione vestra, & de domo patris vestri; & videte regem Salomonem. Mater siquidem Synagoga, non matrem se exhibens, sed nouercam, regem nostrum corona spinea coronauit.* Quare si Lucæ 8. frumentum cadens inter spinas fructum non attulisse dicitur: secus in Christo Domino electorum frumento contigit; in spinas enim cadens vberrimam fidelium animorum attulit messem.

Lib. 12. c. 19. Cinnamomum inter spinas germinat.
Cantic. 3.
Ser. 6. inter paruos in Epiph. § 2.
Ser. 5. in festo omnium SS.

19. Secundò ad eumdem animarum fructum ex Dominica passione prouenientem significandum, balsamo sua in passione Redemptor noster comparatur: *Sicut balsamum aromatizans odorem dedi. Omnibus odoribus præfertur balsamum,* inquit Plinius; *inciditur cultellis & succus e plaga manat.* Sanguis, qui è Christi Domini vulneribus fluxit, æterno Patri veluti cæleste balsamum in odorem suauitatis fuit; & humano generi, quod in peccatis versabatur, fuit ad peccati venenum antidotum. Peccatores enim veluti venenatæ viperæ sunt: ideo cum ad Ioannem Domini præcursorem pœnitentiam prædicantem peccatores accessissent, eos *Genimina viperarum,* appellauit. Porrò teste Pausania *plurimæ viperæ sub balsami arboribus latitant; & sub illis commorantes balsami pastu venenum amittunt: ipsarum item morsus ob id innoxij sunt.* Similiter peccatores Dominici sanguinis efficacitate peccati venenum eiiciunt;

Christus cur balsamo comparatur.
Lib. 12. c. 25. Balsami liquor ex arbore cultellis incisa manat.
Lucæ 3.
Pausanias in Bœoticis. lib. 9.
Viperæ balsami pastu venenum amittunt, eorumque morsus innoxij.

proximisquè, quibus antea venenum afflabant, noxii esse desinunt. A

Christus tripliciter myrrhæ similis.

20. Tertiò ad animarum fructum ex sua passione prouenientem significandum, in ea Dominus myrrhæ assimilatur: *Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. Myrrha*, ait Plinius, *arbor est non sine spina: inciditur; sudat autem sponte prius-quam incidatur.* Sua in passione Dominus myrrhæ omninò similis fuit, nam antequàm vulnera subiret, in Gethsemani horto sudorem emisit: *Factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Secundò acutissimis spinis sanctissimum caput præcingi passus est: *Imponunt ei plectentes spineam coronam.* Tertiò sanctissimum suum corpus vulneribus pluribus incidi voluit; B flagellis scilicet, clauis, & lancea. Hinc suauissimum sanctitatis odorem emittens fidelium animas ad se allexit: easquè suo sanguine, veluti myrrhino liquore à peccatorum putredine præseruauit. Cantic. 4. Ecclesiæ, hoc est fidelium iustorum congregationi dicitur: *Tota pulchra es amica mea; & macula non est in te.* Huius tam eximiæ animarum pulchritudinis causam præmittit Christus Dominus sanctissimus Ecclesiæ sponsus dicens: *Vadam ad montem myrrhæ.* Vbi per montem myrrhæ iuxta Nyssenum, Theodoretum, & Rupertum, Caluariæ mons significatur. Montem hunc mortem subiturus Dominus libentissimè conscendit, vt suæ sponsæ, nempe Ecclesiæ acquisitam pulchritudinem seruaret, & augeret. Quare sic Ecclesiam Dominus C iuxta Theodoretum, & Psellum alloquitur: *Quando adeo decora es, & amoris erga me vulnere sauciata; pro te mortem oppetam. & myrrha montem sponte conscendam, sponte volo mortem oppetere, vt fidelibus diem salutis aspirem. & vmbras discutiam impietatis.* Sed quod mirum est, montem myrrhæ, hoc est Caluariæ montem cadauerum ossibus potiùs, quàm arboribus consitum, veluti amænissimum deliciarum locum, hortum suum Christus Dominus appellauit: *Veni in hortum meum; messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Myrrhæ messis fuerunt Redemptoris cruciatus; ex quibus tamen quia animarum salus prouenit, vnà cum amara myrrhæ messe D suauissima aromata iuncta fuerunt. Suauissima enim aromata sunt ad Christum Dominum oblectandum animæ redemptæ, & in æternam gloriam transferendæ. Quare Redemptor noster sic apud Rupertum loquitur: *Moriendo, atque ad infernum descendendo, reuersurus cum omnibus sanctis, & electis meis, qui me expectabant ab origine mundi, messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Ideo sancti, & Apostolici viri suum Dominum imitantes, ad animarum salutem labores, & ærumnas subeuntes Ioannis sententia obsequuntur: *Ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Sic crucifixo Domino, eique myrrhæ simili, per labores, & ærumnas similes sancti fiunt. *Arbor myrrham ferens erat Paulus, qui quotidie moriebatur,* E *& ipse sibi dabat responsum mortis: & per puritatem, & diuina vita institutionem aromatizans, fiebat quodammodo odor vitæ iis, qui salui fiunt,* ait Nyssenus.

Lib. 12. c. 15. Myrrhæ arbor spinosa est, inciditur, & antequam incidatur sponte sudat.

Lucæ 22.

Marci 19.

Caluariæ mons, myrrhæ mons appellatur.

Theodoretus. Psellus.

Cant. 5. Animæ iustorum aromata Domini sunt.

Rupertus in Cantica.

Ioan. 1. Ep. c. 3.

Paulus Apostolus myrrhæ arbor appellatus.

21. Quartò denique de seipso Christus æterni Patris sapientia ait *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris. Vitis religatur, & erigitur: reciduntur alia sarmenta, alia propagantur,* ait Ambrosius. Dominus tamquam vitis vinculis religari, & in crucem erigi voluit; incidi se per vulnera passus est; sanctissimum etiam corpus veluti propaginem terra obrutam in sepulchrum demisit. Sed inde *fructificauit suauitatem odores*; ita vt tot fidelium animæ postea dixerint: *Currimus in odorem vnguentorum tuorum.* S. Bernardus cum Domini ærumnas, opprobria, & cruciatus percensisset, ait: *Quo vitis vmquam tantùm præcisa fuit? Sed quo est consolatio huius præcisionis? multus fructus.* Vini pateræ, quæ in sacrificiis in diuinum cultum libandæ erant, ex vitis putatæ vitis ea pressum vinum habere debebant. *Ne libes Diis ex vite non putata*, aiebat Numa apud Plutarchum. Profectò Christi Domini sanguis in redemptionem generis humani æterno Patri offerendus ex putata vite, nempe ex Christi Domini corpore vulneribus inciso defluxit. B

Eccl. 24. Christus vitis similis.

1. Hexamer. c. 12.

Canti. 1. Ser. de Passione.

Vinum diuino cultui libandū ex vite putata erat exprimendum.

22. Quod si iuxta Apostolum, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*: si quis multum fructum è proximis referre vult; eius cupiditates bene recidi; eum in terram per animi demissionem & mortificationem cadere oportet: scilicet *mortificando membra nostra, quæ sunt super terram.* Sed neque per mortificationem in terram cadere satis est; nisi etiam cum S. Martyre Ignatio frumentum Christi simus, & triticum congregari dignum in Domini horreum. Si enim inanis palea in terram decidat fructum nullum afferet. *Vide, ne, cum granum esse debueris, palea sis*, ait Rupertus. *Paleæ medullam non habent, nec possunt nutrire credentium populos*, ait S. Hieronymus. Quare si C huiusmodi paleæ in terram deciderint, non ex eis Dominus fructum expectat; sed eas potius *ventorum flatibus dispergendas, vrendasquè ignibus derelinquit*, vt ait idem Hieronymus. Ideo, ne inanes paleæ sine solidæ charitatis medulla simus, caueamus. *Quid paleis ad triticum?* exclamat Ieremias.

1. Petri c. 2.

Ad Coloss. 3. 5.

Apostolici viri, vt in proximis fructificent, frumentum, non paleæ esse debent.

Rupert. lib. 10. in Ioan.

Hierony. in Ierem. c. 23.

Ierem. c. 23.

Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

23. POtest in hac sententia animæ amor, & animæ odium pro laudabili, & meritorio D animæ amore, & pro laudabili, & meritorio animæ odio intelligi: & tunc vtraque pars huius sententiæ iusto conuenit. Dicitur autem iustus laudabili amore amans animam suam, eam perdere: Vbi anima potest accipi vel causaliter pro vita proueniente ab anima in corpore; vel formaliter pro eo, quod est intrinsecum ipsi animæ. Si accipiatur formaliter; iustus bono amore amans animam suam, perdat eam; hoc est eius sensualem concupiscentiam sancto rigore mortificabit. Si verò anima accipiatur causaliter pro vita ab ea proueniente, iusti etiam, & sancti viri vero, & supernaturali amore animas suas amantes, libenter temporalem vitam amittunt, vel in protestationem fidei, si detur occasio; vel propter propriam, & proximorum salutem E voluntarias carnis afflictiones, labores, & ærumnas subeuntes. Iuxta vtrumque sensum Dominus Matth. 16. n. 25. dixit: *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Perdet eam*, ait Bernardus, *siue ponendo, vt martyr. siue affligendo, vt pœnitens. Quamquam genus martyrii est, spiritu facta carnis mortificare; illo nimirum, quo membra caeduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* Quare iuxta allatum sensum animam tam amare, quàm odisse, quàm perdere in bonam partem accipiendum est. Amatur enim anima acquirendo illi æterna bona;

Animæ amor, & odium duplici sensu intelligi potest. Id., & consequenti.

Ber. in Cant. Ser. 30.

odio habetur negando ei terrenas voluptates: A perditur anima, hoc est præsens vita amittitur, vel mortificatur, vt cum meliore commutetur. *O beatum damnum; ô fœlix iactura*, exclamat S. Paschasius.

Lib. 8 in Matth. c. 16.

24. Rursus in eadem Euangelica sententia potest animæ amor accipi in malam partem, pro sensuali, & indebito erga seipsum amore. Contra verò odium accipi in bonam partem, pro laudabili, & meritoria propriarum passionum mortificatione. Et tunc in allata sententia Dominus explicat in homine disparem exitum mali amoris erga seipsum, bonique erga seipsum odii. Ex malo, idest nimio, & immoderato erga seipsum, & temporalem vitam amore, animæ perditio, B hoc est iactura, & æterna damnatio prouenit. Ex bono erga seipsum odio, proprias scilicet concupiscentias mortificando, animæ custodia, æternæque vitæ consecutio nascitur. *Notandum*, inquit S. Paschasius, *quòd anima diuersis dicitur modis; sed nil inferius in ea est, quàm vita, quæ viuitur solummodo cum bestiis: & ideo qui hanc partem voluerit amittere pro Christo quæ viuitur cum pecoribus; perdit illam, quæ perfrui potuit in Christo cum Angelis.*

In Matth c. 10.

25. Immoderata igitur erga animæ cupiditates indulgentia, licet iuxta temporalem voluptatem amor videatur; re vera odium in eamdem animam est. Nec solùm in animam, sed etiam in corpus iuxta teste Bernardo: *Anima corrupta in culpam, fecit, vt corpus quoque corrumperetur in* C *pœnam.* Quare peccator immoderatè animam amando, non solùm animam perdit, atque adeo re vera eam odit, sed etiam corpus. *Ego autem dico odit & carnem*, subdit Bernardus. *An non odit, cui Gehenna cumulos mercatur in dies, & cui secundùm duritiam suam, & cor impœnitens thesaurizat iram Dei in die iræ? Cæterum hoc odium tam carnis, quàm animæ, non in affectu, sed in effectu potius inuenitur. Sic nimirum odit & phreneticus carnem suam, cum sibi ipsi manus inferre laborat. Sic laceramus, sic exulceramus propriis manibus animas infelices.* Quod si peccator indebitis cupiditatibus satisfaciens, se non animæ lacerationem sentire affirmet; respondet Bernardus id D ei accidere, eo quòd alibi quodammodo extra seipsam eius anima euagetur. *Effusus siquidem animus damna inferiora non sentit; quia nec intus est; sed in ventre forsitan, aut sub ventre. Denique & animus quorumdam in patinis, quorumdam in loculis inuenitur. Vbi est thesaurus tuus, inquit, ibi est cor tuum. Quid verò mirum, si propriam minimè sentiat anima læsionem; quasi sui ipsius oblita, & penitus absens sibi, in longinquam profecta est regionem? Erit autem, cum in semetipsam reuersa, cognoscet quàm crudeliter misera venationis obtentu euisceraurit semetipsam. Neque enim id sentire poterat, dum vilem muscarum prædam desiderio captans insatiabili, aranearum instar ex visceribus pro-* E *priis intexere retia videretur.* Optimè quidem Bernardus philosophatur; dolor enim nonnisi in ea parte, vbi anima est, sentitur. Sentiunt carnales homines corporalium voluptatum priuationem; eò quòd in ventre eorum anima sit. Sentiunt gulosi dolorem, si delicatis cibis priuentur; eo quòd in patinis eorum anima versetur. Sentiunt diuites ex diuitiarum iactura dolorem, eò quod in loculis, in quibus pecunia asseruatur, eorum anima reperiatur.

Amor animæ immoderatus, est in animam odium. Hic, & sequentibus.

Ser. de conuers. ad Cleric. c. 4.

Peccator cur animæ læsionem non sentiat.

Matthæi 6.

Peccator aranea muscos captanti similis.

26. Huic Euangelicæ sententiæ: *Qui amat animam suam perdet eam*, consonat primo illud Tobiæ 12. *Qui faciunt iniquitatem, & peccatum, hostes sunt animæ suæ.* Hostes scilicet sequentes A vexillum Diaboli; qui ad perdendas animas arma, & tartaream prauarum suggestionum aciem mouet.

27. Consonat 2. illud diuinæ Sapientiæ Prou. 8 n. 36. *Qui in me peccauerit*, transgrediendo scilicet mea præcepta, vt suæ cupiditati satisfaciat, *lædet animam suam: omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.* Vbi Pagninus legit: *Qui in me peccauerit, spoliat animam suam.* Incidit enim peccator in malignorum spirituum manus, qui, vt ait Gregorius, *iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident: ad detrahenda ex nobis spolia peruigiles*, vt ait Hilarius. Rursus, qui læsæ maiestatis crimen incurrunt, bonorum omnium pro- B scriptione, & spoliatione puniuntur. Sic peccator ob læsæ maiestatis diuinæ crimen cœlesti gratia, & supernaturalibus bonis meritò spoliatur; ita vt ad eum operiendum sola confusio remaneat, iuxta Dauidis verba: *Induantur sicut diploide, confusione sua.* Præterea dissidentibus duobus Regibus minores Dynastæ, cum ab vno Rege ad alterius partes sequendas transeunt, relicto priori vestiendi genere, vestes induunt in eam formam, qua Rex, eiusquè natio, cui adhærent, vti solent. Qui Deum sequuntur, per fidei lumen, & charitatis ardorem induunt arma lucis, Deum eorum Regem imitantes, *amictum lumine, sicut vestimento.* Contra, qui Diabolum tenebrarum principem sequuntur, extincta C charitate, & obscurato rationis lumine, insipientiæ tenebris operti, animam lucidis indumentis spoliant. Ob eamdem rationem iustis dicitur: *Induantur iustitiam*: de peccatoribus autem dicitur: *Operti sunt iniquitate, & impietate sua.* Denique sicut iusti *expoliantes se veterem hominem cum actibus suis, induunt nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis*: ita è contrario peccator exuit nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis; & induit veterem hominem cum actibus suis. Ideo mirum non est, si peccator nuptiali veste spoliatus, *ligatis manibus, ac pedibus mittitur in tenebras exteriores;* D *vbi erit fletus, & stridor dentium. Qui in me peccauerit, spoliat animam suam.* Legit ibidem Caietanus: *Qui in me peccauerit, torquebit animam suam*: Nam, vt benè docet Chrysostomus, *Inordinatus animus ipse sibi est pœna*: tum quia quò anhelat, sæpe non peruenit; tum quia assiduis conscientiæ stimulis agitatus discerpitur; imminentemque capiti diuinæ iustitiæ gladium culpæ conscius metuere cogitur.

Peccator quodrupliciter animam suam spoliare dicitur.

Gregor. hom. 11 in Euâg. Hilar. in Matth c. 26

Psal. 108 v. 29.

Psal. 10

Psal. 131.

Psal. 72.

Ad Coloss 3.

Ad Eph. 4.

Matth. 22.

Prouerb. c. 8.

28. Consonat 3. illud Prouerb 15. n. 32. *Qui abiicit disciplinam, despicit animam suam.* Equi, qui fræno reluctantes sub equitandi magistro, eius directioni, & disciplinæ non obsequuntur, tamquam degeneres, & viles ad onera, sarci- E nasquè portandas, vel trahendas reiiciuntur. *Rector noster Christus est*, ait Ambrosius: *Ipse rector est, qui nouit equos proprios gubernare. Ascendit equos suos Christus: ascendit Verbum Dei animas pias.* Peccator ergo, qui tam boni rectoris disciplinæ reluctatur, tamquam insipiens iumentum ad peccatorum onera vehenda, vel trahenda relinquitur; ita vt propterea dicere cogatur: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meũ, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Quare huiusmodi insipientibus iumentis comminatur Isaias: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis; & quasi vinculum plaustri peccatum.* Benè ergo à Salomone dicitur: *Qui abiicit disciplinam despicit*

Peccator similis equo equiti disciplinæ non obsequenti ideoque ad onera portanda reiecto.

Lib. de Isaac, & anima c. 8.

Psal. 37.

Isa. c. 5. 18.

animam suam : cum eam iumentis insipientibus comparet, similemque reddat. A

29. Consonat 4. Euangelicæ sententiæ illud Eccles. 18. n. 30. *Post concupiscentias tuas non eas; & à voluntate tua auertere.* Subdit Ecclesiasticus: *Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis* : & hoc est amando perdere animam suam. Quomodo post concupiscentias eundum non sit, docet Augustinus: *Si senseris ebullire in te affectus iræ, odij, curiositatis, libidinis; noli eis assentire; noli eos sequi: sed illico nega assensum, resiste, inhibe, coërce, reseca, abscinde, extirpa quod potes.* Quis malè olentes herbas, seu venenata noxij virgulti germina, serpentium cubilia suo in pomario excrescere sineret, eaquè non extirparet? Huiusmodi sunt praui concupiscentiæ affectus. *Concupiscentia est germen diaboli, arbor malitiæ*, teste S. Ephremo. Quare si rationalis anima Deo hortus deliciarum esse debet; in ea prauos affectus, tamquam male olentia, & venenata germina, dæmonumque cubilia benè præcipit Augustinus, *Reseca, abscinde, extirpa.* Similiter monet Hieronymus: *Statim vt libido titillauerit sensum; vt blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem: Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi caro. Ne sinas cogitationem crescere: nihil in te Babylonicum, nihil confusionis adolescat. Dum paruus est hostis, interfice. Nequitia, ne Zizania crescant, elidatur in semine. Audi Psalmistam:* C *Filia Babylonis misera, beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram. Quia enim impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem; ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad petram: Petra autem Christus est.*

Concupiscentiis resistendum. Hîc, & sequentibus. Lib. 1. de Nupt. & concup.

Ephrem in 2. paranesi 50. Concupiscentia germē diaboli.

Ep. ad Eustoch. de custodia virginitatis. Psal. 55. 5. Psal. 136. 1. ad Cor. 10.

30. De Vlysse fertur, cum se nauis malo voluntariè alligasset, præterfugisse Sirenum cantum; quo eum, vt postea occiderent, alliciebant. Similiter Christianus, dum mortalis vitæ mare nauigat, si crucis ligno assidua Dominicæ passionis meditatione mentem alligauerit, propriæ concupiscentiæ voces, seù illecebras, quibus ad voluntatem prius, deinde ad mortem trahitur, D fugiet. Ideo Clemens Alexandrinus ait: *Voluptates, & delicias, tamquam caducum, & breuem florem relinque vento, & igni. Fugiamus fabulosas sirenes: fugiamus, fugiamus ô socij; hæc vnda ignem eructat. In ea canit formosa meretricula, voluptas; quæ publica oblectat musica. Præternauiga Canticum, mortem operatur. Si solùm velis, vicisti interitum, & ligno alligatus, solutus eris ab omni exitio. Gubernabit te Verbum Dei, & ad portum cœlorum te adducet Spiritus Sanctus*: Et sic odio habendo animam, ei voluptatem negando, in vitam æternam custodies eam.

Orat. ad Gentes. Voluptates prauæ, velut Sirenes quomodo reijciendæ.

31. Spiritualis hostis animæ foribus Insidiatur; eumquè obseratum aditum videat, præmittit E malæ voluptatis illecebras, vt per eas aditum sibi in animam aperiat. *Cauendum est malum desiderium; quia mors secus introitum delectationis posita est. Vnde Scriptura præcipit dicens: Post concupiscentias tuas non eas* ait Bernardus.

Bernard. de Gradibus humilitatis. Eccle. 18. 30

32. Infidus populus, tumultus, & seditiones excitare solet mortuo Principe eum moderante; Principe autem viuente, si quæ excitetur seditio, facilè compescitur. Similiter Christianus, si gratiæ vitam habet, facilè insurgentes aduersus rationem concupiscentias vincit; quod si secus accidat, argumentum est gratiæ vitam abesse. Quare aduersus tumultuantes, & ad mala trahe- A rentes animæ cupiditates, vt *exerceat gloriosa certamina, si viuis in gratia*, monet Christianum animum Augustinus. *Rebellant? rebella: pugnant? pugna: expugnant? expugna. Hoc solùm vide, ne vincant*, idem August. ait.

Concupiscentias assē
tiri spiritualem gratiæ vitā abesse indicat.

Lib. 5. contra Iul. c. 3. Serm. 45. de tempore.

33. Quid potest hostis inermis? Concupiscentiæ ita inermes sunt, vt nos sub nostro dominio earum arma habeamus: Si ea demente concupiscentiis non tradamus, planè victæ, quippe inermes recedent. *Tene membra tua aduersus concupiscentias tuas malas. Surrexit ira? tene manum coniunctus Deo. Potuit surgere, sed non inuenit arma. Apud iram tuam impetus est; apud* B *te arma sunt: sit impetus inermis, & discat iam non surgere, qui frustra surrexit*, ait Augustinus. Quod de ira dicitur, de aliis prauis affectibus dici potest.

Concupiscentiæ inermes sunt, nisi nos eis arma tradamus.

August. in illud Ps. 75. Factus est in pace locus eius.

34. Cum in ciuitate nobiles sint, & plebæi, tunc seditio violentior est, cum ea à nobilibus commouetur. In anima velut plebæi sunt concupiscentiæ, sensuumquè appetitus. Mentis verò, & voluntatis cupiditates veluti nobiles & optimates sunt. In anima igitur aduersus moderatricem rationem grauior seditio, quàm à sensu, excitatur à prauis mentis, & voluntatis cupiditatibus; cuiusmodi sunt superbia, ambitio &c. Ideo cum dixisset Sapiens: *Post concupiscentias tuas non eas*: Subdidit: *Et à voluntate tua auertere.* Certamen rationis siuè cum voluntate, siuè cum ap- C petitu sensitiuo egregiè Augustinus describit 8. confess. c. 5. & 11. Anselmus in c. 5. ad Galatas. Prudentius in Psichomachia. A Chrysostomo tomo 5. integro sermone, ne carnis concupiscentias sectemur, elegantissimè susdetur.

Superioria animæ partis, quàm sensus, cupiditates nocentiores.

Anselmus, seu Herueus.

35. Porrò cum Sapiens moneat: *Post concupiscentias tuas non eas*, benè addit Hugo non tantùm illas non subsequi, sed neque comitari, neque antecedere nos debere. *Quidam, ait, præcedunt concupiscentias; vt illi, qui prouocant, & procurant. Quidam comitantur, qui in cogitationibus illicitis commorantur. Quidam sequuntur, qui consentiunt, & cooperantur.* Interdum tamen quispiam generosa, ac sancta deliberatione nec D præcedere, nec comitari, nec subsequi concupiscentias statuit; eisquè terga vertit: illæ tamen adhuc conantur terga vertentem ad se reuocare; *Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ*, ait Augustinus; *& succutiebant vestem meam carneam; & submurmurabant: Dimittis ne nos? & à momento isto non erimus tecum vltra in æternum? & à momento isto non tibi licebit hoc, & illud vltra in æternum? Quas sordes suggerebant, quæ dedecora? & audiebam eas iam longè minus, quàm dimidius, non tamquam liberè contradicentes eundo in obuiam; sed velut à dorso mussitantes, & discedentem quasi furtim vellicantes, vt respicerem.* Qui hoc, quod Augusti- E nus expertus est, experitur; vt perfectam victoriam consequatur, in memoriam sæpè reuocet, quod Dominus Lucæ 9. 62. dixit: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Respicit retro; qui vel breuem moram interponit obedientiæ; quæ sine prætextu, & excusatione velociter, & sine suspensione Domino præstanda est*, ait Basilius. *Manum ad aratrum mittit, qui quasi compunctionis instrumento, ligno, & ferro Dominicæ passionis duritiem cordis assitit, & ad operum fructus aperit: sed non est cum vxore Loth ad ea, quæ reliqueris respiciendum*, ait Beda. Profectò si pia meditatione Caluariæ montem ascendamus; sensuales affectus plura

Concupiscentias nec sequi, neque comitari, neque antecedere debemus.

Concupiscentiæ reiectæ, adhuc molestè, & importunè redeunt. 8. Confess. c. 11.

Ser. 1. de Baptismo.

Passio Domini ad relictam peccandi viam redire prohibet.

A ibi doloris instrumenta crucem, spinas clauos, lanceam conspicientes, caterrati procul aufugient. Ne retro respiciamus, vnusquisque animam suam Augustini verbis moneat. *Vocat te Oriens, & tu attendis ad Occidentem?* Qui retro respiciens ad Occidentem se conuertit; quamprimùm noctescente cõmunem cum tenebrarum principe partem, locumquè habebit. Contra verò qui diuini solis Orientem sequitur, ibi *omne datum optimum, & omne donum perfectum descendens à Patre luminum* reperiet. De Loth dicitur Gen. 13. *Recessit ab oriente*: & subditur: *Et habitauit in Sodomis*: de cuius regionis incolis dicitur: *Pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.* Sic si à Christo recedimus, de quo dicitur: *Ecce vir oriens nomen eius*: statim in peccatorum consortium magno animæ discrimine incidemus.

Ser. 7. de verbis Domini.

Iacobi c. 1.

B

Zach. 6.

36. Cum quis indebitè amare animam suam, & post concupiscentias suas ire praua suggestione suadetur, audiat quid subdit Ecclesiasticus: *Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis*, idest diabolo, & Angelis eius, qui sunt inimici, atque inuidi nostri, vt explicat Augustinus. Ex Græco legitur: *Erit in derisionem inimicorum tuorum.* Quare oblata praua concupiscentiæ suggestione, suos ante mentis oculos proponere Christianus debet adstantes sanctos Angelos lætantes, & exultantes; si dissensus detur: contra verò si detur consensus, adstantes dæmones irrisiones, subsannationes, & vt ita dicam, cachinnos geminantes; simulquè vociferantes: *Decidit in casses præda petita meos*: in casses, vel corruptibilibus auro, & argento, vel inani gloria, vel fœda, fugaciquè voluptate contentos.

Ecclesiastici cap. 18. Concupiscentiæ consentiens à dæmonibus deridetur; dissentiens Angelos lætificat. *Hic, & n. sequẽ n.*

C

Lib. 5 contra Iul. c. 3.

37. Quare Deum eiusdem Ecclesiastici verbis precari quisque deberet: *Domine, pater, & dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum; nec sinas me cadere in illis. Ne adincrescant ignorantiæ meæ; & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent; & incidam in conspectu aduersariorum meorum; & gaudeat super me inimicus meus*, idest diabolus. Mirum est, quòd Dauid expertus sanctæ humilitatis emolumentum, cum dixerit: *Bonum mihi, quia humiliasti me*; nihilominus in eodem psalmo, quasi ab humiliatione, & contemptu alienus, Deum precetur *Aufer à me opprobrium, & contemptum.* Sed sanctus vir Dauid ab inuisibilium hostium opprobrio, & contemptu liberari flagitabat; scilicet, ne indebitè animam suam amando, eiusquè concupiscentiis indulgendo in opprobrium, & ludibrium dæmonum incideret. Propterea etiam Psal. 12. precatur: *Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte*: in morte scilicet peccati, iuxta Didymum: *ne quando dicat inimicus meus*, nempe diabolus: *Præualui aduersus eum. Diabolus*, inquit Hugo, *impetit in suggestione; luctatur in delectatione; percutit in consensu; inclinat in actu; præcipitat in consuetudine; præualet in morte; scilicet quando moritur in peccato; quo tempore sanius oppugnat.* Quare studeat potius Christianus suas concupiscentias cohibendo, vt de eo prophetæ Habacuc verbis dici possit: *Tyranni*, nempe tenebrarum principes, *ridiculi eius erunt*: seu *Tyranni ludibria eius erunt*, iuxta Septuaginta. Scilicet, vt potius prauæ suggestioni dissentiendo Christianus irrideat dæmones; quàm eidem consentiendo à malignis spiritibus irrideatur.

Cap. 23.

D

Psal. 118.

E

In Ep. Ioa. 3. cap. Dæmonum hominem tentantium progressus. *Cap. 1. n. 10* Concupiscentias cohibens dæmones ridiculos reddit.

38. Denique citatum Ecclesi. textum legit Sy-

Ecclesi. 18. Ep. 19.

rus: *Si feceris voluntatem animæ tuæ, eris sicut ille, qui facit voluntatem inimici sui.* Cuius inimici? Respondetur ex Seneca: *Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit; quàm in quosdam voluptates suæ sunt? Quorum impotentiæ, atque insanæ libidini ob hoc possis ignoscere; quòd quæ fecere, patiuntur. Vruntur igitur voluptatibus suis, non fruuntur; & mala sua, quod malorum vltimum est, amant. Tunc autem consummata est infelicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed etiam placent: & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores fiunt.* Benè similiter ait Beda: *Reprobi & in hoc sæculo fatigantur desideriis, & in futuro tormentis.* Propterea, cum malè animam suam ament, perdunt eam. Quis enim benè amans sponsam suam, ad eam impudentem lenam aditum habere permitteret; per quam adulteri plures ad eam accederent? Concupiscentia iuxta Ambrosium, *est lena vitiorum.* Eadem iuxta Gersonem, *est nuncius diaboli*: cum per eam anima ad turpiter vitiis succumbendum alliciatur.

Peccatores ab ipsis suis concupiscentiis, quibus satisfaciunt, torquentur.

Beda in Prouerbiis. Concupiscentia est lena vitiorum, & nuncius diaboli. *Ambros. in Lucam lib. 4. c. 4. Gers. tr. 2. de cogitat. peccati, consid. 25*

39. Paterniani, & Venustiani hæretici, vt comminationem hanc Euangelicæ sententiæ seipsos decipientes vitarent; possentque simul animam indebitè amare, prauis concupiscentiis indulgẽdo; & ipsius animæ perditionis formidinem non habere, dixerunt teste Augustino: *A lumbis vsque ad pedes diabolum fecisse corpus hominis: superiores verò partes Deum, velut supra basim aliquam collocasse: adduntque nihil ab hominis studio requiri; quàm vt anima, quam in stomacho, & capite habitare dicunt, munda seruetur. Pubem verò, si omnium flagitiorum sordibus oblinatur, aiunt ad suam non pertinere curam. Ita semper vt ipsi libidini turpiter seruiant, titulum ei propriæ potestatis assignant.* Impia profectò sententia, quæ iure piis fidelibus stomachum mouet; dum adhuc anima in stomacho posita nec munda seruatur, cum ex helluonum concupiscentia gulæ turpissimè seruiat. Præterea quàm malum architectum Deum tales sibi fingunt hæretici; cum supra diabolicam basim diuinum animæ ædificium statuere elegerit. Ad istius tam impii erroris impudentiam corrigendam benè Bernardus ait: *Ordinemus, & custodiamus in nobis statum vtriusque substantiæ; ne animam nobiliorem vtique hominis portionem Tartaro pars deuoluat inferior; sed secum potius cælo sanctificatum corpus acquirat.* Ad eamdem impietatem corrigendam, animam veluti sessorem, seu equitem, concupiscentiam verò velut equum in homine esse cogitare debemus. Si eques ex equo decidat, non equo, sed sessori equum dirigenti lapsus, casusquè tribuitur. Quòd benè notat Basilius. *Si equus petulans deiiciat sessorem; culpa non est equi, vt pote, qui ratione non vtitur; sed imperiti, & incauti sessoris: ita si homo per concupiscentiam trahatur in peccatum, culpa non est carnis, sed spiritus.* Redditquè rationem Basilius: *Nam affectiones corporis tunc violentæ sunt, cum ratio cessat: easdem illa moderante, & imperium suum exercente, facillimè obtemperant.* Quomodo autem concupiscentiam tamquam indomitum equum domare debemus, benè docet Augustinus: *Pugnat? repugna: noli eam cedendo saturare, sed resistendo necare*, idest mortificare. *Si ei non consentias, minor, & minor erit quotidie; nam sunt vires illius subiectio tua; si enim cesseris, das ei vires.* Similiter Bernardus: *Cura concupiscentiæ eius resistere viribus, vt non protrahat in consensum; & omnis deinceps malignitatis machina euanescet: nec est omninò, quod sponsum prohibeat appropinquare tibi,*

Paterniana, & Venustiana hæresis, demens & abominabilis. *August. l. 5. contra Iulian. c. 5.*

Ser. 5 de Ascens. Concupiscentia est velut equus; anima velut eques, & sessor.

De constitut. monast. c. 1. Lib. de continentia *Ser. 45.* Concupiscentiis resistendum. *Ser 56. in Cant.*

Concupiscentia quomodo cohibendo.

tibi, præter solum parietem corporis. Paries iste flagellis, carnisque macerationibus est scindendus; vt cœlestis sponsi colloquijs veluti fenestras anima aperiat: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi.*

Cant. 2.

Quòd si animam indebitè amando, prædicto modo concupiscentia non cohibeatur, ea in quæ præcipitia tamquam indomitus equus animam pertrahat, benè sic docet S. Isidorus: *Suggestio operatur delectationem, delectatio consensum, consensus operationem, operatio consuetudinem, hæc necessitatem.* Vident ergo Christianus quomodo Domini sententia verissima sit: *Qui amat animam suam perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

Lib. 2. de summo bono c. 25.

Peccatoris progressus in peius.

40. Sed consona huic sententiæ non videntur Dauidis verba Psal. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Sic enim Burgensis arguit: *Qui diligit iniquitatem odit animam suam: sed qui odit animam suam, in vitam æternam custodit eam: ergo qui diligit iniquitatem, in æternam vitam custodit animam suam. Quod est falsissimum.* Sed distingue odia, & concordabis Scripturas. Est odium erga vitam temporalem, & erga immoderatas cupiditates. Iustus hoc odio odit animam suam; vitam enim temporalem aspernatur, eamquè libenter amittit, vel in protestationem fidei; vel subeundo labores, & ærumnas ad munera charitatis; numquam immoderatis cupiditatibus satisfaciendo: & sic in vitam æternam custodit animam suam. Est prætetea odium, seu contemptus spiritualis salutis animæ, eiusquè felicitatis: & hoc odio, *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Cui Daoidicæ sententiæ benè consonat Salomon Prouerb. 29. num. 24. *Qui cum fure partitur, odit animam suam*: præsertim cum fure illo, de quo ait Hilarius: *Vigilare nos Dominus propter aduentum furis admonuit. Furem enim esse ostendit Zabulum*, idest Diabolum. Quare benè de peccatore Augustinus ait: *Diligit se falsa dilectione, non vera: proinde falsò se diligit, & verè odit. Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. Sed diligere se dicitur, quoniam iniquitatem, qua iniquus est, diligit: & rursus odisse se dicitur, quoniam quod ei nocet, hoc diligit. Odit ergo in se naturam, diligit vitium; odit, quod factus est per Dei bonitatem, diligit quod in eo factum est per liberam voluntatem.* Similiter S. Thom. 2. 2. quæst. 25. art. 7. ait: *Principale in homine est mens rationalis; secundarium autem est natura sensitiua, & corporalis. Quorum primum Apostolus nominat interiorem hominem, secundum exteriorem, vt patet 2. ad Corinth. 5. Boni diligunt seipsos, quantùm ad interiorem hominem; quia volunt ipsum seruari in sua integritate; & optant ei bona eius, quæ sunt bona spiritualia. E contrario mali non volunt conseruari in integritate interioris hominis, neque appetunt ei spiritualia bona. Hinc mali amant seipsos secundùm corruptionem exterioris hominis.*

Odium in animam duplex. bonū, & malum.

In Matth. c. 10.

August. in Ioa. tr. 87. c. 57.

41. Consona 2. non videtur Euangelicę sententię: *Qui amat animam, perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*: sententia Apostoli ad Ephes. 5. 30. *Nemo vmquam carnem suam odio habuit.* Sic enim Augustinus arguit: *Si nemo est, qui carnem suam oderit; quantò magis nemo est, qui oderit animam suam? Multum enim anima carni præponitur; quia ipsa est habitatrix, caro habitaculum: & anima dominatur, caro autem seruit. Anima superior est, caro subiecta est. Si ergo nemo vmquam carnem suam odio habuit; quis est, qui animam suam oderit?* Respondet Augustinus: *Sunt, qui peruersè animam suam amant, & hoc vult Dei sermo corrigere; non, vt oderint animam suam, sed vt rectè diligant. Malè enim diligendo perdens eam. Ita fit, vt, vt si diligas eam peruersè, perdas illam; si oderis illam rectè, conserues illam. Est ergo quidam peruersus amor eius, & quoddam rectum odium eius. Sed amor peruersus ab odio, odium ab amore est. Quis est peruersus animæ amor? Quando diligis animam tuam in iniquitatibus. Audi, quia ab odio venit amor iste peruersus. Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Odium autem rectum vide, quia ab amore venit; ibi Dominus secutus ait: Qui autem odit animam suam in hoc seculo, in vitam æternam inueniet eam. Vtique quod inuenire vis in vitam æternam, multùm amas. Quod amas ad tempus, quid proderit? Aut subduceris illi, aut subducitur tibi. Cum fueris subtractus, perit ipse amor; cum fuerit illud subtractum, perit, quod amasti. Vbi ergo aut amator perit, aut quod amatur, non est amandum. Sed quid est amandum? quod nobiscum potest esse in æternum. Sed si vis animam tuam in æternum habere saluam, oderis eam ad tempus.* Qui sic animam suam amat, idem non carnem suam odio habet. *Imm[ort]alitas enim, & incorruptio de sanitate animi existit: sanitas autem animi est firmissimè inhærere potiori, hoc est incommutabili Deo*, ait Augustinus. Et hinc *verum est*, inquit, *quod ait Apostolus, nemo carnem suam odio habuit*: quamuis pro æterna animæ salute carnem suam maceret, aut morti etiam pro Christo eam tradere velit. *Pretiosa mors hæc est, quæ emit immortalitatem pretio sanguinis*, ait Cyprianus. *Voluit Deus vitam auferendo conferre; carnem lædendo iuuare; animam eripiendo seruare*, ait Tertullianus. Quare de corpore, seu de carne ait August. *Non est ipsa inimica nostra; & quando eius vitijs resistitur, ipsa amatur, quia ipsa curatur.* Propterea frumenti similitudinem decidentis in terram hic Dominus attulit: quod quidem non ex contemptu, & odio; sed ex maiori vtilitate in terram agricola proiicit. *Frumentum si seruas, perdis: si seminas, renouas. Quis enim nesciat, quod frumentum, cum in semine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit? Sed vnde putrescit in puluere, inde virescit in renouatione*, ait Gregor. hom. 32.

Hom. 37 in tr. 50.

Amor e malum in se ipsum peccator habet, contra verò bonū odium iustus.

Tom. 3 lib. de doctrina Christiana. c. 23.

Cyprian. Ep. 11.

Tertull. in Scorpiac. c. 5.

August. tom. 4. lib. de Continentia.

42. Hinc ergo patet, quàm benè in Christiano corde bonus amor, seù animæ, seù carnis cum sancto eiusdem odio concors esse possit. Alcon Cretensis sagittarius, cum eius filium serpens inuasisset, tanta arte direxit sagittam, vt ea volans in serpentis defecerit vulnere, nec transierit in filium. In Alcone ergo iaculante fuit in filium amor, odium in serpentem. Similiter cùm S. Ephrem humanam concupiscentiam viperam vocet; venenata autem hæc vipera cum prauis affectibus, veluti tortuosis spiris carnem implicet; eam mortificando, veluti iaculis ita configere debemus; vt praui affectus enecentur; humana verò substantia, Dei opificium, in æternam vitam incolumis custodiatur. *Vitium in homine diligere prohibemur, iubemurquè diligere naturam*, ait Augustinus.

Alconis sagittarii mira iaculandi peritia.

De Alcone Seruius in Virgil. Ecloga quinta.

Ephrem c. 2. parænesi 50.

Concupiscentiæ viperæ nomen tribuitur.

Diaboli insidiæ quomodo vitandæ.

43. Idem Augustinus in Ps. 48. reuocans in memoriam verba, quæ de muliere tartareo serpenti dicta sunt Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum; & tu insidiaberis calcaneo eius*, ait: *Intendat charitas vestra à Deo quid dictum sit serpenti: Ipsa tuum obseruabit caput, & tu eius obseruabis calcaneum. Diabolus calcaneum tuum obseruat, quando laberis, vt deijciat te. Ille obseruat calcaneum tuum, tu obserua caput illius. Quid est caput illius? initium malæ suggestionis illius. Quādo incipit mala suggerere, tunc repelle, antequam surgat delectatio, & sequatur cōsensus: & tunc vitabis caput eius, & non apprehendet ille calcaneum tuum.* Subdit Augustinus. *Quia per carnem labitur homo; Eua nobis interior caro est. Quomodo illum hominē Adam per Euam supplantauit; Sic diabolus per carnem vult nos supplantare.* Hinc benè acternardus considerans quàm breui voluptate diabolus, & concupiscentia ad animam perdendam hominem pertrahat, ait: *Porrigit pomum, & subripit Paradisum.* Si Eua in breui vetiti pomi orbe totius orbis perniciem latere bene considerasset; serpentem potius, suamque concupiscentiam configere, quàm illius suggestionem audire voluisset. Quod Eua non fecit, nos faciamus. Eua pomi comestione Diuinitatis similitudinē se consecuturam spectabat: nos ob modicam, breuemque voluptatem Diuinitatis participationem amissuros, æternamque mortem subituros certò scimus: concupiscentia enim tāquam vaferrimus serpens *porrigit pomum, & subripit Paradisum*: pomum porrigit mox marcidum, atque in animæ perniciem venenatam amaritiem transfusurum.

Tract. de gradibus humilitatis c. de curiositate.
Diabolus serpens antiquus pomum porrigit, & subripit Paradisum.

Cap. 9. Luc. 26.
Homo toto mundo pretiosior.
Chrys. c. 5. orat. 3. c. Iudæos.
Pasch. in Matth. l. 8. c. 16.

44. Quare ad reiicienda omnia, quæ diabolus, mundus, & concupiscentia offerre possunt, nobis ipsis sæpè Domini verba in memoriā reuocemus: *Quid proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipse perdat, & detrimentum sui faciat? Si quidem homo est toto mundo pretiosior. Huius enim causa & cælum, & terra, & mare, & sol, & stellæ condita sunt*, ait Chrysostomus. *Nobis gemina proponitur electio*, ait S. Paschasius. *Si voluerimus mundum lucrari, perdemus animas nostras; aut si animas nostras voluerimus lucrari, abnegemus, & perdamus hunc mundum; ita vt omnes concupiscentias eius abdicemus. Videat igitur fidelis anima quid potius eligendum sit, quidvè sectandum.*

Si quis mihi ministrat, me sequatur.

Ser. 22. inter paruos.
Quadripartita hominum diuisio erga Christū sequendum
Psal. 72.

45. QVadripartitam diuisionem circa hæc Domini verba affert S. Bernardus dicens: *Quidam sunt, qui non sequuntur Christum, sed fugiunt. Alij non sequuntur, sed præeunt. Nonnulli sequuntur, sed non assequuntur. Alij verò sequuntur, & consequuntur. Non sequuntur, sed fugiunt, qui necdum peccare desistunt; de quibus scriptum est: Ecce qui elongant se à te, peribunt. Non sequuntur, sed præeunt, qui magistrorum sententijs suas præferunt. Sequuntur, sed non assequuntur, qui segniter, & remissè agunt; vel vsque ad finem non perseuerantes de medio itinere reuertuntur. Sequuntur, & consequuntur, qui vitam humilitatis eius deuoto mentis affectu perseueranter imitantur: Ideo, qui mihi ministrat, me sequatur*, id est imitetur, Dominus ait.

Crux Paradisi Clauis.
Chrysost. in Luc. hom. de diuite.

46. *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & tollat crucem suam*; addit Dominus Matth. 16. 24. scilicet vt regia crucis via sequendo Christum ad cœleste regnum perueniamus. Citato Matth. capite cum Dominus Petro dixit: *Tibi dabo claues regni cœlorum*; non solùm peccata absoluendi potestatem promisit; sed ibi etiam significauit quam forte clarificaturus esset Deum, scilicet cruci affixus: *Crux Christi clauis Paradisi est: crux Christi aperuit Paradisum*, ait Chrysostom. Christi autem cruci suam vnusquisque crucem, nempe quas ad Dei gloriam subit ærumnas, iungere debet; vt cœli aditum sibi aperiat.

Aduersitates piè toleratæ cœli aditum aperiunt.
Hi & a. sequentes.
Ezech. c. 1.

47. Ezechiel in Chaldæam captiuus est ductus; vt ibi verbo, & exemplo Israelitas ad diuinam legem custodiendam, & Dei opem implorandam excitaret. Cum ergo inter captiuos, & iniquæ captiuitatis ærumnas propter diuinæ legis custodiam Ezechiel versaretur; ibique fletus, & gemitus ob memoriam amissæ patriæ, templique cultus audiretur, iuxta Psal. 136. *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus, cum recordaremur Sion*: tot inter calamitates, & lacrymas quid ei iuxta Euphratem contigerit, audiamus. *Cum essem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti sunt cæli; & vidi visiones Dei.* Adeò verum est ærumnas, & aduersitates propter Dei gloriam subeuntibus, cœli aditum reserari. Similiter Iacob Gen. 28. cum Dei instinctu, & ex parentum obedientia Saul persequentem fratrem Esau fugeret; suppositoque ceruici lapide, laborioso itinere lassus, diu ieiunus, & miserè humi cubaret; eo in loco quid reperisse se dixit? *Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.* Adeò verum est ad cœli portam calamitates piè tolerantem accedere. Ideo Paulus Apost. ad Philip. cap. 1. ait *Confidens, quia, qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu*: hoc est in die iudicij; cum perseuerantibus in bonis operibus cœli aditus aperietur, & gloriæ merces dabitur. Si verò ab Apostolo quæratur vnde ei fiducia hæc circa fideles Philippenses perueniat? Respondet: *Eo quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis socios gaudij mei omnes vos esse.* Quasi dicat iuxta Vatablum: Vos habeo socios gaudij mei, hoc est meæ gratiæ; quia mecum à Deo electi estis ad vitam æternam, in eaque mihi socij eritis: & hoc ideo, quia in vinculis, & persecutionibus meis mei etiam socij vos estis. Qui ergo erit in vinculis socius, socius etiam erit in libertate filiorum Dei. Apud homines, qui plures nobilitatis, & dominationis titulos habet, illustriorem sibi titulum eligit, quo se nominet, & subscribat. Apostolus Paulus apud cœlestem Regem plures consecutus titulos, & Vas electionis, & Apostolus, & Doctor Gentium, & Dei à secretis minister, cœlestiumque arcanorum conscius appellari poterat: *Audiuit enim arcana verba, quæ non licet homini loqui.* His tamen omissis, *Paulus vinctus Christi Iesu*, ad Philemonem scribens dici gaudet. Quia titulus hic certò eum in cœlesti Regia regnaturum indicabat.

Paulus clarissimis omissis titulis, *Vinctus Christi Iesu* nominari gaudet.
2. ad Cor. c. 12.

48. Ps. 117. iustus magna fiducia, & tamquam suo iure cœlestis patriæ aditum aperiri sibi poscit: *Aperite mihi portas iustitiæ; ingressus in eas confitebor Domino.* Quod si quæratur vnde ei fiducia tanta proueniat? Respondet, quia multas calamitates à Deo immissas tam patienter toleraui; vt ob eas mortiferam peccati perniciem nunquam ex impatientia subierim: *Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me*: Ideo *aperite mihi portas iustitiæ.* Sed cur iustitiæ portæ, cælestis Ierosolymæ portæ dicuntur? Iustitiæ portæ inferi potius dici debent; cum ibi vindex diuina iustitia damnatos iustissimè cruciet. Respondetur, sicut æterna beatitudo *corona iustitiæ* dicitur,

Cœli portæ cur iustitiæ portæ dicuntur.
2. ad Tim. 4.

quòd iustitiæ titulo debeatur; ita iustitiæ portæ A cœli portæ dicuntur; qui ei, qui aduersitates piè perpessus est, iustitiæ etiam titulo sint aperiendæ.

49. Exodi c. 4. Mosi Dominus dixit: *Proiice virgam in terram: proiecit, & versa est in colubrum; ita ut fugeret Moyses. Dixitque Dominus: extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, versaque est in virgam.* De cruce canit Ecclesia: *Adsunt prodigia diuina in virga Moysi primitus figurata.* Cum crucem, hoc est quas Deus immittit aduersitates, ferre renuentes, in terram à nobis expellimus, ea in colubrum conuersæ nos vehementissimè terrent. Sin autem patienter, & libenter immissas ærumnas amplectentes, B Domini crucem subimus, crux statim veluti in Mosis virgam mutata ad nos liberandos Pharaonem, hoc est diabolum cruciat; eumque non in aquarum pelagus, sed in flammarum barathrum à nobis procul demergit: nobisque per huius vitæ pelagus, veluti per mare rubrum iter tutissimum ad cœlum aperit: cumque interim in hac vita cœlestia dona sitimus, sitientibus è mystica petra, hoc est à Christo Domino gratiarum aquas largissimè elicit. Crucis libenter toleratæ, & cœlestis beatitudinis nexum expertus est bonus latro; qui cum dixisset: *Nos quidem iustè digna factis recipimus;* à Domino statim audit: *Hodie mecum eris in Paradiso. Qui in cruce est, nihil medium habet: & crux, & statim est Paradisus,* C ait Chrysostomus.

Crux reiecta terret, amplexa præsidio est.

Luc. 23. 40. Crux, & Paradisus nihil medium habent. Chrysost. in Luc. hom. de diu. te.

50. Qui merces venales exponit, eas magnificè laudare solet. Cur ergo Apostolus, cum ad tempus emendum fideles hortaretur, præsentis temporis dies non bonos, sed malos esse dixit: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt?* Quia scilicet, cum præsentis vitæ dies ærumnis, & calamitatibus pleni sint, si aduersitates patienter ad Dei gloriã toleremus, nostras nobis operationes, velut crucis signo impressas habebimus, iisque facilè æternam felicitatem ememus: ibique cum sanctis canemus: *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis, quibus vidimus mala.* Præterea dies mali, seu ex Græco textu, dies maligni paucos, & breues dies significant. Quod enim D parcè communicatur, malignum dicimus: Sic lucem malignam, hoc est exiguam Latinus Poëta dixit. Sed cum merces abundant, non cùm earum penuria est; eas mercator emit. Cur ergo iuxta Apostolum emere tempus debemus; quia temporis penuria est; eiusque dies breues, & exigui sunt? Respondetur dies hîc operandi tempus significare: idque iuxta Domini sententiam Ioan. c. 9. 4. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.* Hoc posito, operarii libentius laborant, cum dies breuiores sunt, quàm cum longiores; quia breui, non longo labore diurnã mercedem consequi possunt. Sub mundi initium, cum longior humana vita E erat, diu ad diuinam gratiam seruandam, æternamque salutem consequendam laborandũ erat. Tũc Noë annos nongentos quinquaginta, Abraham centum septuaginta quinque, Isaac centum octoginta, Iacob centum quadraginta septem, vt ad salutis portum peruenirent, laborarunt. Nunc verò sub mundi finem, cum mortalis vitæ dies pauci sint, eos ad nostram lucrandũ salutem emere debemus, cum paucorum dierum labore æternitas possit acquiri. *Id enim, quod in præsenti est, momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis,* ait Apost. Iosias 2. paralip. c. 34. recolens plures calamitates, & flagella, quæ in Israeliticum po-

Ad Ephes. c. 5. 16. Redimere tẽpus, quia dies mali sunt, cur debeamus. Operibus, crucis signo impressis cœlũ emitur.

Psal. 89. 15.

Æneidos 6.

2. ad Cor. 4. 17.

A pulũ Deus immiserat, dixisse legitur: *Magnus furor Domini stillauit super nos.* Vbi graues à Deo immissæ aduersitates à pio Rege stillæ appellantur; quia scilicet, qui eas, vt à Deo immissas patienter tolerat, iisque peccatorum pœnitens æternã beatitudinem acquirere studet, de qua dicitur: *Torrente voluptatis suæ potabis eos;* immenso illi felicitatis torrenti pœnæ omnes comparatæ tantùm stillæ videri possunt.

Calamitates à Deo immissæ cur stillæ dicuntur.

Psal. 35. 9.

51. Negotiatores merces, quas ea terræ terræ non habent, non antè merces, quibus regiones illæ abũdant, eò trãsferre student. Cum ergo cœlestis patria maximis deliciis, & voluptatibus abun- B det, non eò huiusmodi merces transferendæ sunt; sed meritoriæ pœnæ, ærũnæ, & calamitates: tales enim merces beata in illa patria magni æstimãtur. Ad hoc probandũ, cum in sacra Script. Angelos ab Abrahamo, & à Iosue adoratos fuisse legamus; fusius indagare libet, cur Angelus à Ioanne adorari noluerit? *Cecidi, vt adorarem ante pedes eius; & dixit mihi: Vide, ne feceris: conseruus enim tuus sum.*

Aduersitates piè toleratæ in cœlesti patria magni æstimãtur, cum ibi exteræ merces sint Hîc, & n. 6.

Apoc. c. 19. & c. 22.

52. Prima ratio affertur à S. August. q. 61. in Genes. *Talis apparuerat Angelus, vt pro Deo posset adorari; & ideo fuerat corrigendus adorator.* Similiter l. 20. contra Faustũ. q. 21. ait: *Sancti, vel homines, vel Angeli exhiberi sibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt.* Similiter S. Th. 2. 2. q. 84. a. 1. *Secundùm reuerentiam, quæ debetur, Deo, prohibitus est Ioannes Angelũ adorare, ad excludendã idololatriæ* C *occasionem; vnde subditur: Deum adora.* Sed contra est, quia iuxta eumdem August. in Ioan. trac. 36. *Cum aquila sit Ioannes lucis internæ, atque æternæ fixis oculis contemplator:* cumque assuetus Angelorũ visionibus esset, improbabile omnino est eum deceptum fuisse; adeoque adorare voluisse Angelum, vt Deum, sed tantùm, vt Angelum. Præterea in eamdem deceptionem iterum c. 22. non incidisset; postquam ab Angelo correctus est cap. 19.

Angelus cur à Ioanne adorari noluerit, nouẽ rationes. Hîc, & sequentibus.

S. Augustini, S. Gregorii, & S. Thomæ sententia de Angelo prohibente se à Ioanne adorari improbatur. Hîc, & n. sequẽti.

53. 2. Ratio afferri potest, quia longè diuerso modo, ac antea, agi debet cum aliquo, postquam Regi affinitate coniunctus est. Postquam ergo diuinum Verbum humanã naturam assumpsit, homo maiori venerationi apud Angelos fuit. *Quid est hoc,* ait Gregorius, *quod ante Redemptoris ad-* D *uentum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent; postmodũ verò adorari refugiunt; nisi quod naturam nostrã, quam prius despexerant, postquã hanc super se assumptã conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescũt?* Similiter S. Th. supra citatus ait: *Prohibitus est Ioannes Angelũ adorare, ad ostendendã dignitatẽ hominis, quã adeptus est per Christũ.* Sed cum in sacris historiis etiã post Domini incarnationem Angelos, tamquam sanctos, & beatos spiritus ab hominibus meritò fuisse adoratos legamus, aliter propositæ quæstioni respondendum est.

Greg. Hom. 8. in Euang.

54. 3. Ratio valde congrua est, quia in Ioanne Angelus virgineæ puritatis virtutẽ excellere concupiscebat. *Angelus noluit adoratorẽ, quem decernebat* E *æqualẽ,* ait Petrus Damiani; *fratrem recognouit, socium indicauit; subsellionis obedientiam non accepit. Quamuis enim in omnibus sanctis semper sit Angelica munditia contubernalis, & cognata virginitas; B. tamen Ioannes tantò reliquos virgines superat, quantò virginitati B. Mariæ per sedulitatis, ac perpetuæ custodiæ meritum appropinquauit.* 3. Reg. c. 7. legimus Salomonẽ ante templi aditum columnas æreas duas collocasse; supra singulas autem columnas lilium. *Finxit duas colũnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis. Capitella, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant.* Vbi quæritur, cur ad lilium sustentandũ tam altas, solidasque colũnas Salomon erexerit? Iuxta

B. Petrus Damiani ser. 1. de S. Ioanne. Angelus à Ioanne adorari noluit ob virginitatis in Ioanne præstantiã. Columnas supra duas antè templi aditum lilia eminebant, ad virginitatis prærogatiuam indicandam.

literalem sensum non tam columnæ ad lilia sustentanda erectæ erant, quàm ipsa lilia ad columnarum capitella ornanda collocabantur. A Sed iuxta mysticum sensum Spiritus Sanctus indicare voluit, quàm egregia, quàm sublimis virtus puritas esset per lilium significata; ideo lilia super altissimas columnas collocari voluit. Puritatis ergo sublimitatem egregiè cum Angelus nosceret, eamque in Ioanne cerneret, eum ad suos pedes prosterni noluit: ideoque dixit: *Vide, ne feceris; conseruus tuus sum*, & virgineæ puritatis etiam amantissimus. Fabulosi sunt Ethnici Aiacem Græciæ principem post mortem ex deorum priuilegio habuisse, vt eius nomen in B hyacintho flore inscriberetur.

Psal. 118.

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non, vt lex tua, Domine. Non in fabuloso hyacintho, sed in virginitatis lilio suum Dominus nomen inscribi voluit.

Apoc. 14.

Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt. Cum autem Ioannes ob virginitatis lilium suo in fronte impressum Christi nomen haberet: nomen, ad quod venerandum omne genu flectitur:

ad Philip. 2.10.

In nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: ideo ad Angelum adorandum flecti Ioannes non debuit; sed in Ioanne potius ab Angelo sanctissimum Domini nomen erat adorandum. C Id Angelus noscens sibi satis honori esse duxit, si Ioanni se æquaret dicens: *Vide, ne feceris; conseruus tuus sum.*

Virgines cur Dei nomen in frontibus scriptum habēt.

Virgines Dei nomen in frontibus scriptum habent, quia à Dei nomine per participationem Dii dicuntur. *Habentes nomen eius, idest Christi, à quo dicuntur Christiani: & nomen Patris eius, idest Dij à Deo Patre dicti iuxta Psal. 81. Ego dixi, Dij estis*, ait Hugo. Tamquam Dii ergo adorari potius, quam adorare debent. Ideo Angelus Ioanni adorare eum volenti dixit: *Vide, ne feceris.*

Ioan c. 1. 42. Marci c. 3. Plinius lib. 37. c. 10. Brontiæ gēmæ cū tonitruis cadunt. Luca 1. 28. Ioannes Apost. gemmeum Domini pectoris ornamētum. Augustinus 81. de ciuit. cap. 9. Ad Hebr. 7. 20. Angeli cœli nomine intelliguntur. Ioannes, vt sacerdos, prohibitus est ad pedes Angeli se prosternere. Iosephi patriarchæ, & Ioannis Apostoli cōparatio. Ioannes quotidie B. V. ministrauit.

55. Quarta ratio ex Ioannis priuilegio desumitur. Tribus tantùm Apostolis nomen Dominus dedisse legitur. Petrum à petra nominando ei à terra nomen indidit. D *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* At Iacobo, & Ioanni nomen à cœlo dedit: *Imposuit eis nomina Boanerges, quod est filij tonitrui.* Sed tonitru cum terefaciendi, non germinandi vim habeat, proles ei tribui non videtur. Nihilominus, vt apud Plinium legitur, Brontiæ gemmæ cum tonitruis cadentes, & à tonitru Brontiæ, hoc est tonitruales dictæ, tonitrui filiæ dici possunt. Ioannes ergo, vt pretiosa gemma, tonitrui filius est appellatus. Hac gemmâ suum Redemptor pectus ornare voluit; cum in vltima cœna supra Domini pectus Ioannes recubuit. Ideo, qui in Domini pectore recumbere dignus fuit, ad Angeli pedes prosterni non debuit.

56. Quinta ratio est, quia cum Gen. 1. dicitur: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*; E cœli nomine Angelos comprehendi docet August. Sacerdos autem qualis erat Ioannes, in Euangelica lege, vt Christum Dominum repræsentans *excelsior cœlis factus* est iuxta Apostolum; adeoque ipsis Angelis prærogatiua maiori dignatus, ad pedes Angeli se prosternere prohibitus est.

57. Sexta ratio desumitur ex Gen. 41. vbi de Iosepho, qui annonæ prouidens, Ægyptiis in magna sterilitate panem ministrauit, dicitur: *Pharao fecit eum ascendere super currum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent.* A Ioannes, qui quotidie B. Virgini sacrum Eucharistiæ panem ministrauit, ex hoc iam honorifico munere dignus erat, vt non ipse aliis, sed alii ipsi genu flecterent. Quod noscens Angelus eum genua flectere vetuit dicens: *Vide ne feceris.*

Ioan. 19. 27. Virginem Apoc. Daniel. cap. 10. 9.

58. Septima ratio quia Dominus in cruce Ioanni Deiparam in matrem tradidit dicens: *Ecce mater tua.* Ideo iure à Ioanne, tamquam Angelorum Reginæ filio adorari Angelus noluit.

Ioannis & Danielis cōparatio. Ecclesia ex S. August.

59. Octaua ratio iuxta aliquos est, quia B Ioannes prophetiæ donum habebat; ideo Angelus ei dixit: *Vide ne feceris; conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu. Testimonium Iesu est Spiritus prophetiæ.* Contra tamen est, quia Daniel prophetiæ etiam dono præditus, Angelo ei apparente ait: *Iacebam consternatus super faciem meam; & vultus meus hærebat terræ.* Sed inter Danielem, & Ioannem discrimen magnum reperimus. Danieli arcana, & futura mysteria Angelus reuelauit. At de Ioanne dicitur: *Iste est Ioannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit. Beatus Apostolus, cui reuelata sunt secreta cœlestia: flumina Euangelij de ipso sacro dominici pectoris fonte potauit.* Psal. 98. dicitur: *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* C Si Dei pedum scabellum est adorandū, quanto magis Ioannis caput, cui ipsum Domini pectus fulcimentum fuit? Ideo beatum illud caput sibi prosterni Angelus vetuit. De Angelis Apost. c. 1. ad Coloss. ait: *Siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates.* Inter Angelorum ergo eximios titulos est, quòd Dei Throni dicantur.

Angeli cur Dei Throni dicuntur. Greg. hom. 34 in Euāg. Psal 9.

Throni illa agmina sunt vocata, quibus ad exercenda iudicia semper Deus omnipotens præsidet. Quia thronos sedes dicimus Throni Dei dicti sunt hi, qui tanta Diuinitatis gratia replentur, vt in eis Dominus sedeat, & per eos sua iudicia decernat. Vnde per Psalmistam dicitur: Sedes super Thronum, qui iudicas æquitatem, ait Gregorius. At ipsum Domini pectus thronus Ioanni, in quo D quiesceret, fuit: adeoque fuit Ioannes Angelis præferendus. Si Rex supra aulici humerum manum familiariter ponat, acquirit statim ille apud reliquos venerationem. Cœlestis Rex non manum Ioannis imposuit humero; sed suum Ioanni pectus supposuit: hinc Ioannes & apud Angelos venerationem eximiam habuit.

B. Petrus Dam. ser. 1. de excellētia S. Ioan. Ioan. c. 21. Ioannes Dei tēplum eximium. 2. Paralip. c. 7.

Ideo *Angelus refugit obsequium ab illo suscipere, quia nouerat apud communem Iudicem locum gratiæ familiariter habere*, ait B. Petrus Damiani. *Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius*, dicitur Psal. 131. *Adorabimus locum, vbi steterunt pedes eius*, legit Cassiodorus. Si adorandus est locus, vbi Dei pedes steterunt; quantò magis adorandus locus est, vbi Dei cor fuit, & est? Quò amor E propendet, ibi diligentis cor esse dicitur. *Discipulus ille, quem diligebat Iesus*, de Ioanne dicitur. Cum autem Ioannes viuum templum esset, multò nobilius, quàm Salomonis templum, de quo Deus dixit, *Elegi locum ipsum, vt sit cor meum ibi cunctis diebus*: hinc à Ioanne ab aliis adorando adorari Angelus renuit.

60. Vltima ratio, cur à Ioanne adorari Angelus noluit, est quod initio diximus, vt ostenderet quanti pretii æstimentur apud S. Angelos aduersitates pro Dei gloria patienter, & libenter toleratæ. S. Ioannes ob Christi nomen prius in feruentis olei dolium missus, deinde in Pathmos

insulam relegatus, cum persecutionum ærumnas ad Dei gloriam alacriter toleraret; ob hoc superior Angelo visus est; ideoque ab eo adorari noluit. Inuidia abominabile monstrum est, quod intra infernum voraginem residet; sed inde identidem in humanam perniciem foras in terram prodit: ad cœlum verò aditum nullum habet: cœlestis enim patria beatitudinis locus non esset, si eò vel per momentum infame hoc monstrum penetraret. Nihilominus, si cœlestis patriæ ciues, & Angelici spiritus inuidiæ capaces essent; quid in inferiori hoc nostro orbe est, quod inuideri à Beatis posset? Diuitias, & delicias terra non habet, quæ cœlestes ad inuidiam mouere possent. Aurum, quod tanti apud homines æstimatur, in beata cœli patria pedibus calcatur: *Platea ciuitatis aurum mundum.* Gemmæ ibi intra fundamenta contineniur: *Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata.* Quid igitur in terris est, quod Angelorum inuidia dignum sit? Profectò nihil aliud, quàm persecutionum, ærumnarum, & passionum ad Dei gloriam perpessio. Ad hoc, quod tanti à S. Angelis æstimatur, nos Dominus inuitat: *si quis mihi ministrat me sequatur, & tollat crucem suam.* Crucem ergo suam cum alacritet Ioannes in Pathmos insula ferret, ab eo adorari Angelus noluit.

Apoc. 21. aurũ in cœlesti Ierosolyma calcatur.

Angeli si inuidiæ capaces essent, aduersitates pro Domino toleratas inuiderent.

61. Idem Ioannes ob aduersitates tanti ab Angelo æstimatus, Apoc. 3. v. 12. Domini verba refert: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Qui persecutionibus, & aduersitatibus non succubuerit; sed inuicto animo eas subierit, columnæ instar in Dei templo, nempe primò in militante, deinde in triumphante Ierosolyma erit. Columnæ non ea vna tantùm parte, sed vndequaque politæ, & conspicuæ cum in ædificiis collocentur, vndique mallei, & scalpelli ictibus leuigari, & expoliri debent. Hoc indicauit Apost. 2. ad Cor 4. dicens: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes.* Mortificationem vndique circumferre, est partem nullam mortificationis ictu non expolitam relinquere. Materialis ædificii columnæ sunt quidem vndique expoliendæ, sed iuxta superficiem tantùm. At in spirituali ædificio exterius, & interius columnas mortificationis scalpello expolire oportet; ita ut eius ictus vsque ad cor, & viscera transeat. Sculptor Christus Dei filius esse debet. *Viuus est sermo Dei, & efficax. Viuum est Verbum Dei, hoc est Dei filium,* ait Ambrosius: *penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus:* ex Græco textu: *Insidens vsque ad diuisionem animæ.* nempe inferioris partis; *& spiritus,* nempe partis superioris; *compagum quoque, & medullarum.*

Ioannes quod actu persecutiones pro Domino subiret, ab eo adorari Angelus noluit.

Columnæ instar in Dei téplo iusti constituentur, quòd vndique mortificationis scalpello expoliantur.

Ad Hebr. 4. 12.
Ambros. 4. de fide c. 3.

62. De templo dicitur 3. Reg. 6. *Domus cum ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur.* Idque inde factum est, quia, vt dicitur c. 5. *Elegit Rex Salomon operarios triginta millia virorum; mittebatque illos in Libanum: præcepitque Rex, vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum: & quadrarent eos, quos dolauerant cæmentarii.* Omnis ergo labor, & strepitus ad expoliendos lapides in Libano, non in templo exercebatur. Hinc bene intelligimus quid mysticè cœlestis sponsus Cant. 4. indicare voluit animæ suæ sponsæ dicens: *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Anima Deo dilecta, vt cœlestem coronam acci-

A piat, de qua Apost. dixit: *Reposita est mihi corona iustitiæ.* venire de Libano debet; hoc est de loco, vbi mortificationis, passionis, & crucis malleus, & scalpellum animam à noxiis cupiditatibus, & affectibus expolit. Tam in cœlo, quàm in terris coronæ, & coronata capita sunt: cum hoc tamen discrimine, quòd in terra aureæ coronæ mallei ictibus efformantur; Regum verò coronata capita intacta ab ictibus sunt: contra verò cœlestes coronæ, quippe incorruptibiles, mallei ictu non egent; capita verò cœlestibus cingenda coronis, mortificationis ictibus subiacere debent. Ad hoc significandum 3. Reg.
B 7. legitur: *Salomon dua capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum in modum coronæ,* vt Hebræus textus addit. Sub coronis tamen capitellum formabatur, *Quasi in modum retis, & catenarum sibi inuicem miro opere contextarum.* Ex veteri testamento *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Indicare igitur Spiritus Sanctus voluit vnum iustum, qui in Dei templo columnæ instar esse debet, antequam ad cœlestem coronam perueniat, in hac mortali vita, catenis, hoc est aduersitatum angustiis esse coarctandum. *Capitella in modum coronæ:* eadem tamen *In modum retis, & catenarum sibi inuicem contextarum.*

2. ad Timoth. c. 4.
Sponsa cur venire de Libano debeat, vt coronetur.
Coronanda capita, non autem cœlestes coronæ, mallei ictibus subiacere debent.
Columnarũ in Salomonis templo capitella cur simul in modũ coronæ, & in modũ retis, & catenarum.
Ad Rom. 15. cap. 4.

C 63. Vltimo loco quæri potest, cur adeo Deus suos amicos vexari, & ingentium calamitatum crucem ferre gaudeat? Quam quæstionem strenuus Hebræorum dux Gedeon Angelo proposuit. Cum enim ei Angelus dixisset: *Dominus tecum, virorum fortissime; Dixit ei Gedeon: Obsecro, mi Domine; si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia,* nempe infortunia? Respondet primò Petrus Apost. Ep. 1. c. 2. v. 21. *Si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum: in hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Ideo Angelus Dominum repræsentans, cum Gedeoni apparuit, se-
D disse dicitur *sub quercu, id est sub arbore crucis.* ait Hugo: suo vt se cum exemplo suos amicos inuitaret ad crucem alacriter ferendam. *Non omnia nostra Christus expleuit: per crucem quidem suam omnes redemit; sed remansit, vt qui redimitur, & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hic profectò residuum viderat, qui dicebat: Si compatimur, & conregnabimus: & adimpleo, quæ desunt passionum Christi in carne mea,* ait Greg. in 1. Reg. cap. 9.

Iud. c. 6.
Sanctos cur Deus aduersitates, & ærumnas subire velit.
Hic, & n. sequenti.

Angelus cur sub quercu sedens Gedeoni apparuit.

2. ad Tim. 2. 12. Ad Coloss. c. 1. 24.

64 Respondetur 2. iustorum toleratas calamitates in maximam Dei gloriam redundare. Si enim Rex diuitias largiendo, & per delicias, & voluptates asseclas sibi acquireret, mirum pro-
fectò non esset. Quod enim admirandum, &
E gloriosum valde æstimaretur, est, si Rex adeo amabilis foret; vt per angustias, labores, & ærumnas eum fideles amici, strenui asseclæ, & milites libentissimè sequerentur. Quarè cum Iob opibus, & filiis orbatus, vlceribus plenus ad huc talis esset; vt verè dici potuerit, *Vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & ad huc retinens innocentiam; adhuc permanens in simplicitate sua:* Tunc quidem patientissimi Iob virtus, & erga Deum charitas maximè in Dei gloriam cessit. Contra verò cum diuitiis, numerosa prole, & felicitate maxima Iob frueretur, satan Deo exprobrare est ausus: *Numquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum; operibus manuum suarum be-*

Iob 2.
Aduersitates pro Deo toleratæ maximè ad Dei gloriam redundant.

me dixisse; & possessio eius erunt, in terra? Si enim quis ob terrena commoda Dei amicus esse velit; talis affectus auara potius negotiatio, quàm sinceræ amicitiæ propensio dicetur. Verè enim ille dixit: *si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus; non erit ista amicitia, sed mercatura quædam vtilitatum nostrarum.* Vide Chrysost. t. 5. ser. de amore Dei, & de tolerantia in aduersis: præterea hom. 62. & 63. ad populum.

Tullius lib. 1. de nat. Deorum.

Et vbi ego sum, illic & minister meus erit.

65. PRoponit circa hæc Domini verba, difficultatem Rupertus dicens: *Quid magnum videri poterat eis, qui hæc audiebant, esse cum illo? Vbi enim erat, cum hæc diceret? Vtique in spinoso agro huius mundi. Videbatur ita debuisse dicere: Vbi ero ego, illic & minister meus erit.* Respondet Rupertus: *Adeo propè erat finis angustiæ, vt rectè dicere posset, sicut Ioa. 17. dixit: Iam non sum in mundo: videlicet propter vicinitatem exitus sui.* Simili modo respondet Augustinus explicans verba illa Ioa. 17. *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum. Dicere potuit vbi ego ero, sed dixit, Vbi ego sum: quo intelligeremus, quod cùm fuerat ascensurus in cœlum; vt eum ibi se esse diceret, vbi fuerat mox futurus.*

August. tr. 111. in Ioa.

66. Respondet 2. ibidem Augustinus: *Potuit dicere: Vbi ego sum & illo modo, quo antea iam dixerat loquens ad Nicodemum: Nemo ascendit ad cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo. Nam ibi non dixit: Erit; sed est, propter vnitatem personæ, in qua & Deus homo est, & homo Deus. In cœlo ergo nos futuros esse promisit. Secundùm quòd Deus erat, vtique in Paradiso erat. Et ideo latronis anima, quæ à pristinis facinoribus absoluta, & illius munere iam beata, quamuis vbique, sicut ille esse non poterat; tamen etiam ipso die cum illo in paradiso poterat; vnde ille, qui vbique semper est, non recesserat.* Idem docet Nyssenus orat. 1. de resurrectione Christi.

Ioan. c. 3. 13.

Luc. 23. 43.

67. Respondetur 3. dictum esse à Domino potius *Vbi ego sum*, quàm *Vbi ero, illic & minister meus erit*: eò quòd in ea gloria, ac beatitudine, in qua actu etiam, vt homo, erat apud Patrem per beatificam visionem, erit etiam Christi minister. Nam, vt docet S. Thomas. *In primo instanti conceptionis fuit assumpta humana natura à Verbo Dei in vnitatem personæ. Ergo in primo instante suæ conceptionis Christus, secundùm quòd homo, fuit beatus.* Ad quod confirmandum affert sanctus Doctor verba Psal. 64. de Christo: *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti.* Hinc apud Eusebium sic Christus Dominus Patrem alloquitur: *Cum adhuc intra cellaria gestantis me in vtero laterem; te tamen Deum meum videbam.* Vbicumque ergo Christus fuit, fuit & Paradisus; qui non tam cœlesti loco, quàm beatificæ visionis fœlicitas paradisus est. Itaque hinc benè Damascenus B. Virginem *animatum cœlum* appellare potuerit; eò quòd primùm in eius vtero homo, nempe Christus beatifica visione perfrui cœperit. Hinc etiam patet, antequam cœlum Redemptor ascenderet, eius promissionem bono latroni verificatam fuisse: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Quare Augustinus, cum Pauli Apostoli ad cœlum rapti, & boni latronis meminisset; cumque dupliciter cœlum accipi posse docuisset, addidit: *Tertium verò, quod mente conspicitur ita secretũ, & remotũ, & omninò abreptũ à sensibus carnis, atque mundatũ; vt ea, quæ in cœlo sunt, & ipsam Dei*

S. Thom. 3. p. q. 14. ar. 4. Christus à primo conceptionis instãti beatificam visionem habuit.

Euseb. de Demõstrat. c. 8.

Orat. 2. de dormit. B. Mariæ.

B. Virgo animatum cœlum iure dicitur: quòd in eius vtero, priusquam in cœlo, beatificam visioné homo, nempe Christus habuit.

Luca c. 23. 43.

Lib. 12. de

A

B

C

D

E

substantiam, Verbumque Deum, per quod facta sunt omnia, in charitate Spiritus Sancti ineffabiliter valeat videre, & audire: non incongruenter arbitramur, & illuc esse Apostolum raptum; & ibi fortassis esse Paradisum omnibus meliorem; & si dici oportet, Paradisum Paradisorum.

Gen. ad literam sub finem

2. Ad Corinth. 12.

68. Respondetur 4. dictum esse à Redemptore *Vbi ego sum*; scilicet in quocumque statu sim; vel sub carne passibili ærumnis subiectus; vel in æterna patria immortalis, & beatus; *illic & minister meus erit*: nempe, qui me imitari voluerit, & mecum in passione, & mecum in gloria esse debebit. Nam iuxta Apost. *Si tamen compatimur; vt & conglorificemur. Et sicut abundant passiones Christi in nobis; ita & per Christum abundat consolatio nostra. Scientes, quòd sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.* Boni enim milites vbicumque illorum dux sit, siuè in bello, siuè in triumpho; siuè in campo, siuè in capitolio, eum sequuntur, vel dimicantes, vel triumphantes.

Epist. Ad Rom. 8. 17. 2. ad Cor. 1.

Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.

99. QVamuis Apostolus ex Isaiæ cap. 64. testimonio dicat: *Oculus non vidit, nec auris audiuit; nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum:* Nihilominus ex aliquo extrinseco indicio quantus honor, quanta gloria à Deo tribuenda sit in æterna patria diligentibus, & sequentibus Christum colligere possumus. Primò à terrenis pompis, & honoribus. Quare S. Fulgentius, cum ex Africa Romam venisset; ibique hastiludia, aliasque pompas in Circo exerceri vidisset coram Theodorico Rege in regali solio assidente, vndique Romanis Senatoribus circumdato, exclamauit: *Quàm speciosa debet esse Ierusalem illa cœlestis, si sic fulget Roma terrestris? Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem; qualis honor, & gloria tribuetur sanctis contemplantibus veritatem?* Quare S. Hieronymus Ep. 18. Eustochium virginem monet: *Quotiescumque vana sæculi te delectauerit ambitio, quoties in mundo videris aliquid gloriosum, ad Paradisum mente transgredere; esse incipe quod futura es.* Quàm felix, quàm sapiens est anima, quæ ex ventosa mundi gloria solidam notitiam cœlestis gloriæ percipit? Si de Deo dicitur: *Producit ventos de thesauris suis*: de beata hac anima dici potest, quod de ventis, nempe mundanis honoribus, & pompis, beatitudinis sibi thesauros educat.

1. ad Cor. 2. Cœlestis gloria quãta sit, & vnde eo ligenda. Hic, & seq. §. bus.

Deus producit ventos de thesauris suis. Homo iustus è ventis thesauros educere potest.

Psal. 134.

70. Prætetea quantus honor ab æterno Patre exhibendus sit Christi ministris, & imitatoribus, à contrario etiam colligere licet. De peccatore enim à Christi Domini sequela alieno dicitur Apoc. 18. *Quantùm glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Quare è contrario quantùm Christi serui in hac vita mundanam gloriam contemnentes, se abiecerunt; quantùmque labores, ærumnas, & cruciatus amplexi sunt; tantùm in cœlo honorificandi, & summæ beatitudinis voluptate afficiendi sunt: ita vt verè dicere possint: *Secundùm multitudinẽ dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Vbi Hieronymus ait: *Secundùm labores, & miserias, quas in isto mundo patimur, habemus mercedem apud Deum in cœlis. Magnitudo tribulationum magnitudo præmiorum est. Quot patimur vulnera, tot meremur & coronas. Vnam fude lacrymam, vnam*

Ps. 93. v. 19.

Magis coronæ, lacrymis in cœlo gemmæ respondeat.

Apoc.

mcrni consolationes. Quantumcumque in pondus pœnitentiæ tantùs fuit & consolationis numerus. Et fortassè ideo dicitur: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum:* Scilicet, vt quasi lacrymas Deus numeret, totidemque gemmas pro earum numero in electorum capite reponat. Si tam bona merces lacrymis datur; si earum numero cœlestium consolationum respondet numerus, Deus meus, exclamare libet cum Ieremia: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum: vt inebrier ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potes me.*

Ieremiæ 9.
Psal.

Apoc. 18. 7.
Præmia, & Pœnæ in altera vita à meritoris passionibus, quòm pro tuis voluptatibus pręs. tiis y geometricè, non arithmeticè respondent.
Psal. 93. 19.

71. Porrò cum de reprobo dicitur: *Quantùm glorificauit se, & in delicijs fuit; tantùm date illi tormentum, & luctum:* intelligendum est, non æquali, sed proportionali mensura; cum Gehennæ pœna multùm excedat quamcumque præsentis vitæ gloriam, quascumque delicias; ita tamen, vt proportio seruetur; eò quòd maioribus illicitis voluptatibus, & honoribus maior pœna, & ignominia apud inferos respondeat; & minoribus minor. Similiter cum Dauid ait: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam:* id non arithmeticè secundùm æqualitatem, sed geometricè secundùm proportionem intelligi debet; cum beatæ patriæ consolationes, & gloria multùm excedant præsentis vitæ labores, & ærumnas; iuxta Apostuli testimonium: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Id enim, quod in præsenti est, momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quare benè Augustinus ait: *Si quotidie oporteret nos tormenta perferre; Si Gehennam ipsam paruo tempore tolerare, vt Christum videre digni essemus venientem in gloria, & sanctorum eius numero sociari; non erat dignum pati omne, quod triste est, vt tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur!* Quod idem pluribus ostendit ser. 37. & 44. de sanctis. Iuxta eumdem Augustinum in Psal. 93. Deos ait: *Venale habeo. Quid Domine? Regnum cælorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolori gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita.* Denique in hac mortali vita, cum ob æternæ salutis incertitudinem, vt par est, solliciti sumus; ad nimiam animi anxietatem remouendam, in memoriam S. Leonis suauissima verba reuocemus: *Certa, atque secum est expectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio Dominicæ passionis.*

Ad Rom. 8.
2. ad Cor. 4
August. ser. de ... (illegible)
Cœlum quo pretio ematur.
Salutis incertitudo quomodo tollenda.
S. ... ser. 9. de Quadrag.

Metamorphosis passionum in gaudia.

72. Si auarus terræ aggerem in aurum conuertendum esse sciret; vtique ingentem terræ cumulum congereret. Christianus æternorum gaudiorum auidus, cum diuina metamorphosi certò sciat præsentis vitæ tristitiam, hoc est ignominias, labores, dolores, & ærumnas; tandem in gaudium conuerti debere iuxtà Domini promissum Ioan. 16. n. 22. *Tristitia vestra vertetur in gaudium:* Vtique sedulò debet ingentem talium passionum cumulum comparare; vt ex eo maior gaudiorum conuersio fiat. Quod si durius videatur, reuocet in memoriam Hieronymi sententiam: *Difficilè, imò impossibile est, vt & præsentibus quis, & futuris fruatur bonis: vt & hic ventrem, & ibi mentem impleat; vt de delicijs transeat ad delicias; vt in vtroque sæculo primus sit; vt & in cælo, & in terra appareat gloriosus.*

Ep. 14. ad Iulianum.

73. Denique cum de suo ministro, hoc est imitatore Dominus ait: *Honorificabit eum Pater meus:* sensus est. Pater meus cœlestibus donis, & præmiis eum remunerabitur. *Honor in scripturis donum intelligitur,* ait S. Hieronymus: hæc autem cœlestis patriæ dona, & præmia ita apud S. Augustinum recensentur: *Sicut exterior homo circa ista temporalia quinquepartito sensu afficitur, idest visu, auditu, gustu, & cæteris. Sic interior homo in beata vita circa quinque ineffabilia Dei ineffabili amore afficitur. Cum enim Deum suum amabit, quamdam lucem, quamdam vocem, quemdam odorem, quemdam cibum, & quemdam amplexum interiorem amabit. Ibi enim fulget, quod non capit locus; ibi sonat, quod non rapit tempus; ibi olet, quod non spargit ventus; ibi sapit quod non minuit edacitas; ibi hæret, quod non diuellit satietas: ibi siquidem videtur Deus sine intermissione; cognoscitur sine errore; amatur sine offensione; laudatur sine fatigatione.* Eadem in soliloquiis c. 35. suauissimè explicat Augustinus dicens: *O quando veniam & apparebo, Domine, ante faciem tuam. Vbi erit omne bonum, & non erit aliquod malum? Vbi erit quidquid voles; & non erit quidquid noles. Vbi erit vita vitalis, dulcis, & amabilis, semperquè memorialis. Vbi non erit hostis impugnans, nec vlla illecebra; sed summa, & certa securitas; secura tranquillitas, & tranquilla iucunditas, iucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, & beata Trinitas, & Trinitatis vnitas, & vnitatis Deitas, & Deitatis beata visio; quæ est gaudium Domini Dei tui. O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium; extra quod non est gaudium. Ibi gaudium infinitum, lætitia sine tristitia, salus sine dolore, via sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine omni malo. Vbi iuuentus numquam senescit; vbi vita terminum nescit; vbi decor numquam pallescit; vbi amor numquam tepescit; vbi sanitas numquam marcescit; vbi gaudium numquam decrescit; vbi dolor numquam sentitur; vbi gemitus numquam auditur; vbi triste nil videtur; vbi lætitia semper habetur; vbi malum nullum timetur; quoniam ibi summum bonum possidetur.* Nota hic Augustinum inter æternæ patriæ bona reponere, quòd *ibi amor numquam tepescit.* Quare qui in hac mortali vita in Dei amore numquam tepescere; sed semper magis, magisque feruere studet; hic beatæ patriæ delicijs perfrui iam incipit. Et hoc est, quod Christianæ animæ Hieronymus dixit: *Esse incipe, quod futura es.* Epist. 18. ad Eustochium.

Lib. 2. in c. 15. Matth.
Honoris nomine donum significatur.
Tom. 3. lib. de spiritu & anima c. 36.
Beatorum voluptas multiplex.
Tom. 9.
Tepescere numquam in Dei amore; cœlestis beatitudinis participatio est.

Nunc anima mea turbata est.

74. De hac Christi turbatione ob imminentia mortis repræsentationem ait S. Fulgentius: *In eo magis agnoscatur Domini mirabilis, inuictaque clementia; cum probauerimus animæ, carnisque substantiam ob hoc cum suis passionibus à Deo susceptam; vt sicut saluo diuinæ impassibilitatis statu, voluntaria susceptione mortis in carne sua mortem nostram cognoscitur occidisse. sic voluntaria susceptione tristitiæ ad hoc cognoscatur animam rationalem cum suis passionibus suscepisse; vt animam nostram ab omnibus dignaretur passionibus liberare.* Subdit infra: *Hæc ergo cuncta in anima, quam susceperat, pertulit Christus; vt veram, totamque in se cum suis infirmitatibus hominis demonstraret acceptam substantiam: & infirmitatibus, quas pro infirmis accepit, virtutem perficeret, quam infirmis attribuit.* Quare ex voluntaria pro morte Christi turbatione, mira illa Martyrum in cruciatibus alacritas, tranquillitas, & constantia prodit;

De Passione Domini l. 3.
Christi ob imminentem passionem turbatio humanæ tranquillitatis causa. Hic, & sequentibus.
Lib. 1. de Virgin.

De S. Virgine Agnete Ambrosius ait. *Non sic ad thalamum nupta properaret, vt ad supplicij locum læta successu, gradu festina Virgo processit. Flere omnes, ipsa sine fletu. Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset; tremere percussoris dexteram, pallere ora alieno timentis periculo, cum puella non timeret suo.*

Auicenna de diluuijs
Mel in turbidas aquas iniectum, eas pellucidas reddit.
Psal. 68.

75. Teste Auicenna, si in turbidas aquas mellis fauus iniicitur, ecce non dulces solùm, sed etiam turbatione omni expulsa pellucidæ redduntur. De cruciatibus suis in passione Dominus ait: *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* In huiusmodi turbidas aquas se, vt mellis fauum Redemptor noster iniecit; vt eas suis fidelibus dulces redderet; turbationis omnis, & ti- B moris expertes. Exodi 15 de Mose dicitur: Dominus *ostendit ei lignum; quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versa sunt.* De cruce in qua

In Ioan. lib. 8. c. 17.
Lignũ amaras aquas dulces reddens. Exodi 15. Crucis symbolum.
In Solilog. c. 22.
Actor. c. 5.

Dominus mortem subiit, ait Cyrillus: *Ipse lignum est, quod flumio Marath immissum, amaritudinem aquæ in dulcedinem conuertit.* Hinc benè Augustinus ait: *Tu Domine, es dulcedo inæstimabilis, per quam omnia amara dulcorantur. Tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcorauit: tua dulcedo craticulam Beato Laurentio dulcem fecit: Pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas securus ad crucem, & gaudens; quoniam ad tuam dulce-* C *dinem properabat: Hæc enim tua dulcedo ipsos Apostolorum Principes sic repleuit; vt pro ipsa crucis patibulum vnus eligeret; alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque gustanda veneni poculum intrepidus Ioannes potauit. Hanc tuam dulcedinem ineffabilem & illa gustauit*

S. Agatha.

Virgo, de qua legimus; quòd lætissima, & glorianter ibat ad carcerem, quasi ad epulas inuitata.

Hom. in Barlaam.
Barlaami S. Martyris mira constantia.

76. Porrò quàm eleganter S. Basilius ante oculos ponit constantiam timoris omnis expertem S. Martyris Barlaam, qui ne thus Idolo offerre videretur, immotam manum ardentibus prunis onustam sustinuit. *Talis*, inquit, *armiger nobis hodie celebratur, qui supplicia lætitiam pu-* D *tabat; & flagris velut rosis quibusdam impeti sibi videbatur; imperatis umbras fugiens; fumi vmbram iram iudicis reputans; efferatas acies satellitum ridens; propter pericula velut coronas tripudians plagis velut honoribus gaudens; vehementioribus supplicijs, velut honoribus exultans; enses denudatos conspuens, manus lictorum, velut cera molliores sustinens; supplicij lignum, velut salutare amplectens; carceris clausura, velut viridi prato se oblectans; tormentorum machinis, velut florum varietatibus gaudens. Quomodo te, ô generose Christi miles, alloquar? statuam vocabo? Plurimùm constantiam tuam imminui. Nam acceptam statuam ignis emollit; dexteram verò tuam adigere non potuit, vt vel videretur aliquantisper mouere. Sed ferreum nominauero, & istam imaginem fortitudine tua reperio inferiorem; nam tu solus flammam per-*

Cap. 53.

suasisti, ne manum domaret. Ex huiusmodi SS. Martyrum exemplis manifestè patet, quòd sicut, teste Isaia, Redemptoris *liuore sanati sumus*; ita eius pauore impauidi, eius turbatione

Ioan. c. 5.

tranquilli sumus redditi. Probatica piscina, cum turbabatur, languentibus corporalem salutem tribuebat. Christus Dominus bonorum omnium fons, cum turbaretur, fidelibus suis firmitatem, & robur meruit obtinere. De Christo, tamquam

Christus

diuino fonte vaticinatus est Ioël cap. 3. *Fons de* A *domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum*: irrigauit sacro suo sanguine Redemptor noster cruciatuum spinas, vt eas sanctis Martyribus in rosas conuerteret. Quare S. Tiburtius cum per candentes prunas nudis pedibus incederet, se super rosas ambulare alacriter est testatus.

fino sanguine spinas irrigauit, vt S. Martyribus eas in rosas conuerteret.

Et quid dicam? Pater salnifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc.

77. QVid dicam? hoc est cuius opem implorem? Non aliud certè, quàm æterni Patris auxilium mihi implorandum est. Propte- B rea, *Pater, saluifica me ex hac hora.* Per hæc verba communiter sacri interpretes aiunt Christi significari desiderium, quo à præuisa mortis atrocitate, secundùm inferiorem partem, appetitumque naturalem à morte horrentem liberari cupiebat. Hunc autem mortis timorem duplicem ob causam ostendere Dominus voluit. Primò, vt se horrori, & dolori mortis subiectum demonstraret; & sic suis fidelibus per ingentes cruciatuum dolores mortem pro fide subituris exemplo præluceret. Secundò, vt se verum hominem passibilem ostenderet. Vtramque causam præter alios reddit S. Cyrillus dicens: *Quia Dominus ad passionem discipulos exhortatus fuerat; ne dicant aliqui, quòd ipse extra dolores existens hu-* C *manos, facilè de morte philosophatur; & nos admonet propter hoc, quòd ipse est sine periculo: hic ostendit, quòd & ipse in agonia sit; tamen propter vtilitatem mortem non renuit.* Subdit deinde: *Christus appropinquans acerbæ morti, quod humanum est, ostendit; & naturam non volentem mori, sed præsenti adhærentem vitæ, eo declarans indicio; quoniam non extra humanas passiones erat. Quemadmodum in horto paulò antequam caperetur, orauit Patrem dicens: Si possibile est, transeat a me calix iste.* Quæ Cyrilli, aliorumque interpretatio etsi retinenda non videtur; nihilominus Redemptoris verba: *Pater, saluifica me ex hac hora*, videntur eumdem sensum habere posse, quem habent eiusdem Redemptoris verba Psal. 21. *Tu,* D *Domine, ne elongaueris auxilium tuum à me; ad defensionem meam conspice*: seù vt legit Eusebius: *Ad susceptionem meam respice: Salua me ex ore leonis.* Quibus verbis non à morte eripi, sed post mortem resurrectionem ab æterno Patre Dominus flagitauit. Patet hoc ex Hieronymo, qui psalmum istum ad resurrectionem Domini pertinere docet Ep. 139. & Ep. 150. q. 9. ad Hedibiam. Quare psalmi huius inscriptio est. *Pro susceptione matutina*: susceptionem autem matutinam resurrectionem Domini significare magno consensu docent SS. Patres: quandoquidem resurgens Dominus ab æterno Patre à morte ad vitam susceptus est; eiusquè anima corpus antea per mortem diuisum suscepit: dicitur autem matutina susceptio, cum Christus Dominus valdè diluculo resurrexerit. Hinc Augustinus, dicente Do- E mino ad æternũ Patrem: *Spes mea ab vberibus matris meæ*: Spem dicit fuisse de carnis suæ immortalitate, & exaltatione à mortuis. Confirmat id Eusebius ex Redemptoris eodem psalmo verbis: *Cum clamarem ad eum, exaudiuit me. Qua ratione diceret se exauditum; si non consecutus esset, quæque superius deprecatus fuerat, cum dixit illud: In puluerem mortis deduxisti me? Eripe à framea animam meam, & de manu canis vnicam meam. Vbi euidenter suum de morte ad vitam reditum significat, qui sub matutinam susceptionem extitit:*

Lib. 10 de demonstra. c. 8
Christus resurrectionem suam à morte ab æterno Patre petiit. Hie. & sequentibus.

Luc. 24. August. Ep. 112. c. 12. supra.

quam

quam psalmus deinceps longius progressus indicauit, ibi dixit: Tu autem, Domine, ne amoueas longius auxilium meum; ad susceptionem meam respice; hoc est: Praestà mihi quamcelerrimè sub ipsam auroram reuersionis à mortuis susceptionem. Propterea sub eiusdem Psalmi finem ex certa suę resurrectionis ipse Dominus addidit: *Anima mea*, hoc est vita mea, *illi viuet, & semen meum seruiet ipsi*, hoc est fideles mei à me per gratiam regenerati Deo seruient.

78. Eumdem ergo sensum habere videntur Domini verba in præsenti Euangelio dicta: *Sed propterea veni in horam hanc*: in horam scilicet mortis, certò sperans meam resurrectionem, & vberem meorum fidelium fructum. Quare iuxta S. Catharinam Senensem ex reuelatione sibi à Christo Domino facta, verba illa Matth. 26. *Pater, transeat à me calix iste*: à Redemptore dicta sunt ob ingens desiderium complendi redemptionem humanam, suæquè resurrectionis, & ad Patrem reditus. Dicendo igitur; *Transeat à me calix iste*, significauit non desiderium euadendi mortem, sed desiderium, vt transeunte citò calice suæ passionis, citò resurgeret; simulquè vt meritum, & fructus suæ passionis ab ipso in suos fideles transeundo, citò diffunderetur. Cum autem subdidit: *Non mea voluntas, sed tua fiat*; iuxta eamdem S. Catherinæ interpretationem significauit Dominus, quamuis ipse præcognosceret multos ex sua passione fructum non percepturos; cumquè alioquin vellet omnes homines saluos fieri; nihilominus conformare se velle æterni Patris voluntati: quæ conformatio prædictis verbis: *Non mea voluntas, sed tua fiat*, significatur. Ideo etiam conditionem illam præmisit: *Si possibile est*; hoc est si possibile foret; eò quòd certò sciret non omnes homines esse saluandos.

[Margin note: ...brosi... ...erians ...auit S. Catherina lib. 2. c. 28. & 29]

[Margin note: Luc. c. 22. 42.]

79. Placet hæc interpretatio, tum quia cum supra allata Psalmi 21. interpretatione consonat; tum quia ex S. Thoma 3. p. q. 10. art. 1. Christus omnia futura, atque adeo suam passionem ex infallibili æterni Patris decreto futuram præcognouit. Quare cum infra Dominus dixisset: *Ego si exaltatus fuero à terra*; ad significandam certam futuræ mortis præcognitionem à Christo habitam, addidit Euangelista: *Hoc autem dicebat significans, qua morte esset moriturus.* Molina etiam 1. p. q. 12. artic. 8. disp. 5. numero 7. probat Christum hominem in Verbo videre omnia præterita, præsentia, & futura; quia decet; vt eius actualis cognitio tam latè pateat, quantùm ipsius dominatio, & potestas se extendit. Cum ergo infallibiliter futurum impossibile sit non esse futurum; hinc durius videtur Christum impossibile præcognitum flagitare potuisse: præcipuè cum non dixerit: Pater, si possibile esset; sed *Pater, si possibile est*; quasi de possibilitate, vel impossibilitate anceps foret. Neque enim blasphema Caluini sententia detestanda non est, qui ait: *Non fuit meditata hæc Christi oratio; sed vis, & impetus doloris subitam ei vocem extorsit; cui statim addita fuit correctio. Eadem vehementia præsentem cælestis decreti memoriam illi abstulit; vt non reputaret in ipso momento se hac lege missum esse humani generis Redemptorem: sicut grauis anxietas sæpè caliginem mentis oculis obducit, ne simul in mentem veniant omnia.* Huiusmodi dementantem anxietatem expertum esse reor ipsum Caluinum; cum eius humero ignito ferro inusta nota est ad commissi criminis pœnam, & ignominiam; eiusque oculos caligasse, dum ei à tergo ignis reuocerat.

[Margin note: Caluini de Christo blasphema sententia reijcitur.]

[Margin note: Caluini humero ad pœnam, & ignominiam ignito ferro nota est inusta.]

80. Porrò si Christi verba ex desiderio vitandi crucis mortem dicta esse velimus; dici potest Euangelistam iuxta communem hominum morem retulisse Christi affectum de crucis morte vitanda secundùm naturalem appetitum, partemquè inferiorem: eo modo, quo Moses Genes. 6. de Deo dixit: *Pœnituit enim, quòd hominem fecisset in terra: & tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem.* Cum reuera neque facta pœnitentia, neque dolor cadere possit in Deum. Quare bene Chrysostomus ait: *Vide verbum crassum; & nostra paruitati idoneum. Animo retractauit, inquit, pro pœnituit; non quòd pœnituerit Deum, absit: sed iuxta humanam consuetudinem loquitur nobis Deus, vt nos doceas, quòd enormia illorum peccata misericordem Deum indignari fecerunt.* Simili ergo modo, cum in Euangelio hominum communi more loquens refertur Christus dicens: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*: sensus est: Pater, si possibile foret, transeat velim calix iste à me; ne tam acerbam subeam passionem. Quare apud Marcum Christus non ait, *si possibile est*; sed *Si fieri posset*. Qui quidem loquendi modus Christi præscientiæ non repugnat. Referuntur autem ab aliis Euangelistis illo potius modo, quàm hoc secundo Christi verba, ad magis significandam imminentis mortis acerbitatem, quæ Christi animo obuersabatur. Sicut, iuxta Chrysostomum, ad significandam peccatorum enormitatem, humano more loquendo, dicitur Deum pœnituisse. Iuxta allatum sensum intelligenda sunt etiam Domini verba; si ea pro vniuersali omnium salute prolata esse iuxta S. Catherinam interpretemur. Quamuis enim Dominus certò præcognosceret non omnes homines ex ipsorum prauitate esse saluandos; adhuc humano more dixisse refertur à S. Matthæo: *Si possibile est*: Cum dicendum potius esset: *Si fieri posset*, vt apud S. Marcum legitur.

[Margin note: Scriptura sacra de Deo interdum humano modo loquitur.]

[Margin note: Hom. 22. in Gen.]

[Margin note: Cap. 14. n. 36.]

Pater clarifica nomen tuum.

81. PEr hæc verba resurrectionem suam, hominumquè salutem iuxta sensum supra allatum in illa verba: *Saluifica me*, Christus Dominus flagitat. Ex vtraque enim magna diuinæ gloriæ manifestatio prouentura erat. De petitione humanæ redemptionis interpretatur verba hæc Rupertus, ita vt Dominus dicat: *Pater, clarifica nomen tuum; in hoc videlicet; vt, sicut paulò ante dixi, granum frumenti solum non maneat; sed cadat in terram, & moriatur, vt multum fructum afferat*: fructum scilicet humanæ salutis. Cyrillus simul cum hominum redemptione suam resurrectionem postulari à Domino asserit: *Efflagitat paterni nominis clarificationem per passionem, & resurrectionem dicens: Pater clarifica nomen tuum; idest, gloriam tuam toti mundo manifesta; quod sanè per meam mortem, & resurrectionem facilè efficies.*

Venit ergo vox de cælo : Et clarificaui, & iterum clarificabo.

82. ANte, & postquam Dominus petiit: *Pater clarifica nomen tuum*; per miracula, & opera diuitus facta Christum æternus Pater clarificauit. Hinc benè dicitur: *Clarificaui, & iterum clarificabo.* Christi autem opera omnia, & miracula æterni Patris nomen & gloriam clarificabant; iuxta ipsius Redemptoris testimonium Ioannis 8. numer. 50. *Honorifico Patrem meum: ego autem non quæro gloriam meam.* Et Ioannis 17. ad Patrem: *Ego te clarificaui super terram. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.*

83. Quæri hic potest, cur Dominus paterni nominis clarificationem hoc loco petierit, & non potius suam, sicut petiit Ioannis 17. *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret apud te.* Vrgetur dubitatio; nam cum Dominus ad scandalum tollendum, in quod ex proxima ipsius passione incurrere aliqui poterant, clarificari ab æterno Patre ibi petierit; eadem petitio ob eumdem finem, imminente hic sua passione, facienda videbatur. Respondetur flagitando Christus ob æterno Patre, *Clarifica nomen tuum*; per hanc ipsam petitionem se clarificari petiisse. *Nomen tuum*, inquit Cyrillus; *non quo Deus, sed quo Pater es, & vocaris; quodquè me filium generaris tibi consubstantialem.* Quæ autem maior clarificatio à Christo flagitari poterat, quàm verum Dei filium declarari? Quare cum ait hic æternus Pater: *Clarificaui, & iterum clarificabo*, iuxta Augustinum, & Bedam intelligitur de Diuinitate, maiestate, & gloria illi, vt consubstantiali filio ab æterno Patre communicata.

Cyrill. in Ioann. 17.

84. Dices si Diuinitas Verbo ab æterno communicata per æternam generationem, est immutabilis; eademque Diuinitas Christo per vnionem hypostaticam primo Conceptionis instanti inseparabiliter etiam communicata est: quomodo hic dicere æternus Pater potuit, *Et iterum*, hoc est denuo *clarificabo*. Neque enim audienda est hæretica Photini sententia asserentis Christum fuisse hominem purum, & ob merita vitæ sanctæ Diuinitatem deinde esse consecutum. Neque rursus audiendi sunt hæretici Nestoriani, & Sociniani dicentes Christum nec ab initio conceptionis, nec postea fuisse Deum; sed sua sanctitate meruisse, vt vocaretur Deus, hoc est vir diuinus. Quam hæresim damnat æterni Patris testimonium Matth. 3. numer. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: & Lucæ 9. numer. 35. *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.*

Photini hæresis Christo negantis ab initio conceptionis Diuinitatem, & Nestoriana, & Sociniana hæresis absolutè Christo Diuinitatem negantes refelluntur.

85. Difficultati propositæ respondetur per verba, quæ Apoc. cap. 5. Angelis dicuntur: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & Diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Vbi bene Caietanus ait: *Accipere dicimur aliquid, non solùm si de nouo accipimus illud; sed etiamsi prius illud habentes, de nouo vtimur. Vnde & habens gladium, dicitur accipere gladium, quando de nouo vtitur illo. Et iuxta hunc sensum Dominus Iesus licet ab æterno fuerit Deus, & nunquam desierit esse Deus: quia tamen post resurrectionem suam vsurus erat Diuinitate sua manifestè, quam sub passibili carne tanto tempore occultam tenuit; & ex merito passionis suæ debebatur sibi manifestatio gloriæ suæ (vt Apost. ad Philipp. 2. dixit) ideo dignus post resurrectionem suam dicitur accipere Diuinitatem, non de nouo ad habendam illam, sed ad manifestum vsum illius.*

Ientac. 7. in fine. Accipi dicitur aliquid, non solùm cum primò habetur; sed cum primò eius vsus manifestatur.

Turba ergo, quæ stabat, & audiebat, dicebat tonitruum esse factum.

86. INdubium reuocari non debet prædictam vocem, quamuis tonitrui instar valdè resonantem, articulatam tamen fuisse: alioquin nihil articulatè significando irrita ex se fuisset; cum tamen Christus dixerit: *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos*; scilicet ad vobis significandum æterni Patris testimonium. Contigit autem, vt aliqui ingenti sonitu perterriti, articulatæ vocis verba non nisi valdè confusè audierint; & propterea dixerint *tonitruum esse factum*: alii verò minus perterriti, magisquè intenti, verè audierint, & propterea dixerint: *Angelus ei locutus est.* Sed cum alibi æterni Patris testimonium per articulatam vocem legamus, vt Matthæi 3. prope Iordanem: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et Lucæ 9. in monte Thabor: *Hic est filius meus dilectus ipsum audite.* Cur non ibi, sicut hîc, cœlestis vox tonitruo non assimilabatur?

Vox æterni Patris de Christo testificans tonitrui similis, sed articulata.

87. Respondetur æterni Patris vocem propè Iordanem directam fuisse, non tam ad turbas, quàm ad ipsum Christum: quare à Marco, & Luca vox illa refertur dicens: *Tu es filius meus dilectus, in te complacui.* Rursus in monte Thabor vox ad fideles Christi discipulos dirigebatur: secus verò hic dicente Domino. *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos*: cum ad perfidos, & obstinatos Iudæos vox dirigeretur; & de his dicatur Ierem. cap. 5. *Audi, populo stulte, qui non habes cor; qui habentes oculos non videtis; & aures, & non auditis*: ideo ad eos tamquam ad voluntariè surdos excitandos diuina vox tonitrui instar benè profertur. Ideo similiter 1. Reg. cap. 2. de Deo erga peccatores dicitur: *Super ipsos in cælis tonabit*: ideo denique Isaiæ, qui ad peccatores arguendos mittebatur, dicitur: *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum.* Rursus tonitrui diuina hæc vox similis fuit, quia hoc tonitrus fulminantis proprium est, vt molliora prætereat, duriora inuadat: accidit enim, vt tonitrui fulmen crumena intactâ ad æs ibi inclusum aliquando penetrauerit; vt adnotauit Caietanus in illa verba Iob. 37. *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter.* Fuit igitur diuina vox tonitrui instar; cum ad Iudæorum duritiem frangendam dirigeretur. De Dei hac voce tonitruo simili, vaticinatus est Iob. *Tonabit voce magnitudinis suæ; & non inuestigabitur cum audita fuerit vox eius.* Iudæi, qui adstabant, diuinæ æterni Patris vocis vim inuestigare debebant, vt Christo Domino crederent: quod cum ob magnam cordis duritiem facere neglexissent, incredulitatem non reliquerunt. Ideo hic de Redemptore subditur: *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.*

Vox æterni Patris cur tonitrui similis.

Marc. 1. Luc. 3.

Isa. 58.

Tonitru fulminans duriora inuadit, molliora præterit.

Iob. c. 37.

Alij dicebant: Angelus ei locutus est.

88. SI Angelum ei locutum esse iudicarunt; quare in eum, cui tam præclarum Angelus testimonium perhibebat, non crediderunt? Sed sicut superiori Euangelio, Caipham veritatem non assequentem protulisse vidimus veram sententiam; ita isti sinceræ veritatis ignari, neque ex ea proficientes, verba à veritate non aliena protulerunt. Valde enim probabile est Angelico Deum ministerio vsum esse ad vocem illam tonitruo similem in aëre efformandam. Sed quamuis Angelus vocem formaret, tamen ad æternum Patrem principaliter per instrumentum Angelicum loquentem verba illa verè erant referenda. Similia quidem in sacris litteris habemus exempla.

Deo vt loquenti verba tribuuntur, cum per Angelos loquitur. Hic, & sequentibus.

89. Primum est Gen. 18. vbi de Abrahamo dicitur: *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in feruore diei.* Et tamen ibidem subditur: *Apparuerunt ei tres viri* (nempe Angeli sub humana forma) *stantes propè eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram. Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.* Vbi cum tres vidisset, & ad vnum sermonem conuertisset, dicens: *Domine*, per eos sibi Deum repræsentari significauit. *Credibile est Abraham in tribus illis viris Dominum agnouisse, cui per singularem numerum loquebatur*, ait Augustinus. Similiter Hilarius: *Abraham conspectis tribus vnum adorat. & Dominum confitetur. Scriptura adstitisse tres viros, edidit; sed Patriarcha non ignorat, quis & adorandus sit, & confitendus. Indiscreta adsistentium species est; ille Dominum suum fidei oculis, & visu mentis agnouit.* Erant autem tres illi viri Angeli sub humana specie. Quare Apostolus Abraham hospitalitatem indicans ait: *Hospitalitatem nolite obliuisci; per hanc enim latuerunt quidam Angelis hospitio receptis. An quia viri dicti sunt, non erant Angeli? Danielem legant dicentem: Ecce vir Gabriel:* ait Augustinus tom. 3. l. 3. de Trinit. cap. 11.

August. de Ciuit. c. 24. Hilar. lib. 4. de Trinit in medio.

ad Hebr. 13.

Dan. 8. & 9.

90. Secundum est Gen. 22. vbi dicitur: *Tentauit Dominus Abraham, & ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis; atque ibi offeres eum in holocaustum.* Et tamen postea subditur: *Ecce Angelus Domini de cælo clamauit: dicens: Nunc cognoui, quòd times Deum. & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* In quem locum bene Augustinus ait: *An dicturi sunt Deum iussisse, vt occideretur Isaac, & Angelum prohibuisse? Porrò ipsum patrem aduersum Dei præceptum, qui iusserat, vt occideret, obtemperasse Angelo, vt parceret? Ridendus, & abijciendus hic sensus est. Sed neque hunc tam crassum, & abiectum vllum locum Scriptura esse permittit continuò subiungens: Nunc enim cognoui quòd times Deum tu; & non pepercisti filio tuo dilecto propter me; quid est propter me; nisi propter eum, qui occidi iusserat? Idem igitur Deus Abrahæ, qui Angelus; an potius per Angelum Deus?*

Supra.

91. Tertium est Actorum 7. vbi de Mose dicitur: *Apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in flamma rubi.* Et tamen ibidem subditur: *Accedente illo, vt consideraret, facta est ad eum vox Domini: Ego Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Et Exodi 3. non Angelus, sed Dominus Mosi apparuisse dicitur: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.*

92. Quartum est Exodi 20. vbi Decalogi lex in monte Sina Mosi à Deo data legitur: *Locutus est Dominus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me &c.* Nihilominus eadem lex ab Angelis dictata dicitur Actorum 7. *Accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.* Et ad Gal. 3. *Quid igitur lex? propter transgressores posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Similiter ad Hebræos 2. *Qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus. Sed ait aliquis*, inquit Augustinus: *Cur ergo scriptum est, Dixit Dominus ad Moysen; & non potius, Dixit Angelus ad Moysen? Quia cum verba Iudicis præco pronunciat; non scribitur in gestis: Ille præco dixit; sed ille Iudex.* Præterea quia Angeli Deum ipsum repræsentabant, Dei nomen, & verba assumebant. Sic regij ministri regum nomen, regiaque verba suis sæpè in edictis promulgandis vsurpant. Denique iuxtà Augustinum, loquentibus Angelis, Deique nomen, & verba vsurpantibus, verba illa sæpè à Prophetis vsurpata, *Hæc dicit Dominus*, subintelligi debent.

August. l. 3. de Trinit. c. 11.

Respondit Iesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.

93. DE tonitru dicitur Psal. 28. *Vox Domini præparantis ceruos*: seù, vt à Hieronymo legitur: *Vox Domini obstetricans ceruis*: & ab Aquila: *Vox Domini parturire facientis ceruos.* Cum enim ceruæ difficillimum partum habeant; nam de iis dicitur Iob. 39. Quod incuruentur ad fœtum, & pariendo rugitum emittant: cumquè timidissimæ sint, hinc fit, vt tonitrui fragore concussæ facilius pariant. Ceruis similes ob vilem timorem Iudæi quidam erant, qui hic vocem cœlitus emissam audierunt: de quibus dicitur. *Ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur.* Ex istis probabile est aliquos post Domini resurrectionem prædicantibus Apostolis, palàm Euangelicam fidem amplexos esse; ad quod aperte diuina voce tonitruo simili præparabantur. Benè ergo de his mysticè dictum est: *Vox Domini præparantis ceruos*; præparantis scilicet ad fidem, & ad bonorum operum partus.

Ceruis similes Iudæi.

Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras.

94. QVid per iudicium mundi hic intelligatur, variè explicant sacri interpretes: accipiendo autem iudicium pro iudicii effectu; alii incredulorum condemnationem; alii credentium, & pœnitentium absolutionem; alii denique melius vtramque significari volunt. Pro condemnatione iudicium accipitur Ioan. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est*, hoc est, condemnatus: & subditur: *hoc est autem iudicium; quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Sed iuxta genuinum sensum, quid iudicium hic significet ex diaboli mundi principis eiectione intelligendum esse censeo. *Habuit*, inquit Cyrillus, *Dæmon per tyrannidem principatum in totum genus humanum; & dominatum crudeliter exercuit in omnes:*

Iudicium interdum damnationem, vel absolutionem significat.

Cyrillus in Ioan. lib. 8. c. 16.

atque virtute mortis Christi, & sanguinis confracta est illius potestas, & sublata potentia. Subdit infra: *Absit, vt diabolum principem mundi ita dictum esse existimemus, vt eum cælo, & terra dominari posse credamus: non enim est ipse auctor mundi, aut gubernator, quemadmodum nonnulli falsò existimant. Sed mundus hic pro prauis hominibus, qui secularia sectantur desideria, & suis indulgent cupiditatibus, sumitur: horum princeps Satanas est, quia eis pro suo arbitratu principatur, præcipitesque ad nimium in grauia scelera impellit, atque detrudit. Ille autem per Christi mortem foras eyciendus erat: præuidebat autem Dominus post passionem, & glorificationē suam per vniuersum orbem multos populos credituros; in quorum cordibus diabolus intus erat; cui quando ex fide renunciant, eycitur foras.* Porrò tunc iustum iudicium procedit, cum accusatoris nimia violentia, & iniusta calumnia reijcitur: reiecta igitur, & debilitata diaboli violentia, iudicium mundi, hoc est hominum, qui sunt in mundo, fit: ita vt homines, si Christi fidem, & Euangelicam legem non amplectantur, manifesto iudicio damnentur; cum excusationem nullam ex nimia diaboli vi, obtendere possint. *De hoc iudicio mundus arguitur,* ait Augustinus; *quia frustrà de diabolo queritur, qui non vult credere in Christum, quem,* nempe diabolum, *foras missum. & propter nostram exercitationem forinsecus expugnare permissum, non solùm viri; sed etiam mulieres, & pueri martyres vicerunt.* Quomodo vires diaboli post Christi aduentum debilitatæ sint, dictum est fusius fer. 4. post Dominicam passionis in illis Christi de suis ouibus verba: *Non rapiet eas quisquam de manu mea.*

Diabolus quo sensu mundi Princeps dicatur.
Mundus quid significet.
August. tr. 10 in Io ser. 60. de verbis Domini.
Diaboli vires, Christi aduentu debilitatæ.

95. Sed debilitato, & eiecto diabolo subdit Cyrillus: *Quid ergo, ait quispiam, quia diabolus eycitur foras, iam fidelium neminem tentat? Immo tentare non cessat: sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare. Hostis enim mœnibus vrbis exclusus, non cessat arietibus, & machinis quatere muros; quò sibi aditum perfringat, ingressumque paret.* Quare ad diaboli machinas repellendas cœlestis sponsi monitum audiamus: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea;* hoc est *bona opera, vt argentum splendida; vel sanctorum sententias eloquentiâ lucidas, quibus anima sit à tentationibus munita,* ait Honorius. De huiusmodi propugnaculis Psal. 11. dicitur: *Eloquia casta; argentum igne examinatum;* igne scilicet diuinæ charitatis. Similiter ad arcendos tartareos hostes est iuxtà Apostolum, *Gladius spiritus, quod est verbum Dei:* cuius gladii ictus valde diabolus pertimescit: & ita gladius est, vt etiam in vsum clypei ad repellenda Diaboli iacula esse possit. *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se,* dicitur Prouerb. 30. Ignitus quidem esse debet, hoc est feruenti amore corde conceptus. Angelos vnà cum igneo gladio ad Paradisi septa custodienda Deus posuit Gen. 3. *Collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium.* Similiter ad fidelem animam, quæ est Dei Paradisus, custodiendam; & ad dæmones repellendos, sanctorum Angelorum custodiam; & gladium spiritus, nempe ignitum Dei eloquium, quo in feruenti oratione animam Deus instruit, adhibere debemus.

Cyrillus supra.
Diabolus Christi aduentu debilitatus, adhuc tentare non cessat.
Diaboli cōtra machinas quomodo pugnandum.
Cantic. 8.
Ad Eph. 6. 17.
Gladius, & Clypeus simul est Dei verbum.
Animæ Paradisū, verbum Dei, velut, igneus gladius custodit.

Et ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus.

96. His verbis indicauit Dominus se in crucem extollendum ad humanam redemptionem complendam; hominesque ad se, hoc est Euangelicam fidem, & ad animarum salutem consequendam tracturum. In his tamen Domini verbis, quadruplex difficultas occurrit. Prima est, cur non dixit *Homines;* sed *omnia traham ad meipsum?* Respondetur primò dicente Christo: *Omnia traham ad meipsum;* per *omnia* benè posse intelligi non solùm homines, sed etiam insensibiles creaturas, nempe cœlum, & terram. Per suam enim passionem meruit Christus, vt ad ipsius resurgentis gloriam in mundi fine omnia renouarentur, & quodammodo resurgerent: & sic ad eius merita manifestanda ea antiquo statu ad nouum traherentur. *Resurrexit in eo mundus; resurrexit in eo cælum; resurrexit in eo terra. Erit enim cælum nouum, & terra noua,* ait Ambrosius lib. de fide resurrectionis. Quæ interpretatio melius quadrat, si verba illa: *Si exaltatus fuero à terra:* de sua è sepulchro resurrectione dixisse Dominum cum Chrysostomo dicamus.

Io. allata verbis quadruplex difficultas.
Christus in cruce exaltatus potius omnia, quàm omnes homines se tracturū dixit & quadruplex rat one. Hic, & sequentibus.
2. Petri c. 3.

97. Respondet secundò Rupertus dixisse Dominum *Omnia, idest vniuersam fidelium turbam, sine discretione personarum, sine officiorum; vt (sicut Apostolus ait) non sit ibi masculus, neque fœmina; Gentilis, & Iudaus; circumcisio, & præputium; Barbarus, & Scytha, seruus, & liber; sed omnia, & in omnibus Christus:* ita vt ibi, hoc est in Euangelica lege, & in Christi Ecclesia prædictorum discriminum ratio non habeatur. Sed ad hoc significandum adhuc omnes homines potius quam *omnia* dicere potuisset.

Ad Coloss. c. 3. 11.

98. Respondetur tertiò Deum tanti homines æstimare, præcipuè vera fide illuminatos; vt illorum comparatione, reliqua omnia veluti non essent, haberi videantur. Ex quo fit, vt dicendo *omnia traham,* solos homines significare velit; & in his præcipuè fideles ad animarum salutem consequendam vocatos. Hinc Isaiæ 52. legitur: *In Ægyptum descendit populus meus. Et nunc quid mihi est hic? dicit Dominus. Et sensus est,* ait Hieronymus: *Nihil habeo reliqui, propter quod in hac regione permaneam, de qua populus meus ablatus est.* Et nihilominus ea in regione, vnde Israëlitæ exulabant; creaturæ aliæ erant, quæ omnes sub diuino regimine, & prouidentia erant. Quare benè eo in loco Hugo ait: *Dominus quasi nihil putat se habere; cum auferuntur ei homines, propter quos fecit omnia.* Ad idem confirmandum Lucæ 15. Dominus ad homines per peccatum perditos saluandos veniens, per parabolam se comparat homini habenti centum oues dicens: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat?* Vbi Hugo ait: *Vnam ouem Dominus perdidit, quando homo pascua vitæ peccando reliquit: & Dominus nonaginta nouem in deserto reliquit; quia nouem ordines Angelorum in cœlo dimisit.* Deserti ergo, & solitudinis nomine cœlum Dominus significauit; eò quòd ibi homines non haberet; quasi propter hominum absentiam cœlum omninò solitarium foret, licet ingenti Angelorum multitudine frequentissimum. Tanti Dominus hominem facit.

Deus quanti homines æstimet.
Cœlū quare desertum appellatur.

99. Respondetur quartò omnia significare ho-

minem, eò quod omnia contineat; iuxta id, A quod Sap. 1. 7. dicitur *Hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Vbi S. Bonauentura, Hugo, Landulphus, & Glossa per continentem omnia, hominem intelligunt, eò quòd omnes rerum gradus in se habeat. Quare Marci 16. cum Dominus Apostolis dixerit: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*; Gregor. quem Beda sequitur, ait: *Numquid sanctum Euangelium insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum? Sed omnis creaturæ nomine signatur homo: omnis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet enim commune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Omni* B *ergo creaturæ prædicatur Euangelium; cum soli homini prædicatur.* Sic etiam omnia trahere Christus dicitur, cum hominem trahit. Sed hoc posito.

Gregor. hom. 29. in Euãg.

100. Secunda difficultas est, quòd dicendo *Omnia*, videntur omnes homines significari; omnia scilicet, in quibus est humana natura continens omnia: at non omnes homines iusti sunt, sed plures peccatores; atque adeo non omnes à Christo trahuntur. Respondetur primò omnes homines à Christo trahi; sed vel per rationis lumen, & per gratiam sufficientem, vel per gratiam efficacem. Sufficienti gratiæ etsi à peccatore resistitur; trahitur tamen, sicut dicitur trabs pondus, quamuis nimia grauitate resistens ad C trahentem non perueniat. Porrò in sacra Scriptura verba interdum non significant actum perfectum, sed inchoatum. Sic ad Romanos 2. dicitur: *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, idest adducere conatur. Similiter cum dicitur: *Omnia traham*; idem est, ac dicere, omnia trahere conabor.

Homines iusti, siue iniusti: quomodo omnes à Domino trahantur. Hic, & sequentibus. Verba interdum non actum perfectum, sed inchoatum significant.

101. Respondetur secundò ex Gregorio, Christus *omnia genera hominum duci ad fidem voluit; qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Omnes quippe homines vult saluos fieri; quia de omni hominum genere eligit, quos ad gaudium æternæ salutis trahit.* Quæ etiam omnia hominum genera significauit Dominus Matth. 28. Apostolis dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* Sicut autem D ab Apostolo dicitur: *Radix omnium malorum est cupiditas*, idest auaritia: non quòd omnia indiuidua peccata, vel Angelorum, vel hominum ex auaritia prouenerint; sed quòd peccatorum genera omnia ex auaritia sæpè committantur. Ita vt, dicendo *omnium malorum*, talis vox non singula omnium generum; sed genera omnia singulorum peccatorum significat. Quare prodigalitas ipsa in Principibus sæpè ex aulicorum auaritia nascitur. Prodigalitas certè rerum spiritualium sæpe ex temporalium rerum auaritia prouenit. Prædicto modo etiam dici potuit Ecclesiastici 10. *Initium omnis peccati est superbia.* Similiter cum à Domino dicitur: *Omnia traham* E *ad me ipsum*; non singuli omnes homines; sed hominum genera omnia intelligi debent. Sicut etiam supra ex Ruperto dictum est.

In 1. Reg. c. 14.

Deus ex omni hominum genere eligit, quos ad æternam salutẽ trahit.

1. ad Tim. 6.

Auaritia quomodo radix omnium peccatorum.

Superbia quomodo initium omnis peccati.

102. Respondet tertiò Rupertus, cum à Christo Domino dicitur: *Omnia traham ad me ipsum*; *potest non solùm de gratia, qua solummodo electa trahit ad seipsum; sed etiam de potestate dictum rectè intelligi; qua non solùm electa, sed etiam reproba omnia ad seipsum traxit; quia videlicet iudicium, & potestas faciendi, quam Pater Filio suo dedit, quia filius hominis est, omne genu curuauit sibi cœlestium, terrestrium, & infernorum: scilicet vt omnis homo siue bonus, siue malus potestati, & im-* A *perio eius subijciatur; & omnes ab illo secundùm merita sua iudicentur.* Et ideo Matthæi 28. à Domino dicitur: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Hinc subdit Rupertus: *Hoc itaque non ignorans, tamquè prænuncians: Et ego, inquit, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Quare non recedendo ab hac interpretatione, *Omnia traham ad meipsum*, id benè intelligi potest per mortuorum resurrectionem, iuxta Apostoli verba 1. ad Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Christo enim omnium hominum futura resurrectio est tribuenda; quatenus ameruit; B vt omnes siue iusti, siue iniusti resurgentes, ante eius tamquam supremi iudicis tribunal sistantur, meritorum præmia, vel demeritorum pœnas habituri. *Procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij*, dicitur Ioan. 5. *Viuificabuntur infideles in Christo, idest in potentia, vel iussu Christi, vt sine fine viuant ad pœnam: Electi autem viuificabuntur in Christo, idest in Christi iustitia, quam seruauerant; vt in Christi corpore, quod est Ecclesia, perenniter viuant*, ait S. Anselmus.

Homines omnes à Deo trahẽtur, vel per gratiam vel per vniuersale dominium.

Ad Philip. 2.

Resurrectio omnium, siue electorũ, siue reproborũ, Christo tribuenda.

S. Anselm. seu Hernaus in Ep. 1. ad Cor. c. 15.

103. Respondetur quartò dici à Domino potuisse omnes homines ad se tracturum, qui verè homines sint, debitamque humanæ naturæ conditionem, Deique imaginem non omninò exuerint: cumque tales impœnitentes peccatores non C sint; hinc fit vt hominis nomine sint planè indigni: ideoque dicendo omnes homines; huiusmodi peccatores in iis non includantur. Quare Gen. 6. cum de Noë dictum sit: *Noe homo iustus:* addit Philo: *Sciendum, quòd hominem non vulgari loquendi forma, rationale mortale animal vocat; sed per excellentiam eum, qui verè suo respondet nomini, eiectis ex animo immansuetis, rabidis, ferinisque vitiorum affectibus. Argumento est, quòd post hominem addit iustum dicens: Homo iustus; quia nemo iniustus est homo; sed potius bestia humana forma prædita: in solum autem iustitiæ sectatorem nomen hoc competit.* Similiter Chrysostomus ait: *Homo non est, quicumque simpliciter manus habet, & pedes humanos; nec quicumque tantùm rationa-* D *lis est; sed quicumque virtutem, & pietatem cum fiducia exercet. Audi quid de Iob dicit sacra Scriptura. Cum enim dixisset, quod in terra Hus* *fuit, de homo erat; non ex his eum describit terminis, quibus alius; neque hoc dicit, quod duos pedes habebat, & vngues latos; sed indicia pietatis illius præbens dicebat: Simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo: demonstrans quòd hoc est homo.* Quare S. Iob vbi vir rectus à nostro interprete dicitur, à Septuaginta interpretibus ἄνθρωπος ἀληθινός, hoc est homo verus, non falsus, non apparens homo dicitur: *Homo erat*, ait Origenes, *verè homo; vt pote homo factus, vt homo permanens; vt pote ad imaginem Dei creatus, & ad si-* E *militudinem iumentorum, ac bestiarum, atque reptilium non est immutatus. Sicut dicitur: Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Homo erat; non erat bellua cruenta; non erat serpens nequitia; non erat equus, neque mulus luxuria, neque petulantia: non erat canis spurcitia, neque vulpes dolo, atque astutia: non erat scorpius, neque veneni lethalis vipera; sed homo erat. Nam sicut obscœni, & impudici, maligni quoque & versuti his omnibus comparantur, atque horum omnium appellatione nuncupantur; sicut dicitur de huiusmodi: Canes improbi animo nescientes saturitatem, & ad huc: Equi admissarij facti sunt; vnusquisque ad*

Philo lib. de Abraham.

Hominis nomine peccatores indigni.

Hom. 21. ad populum.

Lib. 1. in Iob.

Psal. 48.

Bestiarum nomina peccatoribus tribuenda.

Isa. 56.

Ier. 5.

Matth. 3.

vxorem proximi sui inhiabat: & alibi: serpentes generatio viperarum; & Generatio serpentium volantium, qui veloces sunt in malitia: & iterum: Apprehendite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas: & tamquam vulpes in solitudine facti sunt Prophetæ tui Israel; &, Ite, dicite vulpi huic, (dicit de Herode) Et alia innumera his similia dicuntur de huiusmodi in scriptura. Sed B. Iob non erat talis, neque his similis; sed homo erat immaculatus, & immaculatus, atque illibatus: Homo, vt pote hoc, quod ad imaginem, & similitudinem Dei factus est, integrum custodiens. In eamdem sententiam Augustinus cum verba Ecclesiastæ 12. retulisset: *Deum time, & mandata eius custodi; quia hoc est omnis homo;* addit: *Quicumque enim est hoc, est custos vtique mandatorum Dei; quoniam, qui hoc non est, nihil est.* Similiter Bernardus ait: *Propter temetipsum, Deus, fecisti omnia; & qui vult esse sibi, & non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Deum time, & mandata eius obserua; hoc est enim, inquit, omnis homo. Ergo, si hoc est omnis homo, absque hoc nihil omnis homo.* Denique Petrus Damiani, cum Apostoli ad Corint. verba retulisset: *Omnia vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei:* addit: *Tunc omnia sunt veraciter hominis, si ipse homo sit veraciter homo: est enim, qui solo nomine sit homo; est qui reipsa, & veritate sit homo. Qui non studuerit cauere prohibita, qui neglexerit implere præcepta; quia ratione caret, vocabulum quidem hominis habet; sed hominis esse non habet; quia non veraciter vtitur virtute nominis, quo censetur. Ille nimirum se credat veraciter hominem, qui hominum recognoscit authorem.*

Cantic. 2.
Ezech. 13.
Lucæ 13.
August. ser. 30. de Ciu.
Bernar. ser. 5. in Cant.
Tom. 3. opusc. 23.
1. ad Cor. 3.

A B C (marginal section letters)

104. Respondetur quintò ex regula sacræ Scripturæ, verbum futuri temporis interdum non significare effectum futurum; sed potius debitum, & conuenientiam, seù completam potentiam ad futurum effectum. Sic Isaiæ 4. dicitur: *Apprehendent septem mulieres virum vnum;* idest, tanta erit hominum cædes in excidio Ierosolymitano per Romanos, vt ob eorum paucitatem septem mulieres vix vnum virum reperire possint. Significatur ergo per allata verba in Ierosolymæ obsidione quid contingere ex talis D temporis conditione potuerit, non quid actu contigerit. Neque enim Iosephus diligens scriptor Hebraicarum calamitatum huius rei meminit: neque probabile est tanta contentione in tam arctæ obsidionis calamitate mulieres nuptias ambiisse; præsertim, quòd non ob inopiam id eas dixisse legatur; cum dicant: *Panem nostrum comedemus; & vestibus nostris operiemur.* Similiter de captiuis Moabitis dicitur Ieremiæ 48. *Omne caput caluitium, & omnis barba rasa erit; in cunctis manibus colligatio, & super omne dorsum cilicium.* Non quòd captiui omnes tunc temporis cilicio fuerint operti; sed quòd ob ingentem luctum cilicio omnes operiri tali tempore conueniens fuerit. Similiter Malachiæ 2. dicitur: E *Labia sacerdotis custodient scientiam,* idest custodire debent. Matth. 16. *Absit à te Domine: non erit tibi hoc:* hoc est, non est æquum, vt hoc tibi accidat. Insuper allata regula non solùm in verbo de futuro, sed etiam de præsenti locum habet. Sic ad Hebræor 13. ab Apostolo dicitur: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Peruigilant,* idest peruigilare debent, iuxta S. Chrysostomum, & S. Thomam. Sæpè enim verba in scriptura non dicunt actum, sed debitum, & officium, vt benè ibi Ribera

Futuri temporis verba interdū non tam effectū futurum, quàm debitum, & conuenientiam, & potentiā completam ad effectum futurum significat.

A notauit. Quare iuxtà allatam regulam, cum à Domino dicitur: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum;* significat per ipsius mortem humani generis redemptione completa, conueniens fore, vt omnes homines eum ad Euangelicam fidem, & gratiam trahentem, sequantur: & tale trahendi munus ipsi Christo tamquam totius humani generis Redemptori esse datum; illudquè exequi debere quantum in se est: est enim Christus principalis causa meritoria, quæ illuminationem per gratiam, & fidem humano generi meruit. Quare.

105. Respondetur sextò allata verba: *Omnia traham ad meipsum,* eodem modo explicari posse, quo explicantur verba illa Ioannis 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Vbi de supernaturali illuminatione sermo est, iuxtà Chrysost. homil. 7. & August. tract. 2. Dicitur autem tali illuminatione illuminari omnis homo; quia omnibus Christi lux lucet, quantùm est ex se; quòd si aliqui non illuminentur, non ex lucis defectu, sed ex ipsis procedit. Ita Chrysost. & August. *Filius Dei,* inquit, *non est absens etiam mentibus impiorum; quamuis eum non videant.* Similiter dici potest, Christum omnem hominem trahere ad seipsum, quantùm ex eo est: quòd si aliqui non trahantur id ex ipsorum, non ex trahentis defectu, & impotentia prouenit. Secundò Augustinus vniuersalem hanc propositionem: *Erat lux, quæ illuminat omnem hominem,* ita explicat: *Omnis homo, qui illuminatur, ab hac luce illuminatur.* Similiter 1. ad Corinth. 15. cum dicitur: *Omnes in Christo viuificabuntur;* præter id, quod supra diximus, iuxta genuinam interpretationem sermo est tantùm de gloriosa electorum viuificatione, & resurrectione. Subdit enim Apostolus: *Vnusquisque in suo ordine,* subintelligitur, resurget. *Primitiæ Christus,* scilicet resurgentium fuit; cum tempore, & dignitate cæterorum resurrectionem præcesserit: *Deinde ij, qui sunt Christi.* Cum ergo ibi nulla reproborum sit mentio; quando dicitur: *Omnes in Christo viuificabuntur;* sensus est, quot quot gloriosa resurrectione viuificandi sunt, non nisi per Christi meritum sunt viuificandi. Similiter ergo, quia omnes homines, qui ad Christum, hoc est ad salutem trahuntur, non nisi per Christi merita trahuntur, dicitur Christus omnes homines ad se trahere.

August. Ep. 120.

Viuificari in die iudicii propriè electis conuenit.

106. Tertia difficultas est, cum iuxta communem acceptionem dicantur trahi nolentes, duci volentes; cur Christus dixit: *Omnia traham ad meipsum?* Quandoquidem per gratiam ad eum non inuiti, sed liberè sequendum homines alliciuntur. Respondet Augustinus tract. 26. in Ioannem: *Noli cogitare te inuitum trahi; trahitur animus, & amore. Si Poetæ dicere licuit: Trahit sua quemque voluptas: non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio: quantò fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum; qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita: quod totum Christus est.* Fatendum quidem est, tractionem semper repugnantiam includere: sed sicut, cum qui sensualem voluptatem sequitur, dicitur trahi; eò quod pars superior rationis particeps repugnet: ita, cum quis à Christo vocatur ad opera sensui contraria, trahi dicitur; eò quod inferior pars sensualem appetitum sequens, ad id repugnantiam habeat.

Trahi potius ad Deum, & non duci, quare dicamur.

107. Porrò ad Christum, & animæ salutem, non solùm amore, vt supra dixit Augusti-

nus, homo trahitur; sed etiam mentis illuminatione. Quare Ioannis 6. Christus dixit. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Omnis, qui audiuit a Patre, & didicit, venit ad me.* Vbi Augustinus ait. *Quid est trahi à Patre, nisi discere à Patre? Trahimur monitione, doctrina, reuelatione ineffabiliter facta*, ait Cyrillus. Hoc modo trahitur homo, non per coactionem, & necessitatem, vt Caluinistæ falsissimè asserunt; sed per gratiam illuminantem, saluo semper libertate. Efficacia autem talis illuminantis gratiæ consistit in illius congruitate, non qualibet; sed in congruitate tali, quæ à Deo præuidetur in talibus circumstantiis ab humana voluntate consensum elicitura, si detur. Dixi, non in qualibet congruitate consistere; quia gratiæ auxilium ex pluribus circumstantiis vehementius, & alioqui magis congruum esse potest; non tamen efficax; eò quod, vt dixi, non congruitas qualibet, sed tantùm illa, quæ à Deo præuidetur elicitura consensum, efficaciam habet; idquè sine vlla libertatis læsione; cum ab humana voluntate liberè dandus consensus per Dei præscientiam præuideatur.

Cyrillus.

Gratia efficax quæ sit.

A

B

108. Dices: Cur Ioann. 6. dicitur à Christo: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum?* Contra verò hic Ioann. 12. ait: *Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum?* Respondeo, tractionem, seu vocationem per gratiam, quoad efficientiam, esse communem omnibus tribus diuinis personis; quia tamen ea, non nisi per Christi merita datur, respectu meritoriæ causæ principalis, tantùm Christo est tribuenda. Ioannis autem 6. solummodo Patrem Christus nominauit; quia Iudæi nondum sanctissimæ Trinitatis mysterii capaces erant: &, vt ad Deum omnem humanæ salutis gloriam referendam esse doceret.

Christus meritoria principalis causa gratiæ.

C

109. Quarta difficultas est, cur Dominus de Crucis morte infallibiliter subeunda conditionatè dixerit: *Si exaltatus fuero à terra*, & non potius absolutè: *Cum exaltatus fuero à terra?* Quandoquidem hic secundus loquendi modus certitudini ipsius præscientiæ conformior videbatur. Respondetur loquente Domino de crucis morte conditionatè: *Si exaltatus fuero à terra*, verba hæc non includere incertitudinem, sed comminationem? Qui enim alicui comminatur, particula, SI, vti solet. Sic Psalm. 88. *Si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Sunt ergo illa verba non dubitantis, sed comminantis: quasi hic benè dici possit ad incredulos Pharisæos iuxta Rupertum: *Quid conquiniscitis Pharisæi, dicentes ad vosmetipsos: Videtis, quia nihil proficimus; ecce mundus totus post eum abiit; quasi postquam hunc filium hominis occideritis, nemo post illum abiturus sit? Exaltate quantocyus illum à terra, & palam fiet vobis quantùm profeceritis, illo dicente; palamquè faciente per signa sequentia: Quia data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Cæterùm non conditionatè, sed absolutè, & certò suam in cruce mortem Dominus prædixerat Ioannis 8. dicens: *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum*: sum scilicet Dei filius, qualem me per miracula, diuinamquè doctrinam, vitæquè innocentiam esse contestor.

Particula, Si, interdum non incertitudinem significat; sed comminationis deseruit.

D

E

Matth. vltimo.

Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis?

110. LVcæ 18. legitur *Assumpsit Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis; tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt; & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Cum tam clarè Dominus de imminente sua morte loquutus fuisset, id discipulos non intellexisse dicitur. Quare ergo, cum obscurius hic de sua in cruce morte Dominus loqueretur, eius verborum sensum statim Iudæi perceperunt? Huic quæsito respondet Rupertus sic Iudæos alloquens *Vnde nunc hoc ipsum tam citò aduertistis, quomodo dixisset: Oportet exaltari filium hominis? Alio tempore cum item dixisset: Cum exaltaueritis filium hominis à terra, tunc cognoscetis quia ego sum; nihil tale, quale nunc obiecistis; sed nec vllo modo quid diceret vos intellexisse significastis. Vnde ergo, nisi quia paulò ante collecto concilio, Pontifices, & Pharisæi concilium vobiscum definierant, non solùm vt interficerent; sed hoc etiam, vt exaltatione crucis interficerent eum? Ita non mirum vos illud in verbis eius intellexisse, quod insidiantes in abscondito conscientiæ cubili cogitabatis facere.* Similiter Augustinus hic ait: *Intellexerunt eum hoc dixisse, quod ipsi facere cogitabant, nec verborum obscuritatem eis aperuit infusa sapientia, sed stimulata conscientia.* Quare hinc benè poterant Iudæi, nisi obstinatè cæci fuissent, Christum diuina præditum esse scientia cognoscere; cum occulta eorum consilia circa crucis mortem, quam Christo machinabantur, ei ignota non essent.

Ioan. 8.

Exaltationem Christi à terra esse crucis mortem significare Iudæi cognouerunt.

August.

111. Porrò Iudæi Christum in æternum mansurum benè colligebant ex lege. *Nomine autem legis nonnunquam vetus testamentum totum à Iudæis accipitur; non solùm quinque libri Mosis*, ait Cyrillus. Daniel quippe de Christo vaticinatus erat: *Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum eius, quod non corrumpetur.* Similiter de Christo sub Dauidis nomine dicitur Ezechielis 37. n. 21. *Dauid seruus meus, princeps eorum in perpetuum.* Quare Christus Psal. 109. *Sacerdos in æternum* appellatur. *Talis permanentia perpetua*, ait Cyrillus, *videtur contrariari morti, atque passioni. Sed non attendit turba diuinam in Christo naturam minimè obnoxiam esse morti; & secundùm eam Christum in æternum manere. Non etiam animaduertit eundem, prostrata morte, tertia die resurrecturum; quamuis id eis nonnunquam prædixerat*: vt Matthæi 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Quare post Christi mortem Pharisæi Pilato dixerunt: *Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens. Post tres dies resurgam.*

Legis nomine vetus Testamentum significatur.

Daniel c. 7. n. 14.

Cyrillus.

Matth. 27. 63.

112. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*, Iudæis Dominus dixit Ioann. 8. Abraham sacrificato filio, posse eum diuina ope resurgere, & per eum impleri promissionem credidit, quam Deus dixerat: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli.* Ex quo de Abrahami fide Apostolus dixit: *Contra spem in spem credidit.* Similiter Iudæi, si non degeneres Abrahæ filii, eius fidem

Gen. 22. 17.

Ad Rom. 4. 18.

imitati essent, credere debuissent, posse Christum ad humanam redemptionem complendam mori; & postea diuinitus resurgendu manere in æternum.

113. Deus naturæ authur, ambos oculos homini dedit; quibus indifferenter lucem, & vmbram; clarum, & nubilum solem; occidentem, & orientem intueri possit. Quàm infelix homo esset, qui monoculus vmbram tantùm, non lucem; nubilum diem, non serenum; solis Eclypsim, non eiusdem clarum lumen posset aspicere. Tales erant Iudæi, qui tantùm in Christi mortem, & passionem; non autem in eius gloriam, & resurrectionem mentis oculum intendebant. Quare sic eos Rupertus alloquitur: *Nonne sicut claudi, ita & monoculi estis ô Iudæi, & in vnam solam partem videtis? Numquid enim hoc solùm dixit, quòd exaltandus esset à terra; & non addidit, quòd omnia traheret ad seipsum? Quare ergo hoc solum aduertistis, quod significaret se esse moriturum? Exaltari Christum à terra, & omnia trahere ad seipsum; hoc est, & mori Christum, & manere in æternum.* Cum scilicet post gloriosam à morte resurrectionem in æterna gloria perpetuò sit mansurus, & ad eamdem suos electos per gratiam suauiter sit tracturus.

Iudæi ad Christum cognoscendum veluti monoculi erant. *Rupertus.*

114. Porrò oportuit exaltari Christum in cruce, vt ipse cum suis electis ad æternam gloriam perueniret, iuxta id, quod ipse Dominus Lucæ 24. dixit: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Nihilominus cum hic veluti conditionatè Dominus dixerit: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*; quare Iudæi eum absolutè dixisse affirmant, *Oportet exaltari filium hominis?* Respondetur ita Domini verba interpretatos esse Iudæos, eò quòd certò supponerent velle Dominum omnia in suam potestatem redigere; atque adeo ad hunc exequendum Domini verba non conditionatè, sed absolutè dicta acceperunt.

Quis est iste filius hominis?

115. Recordati sunt Iudæi, Christum antea cum etiam de exaltando se in cruce loqueretur, se filium hominis appellasse; nempè Ioann. 8. *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Propterea hic dicunt: *Quis est iste filius hominis?* Quæ verba iuxta aliquos, exprobrationem; & contemptum includunt; iuxta alios probabilius interrogationem. Si contemptus, & exprobrationis sensum habeant; verba sunt, quibus inter seipsos Iudæi alloquuntur ad Christi contemptum dicentes: *Quis est iste filius hominis?* Sicut etiam ad contemptum Iob 38. dicitur: *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?* Si verò interrogantium verba sunt; dicendum est Iudæos interrogasse Christum, an ipse esset filius hominis, qui omnia ad seipsum trahere posset: vt hinc calumniam struerent, accusandique eum causam arriperent; quòd in suam potestatem redacturum, & Iudæorum regnum à se obtinendum iactanter affirmaret: præterea, quòd pugnantia loqueretur: scilicet & se crucifigendum, & se Messiam in Mosaïca lege promissum prædicaret, atque adeo in æternum mansurum. Verumtamen hæc inter se contraria non erant. Nam de Christo dicitur Psal. 88. *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum. Et permanebit cum Sole, & ante Lunam in generationem, & generationem*: hinc Cyrillus ait: *Quemadmodum lumen Solis in occasum decumbentis, aut corpore Lunari obducti, non extinguitur; sed breui, & ad tempus secedens, sine aliqua sui diminutione rursum apparet conspicuum: ita planè, & Sol ipse iustitiæ immenso iubare refulgens, ad modicum tempus huius vitæ passus deliquium, paulo post per resurrectionis gloriam insigniori splendore rursum emicuit.*

Psal. 41. 5. In Ioa. lib. 8 c. 18 Sol occidens, & oriens Christi Symbolum.

116. Porrò hæc Iudæorum interrogatio: *Quis est iste filius hominis?* quàm diuersa ab illa Angelorum est: *Quis est iste Rex gloriæ?* Quæ verba non Ignorantium Angelorum, sed seipsos inuicem excitantium ad laudes Redemptoris in cœlum ascendentis proferendos verba sunt. Sicut igitur sancti Angeli ad Domini gloriam celebrandam responderunt: *Dominus fortis, & potens; Dominus potens in prælio. Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*: Similiter interrogationi: *Quis est iste filius hominis?* respondere illuminati Iudæi debuissent: Ipse est, qui cæcos illuminauit; qui claudis liberum incessum, surdis auditum, mutis loquelam dedit; qui leprosos mundauit; qui dæmonia eiecit; qui mortuos ad vitam reuocauit; qui ingentem hominum multitudinem paucis panibus saturauit: qui imperauit ventis; qui siccis plantis tumidum mare calcauit; qui peccatores ad viam salutis conuertit. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Ipse enim est ad cuius nutum iuxta Isaiæ vaticinium: *Aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; saliet, sicut ceruus, claudus; & aperta erit lingua mutorum*

Psal. 23. Psal. 146. Luc. 35.

Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum lumen in vobis est: ambulate, dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant: & qui ambulat in tenebris nescit quò vadat.

117. Modicum, etiam non addendo tempus, exiguum tempus significat, sicut Ioan. 16 *Modicum & iam non videbitis me; & iterum modicum & videbitis me.* Vbi modico temporis spatio Christus, non autem modicè à discipulis videndus significatur. Similiter hic non tam modicum lumen, quàm modico temporis spatio ipsum lumen Iudæis remanere significare Dominus voluit: Vt ex Græco textu patet, vbi μικρὸν χρόνον, hoc est paruum tempus legitur; quod noster interpres *modicum* dixit. Modicum autem tempus erat triduum, quod ad Christi ex hac vita discessum remanebat. Porro luminis nomine hic diuina Christi doctrina significatur: lucis verò nomine ipse Christus. Quare cum de sancto Domini præcursore dixisset Euangelista: *Non erat ille lux*; de Christo affirmauit: *Erat lux vera.* Dicitur autem Christus lux vera eo modo, quo aurum verum dicitur, quòd admistum aliud vilius metallum non habet. Sic nulla creatura, sed Christus, vt Deus, dicitur vera lux; eo quòd nihil tenebrarum, nihil habeat imperfectionis. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ*, ait Ioannes Ep. 1. c. 1.

Ioa. 1. Christus lux vera quo sensu dicatur.

118. De æterno Verbo assumente humanam naturam, vaticinatus est Malachias 4 *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ.* In hoc tamen, materiali Soli Christus dissimilis fuit; quòd ille nube tectus minus luceat: Verbum verò æternum sub humanæ carnis nube hominibus multò clarius illuxit. Nam ante æterni Verbi incarnationem de Deo dicebatur: *Notus in Iudæa Deus*; cum tantùm in Syriæ angulo coleretur: post incarnationem verò incarnato Verbo dicitur: *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad*

Psal. 75. Isa. 49.

Augustinus t. 10. s. 9. de verbis Apostoli.
Isa. 60

ad extremum terræ, iuxtà Hieronymum, & Augustinum. Et mysticæ Ierosolymæ, hoc est Ecclesiæ prædicitur: *Super te orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo; & reges in splendore ortus tui.* Quare de Gentium natione post Dei filii in carne aduentum dicitur apud Isaiam 9. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.*

Augustinus hom. 41. inter 50.

Si venit de cœlo magnus medicus, magnus per totum orbem terræ iacebat ægrotus, ait Augustinus. Similiter quia magna erat humani generis obtenebratio, & excæcatio; magna lux ad illuminandos homines orta est. *Venit Christus illuminator, quia diabolus fuerat excæcator. Fecit summus medicus infimi collyrium pretij, vt excæcatos sanaret oculos. Vide quale, quamquè salutiferum fecerit collyrium ex Verbo, & Carne. Refecti autem hominis oculi ita sunt, itaquè illuminati; vt Angelorum exæquare possint oculos*, ait idem Augustinus.

Christus oculorum collyrium.
Supra.

119. Quare posito modico tempore, quo cum Iudæis versaturus erat Christus, eos hic monet: *Ambulate, dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant*; hoc est, dum me præsentem habetis, benè operamini, iuxtà diuinæ illuminationis directionem. Hoc enim iustos facere decet, de quibus dicitur Psal. 88. *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt.*

Via operationem, ambulare operari significat.

120. Porrò sicut frequenter in sacra Scriptura via significat operationem, vt Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam suam.* Iob 23. *Ipse scit viam meam, & probauit*: ita ambulare operari significat. Hinc ambulare coram Deo, est ita operari, sicut ei conuenit, qui Deum præsentem, humanasque actiones intuentem sedulò semper recogitat. Ideo Dauidi à Deo dictum est 3. Reg. 8. *Si custodierint filij tui viam suam, vt ambulent coram me, sicut tu ambulasti in conspectu meo.* Rursus ambulare cum Deo aliquid plus significat, scilicet non solùm Deum sibi præsentem cogitare; sed etiam illum vt comitem, consultorem, & adiutorem suis in actionibus semper habere. Propterea aiebat Dauid: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* Ita vixit Henoch, de quo dicitur: *Ambulauit Henoch cum Deo.* Ita etiam Noë, de quo legitur: *Noë vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis; cum Deo ambulauit.* Hinc bene Hugo ait: *Ambulant post Dominum humiles, & pœnitentes: cum Domino sancti Prælati, & Rectores: ante Dominum pij concionatores, vt S. Ioannes Baptista: à Domino Apostatæ, & qui suæ voluntati, & voluptati seruiunt: contra Dominum superbi, & rebelles, vti Iudas.* At Augustinus serm. 15. de verbis Apostoli, *Videtis*, inquit, *quia viatores sumus. Quid est ambulare? Breuiter dico: Proficere; ne fortè non intelligatis, & pigrius ambuletis. Semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id, quod nondum es; nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit, & periisti. Semper adde, semper ambula, semper profice, Noli in via remanere; noli retro redire; noli deuiare. Remanet, qui non proficit: retro redit, qui ad ea reuoluitur, vnde iam abscesserat: deuiat qui apostatat. Melius it claudus in via, quàm cursor præter viam.*

Psal. 15.
Gen. 5.
Gen. 6.
Hugo in Leuit.
Ambulandi modi quinque; post Dominum, cum Domino, ante Dominum, à Domino, contra Dominum.
Ambulant vlterius alii; alii in via remanent; alii retro redeunt; alii deuiant.

121. Præterea, cum dixisset Dominus: *Ambulate dum lucem habetis*, subdidit: *Et qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat*, hoc est: *Quia, qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat*: nam particula, *Et*, hoc in loco non est coniunctiua, sed causalis: Sic Isaiæ 64. *Ecce tu iratus es, & peccauimus*, hoc est, *Quia peccauimus.* Sic Ioann. Ep. 1. c. 3. *Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit; & peccatum est iniquitas*, hoc est; *Quia peccatum est iniquitas.* Lucæ c. 1. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*, hoc est, *Quia benedictus fructus ventris tui.* Lucæ 18 *Ipsi nihil horum intellexerunt; & erat*; hoc est, *quia erat verbum istud absconditum ab eis.* Verissimè autem dicitur: *Qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.* Tenebris enim peccatorum obuolutus peccator verè per supinam ignorantiam, seù voluntariam obliuionem nescit in quàm horribile pœnarum barathrum se præcipitem agat. *Via impiorum tenebrosa; nescinunt vbi corruant*, dicitur Prouerb. 4. numer. 19. Quæ verba non solùm ad ruinæ locum, sed etiam ad ruinæ tempus referri possunt; ita vt sensus sit: Nesciunt peccatores quo suæ viæ, hoc est vitæ tempore eorum præceps in interitum ruina accidere debeat. *Cum dixerint, pax, & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus*, ait Apostolus 1. ad Thess. c. 5.

Tom. II.

Particula, &, interdū non est coniunctiua, sed causalis, & significat, Quia.
Peccatores repentina morte tolluntur.

Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.

122. CVm à Domino quæsiuissent Iudæi, quisnam esset, eum se toties filium hominis appellantem; *Quis est iste filius hominis?* Respondere potuisset Dominus: *Ego sum lux mundi.* Ego sum *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ego æterni Patris Filius, sum *splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Ego sum *candor lucis æternæ. Ego sum lumen de lumine, Deus verus de Deo vero.* Quæ omnia antea vitæ sanctitate, cœlesti doctrina, & miraculis comprobarat. Nihilominus, vt nobis modestiæ præluceret exemplo; tantùm, vt in suam doctrinam, in qua diuinæ lucis radios inspicere poterant, crederent, dicere maluit. *Credite in lucem, vt filij lucis sitis.* Porrò filii nomen multipliciter in sacris litteris vsurpatur, Cum ad res inanimes refertur, in eo abundantia illius rei, cuius filius dicitur, significatur. Sic Psal. 88. numer. 23. diabolus dicitur *filius iniquitatis*, hoc est maxima iniquitate abundans. Sic Isaiæ 5. dicitur. *Vinea facta est in cornu filio olei*, hoc est, in sublimi loco olei feracissimo. Similiter hic: Vt filii lucis sitis, idem est, ac dicere: Vt maximè illuminati sitis, multaque luce abundetis. Tales autem fuissent Iudæi, si iustitiam amplexi, in Christi doctrinam, diuinamquè lucem credidissent. *Iustorum enim semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Hinc de diuina luce erga animas iustas, ait Dionysius: *Tradit illis primum quidem exigui consortia luminis: deinde, vbi illa degustauere lucem, maiorique eam tanguntur desideria; sese eis magis infundit, & copia vberiori lucis affulget.*

Ioan. 8. 12.
Ioan. 1.
Ad Hebr. 1.
Sap. 7. 26.
In Symbolo.
Filii nomen cum ad res inanimes refertur, abundantia illius rei, cuius filius dicitur, significatur. Ilic, & n. 9. Dominicæ palmarum.
Prou. 4. 18
Dion. de diu. nomin. cap. 4.

123. Præterea sicut solaris lucis partus est aurum, & veluti filius in terræ visceribus conceptus: ita diuinæ lucis partus est supernaturale aurum, nempe charitas erga Deum, & vitæ sanctitas: quæ iuxta Gregorium, auri nomine

Aurum solaris luminis partus.
Gregor. 34. Moral. c. 8.
Charitas & sanctitas auri nomine significātur.

in sacta Scriptura significantur. Hinc idem est dicere: *Vt filij lucis sitis*, ac dicere: Vt per vitæ sanctitatem, & ardentem erga Deum charitatem, sublata omni vitiorum scoria, spiritualitae antei euadatis.

Hac loquutus est Iesus, & abijt, & abscondit se ab eis.

Tract. 2. in Ioan. 124. CHristi iustitiæ solis recessũ ob ipsorum incredolitatem Iudæi metuerunt. Benè Augustinus ait: *Noli cadere in peccatum; & non tibi occidet hic sol. Si in feceris casum, tibi faciet* A *occasum.* Verissima enim est Iob 38. in peccatores commioatio: *Auferetur ab impijs lux tua.* Porrò non ita Dominos à Iudæis, & Ierosolyma recessit, vt non iterum eò redierit; cùm supra dixerit: *Adhuc modicum lumen in vobis est*; hoc est, modico tempore, nempe triduo ante meam passionem vobiscum versabor. Cum autem, & quomodo Christus se absconderit, dictum est Dominica Passionis in illa verba: *Iesus autem abscondit se*: & feria tertia eiusdem Dominicæ in illa verba: *Ambulabat Iesus in Galilæam; non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant illum Iudæi interficere.*

DOMINICA PALMARVM.

Cum appropinquassent Ierosolymis, & venissent Betphage ad montem Olineti; tunc Iesus misit duos discipulos suos, &c. *Matth.* 21.

Euangelij nexus, & ordo.

Ep. 1. c. 3. 1. IN *hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli*, ait Ioannes. Diaboli autem opera præcipua sunt inijcere hominibus humanæ gloriæ desiderium; eosdemque ab humilitate & debita animi demissione reddere alienos. Quare cum Christus Dominus humana contempta gloria, se sua in passione summæ humiliationis, & abiectionis imitandum exemplar propositurus esset; Ierosolymam, veluti theatrum, in quo humanæ gloriæ fugacitas, & instabilitas manifestè videretur, apernit. Propterea in B eadem vrbe, vbi antea tanto populi consensu, tanto ciuium plausu, & honorificentiæ signis exceptus fuerat; paulò post opprobria, cruciatus, & acerbissimam mortem subire voluit: ita vt singulis exhibitæ honorificentiæ argumentis, singula opprobria, ignominiæquè respondeeint. Hoc ergo in Euangelio, Ierosolymam iumento innectus Dominus ingreditur, iuxtà prophetæ vaticinium: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.* Paulò post per eamdem vrbem tamquam reus ad Pontificis, Præsidis, & Herodis C tribunal vinctus raptatur. *Hic plurima turba strauerunt vestimenta sua in via*; vt super ea Dominus honorificè pertransiret: deinde eumdem Dominum propriis eius raptis vestibus denudarunt: *Diuiserunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis.* Prius in Domini tran- A seuntis honorem, *cadebant ramos de arboribus, & sternebant in via*: deinde lignum crucis Domino parauerunt. Prius salutem exoptantes turbæ, clamabant dicentes: *Hosanna filio Dauid: benedictus, qui venit in nomine Domini.* Postea *clamabant dicentes, crucifigatur.* Cumque Dominus crucis patibulum ascendisset; *Prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes. Salua temetipsum, si filius Dei es, descende de cruce.* Quare bene de Ierosolyma vaticinatus est Ieremias: *Peccatum peccauit Ierusalem*; obscurandando scilicet Pharisæorum perfidiæ, in Christum Dominum odio: *propterea* B *instabilis facta est*: Ita instabilis, vt intra modicum temporis spatium, prius Christum honorificentissimè exceperit, deinde per summam ignominiam cruci eumdem affixerit. Frequenter mare placida malacia, tranquilloquè sinu excipit nauigantes; deinde insurgente tempestate eosdem acerbissimè agitatos obruit. Similiter Ierosolyma infidi maris instar, placidissimè prius Dominum excipit; deinde eumdem Dominum per summam perfidiam acerbissima crucis morte demer- C sit. Quare benè Dominus de suo hoc in vrbem Ierosolymam aduentu prædixit Psal. 68. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.*

Humanæ gloriæ instabilitas, & fugacitas. Hic, & n. 27. & 29.

Isa. 62. 11. Zach. 9. v. 9.

Marci 15.

Matth. 27.

1. Thr.

Cum appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliueti.

a. IOsephus lib. 6. de bello Iudaico cap. 3. ait, Ierusalem à monte Olíueti distare stadijs quinque, ab eius verò culmine sex. Stadium autem, spatium est centum viginti quinque passuum; estque milliarij pars octaua. Porro Bethphage oppidulum ad Oliueti montis radices adiacens erat, in quo teste S. Paschasio Sampson deuictis hostibus Philistæis, ardente siti oppressus, ad eam extinguendam aquæ scaturiginem diuinitus erumpentem habuit: per eumdem ergo locum transiens Dominus, cum humanæ salutis siti vehementer arderet; eam mox deuicto diabolo proprio sanguine restinguendam secum ipse recogitabat.

Iudic. c. 15. Bethphage oppidum, in quo Sampson post peremptos Philistæos è molari maxilla erumpente aqua sitim expulit.

Tunc Iesus misit duos discipulos dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est.

3. QVod contra vos est; hoc est ex aduerso, in conspectu vestro esse videtis. *Contra* enim interdum significat coram, seu in conspectu, vt Psal. 50. *Peccatum meum contra me est semper*, hoc est coram me, vt ibi legunt Augustinus, Innocentius, & Isidorus: seu *in conspectu meo*, vt vertit Paraphrastes. Similiter Psal. 76. dicitur *In die tribulationis meæ Deum exquisiui; manibus meis nocte contra eum*: manibus scilicet coram eo ad orandum extensis. Mysticè S. Paschasius Euangelica hæc verba explicans ait: Dominus discipulos *mittit in Castellum quod contra Apostolos fuisse nemo dubitat. Id est mundum, qui nec doctrinarum iugum volebat accipere, nec acquiescere virtutibus bonæ operationis.*

Contra interdum significat coram.

S. Paschas.

Et statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi.

4. IVxta S. Paschasium, & alios asina Synagogam Iudæorum; asinæ verò pullus Gentilem populum mysticè significabat: asina autem Iudæorum Synagogam significans, subiugalis à S. Matthæo dicitur: *Synagoga* inquit Paschasius, *subiugalis ideo vocata est, quia sub iugo legis edomita erat.* Contra verò de pullo Gentilem populum significante, dicitur à S. Luca: *Cui nemo vnquam hominum sedit: quia nemo prophetarum, neque aliquis hominum ad eos missus fuerat: & ideo nihil in eis rationale, neque institutionis secundùm disciplinam eruditionis Dei adhuc erat. Missi Apostoli soluunt verosque, & ad Christum perducunt; vt ascendat super eos in domo obedientiæ, cum soluti fuerint à nexibus peccatorum, accipientes remissionem eorum, quia super alligatos adhuc, & vinculis peccatorum compeditos non sedet Iesus*, ait idem Paschasius.

Paschas. Asina subiugalis Synagoga Iudæorum. Cap. 19. 30.

Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: Quia Dominus his opus habet.

5. DEus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges, Dauid aiebat Psal. 15. & ipse Deus Psal. 49. ait: *Mea sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & boues.* Nihilominus quasi vilium animalium commodatione indigens hic auditur: *Dominus his opus habet.* Quoniam iuxta Apostolorum, *propter nos egenus factus est, cum esset diues; vt illius inopia nos diuites essemus. Pauper factus est Christus, vt nos illius paupertate ditescamus: serui formam accepit, vt nos libertatem recipiamus: descendit, vt exaltemur: tentatus est, vt vincamus: contemptus est, vt nos gloria afficiat: mortuus est, vt seruet: ascendit, vt ad se trahat humi prouolutos in peccati lapsu*, ait Nazianzenus orat. t. in Paschate.

Christi Charitas erga homines. 2. ad Cor. 8.

Et confestim dimittet eos.

6. DVplici vinculo peccator alligatur, vinculo scilicet voluntatis legi diuinæ non obedientis; & vinculo impotentiæ ad resurgendum. Primum vinculum per efficacem gratiam excitantem, secundum per gratiam coadiuuantem soluitur. Hinc benè Bernardus ait: *Solutus est ad mandatum Domini, qui antea tenebatur, aut non valens, aut non volens benefacere; nunc vtroque fortius vinculo alligatus, nec volens scilicet, nec valens.*

Peccatoris vinculum duplex. Ser. 3. in Domin. Palmarum.

Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.

7. PRopheta, cuius non tam verba, quàm sensus hic citatur; est Zachar. c. 9. numer. 9. vbi ait: *Exulta satis filia Sion; iubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & saluator: ipse pauper, ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Theodorus Mopsuestiensis, quòd non de Christo, vt Euangelistæ asserunt; sed de Zorobabele è Babylone reduce, hoc Zachariæ vaticinium intellexerit, vt prauæ interpretationis auctor à Vigilio Papa in Romano Concilio meritò damnatur.

Theodori Mopsuestiensis praua sententia damnatur. Matth. hic, & Ioan. 12.

8. Porrò Lucæ 23. 28. cum à Domino dicitur: *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me*: Nomen *Filiæ* propriè pro mulieribus Ierosolymitanis sumitur. Dixerat enim Euangelista: *Sequebatur illum multa turba populi, & mulierum.* Contra verò, cùm hic ab Euangelista, vel à Zacharia dicitur: *Filia Sion, filia Ierusalem*, metaphoricè filiæ nomen vsurpatur. Consuetum enim est in Scriptura, ita de ciuitatibus, & prouinciis metaphoricè loqui, ac si mulieres essent. Sic Ieremiæ 2. à Deo dicitur. *Vade, & clama in auribus Ierusalem dicens: Hæc dicit Dominus: Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando sequuta es me in deserto.* Similiter cap. 3. *Vidit præuaricatrix soror eius Iuda; quia pro eo, quod mœchata esset aduersatrix Israel, dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudij; & non timuit præuaricatrix Iuda soror eius & abijt, & fornicata est etiam ipsa.* Sic Psal. 136. dicitur: *Filia Babylonis misera*; vbi idem est *Filia Babylonis*, ac Babylon; sicut idem est filia Sion, ac Sion. Quare Augustinus in verba Psal. 71. *Indicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum*: Filios pauperum idem esse, ac pauperes, sicut filiam Sionis, idem esse, ac Sionem, docet. Sic in Scriptura passim *Filij hominum*, homines dicuntur. Qui loquendi modus etiam apud Homerum Iliad. 7. vsurpatus videtur, vbi pro Achæis filios Achæorum dicit. Præterea, quia Virginum propria est illibata pulchritudo, cui debita custodia adhibetur; hinc est, vt ad speciosam vrbem benè custoditam significandam, ea Virginis nomine appelletur. Sic Isaiæ 23. dicitur: *Non adijcies vltra, vt glorieris calumniam sustinens, Virgo filia Sidonis*: & cap. 37. Ierusalem *Virgo filia Sion* dicitur c. 47.

Scriptura de Ciuitatibus, & Prouincijs ut de mulieribus interdum loquitur.

Vrbes speciosæ, & bene custoditæ, virgine nomine appellantur.

Descende, & sede in puluere, Virgo filia Babylon. Hamos 5. *Cecidit, & non adyciet, vt resurgat virgo Israël.* Denique minora oppida, quæ sub aliqua metropoli sunt, eius filiæ dicuntur. Hinc Num. 21. 25. vbi legimus: *Israel habitauit in Hesebon, & in viculis eius:* In Hebræo legitur: *Habitauit in Hesebon, & filiabus eius.*

Oppida Metropolis filiæ dicuntur.

9 Præterea cum filius, aut filia alicuius rei inanimæ dicitur; tunc in eis abundantia illius rei inanimæ significatur, vt Isai. 5. *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei:* hoc est in loco excelso olei fertilissimo. Ratio huius phrasis est, quia filio patris opulentia communicatur. Hinc iuxta Gregor. hom. 12. in Ezech. Hieronymum, & alios de Henoch, & Elia dicitur Zach. 4. *Isti sunt duo filij olei,* seu *pinguedinis,* vt vertunt Septuaginta, hoc est fertilitatis: cum feracissimi bonorum operum fuerint, & ante extremum iudicium tales etiam futuri sint. Quare de iisdem apertè dicitur Apoc. 11. 4. *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.*

Cum filius rei inanimæ dicitur, in eo abundantia rei inanimæ significatur.

10. Rursus si filius dicitur alicuius nominis significantis supplicium, vel præmium, idem est filius, ac dignus tali supplicio, vel præmio. Sic 1. Reg. 20. Morte dignus *filius mortis* dicitur: Matth. 23. dignus Gehenna dicitur *filius Gehennæ.* Lucæ 10. sub nomine *filij pacis*, pace dignus significatur. Insuper eius filius aliquis dicitur, cuius mores, & vitam imitatur, vt Origenes in homil. 4. in Ezechielem docet. Hinc Matth. 3. dictum est: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ:* idest fideles viros, qualis Abraham fuit, vt Hieronymus interpretatur. Vbi tamen Abrahæ datiui casus est, vt ex Græco textu patet.

Filius rei significantis præmium, vel pœnam significat talis præmio, vel pœna dignum. Filius alicuius, eius imitator dicitur.

11. Denique quamuis supra diximus cum Augustino filios hominum nihil aliud significare, quàm homines: & quamuis regula illa à quibusdam tradatur: *Cum filius ponitur cum genitiuo significante substantiam; totum illud nihil aliud significat, quàm significet genitiuus ille mutatus in nominatiuum suum:* vniuersaliter accepta talis regula falsa reperitur. Nam 4. Reg. 4. cum dicuntur *Filij prophetarum*, non Prophetæ, sed discipuli prophetarum significantur, vt ibi docet Dionysius, & alij communiter: Sicut enim nomen Patris tribuitur magistro, vt Genes. 4. 21. *Iubal pater canentium cithara* dicitur; hoc est magister, & talis artis inuentor: Sic nomine filij discipulus benè significatur: Rursus Oseæ c. 11. *Filij maris*, non Maria, sed homines maritimæ regionis accolæ dicuntur.

Filii Prophetarum, prophetarum discipuli dicuntur. Patris nomē magistro tribuitur. Filii maris, maritimæ regionis accolæ dicuntur.

12. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Pro mansueto apud Zachariam habetur *Ipse pauper.* Nominis hæc diuersitas (realis enim varietas non est, vt mox dicetur) prouenit ex eo, quòd in Hebræo legatur עני *ngani*, quo nomine propriè pauper significatur: quam lectionem Zachariæ interpres secutus est. At ibidem Septuaginta, quos sequitur S. Matthæus legerunt ענו *nganau*, quæ vox proprie significat mansuetum: nihilominus tam pauper, quàm mansuetus veluti synonima sunt: qui enim rerum humanarum contemptor, qualis Christus fuit, voluntariè pauper est, humilem, atque adeo mansuetum erga alios se exhibet. Quare Hebræa vox עני *ngeni* tàm paupertatem, quàm humilitatē, atque adeo mansuetudinem significat. Et Hebræa vox עני *ngani*, idest pauper; & ענו *nganau*, idest mansuetus, ab eadem radice ענה *nganà*, idest afflictus est, humiliatus est, deriuantur. Mansuetus etiam Græcè [illegible] voce pauperi non absimili significatur. Hinc Isaiæ vltimo, vbi in vulgata habetur: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum?* Iuxta Septuaginta, quos sequitur S. Bernardus, & alij, legitur: *Nisi ad humilem.* Ibidem Clemens Alexandrinus legit: *Nisi super mansuetum?* Neque hoc mirum esse debet, quòd pro pauperculo ponatur humilis, & mansuetus: paupertas enim tumidas superbiæ spiritus, quos opulentia eleuat, deprimit.

Hom. 1. sup. missus est. Lib. 1. pædagog.

Mansuetus, humilis & pauper velut synonyma sunt.

13. Porrò Christus meritò Rex mansuetus dicitur; cum inter homines etiam calumniatores versando, mansuetudinis virtute excelluerit. Ideo Christo Domino S. Bernardus ait: *Propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Iesu; audientes, quòd non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos.*

Christi mansuetudo eximia. Bernard. ser. 22. in Cantica.

14. Hinc mirum esse non debet, si talis virtus homines valdè diuinis oculis gratiosos reddat: Est enim morum similitudo conciliandæ beneuolentiæ maximum incentiuum. Ideo vt testatur Chrysostomus hom. de mansuetudine: *Deus homines non ita diligit propter virginitatem, ieiunium, contemptum diuitiarum, hilarem eleemosinarum largitionem, vt propter mites, & compositos mores.* Non omnibus datur virgineam pudicitiam seruare; imbecilles ieiuniis non sunt idonei; mercatoribus difficillimum est diuitias contemnere; pauperibus eleemosynas elargiendi facultas non suppetit. At compositos mansuetudine mores habere, & in hoc Christum Dominum primum mansuetudinis exemplar imitari, omnibus licet: *Audiant mansueti, & lætentur.* Nam, vt ibidem Chrysostomus ait: *Diligenter inquire, quæ ex morum suauitate bona mansuetis proueniant: gratus, & amabilis est videntibus: gratus item, & iis, quibus tantum nomine notus est. Neque facile vllum inuenies, qui audiens laudari hominem mansuetum, illum videre, & exosculari non desideret; & non habeat in aliquanta lucri parte eius amicitia possessus.*

Mansueti, & mites Deo, & hominibus maximè grati. Hic, & in sequentib.

Psal. 33.

15. Ecclesiasticus c. 3. 19. ait: *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.* Hoc est, mansuetudinis virtus efficacior humanæ dilectionis conciliatrix est præ omnibus aliis excellentiis, quæ in homine videantur, aliosque ad eum diligendum allicere possint. Ad conciliandum aliorum amorem multùm liberalitas valet. Sed in hoc etiam à mansuetudine superatur: *Fili, incede cum mansuetudine in diuitijs tuis; & sis dilectus hominibus, plusquam is, qui largitiones elargitur,* citato Ecclesiastici loco legit Arabicus. Porrò dicente Ecclesiastico *super hominum gloriam diligeris*, interpretes aliqui particulam *super* interpretantur *præter*; ita vt significetur mansuetum præter gloriam, & nominis celebritatem, consequi etiam animorum erga ipsum propensionem, & dilectionem: non omnes enim, qui celebrantur, amantur; mansuetorum autem celebrari, & amari proprium est.

Mansuetudo præ liberalitate hominibus gratior.

16. Ad hoc probandum eximia Mosis, & Dauidis S. Ambrosius lib. 2. offic. c. 7 affert exempla dicens: *Quantas Moyses à populo Dei illatas absorbebat contumelias? Et cum Dominus in insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat*

Mosis, & Dauidis mansuetudo eximia.

frequenter, vt indignationi diuinæ plebem subduceret. Quàm mitì sermone post iniurias appellabat populum, solabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fouebat operibus; & cum Deo constanter loqueretur; homines tamen humilis, & grata appellatione affari solebat. Meritò æstimatus est supra homines; & vt vultus eius non possent intendere, & sepulturam eius non repertam crederent; quia sic fuis totius plebis mentes deuinxerat; vt plus eum pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur. Quid eius imitator sanctus Dauid, electus ex omnibus ad plebem regendam; quàm mitis, & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu? Ante regnum se pro omnibus offerebat; Rex cum omnibus æquabat suam militiam, & patiebatur laborem: fortis in prælio, mansuetus in imperio; patiens in conuitiis; ferre magis promptus, quàm referre iniurias. Ideo tam charus erat omnibus, vt iuuenis ad regnum, etiam inuitus peteretur, resistens cogeretur; senex ne prælio interesset, à suis rogaretur; quòd mallent omnes pro ipso periclitari, quàm illum pro omnibus.

In Psal. Rom. 29 ad popul. Mansuetus amœnissimo montis culmini comparatur.

17. Iuxta S. Basilium: *Qui nullum perturbationi relinquunt locum, hi mansueti appellantur.* Horum, ait Chrysostomus, *mitium, mentis vertici similis est, auram quidem habenti tenuem, purum radium, pura fontium fluenta, multasque florum amœnitates, vernantiumque pratorum, & hortorum plantis, & floribus frondentium, & aquis viridantium irriguis. Vbi si quis sonus immurmuret, dulcem, & multam inspergit audientibus voluptatem. Aues enim canora summis arborum insidens frondibus; & cicadæ, & lusciniæ, & hirundines tenentium quamdam concorditer efficiunt musicam: Zephyrus arborum folijs sensim aspirans cycnos frequenter imitatur, & rosæ, ac violæ, & flores se leniter inclinantes, & viridantes, quasi mare caeruleum blando fluctuans exhibent: vt hic quispiam oblectatus se magis in cœlo, quàm in terra esse censeat. Est & alia quædam vox, cum à vertice montis aqua per riuos sponte defluens, & subiectis lapillis quietosono sensim immurmurat; & ita membra resoluit per voluptates, vt statim lassantium oculis somnum ingerat. Audistis cum delectatione narrationem? Ferrò iam solitudinis amatores estis facti: sed hac solitudine multò iucundior est longanimis viri anima. Non enim vt pratum describeremus; necvt ad ostentationem verba produceremus, hanc assignimus similitudinem; sed vt per descriptionem videntes quanta sit longanimorum voluptas; & quòd multò magis cum longanimi viro conuersans, quis delectatur, & iuuatur; quàm in talibus conueniens locis, hos sectemini. Cum enim neque spiritus vehemens ex hac exeat anima, sed mites quidam sermones, & benigni, verè illam Zephyri lenitatem, & quietem imitantes; & admonitio nihil quidem habens austerum; sed canoras imitans aues. Quomodo non hoc melius? Non enim corpori illiditur sermonis aura, sed animos refouet calentes, & exæstuantes.*

Descriptio elegans non ad ostentationem, sed vt virtutis pulchritudo ostendatur, adhibenda.

Or. 1. contra Iulia. Chameleon colores omnes assumit, præter candidum.

18. Mansuetudo adeo excellens virtus est, vt ea non solùm secundùm se, sed neque secundùm adumbratam suam imaginem in vitiosis animis reperiri queat. De Iuliano Apostata scripsit Nazianzenus: *Quemadmodum Chamæleontem faciliè ferunt variari, & omnes assumere colores præter candidum: ita ille omnia, præterquam mansuetus erat.* Hypocrytę hypocrisis penicillo eximiam mansuetudinis formam effingere denegatur; nè ea certum solidæ virtutis præferat argumentum. Alexander Macedo alio, quàm Apellis penicillo suam imaginem effingi vetuit: Mansuetudo similiter altò, quam virtutis penicillo suam ex-

Iulianus Apostata, præter mansuetudinē, virtutes alias simulare ec... atur.

A primi effigiem vetat. Hinc iusti, & ad excellentiam electi, veluti proprio sanctitatis vocabulo mansueti dicuntur Psal. 75. *Cum exurgeret Deus in iudicio, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.* Eximia profectò verbis hisce mansuetudinis excellentia indicatur. Quandoquidem extremo iudicij die, non omnes orantes, vel ieiunantes, vel eleemosynas largientes, vel castitatem seruantes saluandi dicuntur; secus autem de verè mansuetis dicitur: *Vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.* Quare ad hos præcipuè Dei filius è cœlo descendisse se ait: Isai. 61. *Spiritus Domini super me; eò quòd vnxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me.* Cum ergo ad mansuetos Dominos venisset, eos cœlestis regni participes facturus, eisdem se mansuetum Regem exhibuit: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Dices: in Euangelio reperimus Dominum sæpè mansuetudine relicta, acria verba, & obiurgationes adhibuisse: vt Matth. 12. vbi Scribas, & Pharisæos ad eum accedentes, generationem malam, & adulteram vocat: & Matth. 23. *Væ vobis, Pharisæi hypocritæ, stulti, & cæci:* & Ioan. 8. 44. *Vos ex patre diabolo estis.* Respondetur teste Aristotele 4 Ethic. c. 5. *Mansuetus ille est, qui perturbatione vacat, & ab affectu minimè ducitur; sed quemadmodum ratio statuerit; ita & ob id, & tamdiu succensit.* Quare cum Dominus iuxta rectissimę rationis dictamen acribus verbis, sed summa tranquillitate in peccatores inuehebatur; neque tunc à mansuetudine alienus erat; cum ex diuina benignitate ipsas obiurgationes in peccatorum correctionem, salutemque dirigeret.

Electi proprio titulo mansueti dicuntur.

Mansuetus quis sit dicendus. Mansuetis etiam irasci licet.

B

C

Sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.

19. Subiugalem pulli matrem vocat Euangelista, non tam quòd equitantis iugum iam antea subiisset, vt docet Cornelius; frænum enim impropriè iugum dicitur; sed quòd aratroni deseruiret: in quem vsum huiusmodi animalia adhiberi solita testatur Plinius lib. 8. c. 4. & Deut. 22. 10. dicitur: *Non arabis in boue simul, & asino*, eò quod eorum vires inæquales sint. Et D Isaiæ c. 30. dicitur: *Tauri tui, & pulli asinorum, qui operantur terram.* Quæritur hic, quomodo Christus simul dicatur super asinam, eiusquè pullum sedisse? Respondent Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius, Abulensis, Maldonatus, & Iansenius Christum super alterum tantùm, scilicet super pullum sedisse. Quare hi auctores legerunt *super asinam, & (pro idest) super pullum filium subiugalis*, existimantes hoc in loco particulam *Et* non esse coniunctiuam, sed explicatiuam, poniquè pro *Idest.* Quem quidem talis particulę vsum alibi non infrequenter in sacra Scriptura reperiri negandum non est. Sic Gen. 2. de E Deo dicitur: *Benedixit diei septimo, & (pro idest) sanctificauit illum*; scilicet diuino cultui consecrauit. Gen. 37. de Iosepho Ruben dixit: *Frater, & caro nostra est*; idest, caro nostra est, cum frater sit. Psal. 115. *Sacrificabo hostiam laudis; & (pro idest) nomen Domini inuocabo.* Matth. 13. de Angelis dicitur: *Colligent de regno eius omnia scandala, & (pro idest) eos, qui faciunt iniquitatem.* Ad Roman. 1. *Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum*, idest Apostolatum. Ad Rom. 2. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & (pro idest) reuelationis iusti iudicij Dei.* Ad Coloss. 2. *Videte, ne quis vos seducat per Philosophiam & (pro idest) inanem fallaciam.* Allatæ interpretationi conso-

Particula, &, ponitur pro, idest,

nant alii Euangelistæ dicentes tantùm super pullum sedisse Dominum. Quare si Dominus in altero tantùm duorum animalium sedisse dicatur, qui allatam interpretationem sequuntur, non coguntur recurrere ad Synecdochen; ita vt hic accipiatur pars pro toto, idest alterum tantùm animal loco duorum; sed potius ad Epexagesim, per quam antecedens per subsequens clarius explicatur, vt vidimus citatis in locis.

Christus ipsa subiugale animal prius, deinde supra illius pullum sedit. Hic, & n. sequenti.

20. Secundò propositæ difficultati aliter, & simplicius respondent idem Chrysostomus, Theophylactus, Caietanus, & alii, Christum super vtrumque animal successiuè sedisse. Hæc interpretatio placet magis, cum conformior sit vulgatæ lectioni, tùm S. Matthæi hic, tum Zachariæ c. 9. vbi super asinam, non asinum sedisse B Christus legitur. Confirmatur, quia ex S. Matthæo vtrique, scilicet matri, & pullo ad Christi commodam sessionem vestimenta discipuli imposuerunt, *& eum super eos sedere fecerunt*, vt in Romanis Bibliis legitur. Quòd si alii Euangelistæ sessionem super asinam non referunt; id Matthæi, & Zachariæ testimonio derogare non debet: dum iuxta Philosophicum axioma abstrahentium non sit mendacium: & alibi etiam Euangelistæ aliquid omittant, quod alii referunt.

21. Quæres, cur Christus tam breui itineris spatio duobus iumentis vti voluerit? Respondetur Dominum oblato à discipulis domito animali C prius ad iter vsum esse; deinde sedere etiam voluisse super nondum domitum, suam vt indicaret potentiam; cui scilicet etiam indomitus pullus se facilè obsequentem submitteret. Respondet præterea S. Paschasius id ad mysticam figuram esse factum: *Vt asina, quæ subiugalis fuit, & edomita, Synagoga intelligatur: Pullus autem asinæ lasciuus, & liber, Gentium populus; in quibus vtrisque feliciter sedit Dominus.* Et in mundi fine

Ioa. 10. 16. completè sessurus est, cum *fiet vnum ouile, & vnus pastor.*

Euntes autem discipuli fecerunt, sicut præcepit illis Iesus.

D

Obedientiæ cæcæ, & imperfectæ discrimen.

22. Cæca obedientia difficultates non obtendit; ideoquè discipuli non dubitarunt, an possessor iumenta ad Christi vsum facilè dimissurus esset. *Imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis indicium est statuta seniorum studiosius discutere; hærere ad singula, quæ iniunguntur; exigere de quibusque rationem; & malè suspicari de omni præcepto, cuius causa latuerit; nec vnquam libenter obedire; nisi cum audire contigerit, quod fortè libuerit; aut quòd non aliter licere, seu expedire monstrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata satis, immo valdè molesta est huiusmodi obedientia*, ait Bernard. tract. de præcepti dispensatione.

E

Et adduxerunt asinam, & pullum; & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum super sedere fecerunt.

Bernardus. In anima virtutibus ornata Dominus non insidet.

23. Bernardus ser. 27. in Cant. ait; *Domino sessuro super asellum, vestes suas discipuli substrauerunt; significantes Saluatorem, seu salutem, nequaquam insidere nudæ animæ, quam non videlicet vestitam inuenerit doctrina, & moribus Apostolorum. Et ideo Ecclesia promissionem habens futuræ felicitatis, curat interim præparare, & præornare se in vestitu deaurato circumdata varietate gratiarum,*

A *atque virtutum; quò digna, & capax plenitudinis gratiæ inueniatur.* Hinc idem serm. 7. in Psal. *Qui habitat*, iustos hortatur: *Glorificate dilectissimi; & portate Christum in corpore vestro; onus delectabile, suaue pondus, sarcinam salutarem; etiam si aliquando premere fortè videtur; etiam si interdum latera tundit, & flagellat recalcitrantem; etiam si aliquando in chamo, & fræno maxillas constringit, & coercet omninò feliciter. Quis enim non illi iumento plurimùm inuideret, cuius in humili tergo, ad commendationem ineffabilis suæ mansuetudinis dignatus est sedere Saluator, si cum illius tam pretiosi oneris gestatione, intelligentiam quoque tam singularis habuisset honoris? Vt iumentum igitur esto, minimè tamen* B *iumentum; patienter quidem sustinens onus, sed honorem intelligens: sapienter, & delectabiliter cogitans tam ipsius oneris qualitatem, quam propriam vilitatem. Magnus ille Ignatius Mariam in pluribus, quas ad eam scripsit, epistolis, Christiferam consalutat. Egregius planè titulus dignitatis, & commendatio honoris immensi: nempe cui seruire, regnare est: gestare hunc, non onerari est, sed ornari.*

Idem.

Epist. 1. ad Corinth. c. 6. 20.

24. *Qui ambulat simpliciter; ambulat confidenter*, ait Salomon. *Ambulat simpliciter, qui humiliter ambulat*, ait Hugo. Humiliter ambulat, qui se Dei imperio, obsequioquè facilè subdit; ita vt cum Propheta verè dicere possit: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Quare benè Bernardus ait: *Vnde ei, de quo nunc loquebamur,* C *Saluatoris asello verendum vllatenus videbatur, ne sub illa tali sarcina deficere posset in via? An verò timendus ei aut luporum incursus, aut raptorum occursus; vel præcipitium, seu periculum aliquod sub tanto Præside metuendum? Felix, qui sic tulerit Christum, vt à Sancto sanctorum in sanctam Ciuitatem mereatur induci. Non est omninò, quòd timeat, ne vel in via aliquod offendiculum, vel repulsam in ianua patiatur. Illi nempe iumento viam parabant fideles populi; huic Angeli sancti. Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

Prou. 10. 11.

Psal. 72.

Supra.

Psal. 90.

Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via; alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.

D

Tres hominum ordines: alius alio perfectior.

25. Tria obsequii genera à fidelibus Redemptori hic exhibita legimus. Alii scilicet arborum ramos præciderunt, quibus via equitanti Domino ornaretur: alii transeunti Domino deposita pallia supposuerunt: alii denique, nempe discipuli, supra iumentum proprias vestes collocarunt, vt super eas commodius Dominus consideret. *Quæ gesta sunt*, ait S. Paschasius, *figuram totius Ecclesiæ esse lector intelligat, & prophetiam magnarum rerum.* Quod explicans ait: *Tres prorsus hic introducuntur ordines; vnus eorum, qui ramos cædebant de arboribus, & aliquam præparabant* E *itineris pulchritudinem, per quod proficiscebatur vnà cum plebibus in Ierusalem: qui licet perfecti essent in fide, & sancti in virtute, ac docti; doctiores tamen sunt, & sanctiores in alio ordine, qui habitu Christi induti, ornamenta doctrinarum suarum, & virtutum vestes prosternebant in via; per quam asina, & pullus, idest plebs fidelium transiret ad illam patriam cælestem; quatenus, vt mundissimè incederent, nec in aspera incurrerent loca, laborarunt; vt nec terram saltem contingant, neque rerum terrenarum aliquid puluereum; sed sint illis omnia plana viarum itinera, & praua in directum fiant. Qui licet perfectiores sint, & doctiores tales, qui eo aguntur spiritu: Nemo tamen ad culmen eorum potest contingere, qui*

Sternere in via ante Christo vestimenta & arborum ramos, quid mysticè significet.

eos primùm iussu Dei & soluunt, & ducunt; & sternunt ornamenta virtutum suarum super eos. eumquè desuper sedere faciunt. Alij teste eodem S. Paschasio *Vestimenta, & frondes de arboribus, quæ proiecta sunt in via, mandata legis, & figuras, atque diuersas species, & cæremonias Iudaicæ religionis volunt intelligi. Quæ omnia à Christianis fuerant conculcanda in via, idest in Christo; & ideo nunc eos sub pedibus iumentorum strauisse ea. Non solùm mandata, & cæremonias; verum etiam & omnem gloriam, quam habebãt ex lege hi, qui venerant ex circumcisione proiecerunt, vt Christum lucrifacerent.* Porrò similis honor, qui Christo hic stratis vestimentis tributus est, exhibitus legitur Iehu, cum in Israëlis regem esset assumptus, vt 4. Reg. 9 dicitur: *Vnusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus eius, in similitudinem tribunalis; & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit Iehu.* Rex Iehu, quatenus impium Baalis idolum, cultumquè penitus sustulit, typus Christi Domini fuit; qui ad nos, vt

4. Reg. c. 10.

opera diaboli dissolueret, aduenit. De militum similiter erga Vticensem Catonem obsequio Plutarchus ait: *Strauerunt vestes in illis locis, per quà ille ex prouincia decedens transiturus erat.* Aduersus tyrannidem acerrimus Romanæ libertatis Cato Vticensis propugnator fuit; sed irrito conatu: aduersus diaboli tyrannidẽ felicissimè Christus Dominus homanum genus in libertatem asseruit.

Catoni à militibus exhibitus honos.

Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio Dauid: benedictus, qui venit in nomine Domini.

Hosanna quid significet.

26. HAS turbas Redemptori, veluti triũphanti obuias palmarũ ramos manibus gestasse docet Ioann. 12. Quid autem ista acclamatio Hosanna filio Dauid significet, fusius explicatum est fer. 3. post Domin. primam: *Lux, & gloria, & laus cum supplicatione Domino, hoc significat Hosanna, si Latinè explicetur,* ait Clemens Alex. l. 1. Pædagogiæ c. 5. Subditur deinde hoc in Euangelio: *Benedictus, qui venit in nomine Domini* hoc est, Benedicatur, laudetur, celebretur, bonũquè ei exoptetur; qui ad nos potẽtia, auctoritate, & gloria diuinitus ei communicata aduenit. Sumitur autem nomen pro potestate, & dignitate ex tali nomine proueniente; nam qui dominatione, & auctoritate à Rege habita ad vrbes regendas accedunt, regium nomen, quo illis regimen traditum ostenditur, & cõprobatur, in diplomate scriptum præferũt; & hinc, qui tradita à Rege potestate aduenit, regio nomine dicitur aduenire. 1. Reg. 17. Dauid, quòd diuina potentia fretus ad hostem Goliath prosternendum accederet, dixit: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.*

Christus cur ante passionem Ierosolymæ à turbis honorificè excipi voluit.

27. Quæri hic potest, cur Dominus, qui humanam gloriam verbis, & operibus alibi despiciendam ostendit; hic iam honorificè Ierosolymam ingredi voluerit? Respondetur id à Redemptore factum esse, non vt humanam gloriam sectaretur, sed potius, vt eius breuitatem, & fugacitatem benè cognitam nobis contemnendam esse doceret. De Christo Domino ait Bernardus: *Quod antea prædixerat per Prophetam: Quoniam omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos fœni, etiam apparens in carne, manifestè studuit probare in seipso. Vnde & processionis gloria voluit sublimari, qui paulò post sibi nouerat imminere diem ignominiosissimæ passionis. Quis ergo sperare iam debeat in incerto gloriæ temporalis; cum videat in ipso quoque, qui peccatum non fecit, creatore temporum, & conditore vniuersitatis, post exaltationem, tantam nihilominus humiliationem sequi? In eadem enim ciuitate à plebe eadem, & eodem tempore; nunc quidem processionis gloria, & diuinis est laudibus honoratus: postea verò interrogatus contumelijs, & tormento, & cum sceleratis deputatus. Hic est transitoriæ finis lætitiæ, hic fructus gloriæ temporalis.*

Ser. 1. Domin. Palmar.

Isa. 40.

28. Christus Dei virtus, & sapientia de se ait: *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas.* Ad cœlestis huius platani vmbrã Iudæorũ turbas tum maximè venisse hoc in Euãgelio videmus: mox etiam à Iudæis eãdem platanũ ferro discissam legimus. Ita vt multò melius, quàm Themistocles apud Plutarchũ, Christus Dominus dicere potuerit se platano esse similem, ad cuius vmbram irradiante gloriæ sole accurrerint omnes; eãdem deinde, cum aduenrẽte potestate tenebrarũ ad vesperascere, die declinante discerpserũt. Quare hic Christus, ne pedes incederet, geminũ iumentorum habuit: postea à satellitũ turba magno impetu tractus crucis pondere oneratur. Hic Redẽptori vestimenta in via subijciũtur: postea eodem nudatur, *diuiserũt sibi vestimenta eius.* Hic ad viam Domino exornandam arborũ rami, nempè palmarũ, & olearum, teste S. Hieron. præciduntur: postea ex eisdẽ arboribus, nẽpe palma, & olea, vt docet Glossa in Clement. 1. de summ. Trin. Iudæi crucẽ construxerunt. Quare arborum ramusculos Dominus ad triũphalem ingressum ornandũ admisit; earũdem verò arborũ durum stipitem sibi ad mortis cruciatum reseruari voluit. Quæ citò arescunt, gloriæ deseruiũt; quæ diù permanent ad ignominiã à Domino assumuntur. Similiter cum Domini natalis Angelorum cantibus esset celebrandus, & ipse ab Oriental. Regibus esset adorandus; in humili spelũca, paruoquè castello, qualis erat Bethlẽ, nasci voluit. Cũquè postea ignominiosã crucis mortem esset subiturus; clarum muniẽ, ipsãquè Prouinciæ celeberrimã metropolim, nẽpe Ierosolymã adiit: *Bethleẽ prælegit natiuitati, Ierosolymã passioni,* ait S. Leo. Idquè, vt nos gloriam despicere doceremur.

Eccli 24. 19.

Christus platano similis.

In Apopht.

Matth. 27.

Marci. 15.

Christus humanam gloriã parcius, ignominiam largius admisit.

Ser. 1. de Epiph.

29. Denique hic Christo, vt Regi, lætæ prosperitatem cõclamantium voces ingeminantur: postea eidem ad irrisionem dicitur: *Aue Rex Iudæorum:* eidemque mors expetitur dicendo: *Crucifige, crucifige eum.* Discãt Christi imitatores humanam gloriam adeò instabilem aspernari. Nam, vt benè docet August. *Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet; vt illa quæratur felicitas, cuius dulcedo non est fallax. Deus delicijs, & gaudijs nostris ponit modũ, ne supra alueum effusa, rationem obruant,* ait Ambros. Fideles Dauid ad Dei laudes hortatur dicens: *Laudate eum in psalterio, & cythara.* Vt fidelis anima veluti cithara diuinis auribus suauiter resonet, non ita acutũ, & elatum sonum emittere debet, vt illũ graui etiam sono non temperet: scilicet non ita prosperitate debet extolli, vt ad grauia perferẽda descendere nũquam velit. Hinc Seneca ait: *Tam est varia, multiplex, reciprocabilisque huius mundi harmonia; quàm lyra est, & arens. Vt musica sonis acutis, & grauibus constat: & musicus est, non qui horum alterutris, sed qui vtrisque vti, miscereque accõmodatissimè nouit: ita consentaneũ est vitã tenorẽ ex prosperis, aduersisque rebus concretum, & coagmentatũ, quasi concentũ quẽdam efficere harmonica ratione tẽperatum.* Porrò ne pro diuina lege, & Domini imitatione aduersa subire renuamus, illud sæpè recogitemus, quòd sicut Dominus triũphales huius diei palmas, & oleas in crucem postes assumpsit; sic è contrario nostrûm vniuscuiusque crux pro Domino in hac mortali vita suscepta, postea cœlesti in patria in triũphalis gloriæ palmam, & æternæ pacis oleam est commutanda.

Marci 15.

Ser. 29. in Matth.

Felicitatibus cur aduersitates Deus admisceat.

Psal. 150.

Lib. de tranquillitate animo.

Vita humana musicæ harmoniæ similis.



FERIA SECVNDA.

MAIORIS HEBDOMADÆ.

Iesus ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus. *Ioan. 22.*

Euangelij nexus, & ordo.

Peccatoris, & iusti discrimen. Hic. & n. sequenti.

1. Oc Euangelium ad piam iusti libertatem commendandam, ad impiam peccatoris damnandam auaritiam dirigitur. Sunt inter iustum, & peccatorem multa discrimina; sed illud freqoens, & præcipuum, cuius meminit Dauid Psal. 36. *Mutuabitur peccator, & non soluet: iustus autem miseretur, & tribuet.* Mutuò accipiens peccator, & non restituens, aliena rapit: iustus verò proximi indigentiam miseratus, sua, quæ possidet, libenter aliis elargitur. Piæ animæ, & iustæ specimen exhibet Magdalena, eiusquè soror Martha de quibus dicitur: *Fecerunt ei cœnam ibi, & Martha ministrabat. Maria* B *ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu; & extersit capillis suis pedes eius, & domus impleta est ex odore vnguenti.* Quare Christus Dominus iustorum omnium caput, vt suis fidelibus piæ liberalitatis materiam indicaret, & commendaret, dixit: *Pauperes semper habetis vobiscum:* piamquè Magdalenæ vnguenti elargitionem vbique celebrandam statuit dicens: *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius,* scilicet Magdalenæ. Matth. 26.

2. Contra verò à Iuda iniqui, & rapacis peccatoris specimen datur; de quo dicitur: *Dixit vnus ex discipulis eius Iudas Ischariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum: Sed quia fur erat; & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.* C

Iesus ante sex dies Pascha venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus.

3. TAm Toletus, quàm Cornelius Dominum die Veneris venisse Bethaniam docent. Iuxtà Cornelium tamen asserentem eo tempore in diem Iouis Iudæorum Pascha incidisse, D in sex dierum numero ipse itineris dies, nempe dies Veneris computatur. Contra verò iuxta Toletum asserentem Paschatis diem fuisse diem Veneris, è sex dierum numero ipse itineris dies excluditur.



A *Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat: Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo.*

4. CÆnam hanc in domo Simonis, qui à lepra curatus fuerat à Domino, paratã fuisse habetur Matth. 26. *Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus: Quod vera resurrectionis erat signum, cum post dies aliquos viueret, & comederet,* ait Chrysostomus.

Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi.

B

5. DE odorifero nardi liquore plura habentur apud Plinium lib. 12. c. 12. & lib. 13. c. 1. & Dioscoridem lib. 1. c. 6. ex quibus ait Philo Carpathius. *Nardus medicus est frutex Syriæ, & Indiæ præstantissimus, colore rufo, commatus, odoratissimus, saporis amari, suauitatem odoris diutissimè retinens: calefacit, exsiccat, viretquè perpetuò. Miscetur antidotis, & efficacissimas vires ad quamplimos morbos habet.* Nardus qualis sit. In Cantica c. 4.

6. Quæ circa Magdalenam, effusumquè vnguentum hic repeti possent, dicta sunt feria 5. post Dominicam passionis. Explicandum tamen remanet, quid hic pistica nardus, cuius expresso succo odoratus liquor confectus erat, significet. Sed in elicienda nardi huius pistica signi- C ficatione, magis quàm ipsi vnguentarii artifices, qui inde liquorem expresserint, sacri interpretes opinionum diuersitate laborasse videntur. Prima sententia est *πιστικὸν*, hoc est pressum, vel expressum à verbo *πιέζω* idest premo per aphæresim dictum esse pisticum; eò quòd ex nardo ad odoriferum hunc liquorem conficiendum torculari succus exprimeretur. Hinc liquida nardus dicta est: *Nec coma vos fallat liquida nitidissima nardo.* Opponit huic sententiæ Cornelius primò, quòd per eam nil nouum, nil insigne huic vnguento tribuatur: Secundò quòd pisticum al- D lato sensu vsitatum non sit. Responderi tamen potest, non necesse fuisse per verbum pisticum insigne aliquid tali vnguento tribuere; eò quòd post pisticum additum fuerit pretiosum. Ad secundum dicitur ex Augustino Scripturam sacram sua sæpè habere propria idiomata, vocumquè vsum, quæ aliis vsitatæ non sunt. Planius autem videtur recurri ad vocis vsum non adeo frequentem; quàm ad corruptum verbum, nec vsitatum, vt sequens sententia recurrit.

Nardum pisticã, alii nardum torculari pressam: alii nardum spicatam, alii potabilem: alii fidelem, & sinceram: alii pistam, hoc est contusam significare docent. Hic, & sequenti. Ouid. de arte lib. 1. Scriptura sacra propria idiomata habet, & sæpe vocum vsu aliis non vsitatum. August. Quæst. in Genes. 4.3 & in Ioan. tr. 10.

7. Secundò Cornelius concordando cum Ioanne Marcum dicentem Magdalenam attulisse *alabastrum*

alabastrum nardi spicati, asserit pisticum corrupto vocabulo dictum esse pro spicato, hoc est spicato.

8. Tertiam interpretationem verbi pistici affert Maldonatus, illud ἀπὸ τοῦ πίνειν, hoc est potare deducens; ita vt idem sit pistica nardus, ac potabilis. Sed ex odorifera nardo expressus liquor, ad potandum, sed ad conspergendum odore corpus, adhiberi solitus videtur. Præterea nardo amarus succus, adeoque ad potandum iniucundus sapor tribuitur, vt supra ex Philone Carpathio dictum est.

9. Quartò alii, cum fides Græcè πίστις dicatur, hinc pisticum, hoc est fidele deriuant. Fidelis autem nardus dicitur, cum sincera est, non adulterata, quia teste Plinio vera nardus *adulteratur pseudonardo herba, quæ vbique nascitur crassiore, atque latiore folio, & colore languido, in candidum vergente. Sincerum quidem leuitate deprehenditur, & colore rufo, odorisque suauitate, & gustu maximè siccante os, sapore iucundo.* Quæ vltima Plinii verba fauere videntur superiori sententiæ, pisticum, idest potabile interpretanti: cum Plinius eius gustum, & saporem celebret. Sed quod pisticum fidele non significet, opponitur, quia si vox pistica à fide deriuaretur, quæ Græcè πίστις dicitur, non πιστικὴ, sed πιστὴ dici deberet. Respondetur tamen Pisticum verbum quidem esse Græcum, eius tamen inflexionem esse Latinam, cum eo tempore ex Græca lingua, & Latina mistio aliqua facta esset, ex nationum commercio, vt mox dicemus.

Lib. 12. c. 12.

10. Quintò sicut triticum dicitur, quia tritum vsui est in cibum; ita similiter cum Latinè pistum, quod est contusum, dicatur; hinc pisticum deriuatum est, ad aliquid significandum, quod contusum alicui vsui esse potest; qualis erat ad odoriferum liquorem conficiendum nardus. Huiusmodi autem deriuationes alias reperimus, vt terrum, & terricum; volatum, & volaticum. Confirmari id potest 29. Exodi; vbi præcipitur Deo offerendam esse in sacrificium *Decimam partem simila conspersa oleo tuso.* Quam eamdem oblationem Num. 28. Moses vocat: *Decimam partem Ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo.* Ad explicandum ergo oleum purissimum, quod in Numeris præcipitur; in Exodo oleum tusum dicitur, hoc est benè ex oleis expressum. Similiter hic Euangelista ad purissimum, maximeque sincerum nardi vnguentum significandum, illud pisticum, nempè benè contusum, & expressum appellauit. Huic sententiæ opponi potest, quòd pistica vox in sensu allato non Græca, sed Latina sit; cum tamen pisticum in Græco textu reperiatur. Respondetur tamen etiam Apostolum primæ ad Corinth. cap. 10. num. 25. dixisse: *Omne, quod in macello venit, manducate*, vbi Græcè est ἐν μακέλλῳ, cum alioquin macellum non vox Græca sit, sed Latina: Græco enim vocabulo non ἐν μακέλλῳ, sed ἐν κρεοπωλίῳ dici debuerat. Sic apud Euangelistas Græcè scribentes, aliæ Latinæ voces reperiuntur, vt prætorium, denarius, speculator: ad quod etiam recurrere debet, qui pisticum, hoc est spicatum pro spicato, etiam in Græco textu dictum autumat. Dicendum est ergo Græcos à Romanis dominantibus, plura vocabula iam vulgò consueta accepisse: similiter hodiequè ab cæteris nationibus

Græcus scripturæ textus admissis Græcis vocabulis Latina aliqua vsurpat.

A accepta vocabula Italos passim vsurpare nouimus.

11. Iuxta hanc pistici interpretationem moraliter docemur, bona opera, quibus Christo bonus odor sumus, ex pistico, hoc est contuso, seu contrito corde, cuiusmodi pœnitentis Magdalenæ erat, prouenire debere. *Cor contritum, & humiliatum Deus, non despicies*, Dauid pœnitens pronunciauit. Quod si pisticum fidele significet, & sincerum; è sincero, & fideli corde bonus odor sanctarum operationum prouenire debet. Ideoque Dauid Deum orabat: *Cor mundum crea in me, Deus:* hoc est

Psal. 50.

B sincerum, ab omni praui affectus mistione secretum. Denique liquor nardi huius pistici, meritò pretiosus dicitur. *Nam procul, & de vltimis finibus pretium eius*: prouenerat: Quandoquidem à Magdalena offerebatur, quæ olim, vt peccatrix, è regione peccati longinqua, magno itineris labore ad Domini obsequium peregrina felix aduenerat.

Psal. 50. Nardi liquor à Magdalena effusus, cur pretiosus. Prou. 31.

Et vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis pedes eius.

12. MAgdalena tum suæ conuersionis initio Lucæ 7. tùm hic Domini pedes capillis extersisse legitur: ita vt verè ei dici potuerit: *Coma capitis tui sicut purpura Regis vin-*
C *cta canalibus.* De purpura ait Plinius: *Dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta esset, veluti magnifico impendio.* Bis ergo Domini pedibus, veluti misericordiæ canalibus suos Magdalena capillos applicuit; vt inde, veluti bis tincta purpura, sanctitatis nitorem in caput attraheret.

Cant. 7. 5. Magdalenæ comæ purpura bis tinctæ similes. Plin. l. 9. c. 39.

13. Reg. 1. cap. 17. de Dauide dicitur: *Percussum Philistæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & stetit super Philistæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua.* Vbi per figuram hysteron proteron, hoc est posterius prius, quod deinde factum est, antea narratur. Similiter hic per eamdem figuram cum Magdalena prius
D capillis pedes Domini, si quid inhæsisset pulueris, extersisset; & deinde odoriferum liquorem super eos effudisset; tamen hoc prius, illud posterius dicitur. Odorifer enim liquor, vt odorem communicaret, non abstergendus erat: & propterea vnxisse pedes, non lauisse dictum est; quod enim vngitur, non abstergitur. Quare, quod prætermissum fuit à Ioanne, cum Matthæus, & Marcus addant, scilicet odoriferum liquorem à Magdalena super Domini etiam caput fuisse effusum; propter allatam rationem inde non abstersus fuisse legitur. Lucæ quidem 7. cum Magdalena Domini pedes lacrimis lauisset, eos deinde madidos capillis abstersisse dicitur: indi-
E gnas enim suas lacrymas, quæ in Domini pedibus remanerent, humilitèr iudicauit.

Figura hysteron proteron in scriptura.

Matt. 26. 6. Marcus 14. 3.

14. Origenes tamen in primum Canticorum censere videtur effuso liquore, madidos Domini pedes crinibus Magdalenam abstersisse: *Maria dicitur afferre libram nardi pistici pretiosi, & vngere pedes Iesu, & detergere capillis suis; & recipere quodammodo, & recuperare per crinem capitis sui ad semetipsam vnguentum, qualitate, ac virtute corporis eius* (nempe Christi) *imbutum.* Vt doceamur, quæ Deo offeruntur

Deo oblata magno cum fœnore ad nos redeunt. Hic, & n. 16.

Re

rut magno cum fœnore ad nos reuerti. Quare cum Magdalena pretiosum vnguentum in Domini obsequium, ita totum effudisset, vt alabastriuum vas etiam fregerit; nihilominus pretiosum liquorem illum seruasse Domini verbis illis significatur: *Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.* Quæ enim Deo dantur, non amittuntur; sed tutius, quàm si apud nos forent, asseruantur; vt infra citato textu dicetur.

15. Porrò Magdalena odorati liquoris Domino obsequium exhibens, prius vngendo pedes, deinde caput; docet fidelem animam, postquam in actiua vita proximis deseruiit; eamdem postea ab humano consortio secedentem, per contemplatiuam Deo adhærere debere: idque ad proprium spiritualem profectum procurandum, & augendum; vt bene notat Origenes. Ideo Apostolicos viros benè monet S. Ignatius: *Cum propter nullas occupationes intermittendum sit propriæ perfectionis studium; diligenter animaduertant, ne prætextu procurandæ aliorum salutis, propriæ perfectionis obliuiscantur.* Quare si quæratur cur, sicut Lucæ 7. non etiam hic Magdalena sanctissimis Domini pedibus oscula affixerit? Respondetur in pedibus noluisse diù immmorari, vt ad capitis obsequium citò transiret. Cum autem pedes, vt ex Origene diximus, vitam actiuam significent, caput verò contemplatiuam; non ita in actiua vita occupari debemus, vt ad contemplatiuam spiritualis transitus, cum propriæ perfectionis dispendio impediatur.

Actiuam vitam in proximorum auxilium contemplatiua subsequi debet. Origenes supra Cant. p. 3. c. 3. & 20.

Et domus impleta est ex odore vnguenti.

In Can. 1.

16. IVxta Origenem, Nyssenum, & Bedam Maria, quæ hic in Domini recumbentis obsequium odoriferum liquorem fudit, præfigurata est à sponsa Cantic. 1. dicente: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Iuxta Septuaginta legitur: *Dedit odorem ipsius.* Hinc Origenes ait: *Si secundùm hanc differentiam, quæ in alijs inuenitur exemplaribus, legimus: Nardus mea dedit odorem eius: inuenitur adhuc aliquid diuinius; vt videlicet vnguentum hoc nardi, quo vnctus est sponsus; non tantùm suum, qui nardo inesse naturaliter solet; sed ipsius sponsi odorem ceperit; & ipsius ad sponsam reportauerit nardus; vt in eo, quo vnxit eum, odorem sponsi per ipsius vnguenti munus acceperit: Et hoc sic, quod dicere videatur: Nardus mea, quæ vnxi sponsum, regressa ad me, odorem mihi detulit sponsi: Et veluti superato naturali suo odore præ fragrantia sponsi, ipsius mihi detulit suauitatem.* Cum igitur in Domini obsequium temporalia offerimus, ab eo supernaturalia gratiæ, & sanctitatis dona reportamus: Christi enim bonus odor sanctitas est. Quare hinc quæstuosam mercaturam cum Deo exercere homines discant.

Quæstuosa mercatura cum Deo exercenda.



Dixit ergo vnus ex discipulis eius Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis?

17. CVm de Iuda hic dicitur, *Qui erat eum traditurus*: duplex sensus esse potest. Primus, vt significetur tantùm futura Iudæ proditio. 2. vt non solùm futura eius proditio significetur; sed etiam eiusdem mentalis determinatio iam facta de Domino prodendo. Quemadmodum, cum à Poëta dicitur: *Nec moritura tenet crudeli funere Dido*: moritura idem est, ac certò ad moriendum determinata. Sic à Philosopho dicitur: *Ambulaturus quis non ambulabit?* idest, aliquis, qui mentaliter seipsum ad ambulandum determinauit, futurum est, vt non ambulet. Secundus hic sensus videtur aptior; cum non repente, sed aliquot antè diebus proditionis modum Iudam machinatum esse; eumque exequi decreuisse valdè probabile sit: de eo enim multò antea, nempe Ioann. 6. numer. 71. Dominus discipulis dixit. *Ex vobis vnus diabolus est: dicebat autem hunc Simonis Iscariotem; hic enim erat traditurus eum.*

Æneid. 4.

18. Post Iudam, vt proditorem significatum, referuntur illius verba: *Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis?* Voluit enim Iudas auaritiam, & rapacitatem misericordiæ affectu in pauperes contegere. Contra cicutæ venenum ait Plinius lib. 25. cap. 13. *Remedio est, priusquam perueniatur ad vitalia, vini natura excalfactoria; sed in vino pota irremediabilis existimatur.* Similiter contra vitiorum omnium venenum charitas, & misericordia eximium remedium est. Si tamen vitii venenum simulatæ misericordiæ, vel charitati admistum sorbeatur; tunc sanè difficillimè remedium reperitur. Cicutæ potus ad magis bibendum stimulat, teste Plinio: hinc benè per cicutam auaritia nouam semper pecuniæ sitim gignens exprimi potest. Huiusmodi cicutam simulatæ in pauperes misericordiæ admistam sorbuit Iudas, ideò remedium aliud, quàm laqueum non inuenit. Quare de eo præcipuè Sophoniæ verba verificata sunt: *Disperierunt omnes inuoluti argento*: tam enim arctè argenti cupiditate inuolutus est Iudas, vt ad laquei nodum confugerit, quò se ex argenti inuolucro explicaret.

Cicutæ post haustũ venenum, vini potus remedium: pota tamen vino mista cicuta irremediabilis.

Simulata charitas quàm perniciosa.

Cicutæ potus liquor adb bẽdum stimulat, similiter auaritia ad maiorem rapacitatem.

Soph. 1. 11. Auari inuoluti argento dicuntur.

19. Ex S. Matthæo, non Iudas solùm, sed etiam *discipuli indignati sunt dicentes: Vt quid perditio hæc?* Commune quidem fuit discipulorum cum Iuda murmur, & indignatio, quòd tàm pretiosus liquor effusus fuerit; ex diuerso tamen motiuo: Iudas quidem ex auaritia, & desiderio venditi vnguenti pretium sibi vsurpandi; reliqui verò discipuli Iudam indignantem secuti; ex affectu misericordiæ in pauperes ad damnandam pretiosi vnguenti effusionem sunt excitati. Porrò sicut Iudas hic ex auaritia pium Magdalenæ obsequium Domino exhibitum improbauit: ita quilibet auarus Iudæ imitatur Creatoris opera sæpè ex auaritiæ affectu corrigere audet. *Communis omnium hostis auarus, non parum dolet, quia terra pro spicis aurum non producit; quia fontes non manant auro; quia montes loco lapidum aurum non habent. Auarus fertilitatem temporum molestè fert, & communi*

Cap. 26.

Auarus Creatoris opera damnat.

felicitate contrahitur, ait Chrysostomus hom. 81. A in Matth. *Non Tartessiacis illum satiaret arenis, Tempestas pretiosa Tagi, non aurifer Hermus*: De auaro Poëta cecinit.

Claudianus.

20. Sed discipulos ex misericordia in pauperes indignantes excusat Chrysostomus dicens: *Audierant sane dicentem magistrum: Misericordiam volo, & non sacrificium, Iudæosque increpantem, quod grauiora, iudicium scilicet, misericordiam, & fidem negligebant. Multa alia de eleemosyna in monte ab ipso disputata meminerant: ex quibus omnibus inferebant; quò minus, si holocausta & priscum cultum non suscipit, multò minus huius vnguenti effusionem gratam habebit.* B

Hom. 81. in Matth. Matth. 9. Osea 6. Matth. 23. 23.

21. Notandum est S. Marcum, qui inter illic adstantes discipulos non numerabatur, suppresso discipulorum nomine, veluti eorum famæ parceret, dixisse: *Erant quidam indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes: Vt quid perditio ista vnguenti facta est?* Matthæus verò, qui inter murmurantes discipulos fuerat, veluti suam culpam fateretur, discipulorum nomen reticere noluit. Simile etiam humilitatis exemplum Matthæus idem dedit, cum vt notat Hieronymus: *Cæteri Euangelistæ propter verecundiam, & honorem Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato; sed dixerunt Leui: duplici quippe vocabulo fuit: Ipse autem Matthæus secundùm illud, quod dicitur à Salomone: Iustus accusator est sui in principio sermonis: & alio in loco: Dic tu peccata tua, vt iustificeris: Matthæum se, & publicanum nominat.* C

Matthæi Apostoli humilitas, peccatique confessio. Lib. 1 in Matth. 9. 9. Prou. 18. 17. Isa. 43. Iuxtà Septuaginta. Ser. 7. de Passione.

22. Sequenti capite habentur Domini verba Iudæ proditori dicta: *Quod facis, fac citius.* Vbi quamuis S. Leo dicat: *Vox hæc non iubentis est, sed sinentis; nec trepidi, sed parati*: nihilominus S. Ambrosius Domini præcipientis verba fuisse docet; non vt excogitatam proditionem Iudas perficeret; sed vt se citò Iudas à discipulorum consortio separaret. Ne scilicet illis in scandalum foret, sicut hic ad damnandum pium Magdalenæ obsequium instinctor fuerat, iuxta Augustinum, simili zelo Apostolus ad Galat. 5. dixit: *Vtinam abscindantur*, hoc est à vestro consortio, & societate separentur, *qui vos conturbant.* D Quare de Iuda dixit Augustinus: *Exiuit immundo, omnes mundi cum suo mundatore manserunt; veluti triticum Zizanijs separatis.* Meritò auarus, & rapax Iudas Zizaniis comparatur: sicut enim hæc debitum tritico succum sibi è terra exugunt; ita Iudas auaritiæ spiritu ductus eleemosynas aliis distribuendas sibi rapaciter vsurpabat. Per Zizania Tertullianus lib. de anima cap. 16. auenas intelligit. Auenas autem ab auiditate occupandi omnia dictas esse docet Agetius. Vt hinc benè intelligas, quàm benè zizaniis, hoc est auenis, auarus animus comparetur.

Ambros. l. 2. de Cain, & Abel. c. 4. Iniquorum consortium vitandum. Hic & n. sequenti. Lib. 2. de consensu Euangel. c. 69. August. in Ioan. verba cap. 13. Cum accepisset buccellam, exiuit continuò. Auenæ, hoc est Zizania, ab auiditate occupandi omnia dictæ. auaro Iudæ similes.

23. Qui ad ignem appropinquat, potest inde non aduri: qui ad serpentem accedit, non inde sta- E tim venenum attrahit. Secus verò iniquitas tam perniciosa pestis est; vt qui ad eam appropinquat, facillimè inde peccati luem attrahat. Propterea peccatores cum iniquissimi sint, iniquè innocentem insectando; eos tamen non iniquos, sed appropinquare iniquitati dixit Dauid Psal. 118. 150. *Appropinquauerunt persequentes me iniquitati.* Benè ergo iniquissimo Iudæ præcepit Dominus, vt se citò ab Apostolis, ne eos inficeret, separaret.

Dixit autem hoc; non quia de egenis pertinebat ad eum; sed quia fur erat; & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.

24. PEcuniarum dispensationem Iudæ permisisse Dominum docet Theophylactus: eumque Domini saccularium vocat Rupertus. Cur ergo dicitur: *De egenis non pertinebat ad eum?* Benè respondet Caietanus: *Multa ad nos ex officio pertinent, quæ non sunt nobis curæ.* Negatur igitur per allata verba, non officium subueniendi pauperibus; sed cura, propensio, & affectus. B Eodem significatu Ioan. 10. dicitur: *Mercenarius fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus*, idest, *Non est cura illi de ouibus*: vt ex Græco legitur. Ex hoc Euangelico textu non liquet, an loculi isti latibula essent, in quibus ex eleemosynis Domino, discipulisque datis partem Iudas surreptam abscondebat: an verò arculæ essent Iudæ commissæ, discipulisque non ignotæ, quibus eleemosynæ in communem vsum asseruabantur. Hoc secundo modo intelligere videntur sacri interpretes, præcipuè Rupertus, qui tales loculos Dominicos, & sacros vocat, & Cyrillus infra citandus; quibus fauet Ioannes dicens: *Quidam putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis vt aliquid daret.* C Diuersimodè igitur intelligendo loculos istos, diuersus verborum sensus habetur. Si primo modo intelligamus, tunc *portabat*, hoc est exportabat in occulta latibula, & loculos interpretandum est. Quare *portabat*, furabatur Theophylactus interpretatur: & sic modus, & astutia, qua Iudas furabatur, ab Euangelista narratur. Si verò 2. modo magis ad litteram intelligamus; tunc non modus furandi, sed occasio indicatur. Cum enim dixisset Ioannes: *Fur erat*: subdit, vnde furandi occasionem haberet; quia nimirum loculi ei commissi erant, *quò quæ mittebantur, portabat*; non tam, vt ibi seruaret, quàm vt inde sibi subriperet. Teste Valerio Max. lib. D 1. c. 2. sub simulata, & ridicula pietatis specie Syracosanos tyrannus *Dionysius detracto Ioui Olympio magni ponderis aureo amiculo, iniectoque ei laneo pallio dixit: æstate graue esse aureum amiculum, hyeme frigidum, laneum autem ad vtrumque tempus anni aptum.* Iudas impio tyranno non dissimilis sub simulato erga pauperes pietatis affectu affusum super Domini pedes pretiosum liquorem sibi subripere exoptauit.

Egeni quo sensu ad Iudam non pertinuisse dicantur.

Loculi, quos Iudas habebat, quales essent.

Cap. 13.

25. Quæritur hic, cur Iudæ eleemosynas seruandi cura à Domino commissa fuerat? Primò; vt aliorum liberalitatis opera considerando, & eleemosynas distribuendo ab auaritia alienus redderetur. *Iudæ pecuniarum cupido, loculorum* E *commendauit curam; quò ægritudinem eius hoc remedio curaret. Ideo enim ei furi existenti loculos commisit pauperum, vt omnem ei absconderet furandi occasionem*, ait Cyrillus. 2. ad contemptum rerum temporalium indicandum Iudæ, vt omnium minimo peculiæ administratio data est, vt iidem Cyrillus cum Theophylacto asserit. Fuit autem Iudas etiam ante præuaricationem omnium minimus; non ætate, vt Ioannes, sed moribus; ideo, cum in Apostolorum ordine numerando varient Euangelistæ, ab omnibus tamen extremus Iudas numeratur. Similiter autem ad contemptum rerum temporalium ostendendum 1. ad Corinth. 6. ab Apostolo dicitur:

Cyrillus. Iudæ auaro, & rapaci cur eleemosynas secundùm curam Dominus commisit. Contemptus rerum temporalium.

Secularia iudicia ſi habueritis, hoc eſt iudicia ad A res temporales ſpectantia; *contemptibiles, qui*

14. Mor. c. 21.

ſunt in Eccleſia, illos conſtituite. Quaſi dicat; ait Gregorius, *qui minores ſunt meritis in Eccleſia, & nullis magnarum virtutum donis pollent, ipſi de terrenis negotijs iudicent: quatenus per quos magna nequeunt, bona minora ſuppleantur.*

Lib. 4. de conſid. c. 9. Epiſcupo rerum temporalium cura valde indecens. Hic, & n. ſequenti.

26. S. Bernardus Eccleſiaſticum Prælatum inſtruens, temporalium curam miniſtro alicui fideli, & prudenti eſſe committendam monet: Subdit deinde: *Quamquam ſi idoneus non reperiatur, minus fidelem ſuſtinere potius conſulo, quàm huic te immergere labyrintho: memento Saluatorem Iudam œconomum habuiſſe. Quid Epiſcopo turpius, quàm incumbere ſupellectili, & ſubſtantiolæ ſuæ; ſcrutari omnia; ſciſcitari de ſingulis; morderi ſuſpicionibus; moueri ad quæque perdita, vel neglecta.* B *Ad verecundiam dico quorumdam huiuſmodi ſcrutantium quotidie omnem ſubſtantiam ſuam: numerantium ſingula; de minutis, & quadrantibus*

Gen. 39.

exigentium rationem. Non ita ille Ægyptius, qui Ioſepho omnibus traditis, ignorabat quid haberet in domo ſua. Mira res! ſatis, ſuperque Epiſcopi ad manum habent, quibus animas credant; & cui ſuas committant facultates non inueniunt. Patientius ferimus Chriſti iacturam, quàm noſtram. Quotidianas expenſas quotidiano reciprocamus ſcrutinio; & continua Dominici gregis detrimenta neſcimus. De pretio eſcarum, & numero panum quaſi quotidiana cum miniſtris diſcuſſio eſt: rara admodum cum preſbyteris celebratur collatio de peccatis populorum.

Cap. 24.

27. A rerum temporalium cura alienus fuit ſanctiſſimus Præſul Auguſtinus, de quo Poſſi- C donius ait: *Numquam clauem Auguſtinus, numquam annulum in manu habebat; ſed à Domus præpoſitis cuncta & accepta, & erogata notabantur.* Hinc in concilio Carthaginienſi 4. decernitur, vt *Epiſcopus nullam rei familiaris curam ad ſe reuocet; ſed lectioni, & orationi, & verbi Dei prædicationi*

Diuitiarum cura, & cupiditas labyrinthus, diaboli laqueus, & muſcipula. Hic, & n. 28 & 30. 1. ad Tim. 6.

tantummodo vacet. Porrò bene temporalium rerum curam labyrinthum Bernardus ſupra appellauit: quo ex labyrintho vt egrederetur Iudas, aliud Ariadnæum filum non habuit, quàm laqueum, quo ſe ſuſpendit. Idque, vt verum probaretur Apoſtoli teſtimonium dicentis: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli; & deſideria multa inutilia, & no-* D *ciua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Per laqueum diaboli intelligit Chryſoſtomus infidelitatem; cum Apoſtolus de temporalium rerum cupiditate ſubdat: *Quam quidam appetentes errauerunt à fide.* A fide quidem per infidelitatem errauit Iudas; cum ſua furta putaret abſcondere poſſe Chriſto Domino, qui omnia, vt Dei filius præſciebat.

Orat 6. in orat. Domin. Auari muribus ſimiles.

28. *In laqueum diaboli, In muſcipulam diaboli*; Cyprianus legit. Verè auari homines, & furaceæ muribus comparantur, cum aliorum facultates latenter per fraudem corrodant. In hos propterea ſuas machinas, veluti muſcipulas diabolus inſtruit, vt tamquam mures ſub modicæ eſcæ ſpe miſerrimè capiantur. De auaris ait E

Lib de cupiditate diuitiarum.

Plutarchus: *ſimiles ſunt muribus, qui in metallis Chryſitidem* (ea eſt terra glebulas aureas permiſtas habens) *vorantes, aurum non reddunt, niſi mortui, & diſſecti.* Iudas, cum in hanc diaboli muſcipulam incidiſſet, talium murium inſtar, non diſſectus, ſed mox in ſuſpendio diſſecandus triginta argenteos, quos in proditionis pretium acceperat, reddidit.

29. Sicut Bias prius, ita poſtea Stobæus ſer. 10. pecuniæ cupiditatem *metropolim omnis malitiæ* appellauit. Nam malitia alibi peregrinatur; in auaro animo, veluti in metropoli, & ſua in Regia fixam ſedem habet. Patet hoc in Iuda, à quo malitia, peccandique peruerſitas tamquam à propria ſede vſque ad exitium non abſceſſit; cum infidelitatis culpa à diſperſis Dominicæ paſſionis tempore Apoſtolis tandem emendata acceſſerit. In metropolim frequentius venditores, quàm aliò conueniunt; vt ibi ſuas merces incolis vænales exponant. Dæmones, vt vitiorum mortiferas vendant merces, auarum animum tamquam malitiæ metropolim frequentius adeunt: ab his venditoribus in auaritiæ metropoli proditionis ſcelus mercatus eſt Iudas; de quo ab Eccleſia dicitur: *Iudas mercator peſſimus denariorum numero Chriſtum Iudæis tradidit.*

Diuitiarum cupiditas cui Metropolis omnis malitiæ dicatur. Hic, & num. ſequenti.

Feria 5. Maioris hebdomadæ.

B 30. Vitia, cum ab illuminatis ad pœnitentiam peccatoribus procul in exilium expelluntur, in auaritiæ metropolim ſe recipere videntur. Hinc meritò Caſſianus *auaritiam receptaculum vitiorum omnium appellauit.* In ſceleratam auaritiæ metropolim Iuſtitia non ingreditur. *Qui aurum diligit, non iuſtificabitur*, ait Eccleſiaſticus 31. *Numquid cognoſcetur iuſtitia in terra obliuionis?* Deo Dauid aiebat. Obliuionis terra eſt auaritiæ metropolis; cum auarus animus, Dei, & proximi, & æternæ vitæ planè oblitus, totus in terrenis opibus comparandis eſſe videatur. *Nullum eſt in illo corde Iuſtitiæ veſtigium, in quo ſibi auaritia fecit habitaculum*, ait S. Leo. Cur in auarum cor Iuſtitia veſtigium inferre renuit? Primò, ſicut priuigna ad malignam nouercam ſi- C bi infenſam, & veneficam accedere refugit: ſic Iuſtitia, cum ei veluti nouerca valdè infenſa auaritia ſit, ab ea procul eſſe ſtudet. *Auaritia nouerca dicitur eſſe, & ſumma inimica Iuſtitiæ. Ipſa enim eſt, quæ patrem neſcit; matrem ignorat; amicos prodit; & ſeipſam relinquit*, legitur apud Auguſtinum. Eſt autem erga Iuſtitiam auaritia nouerca; eò quòd erga aliam prolem ſe parentem, & nutricem exhibeat: proles autem hæc eſt magnus numerus peccatorum, quos ad æternos cruciatus alit. Hinc non immeritò *nutrix gehennæ auaritia*, apud eumdem Auguſtinum dicitur: Sugendo enim pauperum ſanguinem, illum in venenatum ſcelerum lac conuertit, quibus auaros peccato- D res nutrit, & per peccatores poſtea gehennam. 2. ad auaritiam Iuſtitia accedere renuit; quia vt ait Caſſianus, *auaritia eſt inextricabilis nequitiæ fomes.* In labyrinthum, eò quòd inextricabilis eſſet, qui pedem inferebat, referre non poterat; in auarum cor, eiuſquè crumenam ſimul ac pecunia introierit, inde foras regredi non videtur: ideo in huiuſmodi labyrinthum iuſtitia pedem non inferre dicitur. Vt ex tali labyrintho pedem efferret Iudas, ſicut ſupra diximus, non aliud pro Ariadnæo filo, quàm laqueum habuit: cum *proiectis argenteis in templo, receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Proiectis argenteis Iudas, quibus tam ſceleſtè inhiauerat; & è vita ad æternam mortem detruſus, veram expertus eſt Da- E uidis de auaris ad inferos damnatis ſententiam: *Sicut oues in inferno poſiti ſunt; mors depaſcet eos.* Quàm benè ſicut oues, quia detracto vellere mundialium diuitiarum, diuè, preſſequè detonſi, ſempiternis nudi deputabuntur incendiis. *Mors depaſcet eos; quia ſemper moriuntur ad vitam, & ſemper viuunt ad mortem*, ait Bernardus. Hinc Chryſoſtomus in Matth. 27. de Iuda ait: *Audite iſta, audite, inquam, auari verſato animo quid ille paſſus fuit: nam & pecuniam amiſit, & ſcelus admiſit, & animam perdidit; quod atrox*

Lib. 7. Inſtitutum renunciantium c. 6. Auaritia receptaculum vitiorum omnium.

Pſal. 87.

Ser. 9. de Paſſ.

Auaritia iuſtitiæ nouerca.

Tom. 10. Ser. 15. ad fratres in Eremo.

Auaritia Gehennæ nutrix, nequitiæ fomes.

Tom. 10. Ser. 48 ad fratres in Eremo. Supra.

Matth. 27

Pſal. 48. Auari cur, ſicut oues, in inferno poſiti dicantur.

Ser. 7. in varijs.

auaritia tyrannis facere solet. Non est argento, in hac vsus vita, neque fruetur in futura; vniuersa simul amisit: prauaque apud eos, quibus tradidit, æstimatione de se suscitata, laqueo demum gulam fregit. A

31. Præterea scelestus Iudas, qui pecuniæ cupiditate excæcatus, triginta argenteorum pretio Christum Dominum verum Dei filium æquauit, summè impius ethnicos est imitatus, qui Iouem summum ipsorum Deum adeo pecuniæ coæquarunt, vt eumdem teste Augustino 7. de Ciuit. c. 12. pecuniam appellauit. *Pecunia vocatur, quòd eius sint omnia. Hoc auaritia Ioui nomen imposuit; vt qui amat pecuniam non quemlibet Deum, sed ipsum regem omnium se amare videatur.*

Pecuniæ nomen Iouis summo eorum Deo Ethnici tribuebant.

32. *Auaro nihil est scelestius, Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet; quoniam in vita sua proiecit intima sua*, ait Ecclesiasticus 10. Quibus verbis, Iudæ exitium peculiariter præsignificari benè censet Iansenius. Nam Iudas triginta argenteis animam suam Iudæis, & diabolo vendidit. At diabolo emptori, in quem vsum se, propriamquè animam vendidit? In ministrum, in seruum, in mancipium? Profectò in aliquid vilius, nempè in iumentum, in quo diabolus eques pessimus insideret: *Sunt equi*, ait Origenes, *qui ascensorem habent diabolum, & angelos eius: Iudas vbi se diabolo sui strauit, ascensor illius effectus est satanas; & illius habenis ductus aduersus Dominum, & Saluatorem nostrum cœpit equitari.*

Iudæ exitii vaticinium. Hic, & n. sequenti. Iudas triginta argenteis Dominum vendens, animã suam venalem habuit. Hic, & n. sequenti. Tom. 1. hom. 6. in Exodi c. 15. Iudas equitantis Diaboli iumentum.

33. *Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua*, dicitur Ecclesiastici 33. Si fidelis seruus, multò magis Dominus fidelis, quasi anima habendus est. Talem animam Iudas vænalam habuit, cum ex auaritia Dominum vendidit. Propterea cum de auaro Iuda prophetice dictum esset: *Animam suam venalem habet*; deinde eius meritum supplicium subditur: *In vita sua proiecit intima sua*; cum in extremo vitæ exitu *suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.* Quo supplicio verificatum fuit de Iuda vaticinium Psal. 38. vers. 12. *Tabescere fecisti, sicut araneam, animam eius: corpus eius*, legit Nebiensis. Sicut enim aranea ad muscas capiendas se euiscerat; & tandem vanam industriam frustrata, ieiuna, & inanis pensilis moritur: ita Iudas ad vile pecuniæ pretium captandum prius misericordiæ viscera exuit; deinde in auaritiæ pœnam ipsa corporis viscera effudit; & è suspendio pensilis interiit. Sed quisnam fuit carnifex, qui Iudæ capiti insistens suspensi ceruicem fregit? Bene prophetice respondit Dauid: *In verticem ipsius iniquitas eius descendet.*

Eccli c. 10. Act. cap. 1. 18. Iudæ exitus vaticinium. Iudas auarus araneæ similis. Iudæ suspenso carnifex quisnam fuerit. Psal. 7. 17.

34. Porrò, cum sapiens dixisset: *Auaro animo nihil est scelestius*, benè addidit: *Quid superbis terra, & cinis?* Eò quòd auaritiam superbia ob opulentiam comitetur. Dicitur autem auarus terra; eò quòd intra terram, vbi suos thesauros recondit, obrutus videatur, iuxtà Domini sententiam Matth. 6. *Vbi thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Dicitur præterea cinis, eò quòd non tamquam terra, sed tamquam cinis sit omnino erga egenos proximos infæcundus: dicitur cinis, vt cineris, in quem breui post tempore conuertendus est, memor sit.

Auaritiæ comes superbia. Auarus cur terra, & cinis dicatur.

35. Ieremiæ 51. Babylon aurei calicis nomine appellatur; eò quòd maximè diues esset, vt Origenes, & Theodoretus aiunt. *Babylon*, inquit Gregorius, *id est mundi huius gloria dicitur calix aureus; quia dum pulchra esse temporalia* A *ostentat, stultas mentes in sua concupiscentia debriat. Calix aureus Babylon inebrians omnem terram; de vino eius biberunt gentes*, ait Ieremias: addit Ioannes: *Mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti sunt. Per mercatores terræ*, inquit Ambrosius Ansbertus, *amatores sæculi possumus intelligere; qui animas suas pro acquisitione diuitiarum perditioni tradunt. De huiusmodi mercatore Iesus filius Sirach loquitur dicens: Hic animam suam venalem habuit; quia eam pro acquisitione pecuniarum dæmonibus tradidit. Delicias autem Babylonis vocant virtutem: quia sicut electi tota virtute laborant, vt diuitias cœlestes acquirant; ita & reprobi totis viribus insistunt, vt diuitias perituras sibi accumulent.* B *De talibus Propheta dicit: Vt iniquè agerent laborauerunt.* Inter huiusmodi mercatores Iudas fuit; qui ideò ab Ecclesia mercator pessimus appellatur: ideoquè inter calicis aurei vino ebrios numeratur. *Hoc perfidus Iudas inebriatus veneno*, ait S. Leo, *dum sitit lucrum, peruenit ad laqueum & tam stultè impius fuit, vt triginta argenteis & Dominum venderet, & magistrum.* Verè stultus, cum triginta argenteis Christum vendiderit; de quo Virgo mater verè dicere potuit: *Melior est fructus meus auro, & lapide pretioso, & genimina mea argento electo.* Quod si argenti cupiditate tenebatur Iudas, pluris quàm triginta argenteos æstimare debebat cœlestem Domini doctrinam, de qua dicitur Psal. 11. C *Eloquia Domini, eloquia casta; argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Præclarè autem S. Leo ad ostendendum Iudæ scelus, cum ab eo venditum Dominum dixisset, addidit: *Et magistrum.* Magna enim fuit Iudæ culpa, quòd Dominum vendiderit, maior, quòd insuper & magistrum: à quo toties & verbo, & exemplo ad pecuniæ contemptum, & auaritiæ execrationem fuerat instructus.

4 Mor. c. 4. Apoc. 18. 3. Eccli 10. Ier. 9. 5. Iudas mercator pessimus. Ser. 9. de Passione. Prou. 8. Ser. 9. de Pass.

36. Quamuis de Iuda ex auaritia Domini proditionem meditante, sequenti capite dicat Ioannes: *Introiuit in eum Satanas*: nihilominus antequam diabolus in eum introiret, iam Iudas auaritiæ spiritu obsessus dæmoniaco peior erat. E dæmoniacis per Domini comminationem immundus spiritus eiectus legitur capit. Marci 25. D *Comminatus est ei Iesus, & exclamans voce magna exyt ab eo.* Idem legitur 9. Marci 24. At Iudæ ad acquirendos triginta argenteos Dominum prodere cogitanti apertè comminatus est ipse Christus dicens: *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Ex hac tamen formidanda comminatione Iudam auaritiæ spiritus non deseruit. Rursus lustrali aqua immundi spiritus expelluntur: Iudæ tamen sacris Domini manibus sanctificata aqua cum pedes ablueretur, adhuc in eo auaritiæ spiritum remansisse legimus. *O pestis dæmone sæuior*, in auaritiam exclamat Augustinus. Ideo de effrænata possidendi cupiditate benè ait Chrysostomus hom. 29. in Matth. E *Mea sententia cum dæmoniacis habitandum potius esset, quàm cum vno, qui hoc morbo laboraret. Quando enim simul omnes dæmoniaci tantùm facinoris committent, quantùm Iudas solùm commisit; qui ad extremam cupiditatem turpi pecuniarum ardore deuectus est: pariterquè omnes, qui auaritiam illius imitantur, quasi fera bestia à catenis soluta cunctos homines nullo resistente perturbant, ac lacerant.* Ibidem pluribus auaritiam insectatur.

Iudas dæmoniaco peior. Matt. 9. 6. Auaritiæ pestis dæmone peior. Augustinus, vel alius auctor. t. 10. ser. 48. ad Fr. in Eremo. Hom. 29 in Matth.

37. Ioannis 6. n. 71. discipulis Dominus dixit: *Nonne vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem.*

Iudas ex auaritia diabolus dictus est. Hic, & n. sequenti.

Quaeritur hic ex quo peculiari vitio Iudas diaboli nomen habuerit? Profectò ex auaritia. Quamuis enim daemones cumulandis pecuniis non vacent; ex eo tamen, quòd inter daemones auari frequentissimè versentur, commune cum iis nomen habent. Quare benè Chrysostomus de auaris pecuniae cupidis ait: *Si mentem talium quis excutiat; iam non feras modo, sed & daemones ipsos appellabis.* Cur enim auari non commune cum daemonibus nomen sortiantur; cum vtrique in rerum omnium vastitatem, perniciemque incumbant? De daemonibus id satis constat: de auaris audiatur Ethnicus testis: *Auaritia bellua fera, immanis, intoleranda; quo incedit oppida, agros, fana, atque domos vastat: diuina cum humanis permiscet: neque exercitus, neque moenia obstant, quominus vi sua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria, atque parentibus cunctos mortales spoliat.* Similiter Isidorus Pelusiota pronunciat: *Nullum in humana vita scelus reperitur, quod non ob pecuniarum amorem perpetretur. Ob eas odia, & pugnae, & bella: ob eas caedes, & latrocinia, & calumniae: ob eas non vrbes dumtaxat, sed etiam solitudines, non solùm culta, & habitata; sed etiam inculta, ac deserta cruore, ac caedibus redolent. Annè à mari quidem hoc malum abstinuit? Verùm illic quoque ingenti furore grassatur; praedonibus illud obsidentibus, & nouum quemdam latrocinij modum excogitantibus. Ob eas & cognationis, & necessitudinis leges euersae sunt; & naturae sanctiones conuulsae; atque adeo sepulturae iura labefactata. Hic enim improbus, & scelestus amor non aduersus viuos dumtaxat, sed etiam aduersus eos, qui mortem obierunt, furum sepulchra effodientium manus armauit: quippe qui ne eum quidem, qui ex hac vita excessit, ab insidijs suis liberum, atque immunem esse patiantur.*

Orat. 7. in auaros.

Salustius in Catilina. Auaritia quàm multiplicè perniciem afferat.

Ep. 146.

38. Est ergo daemonum cum auaris par nocendi studium; & ideo commune nomen sortiuntur. Est & alia ratio cur auaro animo, & daemoni nomen idem tribuatur; nempe quòd vterque numquam expleatur. Insatiabile cor Dauid appellat auarum: *Superbo oculo, & insatiabili corde cum hoc non edebam. Auarus non implebitur pecunia,* ait Ecclesiastes: *Nec satiantur oculi eius diuitijs. Auaritia semper rapit, & numquam satiatur,* ait Augustinus. Similiter inexplebilis diabolus est. *Sanguisuga diabolus est, qui sitit peccandi; ac peccata suadendi semper accenditur,* ait Beda. Quare benè hinc responderi potest, cur 1. Act. 25. dicatur: *De Apostolatu praeuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum,* nempe in ignem aeternum. *Aeternus ignis,* tamquam proprius locus dicitur *paratus diabolo, & Angelis eius,* non hominibus: nihilominus, quia Iudas ex auaritia praeuaricando diaboli nomen meruerat; ideo in aeternum ignem tamquam suum in locum abiisse meritò dicitur.

Auari, & daemones insatiabilitate similes. Hic, & n. sequent.

Psal. 100. Cap. 5. n. 9. Cap. 4. n. 8. Sanguisuga diabolus est.

Ser. 25 de verbis Domini. Beda Prou. 30 n. 25. Matth. 25. Auarorum locus proprius infernus.

39. Praeterea Augustino teste, non vni diabolo, sed inferno vniuerso auarus similis redditur: *Auarus vir inferno est similis: infernus enim quantoscumque deuorauerit, numquam dicit satis est: sic etsi omnes thesauri confluxerint in auarum, numquam satiabitur.* Idem de auaro Chrysost. est iudicium hom. in Matth. 29. *Auarus in omnes, vt mors insiliens; omnes vt infernus deglutiens; communis generis humani hostis; quippe qui nullum hominem esse vellet, vt omnia possideret.* Ante August. & Chrysostomum idem docuerat Spiritus Sanctus Prou. 27. n. 20. *Infernus & perditio numquam implentur: similiter & oculi hominum,* scilicet auarorum, *insatiabiles.* Hinc exclamat Augusti-

Auarus, & Infernus similes.

Lib. de salut. documentis c. 30. Hom. 29 in Matt.

A nus: O *auaritia abyssus insatiabilis, quo numquam dicis sufficit: semper famescis, semper doles, semper tristaris in cunctis. Nam si sol quotidie oritur, dolendo dicis: Siccitas erit. Si pluuia descendit, omnia periclitari asseris. Si temperiem adesse prospicis; solem, vel pluuiam adesse desiderabis. O pestis interminabilis; ô famelica rabies. Nam omnia suis terminis clauduntur, sola auaritia nullo clauditur fine. Omnia in homine senescunt vitia, sola auaritia iuuenescit. O rabies omni fine carens. Namquid non terra suis limitibus terminatur; aqua suis finibus limitatur; aer suo fine concluditur; caelum suis terminis arctatur? sola auaritia terminum nescit. O auare, si terra tibi cuncta datur, mare quaeris. Sed si*
B *terra, & mare; aerem petis. Sed si terram, mare, & aerem possederis, adhuc caelum ambis; & ipsum penetrare affectas.*

Augustinus supra.

40. Iudas post venditum ex auaritia Dominum, salutem desperans; *posuit quidem collum suum in laqueum,* vt Theophylactus refert; & *cum penderet ab arbore, arbore inclinata super vixit. Dicunt enim morbo hydropico laborasse, & crepuisse medium.* Quàm benè hydropicus mortuus dicitur, qui viuens iam vehementi auaritiae hydrope laborauit. *Rectè quidam dixit,* ait Chrysostomus, *auaros esse hydropicos. Quemodo enim illi multam aquam ferentes in corpore magis vruntur; ita etiam auari multas circumferentes pecunias, plures concupiscunt. Causa autem est, quia neque illi, in quibus conuenit locis aquam habent; neque isti di-*
C *uitias, in quibus conueniat affectionibus, & cogitationibus.* Hydropicus sitit, quia in parte extima, nempe inter cutem, & carnem, aquam habet: ex quo fit, vt ex aqua ibi contenta interior calor refrigerari non possit. Simili et dissimili modo sitit auarus; quia in parte intima, nempe in corde, loculisque obseratis diuitias habet; neque eas in suum, vel proximorum vsum foras extrahit: ex quo fit, vt inde refrigerium nullum habeat, atque adeo semper egenum, sitientemque se sentiat. *Diuitiarum amor insatiabilis longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret vsu suo. Vtpote quarum acquisitio plena laboris, possessio timoris, amissio plena doloris inuenitur,* ait Bernar-
D dos. *Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis,* ait Ecclesiastes. Quare ne spiritualis iste hydropis morbus contrahatur, benè Dauid monebat: *Diuitiae si affluant, nolite cor apponere.* Diuitiae in corde sitim pariunt; si inde foras extrahantur, cum iis earum sitis expellitur. *Concupiscentia diuitiarum,* ait Chrysostomus, *non pecunijs oblatis, sed diuitiarum, pecuniarumque despectu sibi contrario sanatur.*

In Matth. 27. Iudas hydropicus mortuus est.

Hom. 15. in Ep. 1. ad Cor. Auari sunt velut hydropici.

Bernardus ser. de conuers. ad clericos c. 12. Ecclesiastes c. 5. n. 9. Psa. 61. n. [illegible] Hom. 28. in Matth.

41. Mirus quidem in Phocione ethnico viro diuitiarum contemptus fuisse legitur, qui profectò Christiano animo verecundiam inijcere posset: de quo illud Isidorus Pelusiota testatur.
E *Cum Alexander Macedo centum ad eum talenta misisset; ex his, qui ea talenta tulerant, percontatus est, ecquid causae esset, quamobrem ex tam multis Atheniensibus, ad eum dumtaxat Alexander misisset? Qui cum respondissent hac de causa id regem fecisse, quòd eum probum, atque honestum virum existimaret: tum ille: Sinat igitur me talem esse, & videri. Atque his, qui munus tulerant, locutus, pecunias remisit.* Huic additur ab Isidoro ethnicus alius paupertatis amans, & à pecunia cumulanda alienus. *Thebanus Epaminondas omnium illius vrbis Imperatorum praestantissimus, cum in concionem vocaretur, eo die progredi detrectauit; quòd tum ipsius vestis ablueretur; nec aliam, qua indueretur haberet.* Si ita paupertatis

Phocion Ethnicus diuitiarum contemptor eximius.

Isid. Pelus. Ep. 146.

Epaminondas Imperator paupertatis mirificè studiosus.

amans fuisset Iudas, nuptialem vestem habuisset, ob quam eum sacro è cœnaculo Dominus non eiecisset dicens: *Quod facis, fac citius.*

Ioan. 13.27.

42. Cum ex Apostolo *Radix omnium malorum sit cupiditas*, hoc est auaritia, iuxtà S. Thomam, & alios; ex hac tam mala radice bonus tamen vnus tantummodo fructus prodit, nempe iustus ipsius auari cruciatus: De quo præclarè Basilius ait: *Quantùm diuitiæ magis augescunt, tantò plus afferunt curarum. Iudex expectatur, & auarus cogitat, ne in ius trahatur; ne orphanus suas lacrymas in foro palàm faciat. Nocte consultat, quomodo manè quosdam aduocatos sibi præparet; quomodo in iudicio mentiendo pauperem destitutum opprimat. Eius animum hæ curæ continuò mordaces absumunt. Canis latrat, auarus putat furem esse. Mus forte perstrepit, & auari cor salit; quemlibet vel puerum suspectum habens. Filios iam grandes, vt insidiatores aspicit, quòd eorum iam ætas successionem expetere videtur.* Similiter Isidorus Pelusiota ait: *Quem non pertimescit, qui auro abundat?* An non *calumniatores; an non amplos, & potentes homines? Quippe cum etiam famulos ipsos suspectos habeat. Et quid dicam dum viuere videtur? (neque enim viuit dum huiusmodi morbo correptus tenetur) Immo ne mortuus quidem latronum improbitate liberari potest; nec mors ipsum ab iniuria tutum, & incolumem seruare potest: sed exanime quoque corpus, ac sepultum deprædantur. Neque enim domus tantùm effodiuntur, sed etiam Libitinæ, & sepulchra effringuntur. Quidnam igitur hoc calamitosius, ac miserabilius effingi possit; cum ne mors quidem ipsi securitatem præbet; verùm miserum illud corpus ne vita quidem orbatum huius vitæ calamitatibus defungi potest?* Rursus quantùm auaritia auaros eiiciet vel naturali lumine Seneca agnouit dicens: *Nulla auaritia sine pœna est; quamuis satis sit ipsa pœnarum. O quantùm lacrymarum, quantùm laborum exigit? Quàm misera desideratis, quàm misera partis est? Adiice quotidianas sollicitudines, quæ pro modo habendi quemque discruciant. Maiore tormento pecunia possidetur, quàm quæritur.* Quàm benè Augustinus tract. 9. in Ioann. his verbis auarum monet. *O homo, qui laboras amando auaritiam, cum labore amatur, quod amas: sine labore amatur Deus. Auaritia iussura est labores, pericula, tristitias, tribulationes; & obtemperaturus es? Quo fine? Vt habeas, quo impleas arcam, & perdas securitatem. Implesti domum, timentur latrones; acquisiuisti aurum, perdidisti somnum: Deus sine labore, cum amatur, acquiritur, & tenetur.* Quare cum verè dixerit Sapiens: *Beatus vir qui post aurum non abijt*; subdit Bernardus: *Beatus, qui post id non abijt; quod possessum onerat, amatum inquinat, amissum cruciat.*

1. ad Timoth. 6.
2. 2. q. 118. a. 1.
Hom. 21.
Auaritia quot modis auaros maximè torqueat.
Ep. 115.
Eccli. 31.

43. Ioannis 9. Dominus luto cæcum illuminauit: *Linuit lutum super oculos eius; & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloe. Abijt, & lauit, & venit videns.* Diabolus contra suum lutum habet, quo homines non illuminat, sed cæcat. Lutum hoc diuitiæ sunt, auaro animo concupitæ. Hinc Habacuc 2. de auaro dicitur: *Vsquequo aggrauat contra se densum lutum? Denso se luto aggrauat, qui per auaritiam terrena multiplicans, peccatis suis se oppressionis coangustat*, ait Gregorius 14. moral. c. 9. Propterea ab Ambrosio ser. 58. Auaritia cæca esse dicitur; cum huiusmodi Auernali luto inquinatos oculos habeat.

Auaritia est densum lutum, quo homines excæcantur.

44. Sed cum auaritia cæca sit, cur auarus ille epulo ad inferos damnatus, cùm membra cætera Gehennæ cruciatibus obnoxia haberet; oculos tantùm liberos, eosque ad longinqua videnda valdè acutos habuisse legitur? *Eleuans oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius.* Egregiè respondet Chrysostomus: *In tormentis erat, & oculos solos liberos habebat; vt alterius diuitias posset aspicere: propterea dimittuntur oculi liberi, vt magis torqueatur, qui non habebat, quod alius tenebat.* Hoc enim tormenti genere auarus epulo cruciatus est in hac vita, videndo scilicet, & inuidendo aliorum diuitias: eodem cruciatur in inferis: quasi inferni spiritus melius aliud ad eum cruciandum tormentum inuenire nequiuerint. Hac Rabi estygii non inuenêre tyranni tormentum maius.

Lucæ 16.
Auarus inuidia cruciatur.

45. Monstro similem esse auaritiam, moralis Philosophus dixit. Talis quidem ex auaritia redditus est Iudas; de quo refert Papias, Oecumenius & Magister Scholasticæ historiæ rupto laqueo superuixisse, corpore tamen ita inflato, vt progredi non posset: capite verò oculisquè ita tumentem, vt omninò lumen non videret; scatente ex toto corpore cum vermibus sanie: Sed ex alio capite monstro similis auarus dici potest. Sicut enim monstrum duorum animalium formas, & proprietates habere videtur: ita auarus monstrosum quid dici potest; cum partim ex nimio sui amore, partim ex odio in seipsum conflatus videatur. Ex nimio sui amore, cum omnia sibi vendicare cupiat; ex odio in seipsum, cum se defraudet rebus ad victum, & vitam necessariis, vt pecunias congerat: *Auarus*, inquit S. Thomas, *non tantùm est iniquus in Deum, & proximum; sed etiam in seipsum: habet enim animam suam venalem, idest vitam suam exponit periculis pro pecunia.* Quare de auaro benè pronunciauit Ecclesiastes c. 4. n. 7. & 8. *Consideraui, & reperi aliam vanitatem sub sole. Vnus est, & secundum non habet; non filium, non fratrem; & tamen laborare non cessat; nec satiantur oculi eius diuitijs; nec recogitat dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? In nullum auarus bonus est, in se pessimus*; ait Seneca Ep. 108.

Auarus monstro similis.
Seneca in Prouerb.
Iudæ post proditionē supplicium.
Auarus ex amore, & odio in se ipsum monstrosum quid conflatum.
2. 2. q. 118. a. 7. ad [illegible]
Auarus iniquus in Deum, & proximum, & seipsum.

46. Præterea monstro similis est auarus, cum conflatum quoddam sit ex duobus contrariis nempe ex opulentia, & inopia, *simul in vnum diues, & pauper.* Nam *auaro tam deest, quod habet; quàm, quod non habet*, ait Hieronymus Ep. 103. *Auarus possidendo mendicat*, ait Bernardus. *Egens aquè est, qui non satis habet, & cui copia nulla sufficit*, ait Beda in sententiis. *Pauperes auaros dicimus, semper inhiantes, & egentes: quaslibet enim magnas pecunias habere possunt; sed in earum quantacunque abundantia non egere non possunt*, ait August. 7. de Ciuit. 12. *Desunt inopiæ multa, auaritiæ omnia*, ait Seneca Ep. 108. Auari inter diuitias egentis imago repræsentari benè potuisset à Caliphæ quodam Tartarorum exercitus duce; quem inclusum intra cubiculum auro, gemmisquè refertum, Haolonus Rex inedia mori coëgit; eò quòd necessariò sumptui pepercisset in bello, vt Haitonus Armenus in Tartariæ historia refert c. 26.

Auarus monstrosum quid est ex opulentia, & inopia conflatum.
Psal. 48.
Ser. 21. in Cant.
Caliphes intra cubiculum auro, gemmisque refertum inedia mori cogitur.

47. Sed auaritiæ monstrum, ad illud detestandum, intueri qui cupit, sic illud Isidorus Pelusiota Ep. 233. ante oculos ponit: *Quonam modo quispiam huiusmodi monstrum effingere, aut pingere queat, cum quo Scylla comparata fidem inuenisset, etsi alioquin incredibilis? Simile videtur fœminæ cuidam belluina forma præditæ, ignemque spiranti, ac sexcentas viperas crinium loco in capite habenti, perpetuò sibilantes, ac mortiferum venenum euomentes; sexcentas item manus vnguibus abundantes; quarum opera, & adiumento alios lacerat; alios sagittis impe-*

Auari tamquam monstri descriptio.

tit; ab alijs pecunias extorquet: ac denique sexcenta ora. Neque enim minatur dunsaxat, ac calumnias struit; verumetiam adulatur, ac seruilem in modum alloquitur, & peierat, turpisquè quæstus causa innumeras occasiones excogitat. Quin oculos habet, non vt naturæ consentaneum est, cernentes, aut quemquam verentes, non amicum, non fratrem, non cognatum, non benefactorem: verùm asperè, acriter, & crudeliter, & inhumanè, igneoque quodam modo obtuentes. Porrò aures vsque adeo septas, & obturatas, vt nec supplices preces, nec gemitus, nec fletus, nec supplicationes audiat. Verùm manus in omnes immittens ferro quouis, ac plumbo grauiter insidet: atque ita comparata est, vt omnia quidem accipiat, atque omnes expilet, numquam autem expleatur: verùm eorum, quæ accipit multitudinem fomitus, atque incitamentis materiam habeat; rerumquè acceptarum finem accipiendarum initium efficiat. A B

Lasciuo amori cur pennæ tribuātur, non autem pecuniarum amori.

48. Quærit ibidem Isidorus, cur lasciuo amori pennæ tribuātur; auaritię verò furori non item? Respondet, quia lasciuiæ amor non ita in animo permanet, sicut auaritiæ furor: cum ille expletus ex animo facilè auolet; hic verò cum inexplebilis sit, cor numquam deserat: *Corporum*, inquit, *amorem ob eam causam pictores cū fascibus, & pennis depingunt; quoniam nunc libidinem inflammat, nunc rursum ob saturitatem auolat. At pecuniarum amor pennas non habet; satiari enim, atque expleri nescit.*

Sap. c. 7. Diuitiæ ex auaritia acquisitæ Plutonis compedes dicūtur.

49. *Lassati sumus in via iniquitatis*, auari ad æternam perditionem currentes exclamant. Quæ tantæ defatigationis in huius vitæ itinere illis causa fuit? Auaritia: opes enim per auaritiam acquisitas *Plutonis compedes* ipsi ethnici nominarunt. Cur enim incedendo quis non defatigetur, si compedibus obstrictus incedere cogatur? Pecuniarum igitur amor, non solùm pennis caret, sed quod peius est compedes habet. C

Cap. 31. n. 7. Auari aura sacrificant.

50. *Lignum offensionis est aurum sacrificantium*, ait Ecclesiasticus: hoc est auaritia offensionis lignum est iis, qui pecuniæ cupiditate capti, eidem veluti idolo sua omnia desideria, & studia sacrificant. Cum lignum in sacra Scriptura sæpè arborem significet; per lignum offensionis intelligit Rabanus arborem scientiæ boni, & mali; ita vt sensus sit: *Sicut arbor illa occasio, & causa fuit perdendi primos parentes Adamum, & Euam, & cum ijs vniuersum genus humanum; ita auaritia cupiditas perdit auaros. Certè sine controuersia arbor illa scientiæ boni, & mali, erat ficus*, ait Theodoretus. Similiter auaro Iudæ arbor fici, à qua, vt Beda refert, se suspendit, offensionis, æternæquè perditionis lignum fuit. Benè autem Iudæ, eiusquè similibus Domini verba repeti poterant: *Ab arbore fici discite parabolam.* Cum enim de fici arbore per parabolam Iudicum 9. legatur: *Dixerunt ligna ad arborem ficum: Veni, & super nos regnum accipe: Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam?* Similiter Iudas non solùm modicæ pecuniæ, sed etiam regni mercede proposita, nullatenus diuinæ gratiæ dulcedinem, ad quam per Apostolatum vocatus fuerat, deserere debuisset: Quo si fecisset, nequaquam in fici arbore suspendium quæsiuisset. D E

Gen. 3. Theod. q. 28. in Gen. Beda de locis sanctis c. 4. Matth. 24. Arbor scientiæ boni, & mali arbor fici fuit iuxta Theodoretum. Iudas à ficu arbore se suspendit. Hic, & n. sequenti.

51. Quatriduum ante, quàm Dominus à Iuda Iudæis proderetur, de Domino legitur 21. Matth. 19. *Videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam; & nihil inuenit in ea, nisi folia tantùm, & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & arefacta est continuò ficulnea.* Vbi quæritur, cur indignatus Dominus fici arborem illam aridam reddiderit; non enim tunc fructus habere debuerat, vt propterea arefieri meruerit; cum S. Marcus expressè dicat: *Non erat tempus ficorum.* Hoc enim hyeme contigit, nempe 21. Martij. Respondet Origenes tract. in Matth. 17 Hilarius, & Hieronymus, id factum esse ad mysterium: per ficum enim arefactam significare Dominus voluit, veluti per figuram, legem veterem, & Synagogam; quæ quia bonorum operum fructus non ferebat, sed tantùm inania cæremoniarum folia habebat, arefieri merebatur; cum iam Euangelica lex germinaret, vberrimosquè sanctarum operationum fructus educere deberet. Respondetur 2. Dominum fici arborem arefecisse, eò quod paulò post ab huiusmodi arbore suspensum Iudam è mortali vita ad æternam mortem transiturum præuideret. Ita vt, sicut maledictus esset homo, qui in tali arbore penderet; ita cum eo arbor maledici, & arefieri mereretur, tamquam æternæ damnationis instrumentum.

Cap. 11. 13. Marc. 11. 13. Fici arborē ex duplici ratione Dominus arefecit.

52. Cum, vt hactenus vidimus, adeo detestanda auaritia sit, & ab ea tot mala proueniant; contra tam perniciosam pestem singulare antidotum est frequens mortis cogitatio. Cum Salomon dixerit: *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes: Affer: affer:* Caietanus sanguisugæ nomine auaritiam significari docet: cui gemina proles est, nempe violentia, & fraus; quibus inexplebiliter alienas opes, veluti sanguinem exugit. Vel huius pessimæ sanguisugę duæ sunt filiæ; altera scilicet nimia proprias opes seruandi cupiditas; altera alienas opes rapiendi auiditas. Nam teste Augustino ser. 196. *Non solùm auarus est, qui rapit aliena; sed etiam ille auarus est, qui cupidè seruat sua.* Porrò sicut sanguisuga, vt sanguinem, quem exuxit, euomat, in cinere ponitur: ita auarus cinerem, in quem moriens abiturus est, seriò secum recogitans, in eo omnem immoderatam possidendi cupiditatem egerere debet. Propterea, cum Ecclesiasticus dixisset: *Auaro animo nihil est scelestius:* veluti ad huius morbi medicinam statim cineris memoriam addidit: *Quid superbit terra, & cinis?* Quid adeo terrenis opibus lethaliter intumescis; vt non eas in cinerem, hoc est per mortis memoriam non euomas? Quod si Cynicus philosophus *fortunæ vomitum* diuitias appellauit; eò quod aduersa fortuna eas euomere sæpè cogat: sit potius effectus hic non fortunę, sed illuminantis gratię; qua vitę breuitas ostenditur; omniaquè in morte esse deserenda. *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium, quia nec auferre quid possumus.* monet Apostolus. Ninus ditissimus Assyriorum rex suo moriens inscribi sepulchro iussit: *Quondam ego Ninus fui, spiritumquè vitalem hausi. Ad inferos cum descendi, nec aurum, nec equum, nec argenteum currum egi. Cinis iam non multus, qui olim regium diadema gestaui.*

Prou. 30. 15. Sanguisuga auaritia est, cuius filiæ violentia, & fraus: vel cupiditas seruandi proprias opes, & alienas rapiendi auiditas.

Auaritiæ antidotum. Cap. 10.

Diuitię Fortunæ vomitus. 1. ad Tim. 6. 7.

Phœnix apud Athenæum l. 12. Nini Regis epitaphium.

53. Sed, vt ad Iudam redeamus, is non vno auaritiæ morbo laborauit, sed fur sacrilegus, incredulus, & impius fuit. Quare miserabile fur is huius in peiora vitia præcipitium indicasse videtur Antiochus monastica religione celebris to. 2. Biblioth. hom. 41. *Dæmon*, ait, *improbandi furti reprobus artifex primùm quidem à vilibus, & exiguis rebus sumit auspicium suæ artis: sed temporis progressu ad magna quæque prouehitur. Malitia quidem istius deploratissima ars est, rete quoddam est miris technis implexum, & inuolutum. Qui aliquo ei sequè se iam sinit hoc implicari laqueo; siquidem cunctetur, & negligat his initiis se explicare, & euoluere, omni mox ex parte adstringitur. Atque ita deinde inualescente consuetudine gangræna in morem vlcus*

Furandi vitium rete inextricabile, & gangrænæ morbo simile.

fœdissimum

fæ l... imum proserpere innenitur. Fuit profectò Iudæ veluti gangræna furandi vitium; quandoquidem ... impetlatius eius animum infecit. Cum enim cœpissent eius furta ab eleemosynis, quæ Redem... ad di... ipulorum, pauperumque vsum d... niui; cò postea deuenit pecuniam acquirendi cupiditas; vt pretiosi vnguenti pretium furari ...aluisset; quàm vnguentum ipsum in Domini obsequium à Magdalena diffundi. Neque hic eius auiditas constitit; sed ad R...demptorem ipsum triginta argenteis vend...dum progressus est; idque suasure diabolo: *Cum diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas.* Sic ab eodem magistro diabolo Dominum vendendi modum didicit Iudas, à quo furandi artem didicerat. Dæmon enim *furti artifex* verè ab Antiocho dictus est.

... ab ... artifex, & magister.

54. Fuit autem Iudas non absolutè fur; sed etiam sacrilegus iuxtà Rupertum, qui ait: *Quæ Domino mittebantur, ipse ministerio nequiter abutens exportabat fur, & sacrilegus: non qualiscumque fur, fur loculorum, sed dominicorum loculorum, sed sacr...rum.* Fuit præterea impius, & incredulus; cum post tot mirabilia opera à Redemptore in suæ diuinitatis testimonium facta; adhuc eius diuinitatem Iudas non crederet, ideoque putaret posse Dominum sua furta latere. Quæ impietas, & incredulitas ex auaritia prodiit; ita vt benè dixerit Ambrosius serm. 58. *Qui pecuniam appetit, fidem perdit, Auaritia enim cæcitas errorem religionis inducit. Cæca, inquam, est auaritia, sed diuer...is fraudum oculata ingeniis; non videt, quæ Diuinitatis sunt, sed cogitat quæ cupiditatis sunt.*

Supra Iudas sacrilegus, & impius

Auaritia cæca ... & oculata ... .

55. Quæri hic potest cur Dominus Iudam pluries furem non statim punierit? Ratio autem dubitandi vrgetur exemplo Ananiæ, & Sapphiræ coniugum; de quibus ait Cassianus: *Ananias, & Sapphira, reseruantes partem quamdam ex his, quæ possederant, Apostolico ore morte mulctantur.* Si reseruasse partem ex bonis antea possessis subitaneam mortem meruit; multò magis tali pœna dignus erat Iudas aliorum bonorum vsurpator. Augetur difficultas, nam Petrus Damiani Epist. 15. cap. 3. affirmat coniuges illos per ignorantiam excusari, & venialiter tantùm deliquisse. Respondetur primò, hinc benè col...t quàm vehementer peccatores timere debeant, cum videntes peccatum ad peccatum, adhuc diuinam iustitiam pœnam differre vide...t. Quandoquidem ob pœnæ dilationem Iudas in maiora scelera, æternamquè damn...tionem corruit: *Magna ira est, quando peccantibus non irascitur Deus*, ait Hieronymus Epist. 23. ad Castrutium. *Lento enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplic... grauitate compensat*, Valerius Maxim. ait. Respondetur 2. quia Deus, vt Sap. 11. dicitur: *Dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam*: ideo Iudam sæpius peccantem non statim merita pœna punire voluit: sed ad pœnitentiam vocauit nouis, ac nouis beneficiis; vt pedum lauacro, Eucharistia, amici nomine eum appellando, eiusquè osculum non recusando. Quæ tamen omnia ex prauitate ipsius Iudæ irrita fuerunt. Nobis tamen diuinam clementiam admirantibus, diuinæquè beneficentiæ n... ingratis irrita ...se non debent. Respondetur 3. ...ignos pœnæ dilatione esse eos, qui in culpam incidunt, quam in aliis punitam recens viderint. Quare cum Iudæ ex auaritia recens exitium, vt testatur Lucas, *Notum factum esset omnibus habitantibus Ierusalem*: hine in auaritiæ culpam Ananias, & Sapphira incidentes, pœnæ dilatione indigni fuerunt.

Vale. max. ... de Diu... ...

Puniri statum debent, qui aliorum cognito supplicio non se corrigunt.

Act. c. 19.

Dixit ergo Iesus: Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.

56. QVomodo in diem Dominicæ sepulturæ seruare poterat vnguentum Magdalena, quod iam effuderat? Apud Matthæum quidem, & Marcum de hac ipsa re Domini verba difficultatem non habent: cum Matthæi 26. dicatur: *Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*: hoc est: *Præuenit vngere corpus meum in sepulturam*, vt est apud Marcum 14. Quasi dicat: Cum paucos post dies moriturus sim, & sepeliendus; obsequium aspergendi odorifero liquore extinctum corpus Magdalena licet nescia, sancto tamen spiritu eam dirigente, piè anticipauit. Sed si quæras quo sensu Ioannes de effuso iam vnguento dixerit in præsenti: *Vt seruet illud?* Respondet primò Rupertus: *Vt in diem sepulturæ meæ seruet illud; ac si dicat: Non solùm non vendatur, & detur egenis; verumetiam & quod nunc habet, nec enim totum in me iam effudit; quod, inquam, nunc habet vnguentum seruet; & adhuc amplius emat ad condiendum corpus meum; quod tuo scelere, Iuda, post tradetur ad crucifigendum.* Hæc Ruperti responsio non consonat verbis Marci, quibus dicitur: *Venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro effudit super caput ipsius.* Cum ergo alabastrinum vas fractum fuisse dicatur; ex eo vnguentum totum effusum, nec ad aliam vnctionem ibi seruatum dici potest. Nisi ad consolidandam Ruperti responsionem dicamus, quamuis Magdalena totum quidem liquorem ex fracto alabastro effuderit; adhuc tamen domi superfuisse eiusdem liquoris partem aliquam; quæ cum aromatibus aliis emendis à Magdalena, sociisquè mulieribus ad conspergendum Domini corpus in sepulchro afferenda erat; iuxta id, quod dicitur Marci vltimo: *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata vt venientes vngerent Iesum.*

Ruperti sententia de Magdalenæ effuso liquore refellitur, & excusatur.

57. Respondetur 2. ex S. Thoma 1. par. quæst. 24. art. 3. & 3. par. quæst. 13. art. 2. ad primum, & quæstio. 24. art. 1. ad 3. vsitatum esse in Scriptura, vt res tunc fieri dicatur, cum hominibus innotescit: sic Apocal. 5. dicitur: *Dignus est agnus, qui occisus est accipere Diuinitatem*, quando scilicet eius diuinitas iampridem accepta post mortem maximè innotuit. Similiter quando de Magdalena hic dicitur, vt vnguentum seruet, idem est, ac dicere, vt ad diuinum obsequium seruatum ostendat. Magdalena enim sicut capillos post conuersionem non reciderat; ita odoriferos liquores, quibus ante conuersionem se conspergere solebat, non proiecit; sed ad Domini obsequium adhibendos asseruauit. Quare in Græco textu legitur: *In*

Fieri res dicitur, cum hominibus innotescit.

diem sepulturæ meæ seruanit illud: hoc est, in tempus sepulturæ meæ proximum, quale tunc erat, cum Magdalena hoc vnguentum effudit. In vulgata verò lectione non in præterito legitur, sed in præsenti; vt hine morale etiam documentum haberemus; scilicet ea, quæ in diuinum obsequium dantur, à dantibus non amitti, sed melius asseruari, cum illis æterna retributio respondeat. Sicut enim, qui thesaurum abscondit, illud non amittit, sed tutius seruat: ita pia elargitione quod datur, non amittitur, sed seruatur. Ideo eleemosyna abscondito thesauro comparatur, & præfertur Tobiæ 12. *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere.*

Seruantur, non amittuntur, quæ in diuinum obsequium dantur.

58. Tertiò Nonnus Pentapolitanus, cum dicitur: *Vt seruet illud*; illud non ad vnguentum, sed ad Domini corpus referri censet; ita vt sensus sit: *Sinite illam, vt thesaurum corporis nostri seruet, donec occisionis, & sepulchralis hora putatione vestra veniat.* Porrò ex allatis Domini verbis quantùm alienæ famæ consulendum sit discere possumus. *Christus*, ait hic Cyrillus, *multa condescensione ad Iudam vtens non increpauit eum nummos surripientem; sed communiter omnibus intulit redargutionem; vt cum sermo pluralis ratione ad totam dirigatur multitudinem, minus erubescat ille, cuius causa fit reprehensio; & minus indignetur, quod non sit singulari nota redarguentionis perstrictus.*

Famæ alienæ consulendum.

Pauperes enim semper habetis vobiscum,
me autem non semper
habebitis.

59. MIram hie nobis demissionis exemplum humilitatis magister Christus Dominus præbet. Quamuis enim iuxta Apostolum: *Propter nos egenus factus esset, cum esset diues*: nihilominus vltra omnem compa- A rationem pauperibus omnibus inf[illegible] erat. Illis tamen se præferendum [illegible] ait, non ob proprium meritum, & [illegible] tem, sed tantùm, quia aliàs [illegible] faciendi tempus esset; cum ipse citò ex hac mortali vita abiturus foret.

Humilitas Christi eximia. 2. ad Cor. 8.

60. Addit S. Marcus hæc alia Domini verba de Magdalena loquentis: *Quod habuit hæc fecit.* Ex quibus verbis habetur Dominum non solùm bonum opus, quod in eius obsequium fit; sed etiam maius aliquid, quod non fit, facere tamen aliquis vellet, recognoscere, & remunerari. Quare murmurantibus discipulis per allata verba respondit Dominus. B *Magdalena si pretiosius vnguentum habuisset, pretiosius effudisset. Tunc me facit. Sed quia non habuit pretiosius, quod habuit, hoc fecit.* Sic allata verba Caietanus interpretatur Ientac. 1. quæst. 1. vbi plura de Magdalenæ vngenti effusione benè disserit.

Dominus non solùm opus factũ, sed quod aliquis facere vellet, remunerat.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis quia illic est: & venerunt non propter Iesum tantum, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis.

C 61. DE his diuinum apud Oseam cap. 11. vaticinium verificatum videtur: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Adami funiculus, quo tractus est ad pomi comestionem, curiositas fuit sciendi bonum, & malum, iuxtà serpentis promissum à coniuge Eua ei narratum, vt Sancti PP. docent. Iudæi ergo partim videndi Lazarum curiositatis funiculis, partim ex diuina charitate trahente eos ad Euangelicam fidem, & ad salutem in Bethaniam venerunt: ideoque ex ijs aliqui diuina operante charitate Christo Domino crediderunt teste Ioanne: *Multi propter illum* (nempe Lazarum suscitatum) *abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.*

Ignat. ad Trallen. Irenæi 3. c. Hilar in Matt. 3. & alij.



FERIA QVINTA MAIORIS HEBDOMADÆ.

Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem; cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. *Ioan. 13.*

Euangelij nexus, & ordo.

Christus humilitatis, & mansuetudinis exemplar eximium. Matth. 11. 29.

1. CVm Christus Dominus veræ humilitatis, & mansuetudinis magister, multò antea dixisset: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*: hoc in Euangelio ex Ierosolymitani cœnaculi exedra ad humilitatis, & mansuetudinis doctrinam addiscendam homines inuitat. Humilitatem docet, cum se, Dei filium, & rerum omnium Dominum agnoscendo; *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus; & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit*: nihilominus ad pauperum discipulorum pedes abluendos se demittere voluit: *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua; & cum accepisset linteum præcinxit se: deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Quare cum humillimè peregisset, subditur: *Si ego laui pedes vestros ego Dominus, & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Ad humilitatis doctrinam eximiæ etiam mansuetudinis specimen adiecit. *Nam cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariota*: cumque hoc præcognosceret Dominus: *sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum; propterea dixit: Non estis mundi omnes*: nihilominus Iudæ primùm pedibus lutionis obsequium præstitit. *Arbitror ante omnes proditoris pedes lauisse, inde venisse ad Petrum*, ait Chrysostomus. Vt hinc scilicet miræ mansuetudinis specimen daret; cum erga illum Dominus primùm se beneficum præstare voluerit; qui contra eum sceleratum proditionis maleficium exequi tunc maximè meditabatur.

Iudæ à pedibus ablutionem Dominus inchoauit.

Ante diem festum Pascha.

Pascha vnde dictum.

2. PAscha tamquam Græcum vocabulum ἀπὸ τοῦ πάσχειν, idest pati, quidam deriuant. Sed Pascha, seù quod idem est Phase, Hebraïca vox est: *Non à passione*, ait Hieronymus, *vt quidam arbitrantur; sed à transitu nominatur; eo quod exterminator* (nempe Angelus percutiens Ægyptios) *videns sanguinem in foribus Israëlitarum, pertransierit, nec percusserit eos*, vt Exodi 12. habetur: *Est enim Phase, idest transitus, Domini. Et cum dixerint filij vestri: Quæ est ista religio? Dicetis eis: Victima transitus Domini est; quando transiuit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans.* Ad quod alludens canit Ecclesia: *Protecti Pascha vespere à deuastante Angelo: Erepti de durissimo Pharaonis imperio.* Hinc patet Pascha significans transitum non celebrari in memoriam transitus Israëlitarum ex Ægypto ad terram promissionis: nec in memoriam transitus per mare rubrum, vt docere videtur August. tract. 55. in Ioann. Significat ergo primò, & propriè Pascha festum institutum in memoriam transitus Angeli percutientis primogenitos Ægypti, & Israëlitas incolumes pertranseuntis. Secundò significat agnum, qui in ea solennitate ex Domini iussu immolabatur: vt Lucæ 22. *Venit dies Azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha.* Ibidem: *Vbi est diuersorium, vbi Pascha cum discipulis meis manducem?* Prima ad Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Tertiò Pascha significat omnes septem dies Azymorum consequentes post Pascha, agnique immolationem, quibus diebus Hebræi azymis panibus vescebantur. Hinc Actor. 12. de Herode dicitur: *Apposuit, vt apprehenderet & Petrum: erant autem dies Azymorum. Quem, cùm apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum; volens post Pascha producere eum populo*, idest post transactos Azymorum dies. Dies autem Azymorum appellabantur Pascha, quia à vespera, qua paschalis agnus immolabatur, incipiebant: & tunc alios, quàm azymos panes comedere non licebat, vt Exodi 12. præcipitur: *Edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes.* Talis autem ritus vescendi tali tempore azymis panibus institutus fuit, quia percussis à Deo Ægyptiorum primogenitis, subditur Exodi 12. *Vrgebant Ægyptij populum de terra exire velociter dicentes: Omnes moriemur. Tulit igitur populus conspersam farinam, antequam fermentaretur. Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant, & fecerunt subcinericios panes azimos: neque enim poterat fermentari cogentibus exire Ægyptijs, & nullam facere sinentibus moram.* Hinc Deut. 16. præceptum fuit: *Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem; quoniam in pauore egressus es de Ægypto; vt memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ.*

In sabbato in Albis.

Paschatis triplex significatus.

Azymorum panum ritus cur institutus.

3. His prænotatis, cum Ioannes de tempore, quo Dominus paschalem cœnam celebrauit, dicat: *Ante diem festum Paschæ*; hinc sequi videtur, vel Dominum paschalis cœnæ tempus anti-

cipasse, vt aliqui asserunt; vel idem tempus Iudæos postposuisse, vt alii sentiunt. Ex quo duplex sententia anticipationis, vel postpositionis Paschatis extitit. Sed non obstantibus Ioannis verbis.

4. Dico primò eodem statuto à lege die, quo à Iudæis celebrandum erat Pascha, paschalem cænam à Domino fuisse celebratam. Ad quod breuiori, & faciliori via probandum, distinguendum esse existimo, inter Pascha, & diem festum Paschæ. Quamuis autem Pascha priuatim domi azymis panibus, & agni comestione celebrati inciperet die decimaquarta mensis; nihilominus die decimaquinta, ipsius Paschatis solemnitas in templo erat: vt manifestè habetur Num. 28. 16. *Mense primo, quartadecima die mensis Phase Domini erit; & quinta decima die solemnitas.* Hinc benè Ioannes Paschalem Domini cænam fuisse non ante Pascha, sed *ante diem festum Pascha* dixit, seu, vt in Græco textu est: Ante festum Paschæ. Qua posita distinctione Ioannes aliis Euangelistis non contradicit, qui omnes Dominum Paschalem cænam primo die Azymorum fecisse asserunt, vt habetur Matthæi 26. num. 17. Marci 14. num. 12. Lucæ 22. num. 7. Primus autem Azymorum dies decimus quartus mensis; à cuius vespera nonnisi azymis panibus per septem consequentes dies vesci licebat.

Paschalis cæna vespere, dies festus paschatis mane sequenti celebrabatur. Ioannis, & aliorum Euangelistarum verba de paschali Domini cæna, conciliantur. Hic, & n. sequenti.

5. Præterea eadem Euangelistarum conciliatio benè etiam explicatur distinguendo duplicem diem: alterum naturalem, cæremonialem alterum. De naturali die ait Beda: *Hebræi, & Chaldæi, & Persæ dies cursum à mane ad mane deducunt, umbrarum scilicet tempus luci supponentes. At contra Ægyptij ab occasu ad occasum. Porro Romani à medio noctis in medium. Vmbri, & Athenienses à meridie in meridiem dies suos computari maluerunt.* Dies verò cæremonialis apud Hebræos à vespera præcedentis diei incipiens sequentis diei vespera terminabatur; vt Leuitici 23. 32. præcipitur. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra*, hoc est festiuitates. Nam *Iudæi*, vt ait Theophylactus, *omne festum solebant vocare sabbatum propter requiem.* Festos etiam dies apud nos in Ecclesia obseruandos à vespera prima vsque ad secundam præcipitur in Decret. cap. 1. de feriis: *Omnes dies Dominicos à vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus obseruari.* Hoc posito præsens textus Ioannis dicentis Dominum vltimam cænam celebrasse *ante diem Pascha* conciliatur cum aliis Euangelistis dicentibus Pascha à Domino primo die Azymorum fuisse celebratum. Si enim accipiatur dies naturalis, celebrata est paschalis cæna à Domino ante diem Paschæ; cuius initium erat vel media nocte, iuxta Romanos; vel iuxta Hebræos mane diei decimi quinti mensis, quem mensem Hebræi Nisan appellabant; spectabatquè partim ad Martium, partim ad Aprilem. Si verò sumatur dies cæremonialis, celebrata est paschalis cæna à Domino non ante Pascha, sed ipso Paschatis die, cum cæremonialis dies, vt diximus, non à mane, vt naturalis dies; sed à vespera sumeret initium: fuitquè talis dies decimus quartus ad solis occasum. Dices: Hieronymus in Ioann. c. 2. docet ex Gen. 1. vers. 5. diem naturalem à vespere incipere, adeoque cum cæremoniali die coincidere. Respondeo, de hoc dictum esse Fer. 4. post. Domin. primam, vbi de triduo Dominicæ sepulturæ egimus: ibiquè iuxta alios sanctos Patres naturalem diem à solis ortu incipere ostendimus. Quam sententiam veram esse præter Patrum auctoritatem, supra allata Euangelistarum conciliatio probat. Quod si quis cum Hieronymo naturalem diem à solis occasu, adeoquè cum cæremoniali coincidere omninò contendat; tunc dicente Ioanne: *Ante diem festum Pascha*, id intelligi debet de die quoad solennitatem, quæ mane celebrabatur, vt supra vidimus: vel intelligi debet de die vsuali. Nam vt benè docet Pererius c. 1. in Gen. vers. 5. *Multis exemplis scriptura, multisquè argumentis probari posset apud Iudæos fuisse olim in vsu triplex genus dierum: diem legalem à vespere ad vesperam; diem naturalem ab ortu solis ad ortum*, (quod non videtur admittere Hieronymus) *diem vsualem à media nocte ad mediam noctem.*

Dies naturalis, & cæremonialis quomodo distinguantur.

Beda lib. de temporum ratione.

Pererius in Gen vers. 5 ex S. Basilio, & ex Plinio.

In Ioan. c. 20.

Dies apud Hebræos triplex distinguebatur.

6. Ex dictis sententia asserentium Dominum Paschalis cænæ tempus anticipasse benè reiicitur. Huius anticipati Paschatis sententiæ auctores sunt Græci; qui ex Ioannis verbis fundamentum sumunt in fermentato pane Eucharistiam consecrandi; existimantes Dominum in vltima cæna, qua Eucharistiam instituit, fermentato pane vsum esse; eò quòd talis cæna ante Pascha, atque adeo, vt ipsi dicunt, ante azymi panis vsum celebrata dicatur: & propterea vltimam Domini cænam non decimoquarto, sed decimotertio mensis die factam esse censent. Quod quidem falsum est; cum re vera talis cœna, vt diximus decimoquarto mensis die ad vesperam fuerit; adueniente scilicet stellæ, quæ vesper dicitur, ortu: quo tempore iam azymi panis vsus inceperat, vt ex aliis Euangelistis manifestè patet. Dicitur autem à Ioanne hoc fuisse ante Pascha; quia naturalis dies Paschatis mane diei decimiquinti incipiabat; nempe feria 6. qua Dominus crucifixus est: quamuis alioquin cæremonialis dies, ad quem Ioannes non respexit, vespera feriæ 5. incepisset; & ad hunc cæteri Euangelistæ respexerunt. Hæc Euangelistarum conciliatio sumitur ex Augustino Ep. 86. ad Casulanum his verbis: *Cur quarta, & sexta feria maximè ieiunet Ecclesia; illa ratio reddi videtur; quod considerato Euangelio ipsa quarta sabbati, quam vulgò quartam feriam vocant, consilium reperimus, ad occidendum Dominum fecisse Iudæi. Intermisso autem vno die, cuius vespera Pascha cum discipulis manducauit, qui finis fuit eius diei, quem vocamus quintam sabbati; deinde traditus est ea nocte, quæ iam ad sextam sabbati, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat. Hic dies primus Azymorum fuit à vespera incipiens. Sed Matthæus Euangelista quintam sabbati dicit fuisse diem primum Azymorum, quia eius vespera sequente futura erat cæna paschalis, qua cæna incipiebat azymum, & ouis immolatio manducari.* Ex quo colligimus quartam sabbati fuisse, quando ait Dominus: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur.* Quibus verbis etiam Dominus, sicut Ioannes, initium naturalis diei, non cæremonialis attendit. Si enim cæremonialis dies attenderetur, non post biduum, sed post vnicum diem Pascha sequebatur. Præterea contra Græcorum sententiam afferuntur verba illa, quæ in Missæ canone de Domino cum in vltima cæna Eucharistiam instituit, dicuntur: *Qui pridie, quàm pateretur.* Quæ verba à tempore S. Petri dicta esse in Missa, docet Hugo Victorin. lib. 2. de Sacramentis parte 8. cap. vltimo. Quamuis in Breuiario Romano dicatur Alexander primus illa addidisse. Sed respondere possent Græci Dominum pati

Græcorum sententia de paschali cæna à Domino anticipata, & decimo tertio mensis die celebrata, reiicitur.

Ecclesia cur 4. & 6. feria præcipuè ieiunet.

Matth. 26.

incæpisse nocte diei decimiquarti, qui fuit Feria quinta cum à Iudæis captus, & vinculis alligatus ad tribunalia tractus est: ex quo sequitur quòd dicendo, *pridie quàm pateretur*, intelligi deberet dies decimus tertius, seu Feria quarta, propter quod Græcorum effugium allata probatio non omnino conuincere videtur.

Iudæi Dominicæ Passionis tépore Paschatis solemnitaté in Sabbatum non distulerūt. Hic, & in sequenti.

7. Dico secundo Iudæos, cum Christus Dominus passus est, consuetum tempus celebrandi Pascha non post posuisse. Auctores huius sententiæ, nempe post positi à Iudæis Paschatis, inter se diuisi sunt. Ropertus lib. 2. in Leuit. cap. 36. ait: *Mos Iudæis est, vt vbicumque vitare præualent, nunquam duo Sabbata, id est duos dies festos, quibus operari non liceat, continuent. Multa enim, aiunt, nobis importuna fierent, atque incommoda: verbi gratia in curandis funeribus, quæ interdum a prima vespera prioris Sabbati seruata in quartum diem, fœtoris molestiam generarent. Id circo vbi quinta Feria Paschalis terminus, id est decimaquarta luna euenisset, agnum quidem eadem nocte comedebant: sed sequentis diei solemnitatem relinquebant in Sabbatum transferendam. Hoc posito nemo miretur, cur quando Dominus passus est, cum præterita vespera Iudæi agnum comedissent, quem & ipse Dominus cum discipulis manducauerat; Iudæis tamen iudicia habere vacauerit; cum esset luna decimaquinta, qua dies ex lege sancta esse debuerat, atque solennis.* Idem repetit Rupertus lib. 10. in Matth. cap. 26. Alij huius sententiæ, nempe Paschatis à Iudæis postpositi, auctores, censent tam Paschalem agni cœnam, quàm ipsam Paschatis solemnitatem eo anno Iudæos in diem sequentem transtulisse; ita vt Paschalem cœnam vespera Feriæ sextæ post Christi mortem fecerint; Paschatis verò solemnitatem sequenti Sabbato celebrauerint. Ita censent Iansenius cap. 128. Concordiæ, Maldonat. in Matth. 26. Catharinus lib. 2. contra Caiet. & alij. Quibus dubitans tantùm fauet Chrysostomus Homil. 82. in Ioann. Horum auctorum primum fundamentum est Iudæorum consuetudo ex antiqua traditione de Pascha; si incideret in Feriam sextam, in Sabbatum transferenda propter rationem supra allatam à Ruperto. Hanc autem traditionem afferunt Burgensis Matth. 26. & Ioannes Lucidus opusculo de vero die Passionis Christi cap. 9. Sed hanc apud Hebræos traditionem, & eo tempore consuetudinem Pascha transferendi negandam esse probat Bellarminus lib. de Eucharistia cap. 8. Negandi ratio conuincens esse potest argumenti retorsio. Si enim incidente plenilunio æquinoctiali in Feriam sextam, Pascha, quæ alioquin eo die celebranda erat, transferenda erat in Sabbatum, ne duo festa continuarentur; ex hac ipsa translatione paulò post duæ etiam solemnitates erant distinctis diebus continuandæ. Si enim Hebræi in Sabbatum Paschalem celebritatem transtulissent; tunc septima dies Azymorum Feria sexta ante sequentis Sabbati festiuitatem erat celebranda: & consequenter duo festa necessariò erant continuanda. Porrò quàm celebris esset solemnitas septimi Azymorum diei, dicitur Leuitici 23. *Septem diebus azyma comedetis: dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque; nullum opus seruile facietis in eo. Dies autem septimus erit celebrior, & sanctior; nullum opus seruile facietis in eo.* Et Exod. 12. *Dies prima erit sancta, atque solennis: & dies septima eadem festiuitate venerabilis.*

Scripturæ verba, quæ Pascha dilatū probare videntur, proponuntur, & soluuntur. Hic, & sequentibus.

8. Secundum prædictæ sententiæ fundamentum sumitur ex aliquibus Euangelii locis; quorum primus est Matth. 26. 5. cum Iudæi de capiendo, & occidendo Dominum consilium habentes dixerunt: *Non in die festo*: ergo cum Dominus captus, & crucifixus est, Pascha non celebrabatur. Secundò Ioan. 18. 28. de Iudæis Fer. 6. qua Dominus crucifixus est, dicitur: *Ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur; sed vt manducarent Pascha*; ergo nondum Pascha comederant. Tertiò Ioannes 19. 14. de Feria 6. qua Dominus crucifixus est, ait: *Erat Parasceue Paschæ. Parasceue*, ait Ropertus,

Rupert. in Ioann. 19.

præparatio interpretatur; quo nomine Iudæi, qui inter Græcos conuersabantur, sextam Sabbati, quæ nunc à nobis Feria sexta nuncupatur, appellabant: quod eo videlicet die, quæ in Sabbatum forent necessaria, præpararent. Similiter *Parasceue Paschæ* erat præparatio ad Pascha celebrandum; ergo non erat antea celebratum. Eodem capite dicitur: *Vt non remanerent in cruce corpora Sabbato: Erat enim magnus dies ille Sabbati*, magnus scilicet, eò quod simul cum Sabbati solemnitate Pascha etiam celebrabatur. Quartò Ioseph ab Arimathia, vt habetur Marci 15. Feria 6. qua Dominus crucifixus est, emit Syndonem; Christi corpus de cruce deposuit; quo inuoluto, & ad monumentum translato, lapidem ad monumenti ostium aduoluit. Et Lucæ 23. legitur pias mulieres parasse aromata, & vnguenta. Quibus operibus Paschalem solemnitatem, si ea die fuisset, violassent.

9. Respondetur primò. Quamuis Matthæi 26. num. 5. Sacerdotum Principes dixerint: *Non in die festo*: scilicet Christum capiamus, & occidamus: hinc non sequitur Christum non passum esse die Paschatis; nam iidem Sacerdotum Principes, cum se Iudas illis proditorem obtulisset, mutato consilio, Christi capturam in alium diem differre noluerunt. Patet hoc ex Ioanne 18. 31. nam, cum Iudæi Pilato dixerunt: *Nobis non licet interficere quemquam*; iuxta sanctum Augustinum tom. 9. tract. 114. in Ioann. & Sanctum Thomam 3. part. quæst. 47. art. 4. ad 3. *Iudæi intellexerunt non sibi licere interficere quemquam propter festi diei solemnitatem, quam celebrare iam cœperant: propter quam de ingressu etiam in prætorium contaminari metuebant.* Neque respondere potuisset Pilatus, quod obiicit Suarius, vt paucos dies expectarent: postea verò Christum interficerent. Nam Iudæi obstabant dicentes periculum esse in mora illud iterum contestantes, quod antea dixerant Ioann. cap. 11. & cap. 12. *Ecce mundus totus post eum abijt. Si dimittimus eum sic: omnes credent in eum.* Ab hac etiam interpretatione non dissentit Chrysostomus hom. 82. in Ioan. *Quod si dicunt non licere interimere; eo tempore intelligendum est*; quo scilicet Pascha celebratur. Similiter hom. 86. in Matthæum idem Chrysostomus de Iudæis ait: *Quoniam interficere ipsum statuerant, & propter diem festum non poterant, ad Pilatum eum ducunt.* Idem docent Cyrillus lib. 12. cap. 6. & Beda in Ioann. 18. Quod benè confirmari potest ex Actor. 12. vbi de Herode dicitur: *Videns quia placeret Iudæis, apposuit vt apprehenderet & Petrum. Erant autem dies Azymorum. Volens post Pascha producere eum populo.* Herodes autem ritum Iudaicum seruare voluit, vt se Iudæis, quibus imperabat, gratum redderet. Secus verò Iudaicum cultum à Pilato tamquam Ethnico non seruandum esse Iudæi instabant: & ad hoc instare etiam in Paschate, sibi licitum esse odio,

Suarius 3. p. to. 2. q. 50. disp. 40. a. 6. sect. 4.

A & inuidia in Christum excœcati iudicarunt. Sicut eodem odio petiri Ioann. 7. *Miserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent eum*; quamuis tunc dies festus Scænopegiæ celebraretur; & die octaua eiusdem festi, *In nouissimo die festiuitatis quidam ex ipsis volebant apprehendere eum.* Insuper Ioann. 10. cum Encænia Ierosolymis celebrarentur, hoc est dedicationis templi solemnitas: *Sustulerunt lapides Iudæi, vt lapidarent eum.* Quasi hoc sibi licitum foret, sicut licitum fuit Numer. 15. & Sabbati violatorem ipso Sabbato lapidibus obruere: Christum enim, vt Sabbati violatorem habebant: *Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit*, dicebant Ioan. 9. 16. Porrò voluit Dominus Paschatis die crucifigi; primò, vt ex populi frequentia maiorem ignominiam subiret: B cumque à Iudæis Pascha in Æquinoctii verni plenilunio celebraretur; illuminatam lunari lumine noctem elegit, qua per summum dedecus ab vno ad aliud tribunal ignominiosissimè raperetur. Secundò voluit Paschate crucifigi; vt manifesto experimento quanta foret humana ingratitudo ostenderet. Cum enim ob Paschalem solemnitatem ingens Iudæorum turba Ierosolymam conflueret; inter quos multi erant, qui à Christo Domino salutem vel animæ, vel corporis acceperant; nihilominus nemo repertus est, qui Pharisæorum furori pro Christi innocentia obsisteret. Adde præterea ingens fuisse ingrati animi argumentum, eodem die Christum Dei Filium à Iudæis ad mortem rapi. quo die se ab Ægyptiaca seruitute diuino beneficio liberatos solemniter recolebant.

Christus Dominus cur Paschatis die crucifigi voluit.

C 10. Secundò cum Ioannes dixit: *Ipsi non introierunt in prætorium, vt comederent Pascha*; Paschatis nomine non Paschalem agnum, vt contraria sententia asserit; sed alia sacrificia Paschalibus diebus oblata, quibus tantū mundis vesci licebat, intelligere debemus. Quod præter agnum Paschalem die decimaquarta immolatum, alia etiam sacrificia septem sequentibus diebus offerrentur, habetur Deuter. 16. *Immolabis phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus*: & clarius Numer. 28. 16. *Mense primo quartadecima die mensis, Phase Domini erit; & quintadecima die* D *solemnitas: septem diebus vescentur azymis. Offeretisque, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem. Ita facietis per singulos dies septem dierum.* Quod huiusmodi sacrificia Paschalibus oblata diebus, Pascha, seu quod idem est, Phase appellarentur, docet Augustinus lib. quæstionum supra Deuter. cap. 24. quòd benè colligit ex illis Deuteronomii verbis supra citatis: *Immolabis Phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus.* Colligi etiam potest ex 2. Paralip. 35. *Dederunt Sacerdotibus ad faciendum Phase pecora commistim duo milia sexcenta, & boues trecentes.* Denique quòd huiusmodi Deo oblata tantùm à mundis essent manducanda, benè colligitur ex verbis Leuit. cap. E 6. & 7. & 22. ex Numeror. 18. & ex Deuter. 28. Quare, cum August. ait tract. 120. in Ioannem, *Acceleratam fuisse à Iudæis sepulturam Christi, ne aduesperasceret, quando iam propter Parasceuen, quam cœnam puram appellant, facere tale aliquid non licebat*: nomine cœnæ puræ, non agnum Paschalem, sed cœnam, in qua alia sacrificia Deo oblata comedebantur, quæ puros manducantes exigebat; intelligi dicendum est. Patet, nam agni Paschalis cœna semel in anno

Sacrificium oblatū diebus azymorū, seu Paschalibus Phase, seu Pascha dicebatur.

Cœna pura apud Iudæos quæ esset.

fiebat: & cœnas puras pluries fieri solitas indicat Tertullianus contra Marc. lib. 5. cap. 4. dicens: *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, & Sabbata, vt opinor, & cœnas puras, & ieiunia.*

11. Respondent alii cum Chrysostomo in Matth. hom. 82. & 85. Pharisæos, & Scribas occupatos circa Christi accusationem, & mortem, neglecta legis obseruantia consueto tempore, scilicet nocte Feriæ quintæ, Paschalis agni cœnam omisisse. Quam sententiam confirmare videntur verba illa S. Leonis serm. 7. de Passione: *Cum Scribas, & seniores populi ad impium Concilium Pontifices congregarent, omniumque animos Sacerdotum cura admittendi in Iesum sceleris occupasset; ipsi se Doctores legis lege priuarunt, & spontaneo defectu ritus sibi patrios abstulerunt.* Sed contra est, quia Numer. 9. Iudæis præscriptum erat, vt prætermissa consueto die agni comestione, ea transferenda foret in decimumquartum diem mensis sequentis: & consequenter tunc agni Paschalis comestio, cum ad multos dies esset postponenda, Pharisæis impedimento esse non poterat, ne in prætorium introirent.

12. Respondent alii cum S. Thoma 3. part. quæst. 46. art. 9. ad primum: & cum Innocentio lib. 4. de mysterio Missæ, quando dicitur: *Non introierunt in prætorium, vt comederent Pascha*; nomine Paschatis intelligi azymos panes; qui à Iosepho lib. 3. antiqu. cap. 10. & à Philone lib. de vita contemplatiua, inter sacros cibos numerantur; & consequenter eorum comestio legalem munditiem exigebat. Quòd confirmare nititur Suarius à puritate panum propositionis; ad quos edendos necessaria erat munditia, vt colligitur ex 1. Reg. 21. Sed contra est, quia fermentatum panem Deo in sacrificium offerri debere legimus Leuit. 23. *Offeretis sacrificium Domino ex omnibus habitaculis vestris panes primitiarum duos de duabus decimis simila fermentata*: Contra verò cum azymos panes Deo offerendos esse non legamus; hinc ad tales azymos panes comedendos legalem munditiem fuisse necessariam non constat. Quod si citati auctores azymos panes, sacros vocant; tale nomen illis tribuunt, eò quod sacris diebus eorum esset vsus. Addit præterea Maldonatus; si ad azymos panes comedendos legalis munditia requisita fuisset, talis lex fuisset Iudæis intolerabilis: *Cum tamen multis, iam leuibus, tam passim occurrentibus rebus contaminarentur; vt vix se diem vnum mundos seruare possent: dies autem azymorum septem essent; quo tempore quisquis fermentato vteretur pane, moriturus erat, Exodi 12. Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel à primo die vsque ad diem septimum. Quòd si contaminati azymo vesci non poterant; cum tam frequenter, tamque multis contaminarentur rebus; quot quæso homines quotidie etiam festis diebus damnandi essent?* Hæc Maldonati ratio esto quoad azymos panes locum habeat; quoad alias victimas vim non habeat. Quamuis enim oblatis in diuinum sacrificium victimis tantùm mundi vesci deberent; si quis tamen per eos dies in immunditiem incurrisset; poterat aliis cibis communibus vesci. Quod autem ciborum communium iis diebus vsus licitus esset, patet hoc cap. Ioann. 13. vbi Dominus de proditore dixit: *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero: & cum intinxisset panem dedit Iudæ*: cum intinxisset scilicet in aliquo sapori-

Suarius supra.

Maldonatus.

ferto ...culo: & consequenter tale iusculum aliud A crat à Paschali agno, de quo præcipitur Exodi 12. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni.* Præterea aliæ victimæ Deo immolandæ, & à mundis tantùm comedendæ, non offerebantur nocte agni Paschalis; sed septem sequentibus diebus, vt col igitur ex supra citato textu Num. 28. ergo sicut nocte agni Paschalis, ita septem sequentibus diebus; aliis communibus cibis mundiciem non exigentibus vesci poterant.

13. Tertiò cum Ioannes de Feria sexta; qua Dominus crucifixus est, ait: *Erat autem Parasceue Paschæ*: nomine Pascha non significatur B Paschalis prima solemnitas, sed Sabbatum Paschale, quod scilicet in dies Paschales incidebat: & propterea de tali Sabbato dixit Ioan. 19. *Erat magnus dies ille Sabbati*, quippe qui cum Azymorum festiuitate coniunctus erat, & propterea tale Sabbatum primò primum dicebatur: sicut Sabbatum incidens in Pentecosten, vel in Pentecostes hebdomadam dicitur Luc. 6. *Sabbatum secundo primum*, idest secundo loco solemne. Celebrabantur enim Pentecostes hebdomada non ex legis præscripto, sed ex populi deuotione, vt patet ex Genebrardo in Calendario. Confirmatur supra illata Parasceues interpretatio; quia Parasceue, vt diximus, significat præparationem ciborum, rerumque necessariarum ad sequentem diem Sabbati; ipso enim Sabbati die ab huiusmodi operibus omnino cessandum erat. Solemnitas autem Paschatis Parasceuen non habebat, cum ipsis Paschalibus diebus, excepto Sabbato, cibos præparare liceret, vt habetur Exodi 12. num. 16. *Dies prima erit sancta, atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis; nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent.* Quare Marcus 15. 42. ad Parasceuen clarius explicandam dixit: *Erat Parasceue, quod est ante Sabbatum.* Obiicit Maldonatus: Idem esse Parasceuen Paschæ, ac Parasceuen Sabbati incidentis in Paschales dies; *Locutio non minus dura, & absurda est, quam si cum festum Diui Ioannis Baptistæ pridie festi corporis Christo celebratur, de eo die aliquis loquens, Vigiliam Diui Ioannis appellaret: non quod festi Diui Ioannis vigilia esset; sed quod vigilia corporis Christi, quæ in festum Diui Ioannis incidisset. Quis enim ita loquentem non derideret?*

Maldon. in Matt. 26.

14. Respondetur disparitatem esse manifestam: nam Pascebatis nomine per ampliationem omnes septem dies Azymorum appellari supra probauimus ex Actor. 12. Quare Paschale Sabbatum intra Azymorum hebdomadam benè potuit Paschatis nomine appellari. Secus verò de Festis sancti Ioannis, & Christi Domini corporis est dicendum; cum ex vna solemnitate ad alteram denominatio non pertineat. E

15. Quantò ad opera Iosephi ab Arimathia; & piarum mulierum facta Feria sexta. & consequenter Paschate, cum Dominus crucifixus est, responderi posset primò Christi fideles diuinitus cognouisse incipiente iam Euangelica lege Mosaicam legem vlterius non esse seruandam. Sed contra est, quia à piis illis mulieribus Sabbatum custoditum fuisse legimus Marci 16. *Cum transisset Sabbatum Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata* (aromata scilicet alia præterea, quæ iam Feria sexta præparauerant, sicut mox videbimus) *vt venientes vngerent Iesum*, largiter aromatum effusione. Rursus Lucæ 23. de iisdem piis mulieribus dicitur: *Reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta; & Sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum.* Siluerunt, hoc est ab omni opere cessantes, quieuerunt, vt Sabbatum custodirent. Silere enim in sacris litteris interdum quiescere significat, vt Machab. cap. 1. *Siluit terra in conspectu eius.* Cum autem dicitur: *Reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta*: vel hoc transacto Sabbato factum, per anticipationem tamen ab Euangelista narratur, vt censet Innocentius tertius lib. 4. de Missa cap. 4. Vel à Domini sepultura reuertentes aromata, & vnguenta parauerunt ipsa Feria sexta ante solis occasum; cum ibi dicatur: *Dies erat Parasceues, & Sabbatum illucescebat*, hoc est prope erat, vt inciperet: si enim Sabbatum iam incœpisset, dies Parasceues non fuisset, sed desiisset.

Silere quiescere significat.

16. Respondendum est ergo excepto Sabbato, & die expiationis, quibus absolutè ab omni opere cessandum erat, vt dicitur Leuit. 23. aliis festiuis diebus etiam Paschatis, opera quidem seruilia non vrgentia prohibebantur; non autem opera pietatis, & charitatis; cuiusmodi erat vita functos sepelire, vt docet Caiet. Leuit. 23. De quo etiam disserit Ientaculo 6. quæst. 5. Quare cum Tobiæ nunciatum esset: *Vnum ex filiis Israel iugulatum iacere in platea; cum esset dies C festus Domini* (nempe Pentecostes, vt habet Græcus textus) *statim exiliens de accubitu suo relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus, tollensque illud portauit ad domum suam occultè, vt dum sol occubuisset, cautè sepeliret eum.* Dicea ex hoc loco colligi contrarium; nimirum Tobiam distulisse defuncti sepulturam vsque ad Solis occasum, transacta scilicet Pentecostes solemnitate. Respondeo Tobiam nocturno tempore mortuum sepelisse ob Assyrios Iudæis infestos; non autem propter Pentecostes solemnitatem: quandoquidem tali solemnitate licitum sibi putauit corpus domum transferre; eò quod charitatis opus esset. Quare ex hoc Ruperti ratio supra allata de transferendo Paschate in Sabbatum ne defunctorum sepultura diù impediretur, omninò corruit. D

Tobiæ 2.

17. Præterea obsequia erga sanctissimum Christi corpus præstita, etiamsi inchoato iam Sabbato contigissent, adhuc Sabbatum contra legem non violassent. Probè enim intellexissent Christi fideles sacrum illud corpus esse templum Dei non manufactum. Quare si erga materialis templi cultum, etiam Sabbato operari licebat; multò magis id erga Christi Domini corpus licitum erat. Hinc Matth. 12. Dominus Iudæis obiicit: *Non legistis in lege, quia Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant & sine crimine sunt?* Sabbato enim ad diuinum cultum victimæ iugulabantur, excoriabantur, dissecabantur, & lauabantur: componebantur ligna, accendebatur ignis, quo victimæ comburerentur; hæc autem opera ex seruilibus, & profana religiosus cultus in Deum sacra reddebat. Benè autem ibi Dominus addidit seipsum indicando: *Dico vobis, quia templo maior est hic. Omnia enim est filius hominis etiam Sabbati.* Hinc Hieronymus ait: *Videtis quoniam omnia hæc, quæ in mundo alicui facere non licet in Sabbato, Sacerdotibus soli licet: Nam & ligna cadunt, & ignem supponunt, & alia faciunt ministeria, & bestias immolant. Hoc totum quare dixi? Vt ostenderem scriptum esse in lege debere nos cessare etiam*

Hieronym. in Psal. 9.

in die Sabbati ab operibus mundi, & ea facere, quæ ad Deum pertinent. Dices cur ergo Lucæ 23. dicitur: *Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum?* Respondeo, id fecisse primò, ne Iudæos scandalizarent: *Prouidentes bona, non tantùm coram Deo; sed etiam coram omnibus hominibus.* Secundo eò quod fortassè expectarent militum è sepulchri custodia discessum.

Ad Rom. 12.17.

18. Tertium prædictæ sententiæ de Paschate à Iudæis Sabbato celebrato post Feriam sextam, & post Domini passionem, fundamentum est, quia de Pentecostes solemnitate celebranda præcipitur 23. Leuit. 15. *Numerabitis ab altero die Sabbati* (id est solemnitatis Paschalis) *septem hebdomadas plenas vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septima, idest quinquaginta dies: & sic offeretis sacrificium nouum Domino.* Similiter de eadem solemnitate Iosephus lib. 3. antiquit. cap. 10. ait: *Post Paschale sacrum elapsis septem septimanis, hoc est quadraginta nouem diebus, quinquagesimo,* hoc est Pentecoste, *offerunt Deo panem.* Sed si Pascha, seu primum solemnem diem Azymorum tunc Iudæi non transtulissent in Sabbatum; sed Feria sexta, qua passus est Dominus, celebrassent; consequenter secundus Azymorum dies fuisset Sabbatum: ergo ab hoc numerando quinquaginta dies subsequens Pentecoste celebrata fuisset similiter Sabbato, quod est falsum. Nam proxima post Christi passionem Pentecoste, cum Spiritus sanctus in discipulos descendit, fuit dies Dominica, vt expressè docet Augustinus tom. 10. serm. 251. de tempore dicens: *Dominicum diem Apostoli, & Apostolici viri ideo religiosa solemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster à mortuis resurrexit. Apparet autem hunc etiam in Scripturis sacris esse solemnem. Ipse enim est primus dies seculi; in ipso formata sunt elementa mundi; in ipso creati sunt Angeli; in ipso quoque à mortuis resurrexit Christus, in ipso de cælis Spiritus sanctus super Apostolos descendit; manna in eodem in eremo primùm de cælo datum est.* Idem docet Leo Papa ep. 81. ad Dioscorum cap. 1. Vt huic difficultati fiat satis,

19. Responderi posset primò incipiendo à secundo die Azymorum, quem diximus fuisse Sabbatum, Pentecosten non ipso quinquagesimo die, sed immediatè post quinquagesimũ diem fuisse celebratam; & sic in Dominicum diem incidisse. Cui sententiæ fauere videntur verba Act. 2. *Cum complerentur dies Pentecostes,* hoc est dies quinquaginta. Ipso autem quinquagesimo die matutino tempore, quo Spiritus sanctus descendit, non potuisset dici completos esse quinquaginta dies. Sed contra est, quia si benè citata verba Leuitici 23. & Iosephi lib. 3. antiqu. cap. 10. examinentur; ipso quinquagesimo die, non autem die sequenti Pentecosten esse celebrandam præcipitur. Quod ex præsenti vsu Ecclesiæ confirmatur; cum incipiendo à die Dominicæ resurrectionis quinquaginta dies ita numerentur, vt ipso quinquagesimo die, non autem die sequenti Pentecoste celebretur. Porro ad benè intelligenda verba Act. 2. notandum est ex regula sacræ Scripturæ, in ea diem inchoatam, quasi iam transactum sæpè numerari. Sic cum ipso octauo die à Domini natiuitate ipsius circumcisio fuerit; dicitur tamen Lucæ 2. *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer,* Ibidem, *Postquam impleti sunt dies purgationis eius:* cum aduenisset tantùm, non autem completus esset quadragesimus dies à partu Virginis. Marci 8. *Oportet filium hominis pati multa, & occidi, & post tres dies resurgere.* Matth. 27. *Recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam:* cum tamen Dominus ipso tertio à sua morte die resurrexerit. Ioan. 2. *Post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis.* quod quidem fuit ipso octauo die. Idem ex veteri testamento constat. Ieremiæ 25. 12. prædicitur laxandam esse captiuitatem Babylonicam: *Cum impleti fuerint septuaginta anni.* Et tamen ipso septuagesimo anno inchoato, non absoluto id contigit, vt patet ex historicis, præcipuè ex Iosepho. Adde præterea à S. Luca non dici, Cum completi essent, sed *cum complerentur dies Pentecostes;* hoc est, cum essent incompleti; cum scilicet ipse dies quinquagesimi numeri completiuus perageretur.

20. Responderi posset secundò iuxta ritum Mosaïcum ad Pentecosten celebrandam numerandos esse 50. dies, à secundo die Azymorum exclusiue; & sic cum secundus dies Azymorum fuerit Sabbatum post Domini passionem; consequenter in Dominicum diem incidit Pentecoste. Sed contra est, quia Augustinus epist. 119 cap. 16. ait: *Occiditur ouis, celebratur Pascha; & interpositis quinquaginta diebus datur lex ad timorem scripta digito Dei. Occiditur Christus, qui tamquam ouis ad immolandum ductus est, sicut Isaias testatur; celebratur verum Pascha; & interpositis quinquaginta diebus datur ad charitatem Spiritus sanctus, qui est digitus Dei.* Similiter loquitur libro quæstionum noui testamenti quæst. 95. Quo posito iuxtà Augustinum ad numerandos quinquaginta dies terminus exclusiuus, post quem incipitur, est ipse dies Paschatis, seu primus Azymorum: ergo secundus Azymorum dies inclusiuè, non exclusiuè est accipiendus: Idem insinuant alii Patres, præcipuè Chrysostomus tom. 3. homil. 2. de Spiritu sancto, & Hieronymus epist. 127. Mansione 12. Quod confirmari potest, quia sicut apud Hebræos incipiendo à secundo die Azymorum quinquagesimo die Pentecoste celebrabatur; ita iuxta traditionem Ecclesiæ docet Augustinus epist. supra citata, & serm. 183. de tempore, Pentecosten à nobis quinquagesimo die à Christi resurrectione celebrari. Sed resurrectio Christi est terminus, vnde incipitur inclusiuus; ergo similiter inclusiuum terminum diem secundum Azymorum apud Hebræos fuisse dicendum est; exclusiuum verò primùm illorum Paschatis diem. Quare ad exclusiuum terminum assignandum Iosephus supra citatus ait: *Post Paschale sacrum Quinquagesima offerunt Deo panem.*

21. Respondetur ergo tertiò Iudæorum quidem Pentecosten eo anno incidisse in Sabbatum; & die sequenti Dominico descendisse in discipulos Spiritum sanctum, vt patet ex computo supra facto. Remanet tamen soluenda difficultas circa Lucæ verba dicentis aduentum Spiritus sancti fuisse. *Cum complerentur dies Pentecostes.* Respondet Suarius: *Exponendum videtur; dum complerentur, idest statim ac completi sunt dies Pentecostes; quod optimè dicitur de die proximo sequenti illum festum.* Confirmat hoc ex Chrysostomo tom. 3. hom. 4. in Acta Apostolorum: *Dum complerentur, inquit, dies Pentecostes. Hoc est non ante Pentecosten; sed circiter, vt ita loquar, Pentecosten.* Sed contra est, quia *Cum complerentur,* idest statim ac completi sunt, videtur durior expositio: & magis propriè exponitur, *Cum comple-*

Pentecoste post Passionem ... ce ... ta fe... Iudæis. Et quo ... Spiritus sanctus de ... dit, & ... Pentecoste ... Supra.

complerentur, hoc est, cum compleri inciperent. sicut si diceremus: Cum sol exoriretur, idem est, ac cum sol exoriri inciperet; quamuis nondum supra orizontem tota eius sphæra videretur; idque præsertim posito modo loquendi sacræ Scripturæ, accipientis diem inchoatum pro completo, vt supra vidimus. Si enim Lucæ 2. cum dicitur: *Postquam impleti sunt dies purgationis*; intelligitur ipse quadragesimus dies: multò magis dicendo: *Cum complerentur dies Pentecostes*, ipse quinquagesimus dies est intelligendus. Adde præterea S. Augustinum epist. 108. expressè dicentem Spiritum sanctum apparuisse die Pentecostes. Dicendum est ergo S. Lucam non de Pentecoste Iudaica incidente in Sabbatum loqui; sed de Pentecoste Christiana, quæ die sequenti Dominico celebrari cœpit. Dies enim Dominica quinquagesima à Domini resurrectione, qua Spiritus-sanctus in discipulos descendit, Pentecoste à Christianis est appellata; eiusquè solemnitas sub tali nomine quotannis postea est celebrata. Quia sicuti à Iudæis Pentecoste celebrabatur in memoriam datæ legis Mosaicæ in Sina monte quinquagesimo die post egressum ex Ægypto: ita die Dominico quinquagesimo à Domini resurrectione noua lex per primam figurata, promulgata est à S. Petro, aliisquè Apostolis accepto linguarum dono à Spiritu-sancto in linguis igneis apparente. Quare Euangelicam legem cum Mosaïca in tabulis lapideis scripta comparans Chrysostomus ait: *Quæ lex? Quam hodie è cælo datam dicis sancti Spiritus gratia. Quæ rationales duæ tabulæ, in quibus hæc lex insculpitur? Anima, & corpus.* Similiter S. Leo serm. 2. de Pentecoste: *Sicut Hebræo quondam populo ab Ægyptijs liberato, quinquagesimo die post immolationem agni lex data est in monte Sina: ita post Passionem Christi, qua verus Dei agnus occisus est, quinquagesimo à resurrectionis ipsius die in Apostolos, plebemquè credentium Spiritus-sanctus illapsus est. Ab hac die tuba Euangelicæ prædicationis intonuit. Et ad veteres tenebras abigendas noua lucis fulgura coruscabant cum micantium splendore linguarum.* Addit hæc vltima verba S. Leo, vt ostendat primam Christianæ Pentecostes Institutionem suæ figuræ respondere; nempe institutioni Mosaicæ Pentecostes per Mosaïcam legem in monte Sina datam: de qua dicitur Exod. 19. 16. *Iamquè aduenerat dies tertius* (qui erat quinquagesimus post Pascha) *& ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorquè buccinæ vehementer perstrepentis.* Contra hanc interpretationem asserentem sanctum Lucam non de Iudaica, sed de Christiana Pentecoste loqui.

Tom. 3 hom. de Pentecost.

22. Obiicit primò Suarius: *Lucas apertè voluit loqui de festo Iudæorum, vt indicaret causam, ob quam eo die essent Ierosolymis congregati Iudæi ex omni natione, quæ sub cœlo est.* Nam, vt ait Chrysostomus: *Oportebat festi tempore rursus hæc fieri; vt qui cruci affuerant Christi; ijdem hoc quoque spectarent.* Respondetur S. Lucam benè supposuisse satis notum esse fidelibus Christianam Pentecosten immediatè post Iudaicam successisse; cum ad illam à Sabbato post Christi mortem; ad hanc à Dominicâ immediatè sequenti, qua Dominus resurrexit,

Argumenta asserentium primã Christianorum Pentecostẽ cũ Iudaica eodem die incidisse soluuntur. Hic, & n. sequenti. Supra.

quinquaginta dies numerarentur. Cum autem exteri Iudæi non statim transacto Pentecostes die Ierosolymis discederent: præsentes fuisse eos primæ Petri prædicationi accepto Spiritu-sancto benè S. Lucas significauit. Præsertim cum Iudæi, vt supra dixi, quamuis non ex legis mandato, sed ex deuotione tantùm, Pentecostes etiam octauam celebrarent.

23. Obiicit secundò Suarius: *Lucas nomine Pentecostes intellexit sine dubio festum Iudaicum; nam tunc ea voce nihil aliud significabatur.* Respondetur S. Lucam Acta Apostolorum absoluisse, ac promulgasse circiter vigesimum octauum annum post Domini in cœlum ascensum, cum eius historia terminetur anno quarto vel quinto Neronis; qui fuit sexagesimus, vel sexagesimus primus à Domini natiuitate. Eo autem tempore, cum apud Christianos pluries sancti Spiritus aduentus celebratus iam esset, quinquagesimo post Christianum Pascha die, ex quo Pentecostes nomen accepit; consequenter benè potuit S. Lucas eo nomine non Iudaïcam, sed Christianam Pentecosten fidelibus, ad quos scribebat, significare. Porrò sicut nos primam hebdomadæ diem vocamus diem Dominicam; si similiter Iudæi Sabbatum diem Dominicam vocassent; eò quod talem diem pluries in sacra Scriptura *Sabbatum Domini* vocari legimus; quis legens verba Ioannis Apostol. Apocal. 1. *Fui in Spiritu in Dominica die*; assereret Ioannem loqui de die Dominica Iudaïca, non Christiana. cum ad fideles scriberet? Dicendum est ergo in ipsa primitiua Ecclesia Christianis solemnitatibus attributa nomina apud fideles subsignificatu, quo in præsentia vsurpamus, vsurpari iam consueuisse.

Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem; cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

24. BEnè Euangelista Domini mortem, transitum ad æternum Patrem vocat: Nam *Christo Domino mors profectio fuit illuc vnde venerat, & vnde non discesserat*, vt ait Augustinus tract. 38. in Ioan. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo*, idest, quos corporali, & visibili sua præsentia priuandos in cœlum ascendens relicturus erat in mundo. Rursus, qui erant in mundo dixit, non vt Angelos, sed homines significaret iuxta Cyrillum. Redditquè rationem Cyrillus peculiaris præ Angelis erga homines Christi Domini dilectionis: *Non enim Angelos, nec naturam Angelorum apprehendit. Propter nos, qui in hoc mundo eramus, exinaniuit seipsum, & charitate sua erga nos formam nostram accepit, cum sit Dominus omnium.* Præter eximium hoc Incarnationis beneficium, aliud Dominus præ Angelis erga homines dilectionis argumentum dedit: scilicet sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; in quo cum se in cibum dare in vltima cœna decreuisset, benè propterea dicitur: *Cum dilexisset suos: qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit?* Dominus Lucæ 22. dixit: Sed in augustissimo Eucharistiæ conuiuio homines conuiuæ sunt, Angeli verò ministri, teste Chrysostomo, qui ait:

Homines plusquã Angelos in quo Dominus magis dilexit? Ad Hebr. 2. Ad Philip. 2.

Tt

Tom. 5 hom. 2. de Sacro-sanct. particip. myst. & hom. de sacra & diuina mensa.

A *Mensa regalis est apposita : Angeli mensæ ministrantes sunt. O miraculum, mensa tam magnificè instructa ! Ad quam assistunt Cherubini, descendunt Seraphini, qui senis praditi alis vultus demittunt.*

Tuscul. 4. Ber. ser. 1. & 4. de omnibus Sanctis. Angeli Dominum in Eucharistia videre cupiant.

25. Quare cum apud Romanum oratorem ex Philosophia desiniatur: *Desiderium est libido, id est cupiditas eius, qui nondum adsit, videndi*: cumquè Angeli in cœlesti regno Christum Dominum semper præsentem habeant; iure quæritur, cur iuxta Bedam, & Beroardum, de Christo dicatur 1. Petri 1. *In quem desiderant Angeli prospicere*. Respondet Turrianus Tract. 2. de Euchar. cap. 16. 17. 18. Angelos, cum semper Christum Dominum in cœlo videant, desiderare præterea B eundem in Eucharistia videre in terris; quo iucundo spectaculo repræsentante Christum Angelico modo totum in quolibet sacræ hostiæ puncto mirabiliter existentem; & inde communicantibus, vel adstantibus fidelibus plurima cœlestium donorum charismata elargientem, mirificè oblectantur. Quod quidem indicauit S. Marcus in liturgia Christum Dominum alloquens : *Post consecrationem in animo beneficia confers; & eis, qui in te fiduciam collocant, illa tribuis, quæ in se Angeli prospicere desiderant.* Quare cum ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum videndum sancti Angeli à consecrantis sacerdotis humana voluntate dependeant; hinc de tali mysterio, & Christo Domino taliter existente dicitur : *In quem desiderant Angeli prospicere.* C Cum ergo decreuisset Dominus in vltima cœna in hominum cibum Eucharistiam instituere, hinc benè dicitur : *Cum dilexisset suos:* & ad distinctionem Angelorum additur : *Qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

Dominus ex triplici ratione suos in finē dilexisse dicitur. Hic, & n. sequent.

26. Præterea *in finem dilexit eos*, idest vsque ad extremum vitæ terminum. Hoc autem dupliciter intelligi potest 1. vt extremum vitæ tempus significet, quò vsque Domini dilectio erga suos nunquam intermissa se extendit. Qui sensus bonus est : neque obstat, quòd Domini dilectio cum ipso vitæ termino finem non habuerit, suosquè post mortem etiam diligere non cessauerit; ideoque Æthiopicus textus, D *In finem*, legit *In sempiternum*. Nam, vt alibi notauimus, particulæ limitatiuæ, qualis est, *Vsque*, ita includunt præteritum, vt non propterea excludant futurum. Sic ad Philipp. 2. de Redemptore dicitur: *Factus obediens vsque ad mortem*; quamuis post mortem etiam non desierit æterni Patris voluntatem exequi : nam in mundi fine *Constitutus Iudex viuorum, & mortuorum*; nihilominus Matt. 20. dixit, *Sedere ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo* : & Io. 8. 29. *Qui me misit, mecum est ego quæ placita sunt ei facio semper.* Secundus sensus est *In finem dilexit eos*, idest vsque ad passionem, & E mortem pro eis subeundam : ita vt vitæ finis, hic non solùm significet quousque Domini erga suos dilectio perseuerauerit; sed quòd pro suis ignominiosa morte vitam finire voluerit, verumque sensum affert August. dicens: *Vel in finem, idest vsque ad mortem; non tamen dilectionem morte finiuit. Vel vsque ad mortem dilexit, idest vsque ad mortem dilectio ipsa illum perduxit.* Porrò cum posteriori sensu coincidit interpretatio Chrisostomi, & aliorum, qui *In finem* dilectio-

Particula, vsque ita includit præteritum, vt non excludat futurum.

Act. 10. 42.

A nis subintelligi docent : in finem autem dilectionis idem est, ac in summam, & perfectam dilectionem. Sicut enim Psal. 15. *Delectationes vsque in finem*, dicuntur delectationes perfectæ, & Psal. 58. *Irasci in finem*, est summè irasci; ita hic diligere in finem, est summè, perfectèquè diligere. *Dilectionem erga suos eo vsque perfecit*, ait Rupertus, *vltra quod non posset augeri; videlicet, vt animam suam poneret pro illis. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, Dominus ait Ioan. 15. 13. Idem ergo est diligere in finem vitæ, ac vsque ad subeundem mortem, ac in finem perfectæ dilectionis.

Eucharistiæ Sacramentū maximæ ergo homines Domini Charitatis argumentū. Hic, & n. sequent.

B 27. Præterea *In finem dilectionis*, hoc est vsque ad perfectam dilectionem suos Dominus dilexit, instituendo sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; summa enim dilectio est summa cum eo, qui amatur coniunctio; talem coniunctionem cum homine per Eucharisticum Sacramentum Dominus habere voluit; eamque Ioan. 6. 57. significauit dicens : *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Hinc S. Cyrillus Alex. ait: *Sicut si quis liquefacta cera aliam ceram infuderit; alteram cum altera per totum commisceat necesse est; ita si quis carnem, & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur.* Hoc ergo vt fidelis anima consequi possit: non cor lapidum, sed cereum C habere debet; ita vt verè dicere possit: *Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei*; hoc est in medio viscerum meorum iuxta Chaldæum. Cum tali corde quàm libenter Christus Dominus vnitur, in Eucharistia tamquam mellifluus ceræ fauus factus est, ita vt & ipse de se etiam in Eucharistico Sacramento dicat iuxta Didymum : *Factum est cor meum tamquam cera liquescens.* Quare ex litteris, quibus scribitur *Caro Dei*, inuerso ordine *Da cor ei*, efficitur. Et ita fiet quod S. Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 4. docuit, Nos in Eucharistia Christiferos, immo Christi concorporeos, & consanguineos fieri. Rursus, D quia anima magis est vbi amat, quàm vbi animat; vt magis quodammodo esset in hominibus, quibus se in cibum Christus Dominus communicat; per Eucharistiæ Sacramentum in qualibet consecratæ Hostiæ, seu vini specierum partibus per mirabilem replicationem totus reperiri voluit; idquè ad summæ erga homines dilectionis argumentum.

Lib. 4. c. 54.

Ezechiel. c. 11.

Psal. 21. 15. Ambros.

28. Isaac Patriarcha, vt eximiam erga filium dilectionem ostenderet, ei benedictionem illam dedisse legitur Gen. 27. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini, & olei.* Christus Dominus de rore cœli, & de cœli pinguedine multò meliorem benedictionem suis est elargitus. *De rore* E *cœli*, cum aqua, quæ è cœlestibus ipsius manibus defluebat, discipulorum pedes abluere voluit: Hinc Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto sub initium ait : *Inuenio Dominum spoliantem se vestimenta, præcingentem se linteo, mittentem aquam in peluim, lauantem pedes Discipulorum. Hæc erat aqua, ros ille cœlestis, hoc prophetabatur, quòd rore illo cœlesti Discipulorum suorum Dominus Iesus pedes lauaret.* Rursus de cœli pinguedine benedictionem suis fidelibus Dominus dedit; cum sub panis specie sanctissimum

suum eorpus diseipulis in cibum tradidit. De hac cœli pinguedine iuxta Augustinum vaticinatus est Dauid dicens: *Cibauit eos ex adipe frumenti: De quo adipe*, ait Hieronymus, *sanctus Dauid dicit in Psalm. 62. Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: & in alio loco: Cibauit eos ex adipe frumenti? Qui adeps non aliud, quàm mysticam carnem sonat; ad quam Dominus discipulos hortabatur dicens: Nisi comederitis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Vnde & in Gethsemani traditus est; quod significat vallem adipeam, siue pinguissimam.* Ideo etiam iuxta Rupertum de Christo Domino in Eucharistia sub panis specie mysticè dictum est Genes. 49. *Pinguis est panis eius, & præbebit delicias Regibus, idest eis, qui semetipsos regere student.*

Aug. in Ps. 80.17.
Hieron. in Isai 55.
Ioan. 6.54.

Et cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariota.

29. Cvm facta, hoc est parata cœna Dominum discipulorum pedes lauisse narret Euangelista; quæritur de qua cœna intelligendum sit; cum post cœnam legalem agni Paschalis, aliorum ciborum cœna succedere consueuisset, vt patet ex Domini verbis Matth. 26.23. *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* In paropside scilicet, in qua embamma, vel iusculum aliquod delicatius erat; quod ex aliis carnibus, & ad cibos alios communes condimentum erat; non autem ad Paschalem agnum minimè iurulentum, & cum lactucis agrestibus, hoc est amarioribus, festinanter, non cum iusculis, & saporiferis condimentis comedendum: de quo dicitur Exodi 12. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantùm assum igni. Et cum lactucis agrestibus & festinanter.*

Ablutio discipulorum pedum an post cœnam legalem, an post communem fuerit. Hic, & sequentibus.

30. Respoderit aliqui primo facta, hoc est, absoluta cœna legali, ante cœnam communem discipulorum pedes Dominum lauisse. Sed contra est, quia Ioannes expressè ait Dominum post pedum lotionem iterum recubuisse: ergo ante etiam recubuerat; & hoc non in cœna legali, quando comedebatur agnus; ergo in cœna communi: non in cœna legali, nam in ea stando, non recumbendo agnus comedebatur. *Præceptum est*, inquit Philo lib. de sacrificio Abelis, & Caini, *vt accincti lumbos Pascha celebrent; & induti calceamenta; stentque recti firmatis pedibus habentes virgam in manibus.* Idem indicat Nyssenus de vita Mosis. Quamuis autem talem standi ritum in Paschali cœna contra Philonis dictum neget Ribera lib. 5. de templo cap. 3. Colligi tamen non improbabiliter videtur ex eo, quòd Exod. 12. baculos teneri in manibus, & festinanter comedendum esse in cœna legali præcipitur; quod stantibus, non recumbentibus conuenit. Quare Apostol. ad Ephes. 6. 14. ad hunc in Paschali cœna standi ritum allegoricè alludens ait: *State succincti lumbos vestros in veritate, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis.* Aliqui asserunt hunc standi ritum cum aliis Paschalis agni cæremoniis in primo tantum Hebræorum Paschate, non autem deinceps fuisse statutum. Sed contra est, nam Exodi 12. 25. expressè dicitur: *Cum introieritis in terram, quam Dominus daturus est vobis, obseruabitis cæremonias istas.*

In fine cap. 3.

31. Respondet secundo Toletus incæpta, non peracta cœna communi Dominum discipulorum pedes lauisse. Quare cœna facta, idest præparata; & partim incæpta interpretatur, iuxta Augustinum Tract. 55. in Ioann. dicentem: *Non quasi consummatam, & iam transactam cœnam intelligere debemus; adhuc enim cœnabatur; sed quia iam erat præparata, & ad vsum conuiuentium perducta.* Videtur autem communis cœna nondum fuisse absoluta; nam post pedum lotionem dicitur à Ioanne iterum Dominum recubuisse: & recumbens dixisse: *Qui manducat meum panem, leuabit contra me calcaneum suum*: & deinde intinctum panem in condimento aliquo, vel iusculo Iudæ proditori dedisse; quod iusculum ad cœnam communem pertinebat. Contra allatam interpretationem sunt Apostoli verba primæ ad Corinth. 11. vbi postquam cœnauit, Dominum Eucharistiam instituisse refert. Similiter in missæ canone dicitur: *Postquam cœnatum est* calicem accepisse ad vinum scilicet Sacramentaliter consecrandum. Quibus verbis non præparata tantum ad conuiuantium vsum, sed absoluta cœna significari videtur: lotio autem pedum immediatè Eucharistiæ institutionē præcessit, vt dicetur.

Cap. 13. 18.

31. Respondendum est igitur, cum ab Euangelista dicitur: *Cœna facta*, intelligi debere vtramque cœnam, legalem, & communem fuisse absolutam. Improbabile enim videtur, & incongruum cœnam ad pedes conuiuantium abluendos interrumpere; cum pedum lotio potius iuxta communem vsum præcedere cœnam debuerit. Quare Abraham Gen. 18. suis hospitibus prius dixit: *Lauate pedes vestros*: deinde: *Ponam buccellam panis, & confortetur cor vestrum.* Præcedere autem voluit Dominus ablutionem, non autē cœnam communem, sed Eucharisticam; ad mysticè insinuandam spiritualem munditiem, quæ ad eam prærequiritur. Cum autem Dominus iterum recubuisse dicitur; id non ad communem cœnam absoluendam, sed ad sacram Eucharistiæ institutionem peragendam fecisse dicendum est. Et cum de Iudæ proditore tunc dixit: *Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum*: id non intelligi debet quasi iterum Dominus ad communem cœnam redierit; sed citauit Psal. 40. Prophetiam, quæ de antecedente tempore, quo Iudas cum Domino comedere consueuit, vaticinatur: & propterea dicitur: *Vt impleatur scriptura*: illa nimirum scriptura, qua multò antea Prophetice dixerat Dominus, eius proditorem fore eius commensalem. Ad quod confirmandum Psalmi illius verba non sunt de præsenti, sed de præterito: *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Adde præterea ad scripturam illam implendam iuxtà Cyrillum, post pedum lotionem ex communis cœnæ residuo intinctum in iusculo panem Iudæ Dominum dedisse: non quòd ab aliis tunc communis cœna continuaretur; sed quod per tale signum Iudam adhuc compungere, & Ioanni proditorem indicare Dominus voluerit. Porrò de Iuda proditore plura dicta sunt Feria prima huius hebdomadæ.

Ablutio pedū proximè Eucharistiæ institutionē præcessit.

33. *Et cœna facta*: locus, vbi cœna hæc peracta est Marci 14. 15. & Lucæ 22. 12. *Cœnaculum magnum* fuisse dicitur. Vbi mysticè S. Bonauentura ait: *Per cœnaculum intelligitur anima sancta, quæ debet esse eleuata per contemplationem;*

Cœnaculū magnū. vbi Eucharistia est instituta quid mysticè significet.

grandis per charitatem. O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? Baruch. 3. Iuxta Hugonem mysticum animæ cœnaculum debet esse *latum charitate, longum spe, altum fide, stratum humilitate.* Anima ergo, quæ Dominum hospitio excipere debet, non auaritiæ, non pusilli cordis, non maculatæ conscientiæ angustiis coarctari debet; sed cordis latitudinem illam habere, de qua dicitur in Psal. 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Domino in Bethleem præsepi nato, verba illa Genes. 24. humana natura dicere potuit: *Palearum, & fœni plurimum est apud nos,* Quod autem ibi subditur: *Locus spatiosus est ad manendum;* dicere nequit. Quia de Domino in Bethleemico præsepi nato dicitur: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia.* Quod si de mystico humani cordis hospitio loquamur; neque hîc *spatiosus locus est ad manendum. Sumus enim,* vt benè ait Augustinus serm. 10. de verbis Domini, *homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quæ faciunt inuicem angustias.* Ne tamen omnino angustum Domino hospitium detur, subdit Augustinus: *Si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis.*

Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad eum vadit.

34. HÆc verba, vt initio huius Euangelij indicaui, ponuntur ad exprimendum quanta fuerit Christi ad discipulorum pedes abluendos se prosternentis demissio: cum scilicet se Dei Filium, omniumque Dominum benè cognosceret. Maldonatus aliter verba hæc interpretatur; scilicet *Sciens Dominus omnia sibi à Patre tradita esse, idest tam sibi licere ex Patris præscripto perficere omnia, quæ sibi commisisset; ante non licuisse sibi mori, quia tempus à Patre constitutum nondum aduenerat.* Huic interpretationi obstant plures auctores, qui posita Christi Domini impeccabilitate, atque adeo perfecta eius obedientia circa Patris præscriptum; eius tamen libertatem, atque adeo meritum in passione saluant; quia quamuis quoad mortis substantiam pro humana redemptione haberet Patris præceptum; nihilominus quoad circumstantiam moriendi tali, vel tali tempore, nullo posito Patris præcepto erat omninò liber, & tale tempus ab eo statuendum erat.

Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se: deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

35. PRæclarum humilitatis exemplum hîc suis discipulis exhibens Dominus; eos ad eximiam humilitatis virtutem libenter amplectendam instruere voluit: cumque elementari aqua discipulorum pedes ablueret: voluit etiam mystica humilitatis aqua eorum animos emundare. *Hæc aqua confessionis peccatorum est,* ait Augustinus, *hæc aqua humiliationis cordis; hæc aqua vitæ salutaris, abjicientis se, nihil de se præsumentis, nihil sua potentia superbè tribuentis; hæc aqua in nullis alienigenarum libris est: non in Epicureis; non in Stoicis; non in Manichæis; non in Platonicis.*

Humilitas tamquam spiritualis aqua animã mundat. In Psal. 31.

36. *Non veniat mihi pes superbiæ;* à Deo humillimè flagitabat Dauid Psalm. 31. Ne tali pede ad euangelizandum missi Apostoli incederent, eorum pedes humillimè abluendo, eos ad humilitatem humilitatis magister instruere voluit. Cumquè suis discipulis Dominus cœleste regnum præparasset: *regnum paratum à constitutione mundi:* Matt. 25. 34 vt eò peruenire facile possent, eorum pedes abluendo, suis in operibus humilitatis gressu incedere eos edocuit. Nam teste Augustino: *Humilitatis passibus ad cœli culmina conscenditur.* To. 10. hom. 213. de tempore. Quot humilitatis actus elicimus, tot passibus cœlum versus appropinquamus. Quare sanctæ humilitatis cœlum versus incessum suspiciendo benè dicere possumus: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis suis filia Principis,* Cant. 7. Æterni Principis filia est humilitas; illi enim tamquam dilectæ proli gratia datur, vt ad æterni regni hæreditatem consequendam ius habeat: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: Beati pauperes spiritu,* idest humiles iuxtà August. *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Humilitatis passibus ad cœlum ascenditur. Æterni Patris filia est humilitas. 1. Petri 5. Iacobi 4. 6. Matth. 5. August. l. de ser. Domini in monte.

37. Bene igitur Dauid suum incessum cœlum versus dirigens, Deum precabatur: *Non veniat mihi pes superbiæ:* Ps. 35. procul à me sit pes, in quo superbia insidet. Mirum est, quòd superbia semper sublimia appetens; peculiariter in pede residere dicatur. Monstrum quidem superbia est, quod omnia penetrare nititur, vt omnia pestifera lue inficiat. Si in caput aditum habet, illud ventoso inanis gloriæ tumore inflat: si collum circumdat, reddit illud maiorum obedientiæ, & imperio inflexibile; si in oculos insiliat, eos ad proprias culpas intuendas cæcos omninò reddit: si in aures peruadat, vas ad aliena audienda crimina latè reserat; si in lingua insistat; eam proximorum famæ parcere nullatenus sinit. Sed cur monstro huic à Dauide peculiariter pes tribuitur? *Non veniat mihi pes superbiæ.* Pes dicitur prauus superbiæ affectus, quia hic caput, quo dirigatur, non habet: ideoquè pes est, qui incedendo semper offendit; & in vitia pronus labitur. *Ideo pes errat superbi, quia caput non tenet: oculi enim sapientis in capite eius.* Eccles. 2. *Non mirum ergo, si errat vestigium, vbi oculus non habetur,* ait Ambrosius. Ambros. in Ps. 35. Ad huiusmodi pedis frequentem lapsum significandum, cum dixisset Dauid: *Non veniat mihi pes superbiæ;* statim addidit: *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* August. tract. 57. in Ioann. ait: *Occurrunt ex Cantico Canticorum Ecclesiæ verba dicentis: Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Cum vellet ire, & aperire ei, qui venerat ad eam, & pulsauerat, sibiquè aperiri poposcerat ille speciosus præ filijs hominum: hinc quæstio nata est, quomodo Ecclesia timeat inquinari, dum pergit ad Christum?* Respondet Augustinus Ecclesiam loqui sub persona eorum, qui alios ad animæ salutem instruere debent. *In eis hoc dicit, qui prædicant Christum, & aperiunt illi ostium, vt habitet per fidem in cordibus hominum. In his hoc dicit, cum deliberant, vtrum ministerium tale suscipiant, cui se minus idoneos existimant, vt sine culpa impleant; ne forte alijs prædicantes ipsi reprobi fiant. Tutius enim veritas auditur, quam prædicatur: quoniam cum auditur, humilitas custoditur; cum autem prædicatur, vix non subrepit cuiuis hominum quantulacumque iactantia, in qua vtique inquinantur pedes.* Ne sordidis ex iactantia pedibus Apostoli ad euangelizandum

Superbia monstrum pestiferum. Superbiæ affectus cur pes dicatur. Sponsã ad ostiũ Domino aperiendum itura, cur pedes inquinare timuerit. 1 ad Cor c. 9. 27.

missi incederent; iis pedes à Domino abluuntur. Quoniam verò teste Augustino *Non mouetur anima pedibus, sed affectibus*; Dominus ad humilitatis exemplum discipulorum pedes abluit, vt eorum affectus ad humilitatem informarentur: atque hinc benè dici posset: *Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona!* Quod Isaiæ vaticinium impleri cœpisse, cum Dominus Apostolis pedes lauit, docet Origenes.

August. tr. 48. in Ioan.
Ad Rom. 10. Ex Isai. 52. 7.

38. In corporali incessu ita pedes incedunt, vt vnus alteri cedat: præcedit alternatim dexter, subsequitur sinister; præcedit sinister, subsequitur dexter. Similiter spiritualem incessum, per humilitatem alteri cedendo, suos discipulos Dominus docuit: Quod si ex pedibus alter esset talis naturæ, vt semper primus esse, & præcedere, subsequi numquam vellet; vtrique difficilis, & valdè segnis incessus redderetur. Talis est superbiæ pes, cum socio cedere numquam velit, velitque semper præcedere: ex quo fit, vt ad benè operandum difficillimè incedat. Adde insuper superbiæ pedem esse omninò imbecillem: *Non veniat mihi pes superbia, quo pede nullus fragilior, aut infirmior inueniri potest*, ait Gulielmus Parisiensis. Redditur alia ratio ab Ambrosio in Psal. 118. cur dicere debeamus: *Non veniat mihi pes superbia*: quia scilicet superbiæ pes, dum alios præcurrere studet, facilè in offendicula, quæ immoderato impetu non cauet, incurrit; & inde superbus ad terram prosternitur. Præterea longius iter facere pes omninò nequiret, qui nequiret, qui neque descendere, neque per planitiem incedere; sed tantùm sursum ascendere sciret. Talis est superbiæ pes; cum per humilitatem aliis se subiiciendo descendere nesciat: neque per planitiem incedere aliis se adæquando sciat: sed tantùm ascendere semper præferendo se aliis velit. Hinc benè à Dauide Deo dicitur: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Vbi aduerte superbos infami titulo Dei osores appellari.

Superbiæ pes quadrupliciter malè incedit.
De Rhetorica diu. c. 52.
Psal. 73.
Superbi pessimo titulo Dei osores appellãtur.

39. Dicitur etiam à Dauide superbia semper ascendere; eò quòd semper augeatur, ac crescat. Quomodo autem semper superbia crescat, egregiè ostendit Ambrosius ser. 3. in Psal. 118. *Diabolus cum sit nequissimus, vt honorem non dederit Domino Deo nostro; peiores tamen discipulos erudiuit. Ille enim se sic exaltauit, vt vellet æquari, & similis esse Altissimo: discipulus autem eius indignatione est æqualem se, similemque æstimari Deo. Scriptum est enim: Cum reuelatus fuerit homo iniquitatis, & filius interitus, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus. Magister ergo similem honorem præsumit; hic superiorem.* Sed si superbia supra Deum hominem efferre tentat, sancta humilitas Deum sub hominum pedibus demittit; cum à Dei filio discipulorum pedes abluuntur; vt ab iis superbiæ pes, & effectus arceatur.

Superbus quodãmodo lucifero peior.
Isaiæ c. 14. 14.
2. ad Thessal. 2. c. 2.
Superbia hominem supra Deũ efferre tentat: humilitas Deum ad hominũ pedes demisit.

40. Quamuis Dauidis testimonio superbia semper ascendat; ex eius tamen ascensu maius præcipitium prouenit. Contra verò sancta humilitas quamuis descendere, seque demittere semper conetur; ex descensu tamen, & demissione in ascensum assurgit. Patet hoc in Mose, qui à Deo ad Pharaonem, vt Israëliticum populum liberare, missus, humiliter se deprimendo dixit Exodi 3. 11. *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Cui tam humiliter se deprimenti Dominus dixit: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Quibus verbis dixisse Dominum ait Rupertus: *Quoniam tu mitissimus virorum cum Pharaone dimicare indignum te ducis, teque deprimis; Ecce ego sustollam te, faciamque te Deum Pharaonis; vt imperes aquis pro potestate Dei, vt ranas creet; vt imperes terra, ac cineri; faciasque in rege, & exercitu eius ciniphes, & vesicas; vt imperes aëri, & pestem generes; imperes igni, & cum grandine missus feratur super peccatores: imperando elementis Deus eris Pharaonis. Ecce quàm gloriosa virtutum regina est humilitas, quæ in cælum velut conscendit.* Ad volandum alas habet humilitas; ad præcipitium pedem labilem superbia habet.

Humilitas ex descensu in ascensum assurgit.
Exodi c. 7.

41. Præterea discipulorum pedes Dominus abluit, vt iis terræ orbis principatus benè committi posset, iuxtà Dauidis vaticinium: *Constitues eos Principes super omnem terram*: & iuxta mysticum Mosis promissum: *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit.* Dum enim discipulorum pedes Dominus abluit, eorum corda à terrenis affectibus emundanda esse insinuauit; vt terræ orbis principatum meritò suscipere possent. Nam iuxta Theodoretum, & Hugonem, iis, qui terram calcant, & despiciunt, terræ orbis imperium benè committitur.

Ps. 44. 17.
Deut. 11. 24.
Pedes discipulorum abluit Dominus, vt eos Principes super omnem terram constitueret. Hic, & n. 43.
Theodor. or. de Charit.
Hugo in Psal. 59.

42. Rursus à Domino Apostolis Lucæ 10. dictum est: *Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & super scorpiones.* Vt tartareos serpentes calcare possent Apostoli, nihil retinere terrenum debebant: alioquin potius præda, quàm conculcatores talium serpentium fuissent. Tartareo enim serpenti iam antea à Deo dictum erat: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Terram comedes*, ait Rupertus; *& non cælum: edes eos, quorum conuersatio in cælis est: sed qui terrena sapiunt, illi cibus tuus erunt.* Hinc benè Domino Ambrosius ait: *Ablue animi mei calcaneum, vt possim abolere maledictum; nec morsum serpentis interiore pede sentiam: sed, sicut ipse iussisti sequentibus te, vt serpentes, & scorpiones illæso possim calcare vestigio.*

Pedes discipulorum abluit Dominus, vt tartareos serpentes innoxii calcarent.
Gen. 3.
Serpens antiquus Diabolus terrã comedit, & non cælum; terrenos, non cælestes homines.
Lib. 1. de Spiritu sancto in Prolo. go.

43. De Solomone dicitur 3. Reg. 1. *Vnxerunt eum Sadoch sacerdos, & Nathan propheta regem in Gihon*: Salomoni in regem assumpto, sacerdotis, & prophetæ manibus odorifero liquore conspersio *singuli deferebant munera, vasa aurea, & argentea*, vt ait sacer textus. Multò felicius Apostolorum pedes sacro lauacro Dominus conspersit, & abluit; vt iis terrena regna subiicerentur, & ad eorum pedes fidelium opes deferrentur: *Quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.*

3. Reg. 10. n. 25.
Ablutis à Domino Apostolorum pedibus fideliũ opes subiiciendæ erant.
Act. 4. 34.

44. Apoc. 12. legitur: *Signum magnum apparuit in cælo*: hoc est prodigium, & ostensum mirabile. Prodigium hoc erat, *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius.* Quanto maius prodigium fuit sub pauperum piscatorum pedibus, illius abluentes manus inspicere, de quo dicitur: *Tu fabricatus es auroram, & solem: lunam, & stellas, quas tu fundasti.* Hominis dignitatem admirans Dauid aiebat: *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* At quãtò maioris gloriæ homini fuit humanis pedibus manus rerũ omnium opifices subiici? Visus est etiam aliàs Dominus stellas in manu habere: Apoc. 1. *Vidi similem filio hominis; & habebat in dextera sua stellas septem.* Visus est etiam aliàs hyacinthis manus plenas habere: *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Hic autem non stellis, non hyacinthis; sed pauperum piscatorum pedibus diuinas manus Dominum subdere videmus. Pauperum tamen horum dis-

Prodigium magnũ Dominus sub pauperum piscatorum pedibus, eos abluens.
Psal. 8. 4.
Psal. 8. 8.
Abluti à Domino Apostolorũ pedes quã dignitatum, quot gratias consecuti sunt. Hic, & n. sequenti.
Cant. 5. 14.

cipulorum pedes, stellarum instar, ita per vniversum terrarum orbem discurrere debebant; vt de iis verè Salomon dixerit: *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem*: donec scilicet perfectam Euangelii illuminationem populis afferant. Rursùs si aliàs Dominus manus hyacinthis plenas habuit; pauperum horum discipulorum pedes, quibus suas Dominus diuinas manus subiicit, hyacinthinis calceis erant exornandi, iuxtà Ezechielis de Apostolorum collegio vaticinium: *Calceaui te Ianthino*, seù *Hyacintho*, iuxta Septuaginta. Vbi aptè S. Hieronymus ait: *Cum loti fuerint pedes, & omni sorde purgati, calceantur hyacinthinis, seù Ianthinis, quod vtrumque aërij, seu cyanei*, hoc est, cærulei *coloris est: vt rapiantur in occursum Domini in aërem, & ad cœlestia regna festinent.* Iure, magnaque fiducia ad cœleste regnum obtinendum festinare sancti Apostoli poterant. Si enim exultans aiebat Dauid: *Lætatus sum in ijs, quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus: stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem*: quantò maiori spe, & lætitia ad cœlestem Regem Apostoli festinabant; quorum pedes, non in atriis terrenæ Ierusalem, sed in diuinis Domini manibus felicissimè fuerant? Ex quibus manibus redditi sunt *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*; non quidem alienum, sed proprium: cum benè S. Apostoli scirent ad cœlestis Ierosolymæ *reclinatorium aureum ascensum esse purpureum.* Inde Apostolorum Petri, Andreæ, & Philippi pedes cruci affigi impauidè didicerunt. Petrus autem cruci affixus suos non indignos existimauit pedes, qui cœlum versus erigerentur, quippe qui sacro Domini lauacro dignificati iam antea erant.

Prouer. 4. 18.
Cap. 16. 10.
Psal. 121.
Psal. 13.
Cant. 3. 10.

45. Fabulati sunt Ethnici, Tethim Achillem filium, magicum in lauacrum mersisse, vt eum vulneribus non obnoxium redderet. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua, Domine.* Nam à sacro Domini lauacro, non corpus, sed impauidum cor, carnificum vulneribus minimè obnoxium Apostolos habuisse potius dixerimos: *Caduntur gladijs more bidentium: Non murmur resonat, non querimonia: sed corde impauido mens benè conscia conseruat patientiam.*

Psal. 118.

Venit ergo ad Simonem Petrum.

Petrine, an Iudæ à pedibus lauacrum Dominus inchoauerit.

46. A quo Apostolorum Dominus incepesit, sacri interpretes discordant. A Petro incepisse autumat Augustinus, Beda, Rupertus, Caietanus, & Maldonatus. Origenes tamen, Leontius, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius à Iuda Dominum lotionem inchoasse censent. Quamcumque ex vtraque sententiam sequamur, ex ea colligimus Dominum se primò beneficum erga tales præstitisse; quorum alter eum negaturus, alter proditurus paulò post erat. Vt hinc diuina clementia erga ipsos ingratos benefica, & misericors cognoscatur. Petrus quidem à sacro Domini lauacro tantum feruorem concipere debebat; vt ad ignem accedere, vbi scandalum ad Dominum negandum, & ad peierandum inuenturus erat, non indigeret. Iudæ similiter pedes à sacra illa lotione pœnitentiæ compedes attrahere debebant, ne ad excogitatam proditionem perficiendam moueretur. Vterque scilicet Petrus, & Iudas dicere debebat: *Ab omni via mala prohibui pedes meos*: pedes videlicet sacra Domini ablutione dignificatos.

Christi Domini erga ingratos clementia.
Psal. 118.

47. Præterea Iudas in sacro Domini lauacro ab auaritiæ lepra, per quam ad impium scelus impellebatur, emundari debuit; præcipuè considerans miram Domini ad eius pedes abluendos demissionem. *Elisæus*, vt ait Bernardus, *Naaman leprosum septies in Iordane mergi præcepit: qui Iordanis interpretatur descensus. In descensu Domini nostri Iesu Christi, idest in humilitate conuersationis eius, quam exhibuit ante passionem, mundamur, & purgamur. Lepra est, qua diuites esse volumus in hoc sæculo; sed ab ista mundamur, si immergimur in Iordane, idest in Christi descensu. Inuenimus enim, quoniam ille, cum esset diues, propter nos pauper factus est. Descendit ab inenarrabilibus cœli diuitiis; & veniens in mundum nec istas qualescumque diuitias habere voluit; sed in tantam paupertatem venit; vt natus continuò poneretur in præsepio, quia ei non erat locus in diuersorio. Est verè magna abusio, & magna nimis; vt diues esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus maiestatis, & Dominus Sabaoth voluit pauper fieri.* Iudæ ergo proditionem meditantis pedes abluens Dominus, fœdos illius erga auaritiam affectus, ita tacita inspiratione alloqui videbatur: *Lauamini, mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

Auaritiæ prohumilitatis lauacro mundanda.
Ser. 3. de resurrectione.
2 ad Corinth. c. 8.
Lucæ 2. 7.
Isa. c. 1. 16.

Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes?

48. Si nondum Petri pedes lauare cœperat Dominus; quomodo à Petro ei dictum est: *Domine, tu mihi lauas pedes?* Respondetur, interdum fieri dicitur, quod tentatur. Sic Amos 9. peccatoribus à Deo dicitur: *Si celauerint se ab oculis meis in profundo maris; ibi mandabo serpenti, & mordebit eos*; hoc est, si se celare tentauerint; non enim reuera celare se poterunt. Similiter Isa. 33. iuxta Septuaginta apud S. Hieronymum: *Væ eis, qui vos miseros faciunt*, idest facere tentant. *Vos enim nemo miseros facit: & qui reprobant vos, vos non reprobant*, idest qui reprobare vos tentant.

Fieri dicitur, quod, vt fiat, tentatur.

Respondit Iesus, & dixit ei. Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.

49. CVr Dominus Apostolis pedes abluere voluerit, cognouit postea Petrus: primo cum ad humilitatem eorum animis insinuandam Dominus dixit: *Si ego laui pedes vestros Dominus, & magister; & vos debetis alter alterius lauare pedes: exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Secundò cum in Gethsemani hortum veniente cohorte ad Dominum capiendum, *Discipuli omnes relicto eo fugerunt*: Cognouit tunc Petrus ex pedum ablutione discipulis paulò ante à Domino facta, quanta ingrati animi nota fuerit, vt illorum pedes Domino relicto fugam capessere potuerint; qui paulò ante tam benignè, tàm amanter à Domino abluti fuerant; & hinc post fugam resipiscens Petrus ad Dominum rediit, *& sequebatur eum à longè* Tertiò cum Petrus periurio Dominum negasset, iterum resipiscens *egressus fleuit amarè*: cognouit igitur tunc Petrus ideo ei Dominum pedes abluisse, vt talis Domini beneficentia peculiare ei incitamentum foret ad negationis culpam lacrymis abluendam. Quartò ex institutis à Domino Eucharistiæ, & pœnitentiæ sacramentis benè cognouit Petrus ad sacræ Euchari-

Petrus Apostolus quadruplici ex nouit, quid ei Dominus abluendo pedes indicaret.
Matth. 26. 56.
Matth. 26. 58.
Matth. 26. 75.

ſtiæ acceſſum præcedere debere pœnitentiæ lauacrum; quod per pedum ablutionem fuerat à Domino myſticè præſignificatum. *Quod Petro nondum futuras reuelatum, docetur quomodo omni tempore proſequenda, & repetenda ſit ablutio pedum; per quam rectè cognitam, & intellectam adhærentes animæ ſordes quotidiana ſatisfactione lauantur*, ait Cyprianus ſermone de ablutione pedum.

Euchariſtia in accedentibus ad eam, magnam exigit puritatem. Hîc, & n. 51. 54. 55.

50. Communiter autem SS. Patres docent, ante Euchariſtiam præmiſiſſe Dominum pedum ablutionem, vt myſticè fidelibus indicaret magnam puritatem in accedentibus ad ſacram ſynaxim prærequiri. De nuptiali conuiuio Matth. 22. legitur: *Intrauit Rex, vt videret diſcumbentes; & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit.* Cum homines tam proni, promptiquè ſint *ad excuſandas excuſationes in peccatis*; quod quidem à primis parentibus propriam culpam apud Deum omnia cognoſcentem excuſantibus, veluti hæreditarium acceperunt: quæritur, cur infelix iſte conuiua nuptiali veſte carens excuſationem nullam ad ſui defenſionem attulerit; ſed ſtatim obmutuerit? Iuxta ſacros interpretes præcipuè Origenem, Euthymium, & alios nuptiale hoc conuiuium Euchariſtiæ menſam ſignificat: nuptialis verò veſtis eſt charitas, morum probitas, & ſanctitas; immaculatæquè cōſcientiæ puritas, iuxta Chryſoſtomum, Hieronymum, & Hilarium. Tanta eſt ergo Euchariſticæ menſæ præſtantia, & dignitas; vt qui ad eam ſine eximiæ puritatis veſte accedere audeat; licet ex humana verſutia valdè ad excuſandum propenſus ſit, adhuc excuſationem nullam obtendere poſſit. *In Euchariſtia conuiuio Chriſtus Dominus Dei filius ſemetipſum appoſuit immolatum; quænam igitur nobis erit excuſatio?* ait Chryſoſtomus hom. 60. ad populum.

Pſal. 140. 4.

Nuptialis veſtis quid ſignificet.

51. Antequam Deus Iſraëlitis in monte Sinai legem daret, Moſi præcepit Exodi 19. *Vade ad populum, & ſanctifica illum hodie, & cras, lauentque veſtimenta ſua.* Cur ad diuinam legem accipiendam veſtium ablutio Iſraëlitas præparare debuit? Reſpondet Theodoretus: *Manuducit eos ad ſpiritalia per ea, quæ corporea ſunt.* Veſtium ergo munditIes, cordis munditiem multò magis in Iſraëlitis legem accepturis exigi indicabat. *Lauent veſtimenta, id eſt opera*, ait Hugo; de quibus myſticè dicitur Eccleſ. 9. *Omni tempore veſtimenta tua ſint candida.* Alioquin opera peccatorum maculis fœda peccatores ad gehennæ incendium trahent. *Veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis.* iuxta Iſaiam c. 9. *Cibus ignis infernalis*, ait Hugo: ſi ergo externa, & myſtica veſtium ablutio, & mundities ab Hebræis timoris legem accepturis requirebatur; multò magis mūdities in Apoſtolis præcedere debuit; antequam amoris, non timoris legem acciperent; ipſumque legiſlatorem, nempe Chriſtum Dominum in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento intra ſe ſumerent: eadem ergo munditIes in fidelibus ad ſacram menſam accedentibus requiritur.

52. De peccatore ſine pœnitentiæ lauacro ad ſacram Euchariſtiam accedente dicitur Oſeæ cap. 8. *Factæ ſunt ei aræ in delictum.* Sacræ aræ, in quibus gratiarum fons ſacramentaliter reſidet; vt gratiam, ſanctitatemque ſuis conuiuis largiatur; eædem ob accedentium impuritatem, eiſdem in delictum fiunt: Et quod *Pharmacum immor-*

Euchariſtia

A *talitatis* iure à ſanctis Patribus appellatur; impiè accedentibus pabulum mortiferum redditur. Quare de his pſalmo 26. conqueritur Chriſtus Dominus: *Appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas. Appropiant, dicit, quia ſe amicos ſimulant, & ſimul communicant*, ait Hugo Cardin. de quibus eodem pſal. ſubditur: *Ipſi infirmati ſunt:* & de iiſdem Apoſt. ait: *Propterea inter vos multi infirmi, & imbecilles:* eò quod cibum vitæ in mortem aſſumant. Ideo Iob 3. myſticè dicitur: *Antequam comedam ſuſpiro:* pœnitentiæ enim dolor, & gemitus ſacræ Euchariſtiæ refectionem præcedere debent.

pharmacū immortalitatis, ſed mortiferum pharmacū indignè accedentibus. 1. ad Cor. 11.

Euchariſtiæ ſacratiſſimū cibum pœnitentiæ gemitus, & fletus præcedere debet. Hîc. & n. ſequenti.

B 53. Propterea paſchalem agnum (qui iuxta ſanctum Thomam, & alios Patres Chriſti Domini in Euchariſtiæ ſacramento typus fuit) Exod. 12. comedendum præcipitur cum lactucis agreſtibus, & azymis panibus: *Lactucæ agreſtes* ait Gregorius, *valdè amaræ ſunt; carnes ergo agni cum lactucis agreſtibus ſunt edendæ: vt cum corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis noſtris in fletibus affligamus.* Hoc autem fletus lauacrum, pedum ablutio, quæ Euchariſtiæ inſtitutionem præceſſit, myſticè figurauit. Hinc Ambroſius monet: *Quanta cordis contritione, & lacrymarum fonte; quanta reuerentia, & tremore; quanta corporis caſtitate, & animi puritate illud diuinum, & cæleſte myſterium celebrandum eſt, Domine Deus: vbi caro tua in veritate ſumitur; vbi* C *ſanguis tuus in veritate bibitur; vbi ſummis ima, humanis diuina iunguntur; vbi adeſt ſanctorum præſentia Angelorum: Vbi tu es ſacerdos, & ſacrificium mirabiliter, & ineffabiliter? Quis dignè hoc myſterium celebrare poteſt, niſi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum?*

Paſchalis agnus Euchariſtiæ Symbolum; cui cū lactucis agreſtibus erat comedendus. Hîc, & n. 55.

Hom. 22.

In orat. ante Miſſam dicenda.

54. De Elephantibus, teſte Plinio, *auctores ſunt in Mauritaniæ ſaltibus ad quemdam amnem, cui nomen Amilo, niteſcente luna noua, greges eorum deſcendere, ibiquè ſe purificantes ſolemniter aqua conſpergi; atque ita ſalutato ſidere in ſyluas reuerti.* Si animalia rationis expertia ad lunam intuendam ſe antea puro lauacro à ſordibus abluunt; quantò magis homines rationis participes, antequam ad iuſtitiæ ſolis conſpectum, & D menſam accedant, pœnitentiæ ſe lauacro abluere debent?

Elephantorum erga lunam veneratio. Lib. 8. c. 1.

Euchariſtia maximam munditiem exigit.

55. Comedendus præterea præcipitur paſchalis agnus, qui figura Chriſti Domini in Euchariſtia fuit, cum azymis panibus; nempè conſcientiæ ab anteactæ vitæ peccatis munda. Ideo Apoſt. ait: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ; ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis.* Quare Beda in Exodum c. 12. myſticum ſignificatum azymi panis, & agreſtis lactucæ explicans ait: *Quod azymos panes cum lactucis agreſtibus manducare iubeatur; ſignificat, quòd vitam ab omni fermento malitiæ ſeparatam ducentes, amaritudine compunctionis cordis ſemper* E *habere debemus, quod ſignificat lactuca. Cum enim manducantur, ſic ſunt ſalſa, & amara, vt producant comedentis lacrymas. Sic cæleſtem panem accipientes irrigare faciem debemus:* Additur citato cap. Exod. 12. numer. 48. de Paſchali agno: *Si quis circumciſus non fuerit, non veſcetur ex eo.* Multò magis, qui ſacro Euchariſtiæ cibo veſci vult, prauos carnis affectus circumcidere debet.

Paſchalis agnus Euchariſtiæ Symbolum cur cū azymo pane comedēdus præcipitur. 1. ad Cor. 5.

56. De diuina liberalitate erga hominem dicitur Eccli. 5. 3. *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus; & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum:* Spiritualis vitæ panis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ

penis est; de quo Dominus dixit Ioann. 6. *Panis Dei est. qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Ego sum panis vitæ; qui venit ad me, non esuriet.* Hinc in ea positione orationis Dominicæ Cyprianus ait: *Panis vitæ Christus est; & panis hic omnium non est, sed noster est: & quomodo dicimus Pater noster, quia intelligentium, & credentium pater est; sic & panem nostrum vocamus, quia Christus noster, qui corpus eius contingimus, panis est.* Cum vitalis huius panis esu coniungitur potus *aqua sapientiæ salutaris.* Pœnitentium lacrymæ salutaris sapientiæ aquæ sunt: Salutaris enim, & admirandus diuinæ sapientiæ effectus est ad æterna gaudia per mœroris, & pœnitentiæ lacrymas peruenire: *Luctu suo anima pascitur, cum ad superna gaudia flendo subleuatur*, ait Gregorius. De salutari flebilis huius aquæ potu pœnitentes peccatores Deo dicunt Psal. 79. 6. *Potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Vbi idem Gregorius ait: *Lacrymarum potus ad mensuram datur; quia peccator, etsi ex interna Dei aspirat one pro culpa compungatur, ex eadem compunctionis afflictione eodem consolante releuatur.* De Eucharistia plura colligit ea SS. Patribus Ioannes Lopes in Epitome sanctorum t. 2. lib. 5. c. 11. lege præcipuè Chrysost. hom. 60. ad populum.

Eucharistia, quæ panis vitæ est, lacrymarum salutarem aquam exigit.
5. Mor. c. 4. vel 7.
Lib. 3. in c. 6. lib. 1. Regum
Lacrymarũ potus cur ad mensuram dari dicitur.

Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum.

57. Simili modo, ait Cyprianus, *Ioannes venienti Domino ad baptismum, tentauit resistere; sed mansuetius increpatus illicò obediuit; & quia super hoc etiam responsum acceperat, licet territus acquieuit. Sed differentiam causæ huius Petrus intelligens, lauare magistrum, & obsequi es tolerabile indicabat. Lauari autem ab eo, & tantam humilitatis eius pati deiectionem, ita videbatur indignum, vt omninò cogi non posset nisi interminatio periculosissima coarctares.* Tanta sanctæ humilitatis præstantia est, vt sancti viri ab ea potiùs non recedere, quàm ad diuinam beneficentiam largiùs accipiendam accedere elegerint. Sic Centurio venienti in eius domum Redemptori dixit: *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Similiter Apostolus Petrus, cum suam in nauiculam Dominum excepisset eiusquè largissimam beneficentiam expertus esset, dixit: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.* De quo Ambrosius lib. de Virgin. ait: *Vir sapiens, & grauis, in quo esset Ecclesiæ fundamentum, & magisterium disciplinæ, nihil vtilius esse prospexit, quàm ne secundantis operis extolleretur euentu: & ideo, Exi, inquit, à me, Domine. Redemptoris discipuli*, teste Hieronymo, *amore præceptoris, ne punctum quidem temporis ab eo separari volebant.* Et inter eos amantissimus Petrus dixit: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Idem tamen Petrus ait: *Exi à me, Domine: ne secundantis operis extolleretur euentu*: Domini potius præsentia, quàm debita humilitate carere eligens.

Cyprianus ser. de ablut. pedum.
Matth. 3.
Humilitatis præstantia.
Matth. 7. 8.
Luca 5. 8.
Apostolorũ ergo Christum Dominum ardens amor.
Hier. lib. 2. in Matth.
Ioan. 6. 68.

58. Ad sanctæ humilitatis custodiam aliquid maius S. Anachoretam fecisse Seuerus Sulpitius narrat. Nam non Domini à se recessum, vt Apostolus Petrus; sed dæmonum ad suum corpus obsidendum ingressum elegit, vt debitam humilitatem seruaret. Sanctus hic vir cum eximiæ sanctitatis fama in eiiciendis ab obsessis corporibus immundis spiritibus celebris foret; ne superbia elatus debitæ humilitatis iacturam faceret, Dominum rogauit, vt suum ipsum corpus à dæmonibus obsideretur; quam infernorum spirituum obsessionem consecutus, menses quinque humillimè perpessus est. Quale tunc Dei, Angelorumque oculis spectaculum fuit dæmones superbiæ auctores cernere sanctæ humilitatis thesauri inuitos custodes adsistere? Benè de sancta illa anima ab infernis spiritibus circumdata dici poterat: *Sicut lilium inter spinas.* Rebelles Angeli ob enorme peccati pondus adeo graues redditi sunt, vt cœlum ipsum, quasi *ære fusum* eos sustinere nequiuerit: At sanctus hic Dei seruus rebellium Angelorum pondere, tamquam saburra vsus est; ne ventoso superbiæ spiritu agitatus, cœlestium diuitiarum iactura lethale naufragium incurreret. Naturales scriptores asserunt rosas propè fœtidas herbas consitas maiorem afflare odorem. Quàm eximium sanctitatis odorem sanctus hic vir cœlum versus, ob immundos spiritus eius corpus obsidentes afflabat? Quo in loco, si rem rectè pensemus, dæmones ab humilitate summè abhorrentes, cruciatos potiùs, quàm cruciantes fuisse diximus: cum intra paradisum, qualis seruus hic Dei erat, superbi illi spiritus humilitatis virtute cruciati infernum reperisse se cernerent. Iob 20. 16 dicens: *Occidet eum lingua viperæ*: sub viperæ nomine iuxta Hieronymum, & alios Patres dæmonem intelligit; eò quod viperæ instar, quos mordet, superbiæ veneno letaliter intumescere cogat. Ex hac tartarea vipera sanctus hic Dei seruus medicam conficere theriacam benè nouit, efficax superbæ elationis antidotum: potuitque cum Zacharia *Salutem ex inimicis nostris* consecutum se dicere. *Quæ societas lucis ad tenebras?* ait Apostolus: discordem hanc diuinæ lucis, & tenebrarum principum societatem adinuenire sancta humilitas potuit; vt inde cœlestis gratiæ lumen magis elucceret. Ad extremum in sancto hoc Anachoreta verificari potuit mirum illud Isaiæ vaticinium: *Habitabit lupus cum agno.* Aucta tamen supra antiquum vaticinium admiratio est; cum vaferrimus tartareus lupus ab innocente agno planè exterritus videretur.

Humilitatis seruandæ exemplum eximium.
Dial. 1. 14.
Cant. 2. 2.
Iob. 37. 18.
Humilitas velut saburra contra superbiæ ventum ad lethale naufragium vitandum.
Rosæ prope fœtidas herbas satæ magis odoriferæ.
Viperæ nomine dæmon significatur: ex tali vipera theriacã sanctus vir confecit.
Iob 20. 16.
Luca 1. 71.
2. ad Cor. 6. 14.
Cap. 11. 6.

Respondit ei: Si non lauero te, non habebis partem mecum.

59. Rupertus hæc verba intelligit de spirituali à peccatis ablutione, à Redemptore per proprii sanguinis effusionem paulò post facienda: de qua dixit Ioan. Apoc. 1. 5. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Quare iuxta Rupertum Petro Dominus ait: *Quid expauescis talem humilitatis meæ habitum, tale ministerium? Nisi ego adhuc alius præminentus maioris dispendii lauero te, non habebis partem mecum. Verè enim, nisi Christus dilectos suos lauisset a peccatis eorum in sanguine suo; nec Petrus, nec quisquam cæterorum hominum partem habuisset cum illo. Hoc autem nunc opportune Petro dictum est; quia videlicet, cum expauesceret humilitatem talis magisterii, multo magis abhorrebat contumeliam Dominicæ passionis; qua & illum, & omnem mundum oportebat lauari.* Hæc Ruperti interpretatio mystica est, non ad litteram: Petrus enim exteriorem pedum ablutionem, non internam, & spiritualem ablutionem animæ tunc recusabat.

Ruperti interpretatio expenditur.

60. Secundò Maldonatus, & Cornelius allata Christi verba ad Eucharistiæ mox instituendæ participationem referunt; ita vt sensus Christi verborum sensus sit: Si non lauero te, non communicabis mecum in mẽsa Eucharistica;

non

Mihi donari, & miscel secrandi interpretatio speculatur. non dabo tibi potûs, & calicis partem, mox consecrandi in corpus, & sanguinem meum. Non potensmensa Dominica particeps esse, vt loquitur Apostolus t. ad Cor. 10. 21. Sed contra est, quia prædicta comminatio, vt Petrus se ablui sineret, non videtur facta à Christo circa priuationem beneficii omninò ipsi Petro tunc ignoti, sed potius cogniti; vt Petrus benè intelligeret bonum, quo priuaretur, adeoque ad obediendum se adducetet. Quare vt ex allatis verbis litteralis sensus habeatur; sciendum est, in sacra Scriptura quid phrasis hæc, *Habere partem cum aliquo*, significet: Epist. 2. ad Cor. 6 dicitur: *Quæ pars fideli cum infideli?* idest, quæ communicatio, quæ societas, & familiaritas fideli cum infideli? Simili sensu dicitur Eccli 13. *Quæ communicatio sancto homini ad canem? aut quæ pars diuiti ad pauperem?* Hic ergo cum Petro à Domino dicitur: *Non habebis partem mecum*; idem est, ac dicere; Te à mea familiaritate, ac societate seiungam. Quare cum Petrus Christi societatis, & familiaritatis suauitatem expertus, & testatus esset dicens: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*: facta amissionis tanti boni comminatione, statim obediens sequentibus verbis respondit.

Partem cum aliquo habere quid significet.

Ioan. 6. 68

Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos; sed & manus, & caput

61. QVi antea durior obstinatè renuens appellatus est Petrus; idem nunc obediens Simon Petrus nominatur. *Hoc*, ait Rupertus, *secundùm nomen suum benè locutus est Simon: Simon namque interpretatur obediens. Benè ergo nunc, vt paulo ante dixit Euangelista, dixit ei Petrus: sed, Dicit ei Simon Petrus.*

Petrus Apostolus inobediens Petrus, obediens Simon. hoc est obediens appellatus.

62. Res præclarè gestas à Iosue pluries celebrat Ecclesiasticus cap 46. *Fuit magnus secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, & iactando contra ciuitates romphaas? Quis ante illum sic restitit? An non iracundia eius impedita est sol & vna dies facta est quasi duo? Inuocauit Altissimum potentem in oppugnando inimicos vndique; & audiuit illum magnus, & sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valdè fortis. Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios. In diebus Moysi misericordiam fecit ipse, & Caleb filius Iephone, stare contra hostes, & prohibere gentem a peccatis, & perfringere murmur malitiæ.* Sed si quæratur tot inter præclara facinora, quonam Iosue præcipuè meruit, vt Israelitarum Princeps constitueretur, & Mosis successor fieret? Respondetur honorem tantum obedientiæ virtute esse consecutum. *Iesus Naue filius perfectus sua obedientia tantum donum promeruit, vt Moysis successor fieret*, ait B. Ephrem. Similiter nisi Petrus apostolus per obedientiam Redemptori obsecutus fuisset; Apostolorum Princeps, & Dei filii in Ecclesia Vicarius constitutus non esset; dicente ei Domino: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*, idest, Non vt Vicarius mecum, tanquam cum capite, sanctæ Ecclesiæ regimen accipies: nod in referando cœli aditu mecum partem habebis: Ego enim sum ostium, tu clauiger eris; quod certè munus non consequeris, nisi te lauero sinas obsequenter: Nec miracula faciendi in meo nomine potestatem habebis. Nisi enim ex obedientia tuus mihi pedes abluendos offeras, claudi pedes dirigere, & co-

Iosue elogium.

Iosue obedientia ciga D. ducem, Petrus primum Apostolatum meruit.

Tract. de virtute.

Matth. 16.

borare non poteris dicens: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Act. 3.

63. Lucæ 22. 31. Petro Dominus dixit: *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum*; hoc est, vt tentationibus agitaret, ac distineret. Nihilominus aduersus Satanæ insidias tandem resipiscens Petrus præualuit. Huius autem aduersus Satanam victoriæ ratio illa redditur à Gregorio: *Ceteris virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt, qui obediunt; quia dum voluntatem suam aliæ perfectè subiciunt, ipsi lapsis per obedientiam Angelis dominantur.* Cum Gregorio consonat Salomon dicens. *Vir obediens loquetur victoriam.* Lotis ergo ex obedientiâ pedibus benè potuit Petrus *super aspidem, & basiliscum ambulare; conculcare leonem, & draconem*: draconem, de quo dicitur Apoc. 12. *Proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas*: Leonem, de quo dicitur: *Aduersarius noster diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Gloriari potuit Petrus, quod per mare incedens pedes marinis aquis non intinxerit: sed gloriosius ei fuit in effusas à Domini manibus aquas pedes immergere.

Obedients in rebelles Angelos dominatur.

Lib. 4. Reg. c. 4.

Prou. 21. 28.

Psal. 90.

1. Petri. 5.

Matth. 14. 19.

Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet; sed est mundus totus.

64. VT horum verborum benè sensus percipiatur, recolenda est sacræ Scripturæ regula, quæ docet sæpè Scripturæ regula, quæ docet sæpè Scripturam transitum facere à Symbolo ad rem per tale Symbolum significatam. Sic Isaias c. 11. cum de Messia sub floris Symbolo vaticinatus esset, vt Hieronymus interpretatur: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*: subdidit: *Et requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectus; spiritus consilii, & fortitudinis; spiritus scientiæ, & pietatis. Et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit; neque secundum auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, &c.* Quæ omnia, vt patet, non Symbolo significanti, nempe floris sed Christo Domino per tale Symbolum significato conueniunt. Sic etiam Nahum c. 3. cum de Niniue verba, tamquam de meretrice dixisset: *Et reuelabo pudenda tua in facie tua*: transit deinde ad ciuitatem antea sub meretricis Symbolo significatam dicens: *Et erit omnis, qui viderit te, resiliet à te, & dicet: Vastata est Niniue.* Similiter hic Dominus eum spiritualem ablutionem corporalis ablutionis Symbolo significasset; deinde ad immediatè loquendum de spirituali ablutione transit dicens: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet*: hoc est; qui per diuinam gratiam à peccati sordibus ablutus est, qualis es tu, Petre, cum tuis coapostolis, Iuda excepto; non indiget, nisi vt pedum sordes lauet. Quæ autem sint pedum sordes intelligimus ex Ps. 48. vbi ad sensum negatiuum faciendum, legendum est cum interrogatione iuxta Basilium: *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me?* Calcanei iniquitas iuxta Remigium est carnalis infirmitas adhærens terræ; propter quam difficillimè vitari potest aliqua ambitio, vana gloria, & similia leuiora peccata. In huiusmodi sordes mox incursuri erant Apostoli; de quibus post vltimam hanc cœnam Lucas ait: *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior?* Quomodo autem tales ambitionis sordes abstergendæ essent, suæ humili-

Scriptura interdum transitu ad rem per tale Symbolum significatam.

Peccata leuiora pedum sordibus significantur.

Luca 22. 23.

Calcanei iniquitas nimia sui fiducia.

tatis exemplo discipulorum pedes abluendo Dominus docuit. Præterea, quia humani corporis pondus supra calcaneum maximè nititur; iniquitas calcanei iuxta Trenetum est nimia, & mala fiducia, in qua homo innititur. Quare ibi subditur: *Qui confidunt in virtute sua.* In hanc calcanei iniquitatem, malamque fiduciam vnà cum Petro incurserunt mox etiam Apostoli erant teste Matthæo c. 26. *Respondens Petrus ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.* Sed postea malam huiusmodi fiduciam experti *discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Vt autem à culpa resipiscerent, eorum pedes antea Dominus abluere voluit; vt talis beneficentiæ, eorum vnusquisque memor, dicere postea Domino potuerit: *Miserere mei secundùm eloquium tuum. Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* Psal. 118. 58. 59.

Matth. 26.

65. Porrò in vltimis illis Domini verbis, *Sed est mundus totus*: vel supplenda est particula *sic*: scilicet qui lotus est, ablutis insuper pedibus, sic est mundus totus. Vel si particula *sic*, non subintelligatur; sensus est de munditie necessaria ad diuinam gratiam, & amicitiam; ad quam pedum munditIes, hoc est à leuioribus culpis expurgatio necessaria non est: & in tali sensu, qui lotus est, licet indigeat pedum ablutione, adhuc mundus totus dici potest.

Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum; propterea dixit: Non estis mundi omnes.

66. VT Iudam à proditionis scelere reuocaret, talis sceleris machinationem sibi notam esse non semel Iuda ipso audiente Dominus indicauit. Occlusas tamen diuinis vocibus aures Iudas habere voluit. *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire*, monuit sapiens. Spinis quidem aures sepserat Iudas; id tamen, ne diuinam vocem audiret. *Quis mihi vnquam crederet, si spinas diuitias interpretari voluissem; maximè cum illæ pungant, istæ delectent. Et tamen spinæ sunt*, ait Gregor. Huiusmodi spinis ex auaritiæ affectu suas aures sepserat Iudas, ne diuina vox ad resipiscentiam vocans per aures in eius cor intimè penetraret. Meritò ergo perfidus Iudas proditor in Gehenna nunc *exardescit sicut ignis in spinis.*

Iudas quibus spinis aures sepsit, ne Domini vocem audiret.
Eccli. 28. 29
Hom. 15 in Euang.
Diuitiæ spinæ sunt aures diuinæ voci obturantes.
Ps. 117. 12.

Postquam ergo lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me, Magister, & Domine: & benè dicitis; sum etenim.

67. MAgister vester vnus est Christus, Matth. 23. dicitur. Vbi S. Paschasius ait: *Christus, licet multi doceant, vnus est magister omnium: qui omnes homines interius non artificiosè, sed naturaliter docet. Vnde Dauid ait: Beatus homo, quem tu erudieris, Domine; & de lege tua docueris eum.* Cœlestem hunc magistrum Thomas à Kempis ita alloquitur: *Taceant omnes Doctores; sileant vniuersa creaturæ in conspectu tuo: Tu mihi loquere solus.* Quare de magistris aliis ait: *Possunt quidem verba sonare; sed spiritum non conferunt. pulcherrimè dicunt; sed te tacente, cor non accendunt: litteras tradunt, sed tu sensum aperis: mysteria proferunt; sed tu reseras intellectum signatorum: mandata edicunt; sed tu iuuas ad perficienda: viam ostendunt; sed tu confortas ad ambulandum: illi foris tantùm agunt; sed tu corda instruis, & illuminas: illi exterius rigant; sed tu fœcunditatem donas: illi clamant verbis, sed tu auditui intelligentiam tribuis.* Hinc non ab alio, quàm à cœlesti magistro veram sapientiam expetendam esse Iacobus Apostolus monet: *Si quis vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Huic magistro cum Dauide dicere debemus: *Da mihi intellectum, & discam mandata tua. Seruus tuus sum ego; da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.*

Cœlestis magistri à magistris aliis discrimen.
Ps. 93. 12.
Lib. 1. c. 3
Lib. 3. c. 2
Ep. c. 1.
Psal. 118.

Si ergo ego laui pedes vestros Dominus, & magister; Et vos debetis alter alterius lauare pedes.

68 EX his Domini verbis vsus apud pios fideles inualuit, vt aduenis Christianis hospitio receptis, iisque itineris labore fessis pedes abluerentur. Hinc Apost. 1. ad Tim. c. 5. 10. eum de vidua eligenda, cui virgines, aliæque mulieres simul viuentes bene instituendi cura demandanda foret, loqueretur; inter cætera illud exquiri voluit: *Si hospitio recepit; si sanctorum*, hoc est Christianorum peregrè venientium *pedes lauit*. Quare ad hoc obsequium erga pios aduenas exhibendum hortatur Chrysostomus hom. 14. dicens: *Perge, quære, hospitio suscipe, accede, tange sacros pedes: longè honorabilius est illorum pedes, quàm aliorum caput attingere. Nam si statuarum pedes plerique teneat, quòd effigiem habeant regiam, ne scilicet in vincula trahantur: tu illi, qui Christum ipsum in se habet, pedes non tenebis, vt saluus fiat? sancti sunt pedes, etiam si viles sunt. At verò profanorum ne caput quidem honorabile.* Pii huius obsequii præmium sanctæ humilitatis acquisitio, vel confirmatio est. *Cum enim ad pedes fratrum inclinatur corpus, etiam corde ipso vel excitatur, vel, si iam inerat confirmatur pius humilitatis affectus*, ait Augustinus tract. 58. in Ioannem. Similiter Ambros. *Volo & ego lauare pedes fratrum meorum; volo Domini implere mandatum. Volait me non verecundari, non dedignosci, quod ipse prius fecit. Bonum ministerium humilitatis; quia dum alienas sordes lauo, meas abluo.*

Ablutandi pedes obsequium erga Christianos hospites commendatur.
Augustin. tract. 58. in Ioann. Ambros. lib. de Spiritu Sancto in prologo.

69. Præter externam pedum ablutionem, ad spirituales in proximis peccatorũ sordes abluendas Domini verba transfert Cyprianus dicens: *Non erubescat seruus, si facere iubetur, quod prius fecit Dominus. Quoties igitur cohortamur pusillanimes; & his, qui Pharaoni in luto, & lateri famulati sunt, persuademus, vt exeant de Ægypto: quoties cum infirmis infirmamur; & cum his, qui scandalum ferunt, vrimur: quoties cum afflictis gemimus; toties inhærens lutum peccatorum, qua possumus sollicitudine lauamus: non quòd nostra ablutio ex nobis sufficiat; nisi ad lauandum omni tempore nos pius magister accedat. In hoc se periculo fluctuantem laborans anima in Canticis Canticorum conqueritur: Laui, inquit, pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quod ablutum est, timet iterum inquinare; sed in via lutulenta vix aliquid solidum, vbi pedem figat, inuenit; & in quibus sæpe prouoluta est, paludum inquinamenta formidat. Clementissime magister, necesse est, vt ipse nos abluas: neque enim lauare nos possumus; sed in omnibus, quæ agimus, indulgentiæ tuæ lauacro indigemus.*

Ser. de ablut. pedum.
Abluere peccatores à spiritualibus sordibus commendatur.
Cap. 5.

Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

Cap. 2. Christus Dominus nobis in omnibus præluxit exemplo. Tit. & n. 71. & 75. Ser. 10. in Matth.

70. IN *omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum*, Titum monuit Apostolus. Talem se suis discipulis, & nobis omnibus Dominus exhibuit, benè nofcens, quàm ad persuadendum in ipso suasore virtutis exemplum efficax foret. Hoc egregiè explicans Augustinus ait: *Dicit Dominus homini ægro: Bibe calicem tentationum, & tribulationum, vt saneris, & viuas. Et ne responderet ei languidus: Non possum, non fero, non bibo: prior bibit medicus sanus, vt bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo, quod ille prior non biberit? Si contumelia, prior audiuit, cum dæmones expelleret: Dæmonium habet, & quod in Beelzebub eijcit dæmonia. Si dolores amari sunt; ligatus, flagellatus, crucifixus est. Si mors amara est, etiam mortuus est. Si genus mortis exhorrescit infirmitas; nihil illo tempore fuit ignominiosius, quàm mors crucis.*

71. *Exurge Domine Deus, in præcepto, quod mandasti; & Synagoga populorum circumdabit te,* aiebat Dauid Psal. 7. S. August. Rossinus, Remigius, Beda, & S. Thomas verba hæc de humilitatis mandato interpretantur. Bruno autem, & Richardus Pampolitanus de præcepto charitatis. Et sensus est: Exequere tu, Domine Deus, assumpta humana carne illud ipsum præceptum, quod aliis seruandum mandasti: & statim ingens populorum concursus ad te imitandum, tibique obsequendum vndique te circundabit. Ideo Bernardus ait: *Fiducialiter sequor te, Domine, quocumque; & securè incedo viam mandatorum tuorum, sciens quod per eam præcesseris.*

Ser. 1. de omnibus sanct. 1.

72. *Ego sum via, veritas, & vita*, Dominus dixit Ioan. 14. Vt via hæc, quæ ad cœlestem patriam ducit, compendiaria foret, perfectæ sanctitatis exemplar se nobis Dominus præstitit. *Nam longum ad virtutem per præcepta; breue, & efficax per exempla iter est*: vt bene Seneca pronunciauit. *Socrates viam ad gloriam quasi compendiariam dicebat esse; si quis ita ageret, vt qualis haberi vellet, talis esset.* Ideo si quis virtutis magistrum aliis exhibere se vult, virtute præditum se præstet, oportet. *Facilis ad exhortandum sic ratio, efficax ad suadendum: validiora sunt tamen exempla, quàm verba; & plenius est opere docere, quàm voce*, ait S. Leo Quare cum Isaias c. 30. de Redemptore dixisset: *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*: præceptorem scilicet sanctitatis exemplo prælucentem: statim subdidit: *Hæc est via, ambulate in ea. Sequamur, Domine, te per te, ad te: quia tu es via, veritas, & vita: via in exemplo; veritas in promisso; vita in præmio*, ait Bernardus.

Ep. 102. Exemplo præire viam compendiariam efficit. Cic. 2. de officiis. Ser. de S. Laurētio.

Ser. 2. de Ascensione.

73. De Christo Domino prædictum fuit à Dauide Psal. 67. vers. 34. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.* Quid est dare voci vocem virtutis? Est doctrinæ addere exemplum; ita vt ea, quæ docentur, opere ab ipso docente fieri videantur. Hinc Bernardus ad Baldurium Abbatem scribens ait: *Memento voci tuæ dare vocem virtutis. Vt opera tua verbis concinant; immo verba operibus: vt cures videlicet prius facere, quàm docere. Pulcherrimus ordo est, & saluberrimus; vt onus, quod portandum imponis, tu portes prius, & ex te discas, qualiter oporteat alios moderari. Alioquin subsannabit te sapiens, vt poté pigrum illum, cui labor sit manum porrigere ad os. Arguet te & Apostolus dicens: Tu, qui alios doces, teipsum non doces? Sed & notaberis vitio Pharisæorum; qui alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt ea in humeris hominum; digito autem suo nolunt ea mouere. Sermo quidem viuus, & efficax exemplum est operis: facile facies suadibile, dum monstras factibile, quod suadetur. Ergo in his duobus mandatis, verbi scilicet, atque exempli; summam tui officij ad conscientiæ securitatem pendere intellige.*

Exempli vis pro verbis maxima. Ep. 201. Prou. 26. Ad Rom. 2. Matth. 23.

74. Allusit supra Bernardus ad Salomonis sententiam: *Abscondit piger manum suam sub ascella; nec ad os suum applicat eam. Et laborat, si ad os suum eam conuerterit.* Vbi Gregorius ait: *Desidiosus quisque prædicator nec hoc vult operari, quod dicit: manum enim suam ad os porrigere, est voci suæ opera concordare.* Quare Idem Gregorius ad Fundensem Episcopum scribens ait: *In tuis actibus plebi exempla benè viuendi existant. Tua prædicatione, qui litteras nesciunt, quid diuinitus præcipiatur, agnoscant. In Dei timore populum, quemadmodum viuere possit, tui mores instituant. Operibus exerce, quod subiectos doces, & prædicas. Actus tui in aliorum correptionem proficiant: in adiutorium sibi, vita tua imitationem assumant: sicque te in cunctis operibus exhibe, vt scriptum, conscriptionemque te habeat quicumque aut negligit, aut non potest lectione formari.* Vt talis sit spiritualis magister, qualis à Gregorio expetitur; nempè viua Scriptura, in qua etiam rudes diuinam doctrinam expressam legere possint; oportet, vt *liber sit scriptus intus, & foris*; qualem Ioannes Apoc. 5. vidit. Nimirum, vt virtutis, & sanctitatis impressos characteres non in ore solùm, sed etiam in corde habeat; vt inde foras efficacius prodeant.

Prou. 19. 24 & Prou. 26. 15. 22. Mor. c. 10. Lib. 9. Ep. 52. Opere, & non à Prælato populus est ad salutem erudiendus.

Prælatus liber sit scriptus intus, & foris.

75. Ecclesiæ, hoc est suorum fidelium congregationi sub Ierosolymæ figura promisit Deus Zach. 2. *Ego ero ei murus ignis in circuitu.* Quomodo Deus assumpta humana carne promissum hoc præstiterit, explicat Gregorius dicens: *Vndique nobis Dominus, & per circuitum murus est; quia vt nos perfectè custodiret, omnia quæ docuit, ostendit; sicut scriptum est: Cœpit Iesus facere, & docere. Quia enim nos vocare ad cœlestem patriam venit; nimirum despicere nos bona transitoria docuit; & mala temporalia non timere. Vnde & opprobria despexit; iniurias pertulit; mortem non timuit; crucis patibulum non refugit: & cum eum voluissent rapere, & regem constituere, statim fugit. Traditorem suum diuinus pertulit; & fictè salutanti dare osculum non recusauit. Post passionem quoque suam, de his qui se crucifixerant, ad fidei gratiam vocauit: donum pro iniquitate reddidit. Qui ergo nos exemplo suo de omnibus instruxit, murus nobis per circuitum, & vndique factus est.* Quare de mystico hoc muro cum Ezechiel vaticinaretur: *Et ecce murus forinsecus in circuitu domus vndique*: Subdidit: *Et in manu viri calamus. Calamus in manu viri esse dicitur; quia Christus Iesus hoc, quod scribi voluit, operando compleuit*, ait ibi Gregorius.

Christus Dominus quomodo murus igneus in circuitu fidelibus fuerit. Hic, & n. sequenti. Hom. 14. in Ezech.

Cap. 40.

76. Ad idem significandum non qualemcumque, sed murum ignis suos erga fideles futurum se Dominus dixit. Ignis ita aliis lucet, vt in se ardeat; talis fuit Christus Dominus sanctitatis magister; talesque Apostolicos viros esse præcipit: nimirum, vt dum alios cœlesti doctrina illuminant, ipsi in se spiritus feruore ardeant. Nam vt benè Bernardus monet: *Est tantùm lucere vanum; tantùm ardere parum: ardere, &*

Act. 1. Ser. de S. Ioan. Bapt.

S. Basilii vox tonitrua fuit, quia eius vita fulgur. Orat. 20. Matth. 5. 19.

lucere perfectum. Talis fuit S. Basilius, de quo Nazianzenus ait: *Basilij vox erat tonitru, quia vita eius erat fulgur.* Efficaciter voce tonare poterat, cum eius vita cœlesti splendore fulguraret. Hinc meritò Basilius Magni cognomen consecutus legitur; cum Dominus dixerit: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Similiter magni titulo sanctus Domini præcursor Angeli vaticinio est insignitus: *Erit magnus coram Domino.* Fuit enim ex Domini testimonio sanctissimæ vitæ exemplo, & cœlestis doctrinæ prædicatione *Lucerna ardens, & lucens.* Vbi iuxta Bernardum Dominus *non ait lucens, & ardens; quia Ioannis ex feruore splendor, non feruor prodiit ex splendore. Sunt enim, qui non ideo lucent, quia feruent; sed magis feruent, vt luceant. At isti planè non feruent charitatis spiritu, sed studio vanitatis.*

Lucæ 1. 15. Ioa. 5. 35. Ser. de S. Ioan. Bapt.

77. Deut. 33. de Domino dicitur: *In dextera eius ignea lex.* Primò sicut diuinus legislator non in ore, sed in manu, suam habere legem dicitur: ita eam nobis non ore tantùm, sed manu; nempe opere, & exemplo esse prædicandam docuit. Secundò non in qualibet manu, sed in dextera, quæ est ad operandum promptior, & validior, legem habendam esse indicatur. Tertiò diuina lex ignea dicitur; eò quòd cœlestis doctrinæ illuminatio ex charitatis ardore, feruentisque vitæ exemplo prouenire debeat. Quartò denique ideo dicitur ignea lex esse in Domini manu; quia *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Sunt autem iusti sanctæ vitæ exemplo veluti viua Dei lex, aliis ad imitandum proposita.

Ignea lex in dextera quadruplicem rationem alios instruendi significat. Sap. 3.

78. Ecclesiastici 45. de Mose, & de quolibet iusto dicitur, Deus *audiuit eum, & vocem ipsius.* Non solùm iusti vox; sed ipse iustus cum sanctè operatur, à Deo auditur: immò validius per opera, quàm per voces ad Deum clamatur. Quod dicitur respectu Dei, idem respectu hominum fieri debere dicendum est: vt non solùm voce, sed opere, & exemplo audiendum, & imitandum se aliis exhibeat spiritualis vitæ magister, Christi Domini imitator. *Vita iubeat, lingua persuadeat,* ait S. Athanasius ad monachos. Quomodo sanctæ vitæ exemplo obedientiam docuerit Abraham, Isaac patientiam, Iacob laborum tolerantiam, Ioseph pudicitiam, Moses mansuetudinem, Iosue constantiam, Samuël benignitatem, Dauid misericordiam, & humilitatem, pluribus ostendit Gregorius in Ezech. lib. 2. hom. 15.

Vita exemplaris iubeat lingua, persuadeat. Virtutis multiplicis exempla sanctorum.

79. *Quis dedit gallo intelligentiam?* dicitur Iob 38. Vbi quæritur quæ tanta sit gallo intelligentia, vt ea diuina voce celebretur? Respondet idem Gregorius: *Quia cum iam edere cantus parat, prius alas excutit, & semetipsum feriens vigilantiorem reddit. Quod patenter cernimus; si sanctorum vitam vigilanter videmus. Ipsi quippe cum verbum prædicationis mouent, prius se in sanctis actionibus exercent; ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce: sed ante se per sublimia facta excutiunt; & tunc ad benè agendum alios sollicitos reddunt. Prius cogitationum alis seipsos feriunt; quia quidquid in se inutiliter torpet, sollicita inuestigatione deprehendunt, & districta animaduersione corrigunt. Prius sua punire fletibus curant; & tunc, quæ aliorum sunt, punienda denunciant. Prius ergo alis insonant, quàm cantus mittant; quia antequam verba exhortationis proferant, omne, quod locuturi sunt, operibus clamant: & cum perfectè in semetipsis vigilent, tunc dormientes alios ad vigilias vocant.* Gregorio consonat ethnicus Poëta dicens: *Si vis me flere, dolendum est ante tibi.*

Galli intelligentia, cur à Iob celebretur. Gregorius Supra.

Horatius in arte.

80. Num. 10. legitur: *Locutus est Dominus ad Moysem dicens: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem.* Hæ tubæ, iuxta SS. Patres, spiritualis vitæ magistros mysticè significant. Argenteæ autem, & ductiles hæ tubæ esse debent; argenteæ ob cœlestis doctrinæ nitorem; ductiles ob mortificationis, & laboris tolerantiam; quam, antequam aliorum auribus insonent, vitæ exemplo proferre debent: *Idcircò argenteæ fieri præcipiuntur,* ait Gregorius, vt *prædicatorum verba lucis nitore pateant; & auditorum mentes nulla sui obscuritate confundant. Idcircò autem ductiles; quia necesse est, vt hi, qui venturam vitam prædicant, tribulationum præsentium tunsionibus crescant.* Ærumnarum tunsionibus, veluti mallei ictibus in ductiles tubas creuerunt Apostoli; & ideo *in omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum.*

Tubæ argenteæ ductiles spiritualium magistrorum Symbolū. Supra. Ps. 18. 5.

81. Quod diuina lex non verbo solùm, sed immaculatæ simul vitæ exemplo docenda sit, egregiè etiam significauit Dauid Ps. 11. dicens: *Eloquia Domini, eloquia casta; eloquia pura* iuxta Hieronymum: *argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum.* Dicuntur diuina eloquia esse veluti argentum igne examinatum, & septuplum purgatum; debent enim eloquia diuina ita proferri, vt ex ignito charitatis ardore corde prodire videantur: vbi non semel, sed septuplum, hoc est sæpius purgata nihil terrenum redoleant; & propterea dicuntur esse veluti argentum probatum terræ, idest separatum à terra, vt Hieronymus legit. Argentum gratum auribus sonum reddere nequit, nisi prius per ignem purgata ærugine à sordibus omnibus emundetur. Similiter spiritualis magister, vt sua voce, cœlestique eloquio benè auditorum auribus insonet; prius spiritualibus sordibus expurgatis, immaculatæ vitæ exemplo relucere debet. Eiiciuntur autem spirituales sordes cœlesti charitatis igne; de quo Dominus dixit: *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi vt accendatur?* Eiiciuntur sordes igne illo, quo incensi pii illi viatores cum Domino collocuti dixerunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via? Bonus ignis, qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola peccata. Hoc igne illud morum, vel operum examinatur argentum. Hoc igne pretiosi illi lapides illuminantur; fœnum autem, & stipula consumitur. Mundat ergo hic ignis animum, & consumit errorem. Accende hunc primùm ignem in mentibus tuis, vt Christi tibi lumen affulgeat:* ait Ambrosius. *Quid scoria ad argentum?* ait Augustinus Quid prauarum operationum exemplo ad Euangelicæ legis doctorem, qui verbo alios instruere debet? *Qui vitiorum bello subiacent, nequaquam per prædicationis vsum præesse magisterio cæteris debent,* ait Gregorius.

Eloquium Domini, non æri, sed argento igne examinato, & à terrenis sordibus septuplicter purgato simile sit. Hic, & in sequentu. Lucæ 12. 49. Lucæ 24. Ambros in illud Ps. 118. 140. August l. 2. ad Crescon. tium c. 59. 23. Moral. c. 11.

82. Præterea argento, non æri, Dei eloquia comparantur: argentum enim si æruginosum sit, dissonum sonum reddit, vt diximus: æs autem licet æruginem contrahat, adhuc suum sonum reddere potest. Ideo Apostolus ait. *Si charitatem non habuero, factus sum velut æs sonans.* Idest si per charitatis ardorem, prauarum operationum æruginem non reliquero, & sic alios docuero; *factus sum velut æs sonans;* non vt *argentum septuplum purgatum,* qualis ministra diuini eloquii lingua esse debet.

1. ad Cor. 13.

83. De Redemptore Matthæus Euangelista

Docet iam quam potestatem habens, qui verba operibus comprobat.

Gregor. 2. Mor. c. 13. 1. ad Timot. c. 4. v. 11. & ad Titum c. 2. v. 15.

c. 7. *Erat docens, sicut potestatem habens.* Dici A potest hanc docendi potestatem; seù auctoritatem in suis in verbis Christum præsulisse, quia dicta miraculis confirmabat. Sed ad rem nostram Gregor. huius in docēdo potestatis rationē aliam reddit, dicens: *Quod discipulo Paulus ait: Præcipe hæc, & doce cum omni imperio: non dominationem potentia, sed auctoritatem suadet vita. Cum imperia quippe docetur, quod prius agitur, quàm dicatur. Nam doctrina subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Non ergo ei potestatem elato locutionis, sed bona fiduciam insinuauit actionis. Vnde etiam de Domino scriptum est: Erat docens sicut potestatem habens; non sicut Scribæ, & B Pharisæi. Singulariter namque, ac principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit.*

84. Exod. 28. Mosi præcepit Deus: *Facies vestimenta sancta Fratri tuo Aaron, & filijs eius; vt sacerdotio fungantur mihi.* Quod cum Moses Leuitici 8. exequeretur, *Vestiuit Pontificem, &*

Iuxta 70.

desuper humerale imposuit; quod adstringens cingulo aptauit Rationali, in quo erat Doctrina, seu manifestatio, & Veritas, idest lapides, per quorum

In Ex. 28. v. 20.

fulgorem manifestabatur sacerdoti diuinum beneplacitum, ait Lyranus. *Non est ignorandum,* ait Theodoretus, *Dominum sapientissimum per signa corporea studuisse commoda eorum, qui crassioris adhuc erant ingenij, nec ad ea, quæ intellectua-* C *lia sunt, peruenire poterant.* Sacerdotalium ergo

Sacerdotis vestes bona opera præcedere, verba deinde subsequi debere indicabant.

Hom. 6 in Leuit.

vestium mystica significatio erat; vt cum sacerdos operum sanctitate, & verborum sapientia populum instruere deberet, vitæ sanctitas verba præcederet. Super humerale enim operationem, Rationale verò sapientiam significabat. *Ipse ordo rerum, quàm sanctus sit, & quàm mirabilis intuere*, ait Origenes. *Non antea Rationale, & postea humerale; quia non antea sapientia, quàm opera, sed prius opera haberi debent, & postea quærenda sapientia est. Tum deinde non antea manifestatio, quàm Rationale; quia non ante alios docere, quàm nos instructi. & rationabiles esse debemus. Super hac autem additur veritas, quia veritas est summa sapientia. Denique Propheta hunc eundem ordinem seruat, cum dicit: Seminate vobis ad iustitiam, & metite fructum vitæ; illuminate vobis lumen scientia. Vides quomodo non dicit primò, Illuminate vobis lumen scientia; sed primò: Seminate vobis ad iustitiam. Et non sufficit seminare; sed metite, inquit, fructum vitæ; vt post hæc possitis implere quod sequitur: Illuminate vobis lumen scientia.*

Oseæ c. 10. iuxta 70.

85. Ad idem significandum; quod scilicet, sicut suo nos Dominus exemplo docuit; ita Apostolici viri sunt alios exemplo docere debent; ita vt vnusquisque cum Apostolo dicere possit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*: Exodi 28.

ad Cor. 11.

Mosi præcepit Deus: *Stringatur Rationale annulis suis cum annulis super humeralis vitta hyacinthina; vt à se inuicem Rationale, & superhumerale nequeant separari. Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in Rationali iudicij super pectus suum.* Vbi notandum est primo, arctum nexum inter superhumerale significans opera, & Rationale iudicii significans sermonem, esse debere: Rationale iudicii significans sermonem esse debere: Rationali enim indutus sacerdos, Dei sententiam, & oraculum popolo enunciabat; ideoque Rationale iudicii dictum est. 2. vt notat Gregorius: *Diuina voce præcipitur, vt in Aaron pectore Rationale iudicij vittis ligantibus imprimatur; quatenus sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxa*

Rationale cum superhumerali adstringendum verba bonis operibus sociāda indicabat.

Gregor. 2. par. past. c. 2. & lib. 1.

A *possideant; sed ratio sola constringat; ne indiscretum quid, vel inutile cogitet; qui ad exēplum constitutus, ex grauitate vitæ semper alijs debet ostendere quantùm in pectore rationem portet. In quo etiam Rationali vigilanter adiungitur, vt duodecim nomina Patriarcharum describantur: adscriptas etenim Patres semper in pectore ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla Patrum præcedentium indesinenter intuetur; cum Sanctorum vestigia sine cessatione considerat; & cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem pedem tendat.* Similiter Beda ait: *Tres ob causas* B *Aaron nomina Patriarcharum inter sacrificia semper in humeris, sicut & in pectore portabat; videlicet, vt ipse fidem, vitamque Patriarcharum meminisset imitari: vt duodecim tribuum, quæ de his natæ sunt, orationibus, & sacrificijs memor existeret: vt ipse populus scripta in veste præsulis sui Patrum nomina videns, curaret sedulè, ne ab illorum meritis desciscens ad errorum confugia declinaret.*

Ep. 24.

Beda de Templo c. 4.

Sacerdos triplici ea causa duodecim Patriarcharū nomina in pectore gestabat.

86. Ad idem significandum citato Exodi loco num. 31. 32. 33. de sacerdotia veste etiam præcipitur: *Facies & tunicam superhumeralis totam hyacinthinam: deorsum ad pedes eiusdem tunica per circuitum quasi mala punica facies mistis in medio tintinnabulis.* Primò tunica hæc hyacinthi- C na, nempe cœrulei coloris erat; vt sacerdos se cœlesti colore indutum intuens, animum ad cœlestia subleuaret iuxtà Theodoretum. Secundò ab extrema vestis huius ora tintinnabula pendebant: nam, vt Hieronymus ait: *Tanta debet esse scientia, & eruditia Pontificis Dei; vt & gressus, & motus, & vniuersa vocalia sint: veritatem mente concipiat. & tota eam habitu resonet, & ornatu; vt quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum: absque tintinnabulis enim, & diuersis coloribus, & gemmis, floribusquè virtutum nec sancta ingredi potest, nec nomen Antistitis possidere.* Similiter Gregorius 2. p. pastor. c. 4. & lib. 1. Ep. 24. ait: *Aptè tintinnabula vestimentis illis describuntur inserta. Vestimenta etenim sacerdotis quid aliud, quàm recta opera debemus accipere, Propheta attestante, qui ait: Sacerdotes tui induant* D *iustitiam? Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent; vt vitæ viam cum lingua sonitu ipsa quoque bona opera clament sacerdotes.*

Sacerdotis tunica cur hyacinthina: & in extrema ora tintinnabula, & mala punica habebat. Hic, & n. sequenti.

Psal. 131.

87. Poriò in sacerdotali veste mala ponica iuxta Bedam multifariam virtutum operationem vno charitatis munimine tectam designantia tintinnabulis coniungebantur; vt mysticè significaretur, neque sacerdotis opera à linguæ sonitu dissentire; neque linguæ sonitum ab eiusdem operibus discordem vmquam esse debere. Plura in hanc sententiam differit Hieron. Ep. ad Fabiolam de veste sacerdotis.

in Exodi

88. *In lingua sapientia dignoscitur, & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati*, ait Ecclesiasticus: subdit deinde: *Et firmamentum in operibus iustitia. Quia doctrina bona confirmatur per opera bona docentis*, ait Lyranus. Hinc salutare monitum immediatè post addit Sapiens: *Non contradicas verbo veritatis.* Quod monitum tum ad docentem, tum ad audientem dirigitur. Ad docentem scilicet, ne veræ doctrinæ, quam verbis docet, operibus contradicat. *Ne exemplo destruas verbum*, ait Primasius. Similiter Hieronymus Ep. 2. ad Nepotianum: *Non confundant opera tua sermonem tuum; ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno*

Cap. 4. 24.

Bene docens & male operans veritati contradicit.

In Ep. ad Titum c. 2.

ventre de ieiuniis disputat. Accusare auaritiam latro potest. Sacerdotes Christi os, mens, manusquè concordent. Similiter Gregorius in c. 28. Iob sub finem: *Lex est prædicatoribus posita, vt impleant, quod loquendo suadere festinant. Nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur. Illa vox cor audientis penetrat, quæ hoc, quod sonuerit, opere confirmat.* Cassiodorus lib. 11. Ep. 8. *Non potest auctoritatem habere sermo, qui non iuuatur exemplo; dum iniquum sit bona præcipere, & talia non fecisse.* Idem lib. 5. Ep. 21. *Age, ne tua tibi obijciatur oratio; quia pondus est pudoris grauissimi propria voce conuinci.*

Pascua fidelibus danda sunt bona opera verbis associata.

89 De fidelium grege Dominus ait Ioan. 10. 9. *Ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Quæ sint hæc pascua optimè sic explicat Gregor. 1. p. past. c. 3. *Sit pastor operatione præcipuus, & vita viam subditis viuendo denunciet: & grex, qui pastoris vocem, moresquè sequitur, per exempla melius, quàm per verba gradiatur. Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat: & optima ouium pascua sunt exempla pastoris.* Hæc sancti exempli pascua, siue domi inspiciatur, siuè foras prodeat, suo exhibere gregi Apostolicus pastor debet: ideo de eius grege dicitur: *Ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Hinc ei, qui aliis præest, rectè apud Cassiodorum lib. 11. Ep. 6. dicitur: *Latere non potest, quod intra cancellos egeris: tenes quippe lucidas fores, claustra patentia: & quamuis studiose claudas, necesse est, vt te cunctis aperias; nam si foris steteris, meis emendaris obtutibus; si intro ingrediaris, obseruantium non potes declinare conspectus. Vndique conspiceris, qui in illa claritate versaris.*

Prælatus domi, forisque bono exemplo prælucere. Prælatus vbique intuentium oculis subiectus.

90. Rursus cum citatus Ecclesiasticus ait: *Non contradicas verbo veritatis;* tale monitum dirigitur etiam ad audientem; ne sanæ doctrinæ operibus confirmatæ contradicens, se planè rationis expertem ostendat. Nam, vt benè Chrysostomus ait: *Hæc est ratiocinatio, cui contradici non potest, quæ fit per facta.* Similiter Augustinus ait: *Vt obedienter audiatur concionator, quantacumque granditate dictionis maius pondus habet vita dicentis.* Cum diuinam legem ab hominibus pluribus non seruari Dauid tactus dolore cordis intrinsecus cerneret; vt eos ad salutem reuocaret, non tam ad verba, quàm ad opera confugiendum esse dixit: *Tempus faciendi, Domine; dissipauerunt legem tuam.* Tempus faciendi dixit, non loquendi; vt boni exempli efficacitatem maiorem præ verbis ostenderet.

Prædicatoris vitæ, quàm vocis efficacitas maior.
Hom. 3. in 1. ad Cor.
Lib. 4. de doctrina Christiana cap. 27.
Psal. 118. 126.

91. Paulus Apostolus ad Timoth. scribens ait: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate.* Et ad Titum c. 2. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.* Et Apost. Petrus Ep. 1. c. 5. Ecclesiarum pastorem sui gregis formam esse debere monet. His omnibus in locis pro forma, vel exemplo in Græco textu satis aptè legitur *typus.* Similiter 1. ad Thessalon. c. 1. vbi dicitur: *Vos imitatores nostri facti estis, & Domini, ita vt facti sitis forma credentibus.* Græcè legitur: *Facti sitis typi.* Cum enim ad imaginem aliquam imprimendam vtimur typis, eam simul tota non per partes imprimitur: Contra verò si ad eamdem describendam calamum, vel linguam quasi calamum adhibeamus, successiua temporis mora opus est. Similiter vitæ sanctitas veluti typis vtens, virtutum imaginem animis imprimit; quam profectò imaginem minus efficaciter, & longo temporis interuallo auditoribus lingua repræsentaret. Cum igitur ad imitandum veluti sanctitatis typus, & exemplar Apostolicus vir aliis constituatur, hinc benè eum monet Hieronymus: *In te omnium oculi diriguntur, domus tua, & conuersatio tua, quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ; quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Caue, ne committas, quod, qui reprehendere volunt, dignè laborasse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere.* Ideo Apostolus cum ad Corint. scribens dixisset: *Imitatores mei estote:* subditur: *Sicut & ego Christi.* Qui enim aliis imitandus proponitur, prius ipse vitæ sanctitate Christi Domini imitator esse debet. Ideo S. Dionysius Areopagita Sacerdotes, qui populo prælucere debent exemplo, instar pellucidi crystalli solari luci expositi esse debere dixit: sicut enim Crystallum, vt in proxima loca incidentes solis radios reflectat, eos in se recipit: ita sacerdotes sanctitatis lucem præhabere debent, vt eam postea in proximos diffundant. Citata ad Timoth. Epistola cum dixisset Apostolus: *Exemplum esto fidelium in verbo;* vt verbum, quo alii instruuntur, efficax sit, loquentis sanctitate, vitæquè irreprehensibilis exemplo esse comprobandum significauit Apostolus subdens: *Attende tibi: hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Hinc benè S. Bernardus ad Eugenium Pontificem scribens ait: *Quatuor tibi consideranda sunt: te, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te. A te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia, te neglecto. Quid tibi prodest, si vniuersum mundum lucreris, te vnum perdens? Et si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris. Quantùm verò? Vt quidem sentiam ego, totum. Noueris licet omnia mysteria; noueris lata terræ, alta cœli, profunda maris; si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens. Quidquid extruxeris extra te, erit instar congesti pulueris ventis obnoxium.*

Typis, quàm calamo longè celerius exprimitur. Calamus lingua est, typus vitæ exemplum.

Hieron. in epitaphio ad Nepotian.

1 ad Cor. 4. & c. 11.

Sacerdotes instar pellucidi Crystalli populo sint.

Bern. lib. 1. de Consideratione. Prælatus se, quæ sub se, circa se, supra se, considerare debet.

92. In Cantic. c. 6. ait Lyranus: *Tribus Iudæ, secundùm omnes Doctores Hebræos, & Latinos, meruit dignitatem regiam in transitu maris rubri. Nam aliis tribubus formidantibus Moysen sequi per mare diuisum; tribus Iuda, cuius Princeps erat Aminadab, secuta est Moysen, & aliis constantiæ dedit exemplum.* Ideo Ecclesiæ Christi sponsæ vox illa est: *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Vnusquisque enim in sancta Ecclesia pastor constitutus vehementer turbari, ac timere debet; ne, quia aliis ipse ad Dei ductum in Promissionis terram, hoc est in cœlestem patriam sequendum exemplo non præeat; fidelium populum ipsi commissum à Pharaonis, hoc est diaboli tyrannide non liberet.

Tribus Iudæ, quia tribubus aliis in transitu maris rubri exemplo præiuit, Principatum meruit.
Cant. 6.
Prælato est valde timendum, si aliis exemplo non præeat.

93. Ad extremum accuratè notandum est, sicut valdè meritorium, & commendabile est bonorum operum exemplo alios ad sanctæ vitæ imitationem allicere; ita valdè demeritorium, & damnabile esse aliis peccandi exemplum praua operibus exhibere. Patet hoc Ioan. 18. 22. vbi legitur: *Vnus adsistens ministrorum dedit alapam Iesu. Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem benè quid me cædis?* Vbi quæritur cur Dominus questus sit de hac alapa; cum de eo vaticinatus sit Ieremias Thr. 3. *Ponet in puluere os suum: dabit percutienti se maxillam?* Quod Theodoretus explicans ait: *Ita tacebis, ac si os terra oppletum haberet.*

Quod quidem silentium, cum ab aliis sæpius alapis cæderetur, patientissimè seruauit, vt habetur Ioan. 19. *Veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum, & dabant ei alapas.* Et Matth. 26. vers. 67. *Colaphis eum ceciderunt: alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit?* Respondetur, impium illum ministrum, cùm primus ausus fuerit diuinam Redemptoris faciem alapa percutere, cæteris sacrilegum percutiendi Dominum exemplum præbuisse; & propterea eum potius, vt maximè damnabilem, quàm alios, sacrilegi sceleris Dominum arguere voluisse.

Prauum exemplum quàm no... ...m. & ...ab I, ...ntias ...ur contra ...nistrum ... eum ...mò ce... ...tem, & ...os contra

94. Alij ex capite, qui aliorum prauum exemplum sequuntur, Dei indignationem, & A grauius supplicium timere debent. Nam apud Danielem legimus Baltassarem Assyriorum regem, sua ob scelera regno priuatum, statim repentina morte punitum fuisse; contra verò eius patrem Nabuchodonosorem post suorum scelerum datas pœnas, regno fuisse restitutum. Respondet ad id Theodoretus: *Nabuchodonosor alterum impietatis pœnas luisse non conspexerat; ideirco dignum venia iusto Dei iudicio existimatum: Sed Baltassar summum patris supplicium suspicatus, nihil inde percepit vtilitatis. Iure ergo iustus iudex illi definito tempore supplicium præscripsit; istum autem nulla venia dignum censuit.* Qui igitur aliorum prauum exemplum sunt imitati, aliis inflictas pœnas considerantes, quantocyus resipiscentes ad pœnitentiam reuocentur.

alios eum percutientes questus fuit. Nabchodonosor cui pœnitentiæ tempus habuit, regnoque est restitutus, Baltassar verò regno priuatus, & morte punitus.

Plura de prauo, bonoque exemplo dicta sunt feria 3. post Dom. 2. in illa de Pharisæis verba: *Dicunt, & non faciunt.*





INDEX
RERVM ET VERBORVM.

Primus numerus Feriam, secundus Dominicam, tertius marginalem numerum indicat.

A

Ægypti

grandit per charitatem. O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? Iuxta Hugonem mysticum animæ cœnaculum debet esse *latum charitate, longum spe, altum fide, stratum humilitate.* Anima ergo, quæ Dominum hospitio excipere debet, non suavitiæ, non pusilli cordis, non maculatæ conscientiæ angustiis coarctari debet; sed cordis latitudinem illam habere, de qua dicitur in Psal. 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Domino in Bethleem præsepi nato, verba illa Genes. 24. humana natura dicere potuit: *Palearum, & fœni plurimum est apud nos.* Quod autem ibi subditur: *Locus spatiosus est ad manendum*; dicere nequiit. Quia de Domino in Bethleemitico præsepi nato dicitur: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia.* Quod si de mystico humani cordis hospitio loquamur; neque hîc *spatiosus locus est ad manendum. Sumus enim*, vt benè ait Augustinus serm. 10. de verbis Domini, *homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quæ faciunt inuicem angustias.* Ne tamen omnino angustum Domino hospitium detur, subdit Augustinus: *Si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis.*

Baruch. 3.

Scient, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad eum vadit.

34. HÆc verba, vt initio huius Euangelij indicaui, ponuntur ad exprimendum quanta fuerit Christi ad discipulorum pedes abluendos se prosternentis demissio: cum scilicet se Dei Filium, omniumque Dominum benè cognosceret. Maldonatus aliter verba hæc interpretatur; scilicet *Sciens Dominus omnia sibi à Patre tradita esse, idest iam sibi licere ex Patris præscripto perficere omnia, quæ sibi commisisset; ante non licuisse sibi mori, quia tempus à Patre constitutum nondum aduenerat.* Huic interpretationi obstant plures auctores, qui posita Christi Domini impeccabilitate, atque adeo perfecta eius obedientia circa Patris præscriptum; eius tamen libertatem, atque adeo meritum in passione saluant; quia quamuis quoad mortis substantiam pro humana redemptione haberet Patris præceptum; nihilominus quoad circumstantiam moriendi tali, vel tali tempore, nullo posito Patris præcepto erat omninò liber, & tale tempus ab eo statuendum erat.

Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se: deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

35. PRæclarum humilitatis exemplum hîc suis discipulis exhibens Dominus; eos ad eximiam humilitatis virtutem libenter amplectendam instruere voluit: cumque elementari aqua discipulorum pedes ablueret: voluit etiam mystica humilitatis aqua eorum animos emundare. *Hæc aqua confessionis peccatorum est*, ait Augustinus, *hæc aqua humiliationis cordis; hæc aqua vitæ salutaris. abijcientis se, nihil de se præsumentis, nihil sua potentia superbè tribuentis; hæc aqua in nullis alienigenarum libris est: non in Epicureis; non in Stoicis; non in Manichæis; non in Platonicis.*

Humilitas tamquam spiritualis aqua animā mundat.
In Psal. 32.

36. *Non veniat mihi pes superbiæ*; à Deo humillimè flagitabat Dauid Psalm. 35. Ne tali pede ad euangelizandum missi Apostoli incederent, eorum pedes humillimè abluendo, eos ad humilitatem humilitatis magister instruere voluit. Cumquè suis discipulis Dominus cœleste regnum præparasset: *regnum paratum à constitutione mundi*: vt eò peruenire facile possent, eorum pedes abluendo, suis in operibus humilitatis gressu incedere eos edocuit. Nam teste Augustino: *Humilitatis passibus ad cœli culmina conscenditur.* Quot humilitatis actus elicimus, tot passibus cœlum versus appropinquamus. Quare sanctæ humilitatis cœlum versus incessum suspiciendo benè dicere possumus: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* Æterni Principis filia est humilitas; illi enim tamquam dilectæ proli gratia datur, vt ad æterni regni hæreditatem consequendam ius habeat: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: *Beati pauperes spiritu*, idest humiles iuxtà August. *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Matt. 25. 34.
To. 10. hom. 213. de tempore.
Humilitatis passibus ad cœlum ascenditur.
Cant. 7.
Æterni Patris filia est humilitas.
1. Petri 5.
Iacobi 4. 6.
Matth. 5.
August. l. de ser. Domini in monte.

37. Bene igitur Dauid suum incessum cœlum versus dirigens, Deum precabatur: *Non veniat mihi pes superbiæ*: procul à me sit pes, in quo superbia insidet. Mirum est, quòd superbia semper sublimia appetens; peculiariter in pede residere dicatur. Monstrum quidem superbia est, quod omnia penetrare nititur, vt omnia pestifera lue inficiat. Si in caput aditum habet, illud ventoso inanis gloriæ tumore inflat: si collum circumdat, reddit illud maiorum obedientiæ, & imperio inflexibile; si in oculos insiliat, eos ad proprias culpas intuendas cæcos omninò reddit: si in aures peruadat, vas ad aliena audienda crimina latè reserat; si in lingua insistat; eam proximorum famæ parcere nullatenus sinit. Sed cur monstro huic à Dauide peculiariter pes tribuitur? *Non veniat mihi pes superbiæ.* Pes dicitur prauus superbiæ affectus, quia hic caput, quo dirigatur, non habet: ideoquè pes est, qui incedendo semper offendit; & in vitia pronus labitur. *Ideo pes errat superbi, quia caput non tenet: oculi enim sapientis in capite eius. Non mirum ergo, si errat vestigium, vbi oculus non habetur*, ait Ambrosius. Ad huiusmodi pedis frequentem lapsum significandum, cum dixisset Dauid: *Non veniat mihi pes superbiæ*; statim addidit: *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* August. tract. 57. in Ioann. ait: *Occurrunt ex Cantico Canticorum Ecclesiæ verba dicentis: Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Cum vellet ire, & aperire ei, quis venerat ad eam, & pulsauerat, sibiquè aperiri poposcerat ille speciosus præ filijs hominum: hinc quæstio nata est, quomodo Ecclesia timeat inquinare, dum pergit ad Christum?* Respondet Augustinus Ecclesiam loqui sub persona eorum, qui alios ad animæ salutem instruere debent. *In eis hoc dicit, qui prædicant Christum, & aperiunt illi ostium, vt habitet per fidem in cordibus hominum. In his hoc dicit, cum deliberant, vtrum ministerium tale suscipiant, cui se minus idoneos existimant, vt sine culpa impleant; ne forte alijs prædicantes ipsi reprobi fiant. Tutius enim veritas auditur, quam prædicatur: quoniam cum auditur, humilitas custoditur; cum autem prædicatur, vix non subrepit cuiuslibet hominum quantulacumque iactantia, in qua vtique inquinantur pedes.* Ne sordidis ex iactantia pedibus Apostoli ad euangelizandum

Ps. 35.
Superbia monstrum pestiferum.
Superbiæ affectus cur pes dicatur.
Eccles. 2.
Ambros. in Ps. 35.
Sponsa ad ostium Domino aperiendum ituta, cur pedes inquinare timuerit.
1 ad Cor. 9. 27.

missi incederent; iis pedes à Domino abluuntur. Quoniam verò teste Augustino *Non mouentur animæ pedibus, sed affectibus*; Dominus ad humilitatis exemplum discipulorum pedes abluit, vt eorum affectus ad humilitatem informarentur: atque hinc benè dici posset: *Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona!* Quod Isaiæ vaticinium impleri cœpisse, cum Dominus Apostolis pedes lauit, docet Origenes.

August. tr. 48. in Ioan.

Ad Rom. 10. Ex Isai. 52. 7.

38. In corporali incessu ita pedes incedunt, vt vnus alteri cedat: præcedit alternatim dexter, subsequitur sinister; præcedit sinister, subsequitur dexter. Similiter spiritualem incessum, per humilitatem alter cedendo, suos discipulos Dominus docuit: Quod si ex pedibus alter esset talis naturæ, vt semper primus esse, & præcedere, subsequi numquam vellet; vtique difficilis, & valdè segnis incessus redderetur. Talis est superbiæ pes, cum socio cedere numquam velit, velitque semper præcedere: ex quo fit, vt ad benè operandum difficillimè incedat. Adde insuper superbiæ pedem esse omninò imbecillem: *Non veniat mihi pes superbia, quo pede nullus fragilior, nus infirmior inueniri potest*, ait Gulielmus Parisiensis. Redditur alia ratio ab Ambrosio in Psal. 118. cur dicere debeamus: *Non veniat mihi pes superbia*: quia scilicet superbiæ pes, dum alios præcurrere studet, facilè in offendicula, quæ immoderato impetu non cauet, incurrit; & inde superbus ad terram prosternitur. Præterea longius iter facere pes omninò nequiret, qui nequiret, qui neque descendere, neque per planitiem incedere; sed tantùm sursum ascendere sciret. Talis est superbiæ pes; cum per humilitatem aliis se subiiciendo descendere nesciat: neque per planitiem incedere aliis se adæquando sciat: sed tantùm ascendere semper præferendo se aliis velit. Hinc benè à Dauide Deo dicitur: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Vbi aduerte superbos infami titulo Dei osores appellari.

Superbiæ pes quadrupliciter malè incedit.

De Rhetorica diu. c. 52.

Psal. 73. Superbi pessimo titulo Dei osores appellātur.

39. Dicitur etiam à Dauide superbia semper ascendere; eò quòd semper augeatur, ac crescat. Quomodo autem semper superbia crescat, egregiè ostendit Ambrosius ser. 3. in Psal. 118. *Diabolus cum sit nequissimus, vt honorem non dederit Domino Deo nostro; peiores tamen discipulos erudiuit. Ille enim se sic exaltauit, vt vellet æquari, & similis esse Altissimo: discipulus autem eius indignatus est æqualem se, similemque æstimari Deo. Scriptum est enim: Cum reuelatus fuerit homo iniquitatis, & filius interitus, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus. Magister ergo similem honorem præsumit; hic superiorem.* Sed si superbia supra Deum hominem efferre tentat, sancta humilitas Deum sub hominum pedibus demittit; cum à Dei filio discipulorum pedes abluuntur; vt ab iis superbiæ pes, & effectus arceatur.

Superbus quodāmodo lucifero peior.

Isaia c. 14. 14.

2. ad Thess. 2. c. 2.

Superbia hominem supra Deū efferre tentat: humilitas Deum ad hominū pedes demisit.

40. Quamuis Dauidis testimonio superbia semper ascendat; ex eius tamen ascensu maius præcipitium prouenit. Contra verò sancta humilitas quamuis descendere, seque demittere semper conetur; ex descensu tamen, & demissione in ascensum assurgit. Patet hoc in Mose, qui à Deo ad Pharaonem, vt Israëliticum populum liberare, missus, humiliter se deprimendo dixit Exodi 3. 11. *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Cui tam humiliter se deprimenti Dominus dixit: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Quibus verbis dixisse Dominum ait Rupertus: *Quoniam tu mitissimus virorum cum Pharaone dimicare indignum te ducis, teque deprimis; Ecce ego sustollam te, faciamque te Deum Pharaonis; vt imperes aquis pro potestate Dei; vt ranas crees; vt imperes terræ, ac cineri; faciasque in rege, & exercitu eius sciniphes, & vesicas; vt imperes aëri, & pestem generes; imperes igni, & cum grandine missus feratur super peccatores: imperando elementis Deus eris Pharaonis. Ecce quàm gloriosa virtutum regina est humilitas, quæ in cælum volare consueuit.* Ad volandum alas habet humilitas; ad præcipitium pedem labilem superbia habet.

Humilitas ex descensu in ascensum assurgit.

Exodi c. 7.

41. Præterea discipulorum pedes Dominus abluit, vt iis terræ orbis principatus benè committi posset, iuxta Dauidis vaticinium; *Constitues eos Principes super omnem terram*: & iuxta mysticum Mosis promissum: *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit.* Dum enim discipulorum pedes Dominus abluit, eorum corda à terrenis affectibus emundanda esse insinuauit; vt terræ orbis principatum meritò suscipere possent. Nam iuxta Theodoretum, & Hugonem, iis, qui terram calcant, & despiciunt, terræ orbis imperium benè committitur.

Ps. 44. 17. Deut. 11. 24.

Pedes discipulorum abluit Dominus, vt eos Principes super omnem terram constitueret. Hîc, & n. 43.

Theodor. or. de Charit. Hugo in Psal. 59.

42. Rursus à Domino Apostolis Lucæ 10. dictum est: *Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & super scorpiones.* Vt tartareos serpentes calcare possent Apostoli, nihil retinere terreum debebant: alioquin potius præda, quàm conculcatores talium serpentium fuissent. Tartareo enim serpenti iam antea à Deo dictum erat: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Terram comedes*, ait Rupertus; *& non cælum: idest eos, quorum conuersatio in cælis est: sed qui terrena sapiunt, illi cibus tuus erunt.* Hinc benè Domino Ambrosius ait: *Ablue animi mei calcaneum, vt possim abolere maledictum; nec morsum serpentis interiore pede sentiam: sed, sicut ipse iussisti sequentibus te, vt serpentes, & scorpiones illæso possim calcare vestigio.*

Pedes discipulorum abluit Dominus, vt tartareos serpentes innoxii calcarent.

Gen. 3.

Serpens antiquus Diabolus terrā comedit, & non cælum: terrenos, non cælestes homines.

Lib. 1. de Spiritu sancto in Prolo. go.

43. De Salomone dicitur 3. Reg. 1. *Vnxerunt eum Sadoch sacerdos, & Nathan propheta regem in Gihon*: Salomoni in regem assumpto, sacerdotis, & prophetæ manibus odorifero liquore conspersō *singuli deferebant munera, vasa aurea, & argentea*, vt ait sacer textus. Multò felicius Apostolorum pedes sacro lauacro Dominus conspersit, & abluit; vt iis terrena regna subiicerentur, & ad eorum pedes fidelium opes deferrentur: *Quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.*

3. Reg. 10. n. 25.

Abluti à Domino Apostolorum pedibus fidelium opes subiiciendæ erant.

Act. 4. 34.

44. Apoc. 12. legitur: *Signum magnum apparuit in cælo*: hoc est prodigium, & ostensum mirabile. Prodigium hoc erat, *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius.* Quanto maius prodigium fuit sub pauperum piscatorum pedibus, illius abluentes manus inspicere, de quo dicitur: *Tu fabricatus es auroram, & solem: lunam, & stellas, quæ tu fundasti.* Hominis dignitatem admirans Dauid aiebat: *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* At quātò maioris gloriæ homini fuit humanis pedibus manus rerū omnium opifices subiici? Visus est etiam aliàs Dominus stellas in manu habere: Apoc. 1. *Vidi similem filio hominis; & habebat in dextera sua stellas septem.* Visus est etiam aliàs hyacinthis manus plenas habere: *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Hic autem non stellis, non hyacinthis; sed pauperum piscatorum pedibus diuinas manus Dominum subdere videmus. Pauperum tamen horum dis-

Prodigium magnū Dominus sub pauperum piscatorum pedibus, eos abluens.

Psal. 8. 4. Psal. 8. 8.

Abluti à Domino Apostolorū pedes quā dignitatum, quorgratias consecuti sunt. Hîc, & in sequenti.

Cant. 5. 14.

A cipulorum pedes, stellarum instar, ita per vniuersum terrarum orbem discurrere debebant; vt de iis verè Salomon dixerit: *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem*: donec scilicet perfectam Euangelii illuminationem populis afferant. Rursùs si aliàs Dominus manus hyacinthia plenas habuit; pauperum horum discipulorum pedes, quibus suas Dominus diuinas manus subiicit, hyacinthinis calceis erant exornandi, iuxtà Ezechielis de Apostolorum collegio vaticinium: *Calceaui te Ianthino*, seù *Hyacintho*, iuxta Septuaginta. Vbi aptè S. Hieronymus ait: *Cum loti fuerint pedes, & omni sorde purgati, calceantur hyacinthinis, seu* B *Ianthinis, quod vtrumque aerij, seu cyanei*, hoc est, cærulei *coloris est: vt rapiantur in occursum Domini in aerem, & ad cælestia regna festinent.* Iure, magnaquè fiducia ad cœleste regnum obtinendum festinare sancti Apostoli poterant. Si enim exultans aiebat Dauid: *Lætatus sum in iis, quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus: stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem*: quantò maiori spe, & lætitia ad cœlestem Regem Apostoli festinabant; quorum pedes, non in atriis terrenæ Ierusalem, sed in diuinis Domini manibus felicissimè fuerant? Ex quibus manibus redditi sunt *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*; non quidem alienum, sed proprium: cum benè S. Apostoli scirent ad cœlestia Ierosolymæ *reclinatorium aureum ascensum esse purpu-* C *reum*. Inde Apostolorum Petri, Andreæ, & Philippi pedes cruci affigi impauidè dedicerunt. Petrus autem cruci affixus suos non indignos existimauit pedes, qui cœlum versus erigerentur, quippe qui sacro Domini lauacro dignificati iam antea erant.

Prouer. 4. 18.
Cap. 16. 10.
Psal. 121.
Psal. 13.
Cant. 3. 10.

45. Fabulati sunt Ethnici, Tethim Achillem filium, magicum in lauacrum mersisse, vt eum vulneribus non obnoxium redderet. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua, Domine.* Nam à sacro Domini lauacro, non corpus, sed impauidum cor, carnificum vulneribus minimè obnoxium Apostolos habuisse potius diximus: *Caduntur gladijs more bidentium: Non murmur resonat, non querimonia: sed corde impauido* D *mens benè conscia conseruat patientiam.*

Psal. 118.

Venit ergo ad Simonem Petrum.

46. A quo Apostolorum Dominus inceperit, sacri interpretes discordant. A Petro incepisse autumat Augustinus, Beda, Rupertus, Caietanus, & Maldonatus. Origenes tamen, Leontius, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius à Iuda Dominum lotionem inchoasse censent. Quamcunque ex vtraque sententiam sequamur, ex ea colligimus Dominum se primò beneficum erga tales præstitisse; quorum alter eum negaturus, alter proditu- E tus paulò post erat. Vt hinc diuina clementia erga ipsos ingratos benefica, & misericors cognoscatur. Petrus quidem à sacro Domini lauacro tantum feruorem concipere debebat; vt ad ignem accedere, vbi scandalum ad Dominum negandum, & ad peierandum inuenturus erat, non indigeret. Iudæ similiter pedes à sacra illa lotione pœnitentiæ compedes attrahere debebant, ne ad excogitatam proditionem perficiendam moueretur. Vterque scilicet Petrus, & Iudas dicere debebat: *Ab omni via mala prohibui pedes meos*: pedes videlicet sacra Domini ablutione dignificatos.

Petrine, an Iudæ à pedibus lauandum Dominus inchoauerit.
Christi Domini erga ingratos clementia.
Psal. 118.

A 47. Præterea Iudas in sacro Domini lauacro ab auaritiæ lepra, per quam ad impium scelus impellebatur, emundari debuit; præcipuè considerans miram Domini ad eius pedes abluendos demissionem. *Elisæus*, vt ait Bernardus, *Naaman leprosum septies in Iordane mergi præcepit: qui Iordanis interpretatur descensus. In descensu Domini nostri Iesu Christi, idest in humilitate conuersationis eius, quam exhibuit ante passionem, mundamur, & purgamur. Lepra est, quæ diuites esse volumus in hoc sæculo; sed ab ista mundamur, si immergimur in Iordane, idest in Christi descensu. Inuenimus enim, quoniam ille, cum esset diues,* B *propter nos pauper factus est. Descendit ab inenarrabilibus cœli diuitiis; & veniens in mundum nec istas qualescumque diuitias habere voluit; sed in tantam paupertatem venit; vt natus continuo poneretur in præsepio, quia ei non erat locus in diuersorio. Et verè magna abusio, & magna nimis; vt diues esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus maiestatis, & Dominus Sabaoth voluit pauper fieri.* Iudæ ergo proditionem meditantis pedes abluens Dominus, fœdus illius erga auaritiam affectus, ita tacita suspiratione alloqui videbatur: *Lauamini, mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

Auaritiæ lepra humilitatis lauacro mundanda.
Ser. 3. de resurrectione.
2. ad Corinth. c. 8.
Lucæ c. 2. 7.
Isa. c. 1. 16.

Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? C

48. SI nondum Petri pedes lauare cœperat Dominus; quomodo à Petro ei dictum est: *Domine, tu mihi lauas pedes?* Respondetur, interdum fieri dicitur, quod tentatur. Sic Amos 9. peccatoribus à Deo dicitur: *Si celauerint se ab oculis meis in profundo maris; ibi mandabo serpenti, & mordebit eos*; hoc est, si se celare tentauerint; non enim reuera celare se poterunt. Similiter Isa. 33. iuxta Septuaginta apud S. Hieronymum: *Væ eis, qui vos miseros faciunt*, idest facere tentant. *Vos enim nemo miseros facit: & qui reprobant vos, vos non reprobant*, idest qui reprobare vos tentant.

Fieri dicitur, quod, vt fiat, tentatur.

D *Respondit Iesus, & dixit ei. Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.*

49. CVr Dominus Apostolis pedes abluere voluerit, cognouit postea Petrus: primo cum ad humilitatem eorum animia insinuandam Dominus dixit: *Si ego laui pedes vestros Dominus, & magister; & vos debetis alter alterius lauare pedes: exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Secundò cum in Gethsemani hortum veniente cohorte ad Dominum capiendum, *Discipuli omnes relicto eo fugerunt*: Cognouit tunc Petrus ex pedum ablu- E tione discipulis paulò ante à Domino facta, quanta ingrati animi nota fuerit, vt illorum pedes Domino relicto fugam capessere potuerint; qui paulò ante tam benignè, tàm amanter à Domino abluti fuerant; & hinc post fugam resipiscens Petrus ad Dominum rediit, *& sequebatur eum à longè* Tertiò cum Petrus periurio Dominum negasset, iterum resipiscens *egressus fleuit amarè*: cognouit igitur tunc Petrus ideo ei Dominum pedes abluisse, vt talis Domini beneficentia peculiare ei incitamentum foret ad negationis culpam lacrymis abluendam. Quartò ex institutis à Domino Eucharistiæ, & pœnitentiæ sacramentis benè cognouit Petrus ad sacræ Euchari-

Petrus Apostolus quadrupliciter nouit, quid ei Dominus abluendo pedes indicaret.
Matth. 26. 56.
Matth. 26. 58.
Matth. 26. 75.

stiæ accessum præcedere debere pœnitentiæ lauacrum; quod per pedum ablutionem fuerat à Domino mysticè præsignificatum. *Quod Petro nondum fuerat reuelatum, docetur quomodo omni tempore prosequenda, & repetenda sit ablutio pedum; per quam rectè cognitam, & intellectam adhærentes animæ sordes quotidiana satisfactione lauantur*, ait Cyprianus sermone de ablutione pedum.

Eucharistia in accedentibus ad eam, magnam exigit puritatem. Hic, & n. 51. 54. 55.

50. Communiter autem SS. Patres docent, ante Eucharistiam præmisisse Dominum pedum ablutionem, vt mysticè fidelibus indicaret magnam puritatem in accedentibus ad sacram synaxim prærequiri. De nuptiali conuiuio Matth. 22. legitur: *Intrauit Rex, vt videret discumbentes; & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & ait illi: Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.* Cum homines tam proni, promptiquè sint *ad excusandas excusationes in peccatis*; quod quidem à primis parentibus propriam culpam apud Deum omnia cognoscentem excusantibus, veluti hæreditarium acceperunt: quæritur, cur infelix iste conuiua nuptiali veste carens excusationem nullam ad sui defensionem attulerit; sed statim obmutuerit? Iuxta sacros interpretes præcipuè Origenem, Euthymium, & alios nuptiale hoc conuiuium Eucharistiæ mensam significat: nuptialis verò vestis est charitas, morum probitas, & sanctitas; immaculatæquè cōscientiæ puritas, iuxta Chrysostomum, Hieronymum, & Hilarium. Tanta est ergo Eucharisticæ mensæ præstantia, & dignitas; vt qui ad eam sine eximiæ puritatis veste accedere audeat; licet ea humana versutia valdè ad excusandum propensus sit, adhuc excusationem nullam obtendere possit. *In Eucharistiæ conuiuio Christus Dominus Dei filius semetipsum apposuit immolatum; quænam igitur nobis erit excusatio?* ait Chrysostomus hom. 60. ad populum.

Psal. 140. 4.

Nuptialis vestis quid significet.

51. Antequam Deus Israëlitis in monte Sinai legem daret, Mosi præcepit Exodi 19. *Vade ad populum, & sanctifica illum hodie, & cras, lauentque vestimenta sua.* Cur ad diuinam legem accipiendam vestium ablutio Israëlitas præparare debuit? Respondet Theodoretus: *Manuducit eos ad spiritalia per ea, quæ corporea sunt.* Vestium ergo mundities, cordis munditiem multò magis in Israëlitis legem accepturis exigi indicabat. *Lauent vestimenta, idest opera*, ait Hugo; de quibus mysticè dicitur Eccles. 9. *Omni tempore vestimenta tua sint candida.* Alioquin opera peccatorum maculis fœda peccatores ad gehennæ incendium trahent, *Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis*, iuxta Isaiam c. 9. *Cibus ignis infernalis*, ait Hugo: si ergo externa, & mystica vestium ablutio, & mundities ab Hebræis timoris legem accepturis requirebatur; multò magis mūdities in Apostolis præcedere debuit; antequam amoris, non timoris legem acciperent; ipsumque legislatorem, nempe Christum Dominum in sanctissimo Eucharistiæ sacramento intra se sumerent: eadem ergo mundities in fidelibus ad sacram mensam accedentibus requiritur.

52. De peccatore sine pœnitentiæ lauacro ad sacram Eucharistiam accedente dicitur Oseæ cap. 8. *Factæ sunt ei aræ in delictum.* Sacræ aræ, in quibus gratiarum fons sacramentaliter residet; vt gratiam, sanctitatemque suis conuiuis largiatur; eædem ob accedentium impuritatem, eisdem in delictum fiunt: Et quod *Pharmacum immortalitatis* iure à sanctis Patribus appellatur; impurè accedentibus pabulum mortiferum redditur. Quare de his psalmo 26. conqueritur Christus Dominus: *Appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas. Appropiant, dicit, quia se amicos simulant, & simul communicant*, ait Hugo Cardin. de quibus eodem psal. subditur: *Ipsi infirmati sunt*: & de iisdem Apost. ait: *Propterea inter vos multi infirmi, & imbecilles*: eò quod cibum vitæ in mortem assumant. Ideo Iob 3. mysticè dicitur: *Antequam comedam suspiro*: pœnitentiæ enim dolor, & gemitus sacræ Eucharistiæ refectionem præcedere debent.

Eucharistia pharmacū immortalitatis, sed mortiferum pharmacū indignè accedentibus.

1. ad Cor. 11.

Eucharistiæ sacratissimū cibum pœnitentiæ gemitus, & fletus præcedere debet. Hic, & n. sequenti.

53. Propterea paschalem agnum (qui iuxta sanctum Thomam, & alios Patres Christi Domini in Eucharistiæ sacramento typus fuit) Exod. 12. comedendum præcipitur cum lactucis agrestibus, & azymis panibus: *Lactucæ agrestes* ait Gregorius, *valdè amaræ sunt; carnes ergo agni cum lactucis agrestibus sunt edendæ: vt cum corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus.* Hoc autem fletus lauacrum, pedum ablutio, quæ Eucharistiæ institutionem præcessit, mysticè figurauit. Hinc Ambrosius monet: *Quanta cordis contritione, & lacrymarum fonte; quanta reuerentia, & tremore; quanta corporis castitate, & animi puritate illud diuinum, & cæleste mysterium celebrandum est, Domine Deus: vbi caro tua in veritate sumitur; vbi sanguis tuus in veritate bibitur; vbi summis ima, humanis diuina iunguntur; vbi adest sanctorum præsentia Angelorum: Vbi tu es sacerdos, & sacrificium mirabiliter, & ineffabiliter? Quis dignè hoc mysterium celebrare potest, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum?*

Paschalis agnus Eucharistiæ Symbolum; cur cū lactucis agrestibus erat comedendus. Hic, & n. 55.

Hom. 22.

In orat. ante Missam dicenda.

54. De Elephantibus, teste Plinio, *auctores sunt in Mauritaniæ saltibus ad quemdam amnem, cui nomen Amilo, nitescente luna noua, greges eorum descendere, ibiquè se purificantes solenniter aqua conspergi; atque ita salutato sidere in syluas reuerti.* Si animalia rationis expertia ad lunam intuendam se antea puro lauacro à sordibus abluunt; quantò magis homines rationis participes, antequam ad iustitiæ solis conspectum, & mensam accedant, pœnitentiæ se lauacro abluere debent?

Elephantorum erga lunam veneratio.

Lib. 8. c. 1.

Eucharistia maximam munditiem exigit.

55. Comedendus præterea præcipitur paschalis agnus, qui figura Christi Domini in Eucharistia fuit, cum azymis panibus; nempè conscientiæ ab anteactæ vitæ peccatis munda. Ideo Apost. ait: *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ; sed in azymis sinceritatis, & veritatis.* Quare Beda in Exodum c. 12. mysticum significatum azymi panis, & agrestis lactucæ explicans ait: *Quod azymos panes cum lactucis agrestibus manducare iubeatur; significat, quòd vitam ab omni fermento malitiæ separatam ducentes, amaritudine compunctionis cordis semper habere debemus, quod significat lactuca. Cum enim manducantur, sic sunt salsa, & amara, vt producant comedentis lacrymas. Sic cælestem panem accipientes irrigare faciem debemus*: Additur citato cap. Exod. 12. numer. 48. de Paschali agno: *Si quis circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.* Multò magis, qui sacro Eucharistiæ cibo vesci vult, prauos carnis affectus circumcidere debet.

Paschalis agnus Eucharistiæ Symbolum cur cū azymo pane comedē' iubē præcipitur.

1. ad Cor. 5.

56. De diuina liberalitate erga hominem dicitur Eccli. 15. 3. *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus; & aqua sapientiæ salutaris potabit illum*: Spiritualis vitæ panis sanctissimæ Eucharistiæ

panis est; de quo Dominus dixit Ioann. 6. *Panis Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Ego sum panis vitæ; qui venit ad me, non esuriet.* Hinc in expositione orationis Dominicæ Cyprianus ait: *Panis vitæ Christus est; & panis hic omnium non est, sed noster est: & quomodo dicimus Pater noster, quia intelligentium, & credentium pater est; sic & panem nostrum vocamus, quia Christus noster, qui corpus eius contingimus, panis est.* Cum vitalis huius panis esu coniungitur potus *aqua sapientiæ salutaris.* Pœnitentium lacrymæ salutaris sapientiæ aquæ sunt: Salutaris enim, & admirandus diuinæ sapientiæ effectus est ad æterna gaudia per mœrorem, & pœnitentiæ lacrymas peruenire: *Luctu suo anima pascitur, cum ad superna gaudia flendo sublevatur,* ait Gregorius. De salutari flebilis huius aquæ potu pœnitentes peccatores Deo dicunt Psal. 79. 6. *Potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Vbi idem Gregorius ait: *Lacrymarum potus ad mensuram datur; quia peccator, etsi ex interna Dei aspiratione pro culpa compungitur, ex eadem compunctionis afflictione eodem consolante releuatur.* De Eucharistia plura colligit ex SS. Patribus Ioannes Lupus in Epitome sanctorum t. 2. lib. 5. c. 11. lege præcipuè Chrysost. hom. 60. ad populum.

Eucharistia, quæ panis vitæ est, lacrymarum salutarem aquam exigit.
5. Mor. c. 4. vel 7.
Lib 3. in c. 6. I. b. 1. Regum
Lacrymarū potus cur ad mensuram dari dicitur.

Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum.

57. SImili modo, ait Cyprianus, *Ioannes venienti Domino ad baptismum, tentauit resistere; sed mansuetius increpatus illicò obediuit; & quia super hoc etiam responsum acceperat, licet territus acquieuit. Sed differentiam causæ huius Petrus intelligens, lauare magistrum, & obsequium intolerabile iudicabat. Lauari autem ab eo, & tantam humilitatis eius pati deiectionem, ita videbatur indignum, ut omninò cogi non posset nisi interminatio periculosissima coarctaret.* Tanta sanctæ humilitatis præstantia est, ut sancti viri ab ea potiùs non recedere, quàm ad diuinam beneficentiam largiùs accipiendam accedere elegerint. Sic Centurio venienti in eius domum Redemptori dixit: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Similiter Apostolus Petrus, cum suam in nauiculam Dominum excepisset eiusquè largissimam beneficentiam expertus esset, dixit: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.* De quo Ambrosius lib. de Virgin. ait: *Vir sapiens, & grauis, in quo esset Ecclesiæ fundamentum, & magisterium disciplinæ, nihil utilius esse prospexit, quàm ne secundantis operis extolleretur euentu: & ideo, Exi, inquit, à me, Domine. Redemptoris discipuli,* teste Hieronymo, *amore præceptoris, ne punctum quidem temporis ab eo separari volebant.* Et inter eos amantissimus Petrus dixit: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Idem tamen Petrus ait: *Exi à me, Domine: ne secundantis operis extolleretur euentu:* Domini potius præsentia, quàm debita humilitate carere eligens.

Cyprianus ser. de ablut. pedum.
Matth. 3.
Humilitatis præstantia.
Matth. 7. 8.
Lucæ 5. 8.
Apostolorū erga Christum Dominum ardens amor.
Hier. lib. 2. in Matth.
Ioan. 6. 68.

58. Ad sanctæ humilitatis custodiam aliquid maius S. Anachoretam fecisse Seuerus Sulpitius narrat. Nam non Domini à se recessum, ut Apostolus Petrus; sed dæmonum ad suum corpus obsidendum ingressum elegit, ut debitam humilitatem seruaret. Sanctus hic vir cum eximiæ sanctitatis fama in eiiciendis ab obsessis corporibus immundis spiritibus celebris foret, ne superbia elatus debitæ humilitatis iacturam faceret, Dominum rogauit, ut suum ipsum corpus à dæmonibus obsideretur; quam infernorum spirituum obsessionem consecutus, menses quinque humillimè perpessus est. Quale tunc Dei, Angelorumque oculis spectaculum fuit dæmones superbiæ auctores cernere sanctæ humilitatis thesauri inuitos custodes adsistere? Benè de sancta illa anima ab infernis spiritibus circumdata dici poterat: *Sicut lilium inter spinas.* Rebelles Angeli ob enorme peccati pondus adeo graues redditi sunt, ut cœlum ipsum, quasi *ære fusum* eos sustinere nequiuerit: At sanctus hic Dei seruus rebellium Angelorum pondere, tamquam saburra usus est; ne ventoso superbiæ spiritu agitatus, cœlestium diuitiarum iactura lethale naufragium incurreret. Naturales scriptores asserunt rosas propè fœtidas herbas consitas maiorem afflare odorem. Quàm eximium sanctitatis odorem sanctus hic vir cœlum versus, ob immundos spiritus eius corpus obsidentes afflabat? Quo in loco, si rem rectè pensemus, dæmones ab humilitate summè abhorrentes, cruciatos potiùs, quàm cruciatores fuisse diceremus: cum intra paradisum, qualis seruus hic Dei erat, superbi illi spiritus humilitatis virtute cruciati infernum reperisse se cernerent. Iob an. 16 dicens: *Occidet eum lingua viperæ:* sub viperæ nomine iuxta Hieronymum, & alios Patres dæmonem intelligi; eò quod viperæ instar, quos mordet, superbiæ veneno letaliter intumescere cogat. Ex hac tartarea vipera sanctus hic Dei seruus medicam conficere theriacam benè nouit, efficax superbæ elationis antidotum: potuitque cum Zacharia *Salutem ex inimicis nostris* consecutum se dicere. *Quæ societas lucis ad tenebras?* ait Apostolus: discordem hanc diuinæ lucis, & tenebrarum principum societatem adinuenire sancta humilitas potuit; ut inde cœlestis gratiæ lumen magis eluceret. Ad extremum in sancto hoc Anachoreta verificari potuit mirum illud Isaiæ vaticinium: *Habitabit lupus cum agno.* Aucta tamen supra antiquum vaticinium admiratio est; cum vaferrimus tartareus lupus ab innocente agno planè exterritus videretur.

Humilitatis seruandæ exemplum eximium.
Dial. 1. 14.
Cant. 2.
Iob. 37. 18.
Humilitas veluti saburra contra superbiæ ventum ad lethale naufragium vitandum.
Rosæ propè fœtidas herbas, 6. fiunt magis odoriferæ.
Viperæ nomine dæmon significatur; ex tali vipera theriacā sanctus vir confecit.
In Isa c. 30.
Lucæ 1.
2. ad Cor. 6. 14.
Cap 11. 6.

Respondit ei: Si non lauero te, non habebis partem mecum.

59. RVpertus hæc verba intelligit de spirituali à peccatis ablutione, à Redemptore per proprii sanguinis effusionem paulò post facienda: de qua dixit Ioan. Apoc. 1. 5. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Quare iuxta Rupertum Petro Dominus ait: *Quid expauescis talem humilitatis meæ habitum, talem ministerium? Nisi ego adhuc altius præuinctus maiori dispendio lauero te, non habebis partem mecum. Verè enim, nisi Christus dilectos suos lauisset à peccatis eorum in sanguine suo; nec Petrus, nec quisquam cæterorum hominum partem habuisset cum illo. Hoc autem nunc opportune Petro dictum est; quia videlicet, cum expauesceret humilitatem talis magisterii, multo magis abhorrebat contumeliam Dominicæ passionis; quæ & illum, & omnem mundum oportebat lauari.* Hæc Ruperti interpretatio mystica est, non ad litteram: Petrus enim externam pedum ablutionem, non internam, & spiritualem ablutionem animæ suæ recusabat.

Ruperti interpretatio expenditur.

60. Secundò Maldonatus, & Cornelius allata Christi verba ad Eucharistiæ mox instituendæ participationem referunt; ita ut sensus Christi verborum sensus sit: Si non lauero te, non communicabis mecum in mensa Eucharistica;

non dabo tibi potus, & calicis partem, mox con- A
secrandi in corpus, & sanguinem meum. Non poteris mensæ Dominicæ particeps esse, vt loquitur Apostolus 1. ad Cor. 10. 21. Sed contra est, quia prædicta comminatio, vt Petrus se ablui sineret, non videtur facta à Christo circa priuationem beneficii omninò ipsi Petro tunc ignoti, sed potius cogniti; vt Petrus benè intelligeret bonum, quo priuaretur, adeoque ad obediendum se adduceret. Quare vt ex allatis verbis litteralis sensus habeatur; sciendum est, in sacra Scriptura quid phrasis hæc, *Habere partem cum aliquo*, significet: Epist. 2. ad Cor. 6 dicitur: *Quæ pars fideli cum infideli?* idest, quæ communicatio, quæ societas, & familiaritas fideli cum infideli? Simili sensu dicitur Eccli 13. *Quæ communicatio sancto homini ad canem? aut quæ* B
pars diuiti ad pauperem? Hic ergo cum Petro à Domino dicitur: *Non habebis partem mecum*; idem est, ac dicere; Te à mea familiaritate, ac societate seiungam. Quare cum Petrus Christi societatis, & familiaritatis suauitatem expertus, & testatus esset dicens: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*: facta emissionis tanti boni comminatione, statim obediens sequentibus verbis respondit.

Ioan. 6. 68.

Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos; sed & manus, & caput

61. Qui antea durius obstinatè renuens appellatus est Petrus; idem nunc obe- C
diens Simon Petrus nominatur. *Hoc*, ait Rupertus, *secundum nominum suum benè locutus est Simon: Simon namque interpretatur obediens. Benè ergo non, vt paulò ante dixit Euangelista, dixit ei Petrus: sed, Dicit ei Simon Petrus.*

Petrus Apostolus inobediens Petrus, obediens Simon ... appellatur.

62. Res præclarè gestas à Iosue pluries celebrat Ecclesiasticus cap. 46. *Fuit magnus secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, & iactando contra ciuitates romphææ? Quis ante illum sic restitit? An non iram cundiæ eius impeditus est sol & vna dies facta est quasi duo? Inuocauit Altissimum potentem in oppugnando inimicos vndique; & audiuit illum magnus, & sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarias. In diebus Moysi misericordiam fecit ipse, & Caleb filius Iephone, stare contra hostes, & prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ.* Sed si quæratur tot inter præclara facinora, quonam Iosue præcipuè meruit, vt Israëlitorum Princeps constitueretur, & Mosis successor fieret? Respondetur honorem tantum obedientiæ virtute esse consecutum. *Iesus Naue filius perfecta sua obedientia tantum donum promeruit, vt Moysis successor fieret*, ait B. Ephrem. Similiter nisi Petrus Apostolus per obedientiam Redemptori obsecutus fuisset; Apostolorum Princeps, & Dei filii in Ecclesia Vicarius constitutus non E
esset; dicente ei Domino: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*, idest, Non vt Vicarius mecum, tamquam cum capite, sanctæ Ecclesiæ regimen accipies: nod in referendo claui editu mecum partem habebis: Ego enim sum ostium, tu clauiger eris; quod certè munus non consequeris, nisi te lauero mihi obsequentem: Nec miracula faciendi in meo nomine potestatem habebis. Nisi enim ex obedientia tuos mihi pedes abluendos offeras, claudi pedes dirigere, & to-

Iosue elogium.

Iosue obedientia ergo ... successor.

Tract. de virtute.

Matth. 16.

bunare non poteris dicens: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Act. 3.

63. Lucæ 22. 31. Petro Dominus dixit: *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum*; hoc est, vt tentationibus agitaret, ac dissiceret. Nihilominus aduersus Satanæ insidias tandem resipiscens Petrus præualuit. Huius autem aduersus Satanam victoriæ ratio illa redditur à Gregorio: *Cæteris virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt, qui obediunt; quia dum voluntatem suam aliis perfectè subiciunt, ipsi lapsis per obedientiam Angelis dominantur.* Cum Gregorio consonat Salomon dicens. *Vir obediens loquetur victoriam.* Loris ergo ex obedientiæ pedibus beoè potuit Petrus *super aspidem, & basiliscum ambulare; conculcare leonem, & draconem*: draconem, de quo dicitur Apoc. 12. *Proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas*: Leonem, de quo dicitur: *Aduersarius noster diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Gloriari potuit Petrus, quod per mare incedens pedes marinis aquis non intinxerit: sed gloriosius ei fuit in effusas à Domini manibus aquas pedes immergere.

Obediēs in rebelles Angelos dominatur.
Lib. 4. Reg. c. 4.
Prou. 21. 28.
Psal. 90.
1. Petri. 5.
Matth. 14. 29.

Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet; sed est mundus totus.

64. Vt horum verborum benè sensus percipiatur, recolenda est sacræ Scripturæ regula, quæ docet sæpè Scripturam transitum facere à Symbolo ad rem per tale Symbolum significatam. Sic Isaias c. 11. cum de Messia sub floris Symbolo vaticinatus esset, vt Hieronymus interpretatur: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*: subdidit: *Et requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectus; spiritus consilii, & fortitudinis; spiritus scientiæ, & pietatis. Et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundùm visionem oculorum iudicabit; neque secundùm auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, &c.* Quæ omnia, vt patet, non Symbolo significanti, nempe flori; sed Christo Domino per tale Symbolum significato conueniunt. D
Sic etiam Nahum c. 3. cum de Niniue verba, tamquam de meretrice dixisset: *Et reuelabo pudenda tua in facie tua*: transit deinde ad ciuitatem antea sub meretricis Symbolo significatam dicens: *Et erit omnis, qui viderit te, resiliet à te, & dicet: Vastata est Niniue.* Similiter hic Dominus cum spiritualem ablutionem corporalis ablutionis Symbolo significasset; deindè ad immediatè loquendum de spirituali ablutione transit dicens: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet*: hoc est; qui per diuinam gratiam à peccati sordibus ablutus est, qualis es tu, Petre, cum tuis coapostolis, Iuda excepto; non indiget, nisi vt pedum sordes lauet. Quæ autem sint pedum sordes intelligimus ex Ps. 48. vbi ad seorsum negotiorum faciendum, legendum est cum interrogatione iuxta Basilium: *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me?* Calcanei iniquitas iuxta Remigium est carnalis infirmitas adhærens terræ; propter quam difficillimè vitari potest aliqua ambitio, vana gloria, & similia leniora peccata. In huiusmodi sordes mox incursuri erant Apostoli; de quibus post vltimam hanc cœnam Lucas ait: *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior?* Quomodo autem tales ambitionis sordes abstergendæ essent, suæ humili-

Scriptura interdum transit à Symbolo ad rem per talē Symbolum significatam.

Peccata leniora pedū sordibus significantur.
Luca 22. 23.

Calcanei iniquitas nimia sui fiducia.

tatis exemplo discipulorum pedes abluendo Dominus docuit. Praeterea, quia humani corporis pondus supra calcaneum maximè nititur; iniquitas calcanei iuxta Tertuetum est nimia, & mala fiducia, in qua homo innititur. Quare ibi subditur: *Qui confidunt in virtute sua.* In hanc calcanei iniquitatem, malamque fiduciam vnà cum Petro incursuri mox etiam Apostoli erant teste Matthaeo c. 26. *Respondens Petrus ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.* Sed postea malam huiusmodi fiduciam experti *discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Vt autem à culpa resipiscerent, eorum pedes antea Dominus abluere voluit; vt talis beneficentiae, eorum vnusquisque memor, dicere postea Domino potuerit: *Miserere mei secundùm eloquium tuum. Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* Psal. 118. 58. 59.

Matth. 26

65. Porrò in vltimis illis Domini verbis: *Sed est mundus totus*: vel supplenda est particula *sic*: scilicet qui lotus est, ablutis insuper pedibus, sic est mundus totus. Vel si particula *sic*, non subintelligatur; sensus est de munditie necessaria ad diuinam gratiam, & amicitiam; ad quam pedum munditie, hoc est à leuioribus culpis expurgatio necessaria non est: & in tali sensu, qui lotus est, licet indigeat pedum ablutione, adhuc mundus totus dici potest.

Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum; propterea dixit: Non estis mundi omnes.

66. VT Iudam à proditionis scelere reuocaret, talis sceleris machinationem sibi notam esse non semel Iuda ipso audiente Dominus indicauit. Occlusas tamen diuinis vocibus aures Iudas habere voluit. *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire*, monuit sapiens. Spinis quidem aures sepserat Iudas; id tamen, ne diuinam vocem audiret. *Quis mihi vnquam crederet, si spinas diuitias interpretari voluissem; maximè cum illa pungant, ista delectent. Et tamen spinae sunt*, ait Gregor. Huiusmodi spinis ex auaritiae affectu suas aures sepserat Iudas, ne diuina vox ad resipiscentiam vocans per aures in eius cor intimè penetraret. Meritò ergo perfidus Iudas proditor in Gehenna nunc *exardescit sicut ignis in spinis.*

Iudas quibus spinis aures sepsit, ne Domini vocem audiret.
Eccli 28. 29
Hom. 15 in Euang.
Diuinae spinae sunt aures diuinae voci obturantes.
Ps. 117. 12.

Postquam ergo lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me, Magister, & Domine: & benè dicitis; sum etenim.

67. MAgister vester vnus est Christus, Matth. 23. dicitur. Vbi S. Paschasius ait: *Christus, licet multi doceant, vnus est magister omnium: qui omnes homines intus non artificiosè, sed naturaliter docet. Vnde Dauid ait: Beatus homo, quem tu erudieris, Domine; & de lege tua docueris eum.* Caelestem hunc magistrum Thomas à Kempis ita alloquitur: *Taceant omnes Doctores; sileant vniuersae creaturae in conspectu tuo: Tu mihi loquere solus.* Quare de magistris aliis ait: *Possunt quidem verba sonare; sed spiritum non conferunt: pulcherrimè dicunt; sed te tacente, cor non accendunt: litteras tradunt, sed tu sensum aperis: mysteria proferunt; sed tu reseras intellectum signatorum: mandata edicunt; sed tu iuuas ad perficiendum: viam ostendunt; sed tu confortas ad ambulandum: illi foris tantùm agunt; sed tu corda instruis, & illuminas: illi exterius rigant; sed tu foecunditatem donas: illi clamant verbis; sed tu auditui intelligentiam tribuis.* Hinc non ab alio, quàm à caelesti magistro veram sapientiam expetendam esse Iacobus Apostolus monet: *Si quis vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Huic magistro cum Dauide dicere debemus: *Da mihi intellectum, & discam mandata tua. Seruus tuus sum ego; da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.*

Caelestis magistri à magistris aliis discrimen.
Ps. 93. 12.
Lib. 1. c. 3
Lib. 3. c. 2
Ep. c. 1.
Psal. 118.

Si ergo ego laui pedes vestros Dominus, & magister; Et vos debetis alter alterius lauare pedes.

68 EX his Domini verbis vsus apud pios fideles inualuit, vt aduenis Christianis hospitio receptis, iisque itineris labore fessis pedes abluerentur. Hinc Apost. 1. ad Tim. c. 5. 10. cum de vidua eligenda, cui virgines, aliasque mulieres simul viuentes benè instituendi cura demandanda foret, loqueretur; inter caetera illud exquiri voluit: *Si hospitio recepit; si sanctorum*, hoc est Christianorum peregrè venientium *pedes lauit.* Quare ad hoc obsequium erga pios aduenas exhibendum hortatur Chrysostomus hom. 14. dicens: *Perge, quaere, hospitio suscipe, accede, tange sacros pedes: longè honorabilius est illorum pedes, quàm aliorum caput attingere. Nam si statuarum pedes plerique tenent, quòd effigiem habeant regiam*, ne scilicet in vincula trahantur: *tu illi, qui Christum ipsum in se habet, pedes non tenebis, vt saluus fias? sancti sunt pedes, etiam si viles sunt. At verò prophanorum ne caput quidem honorabile.* Pii huius obsequii praemium sanctae humilitatis acquisitio, vel confirmatio est. *Cum enim ad pedes fratrum inclinatur corpus, etiam corde ipso vel excitatur, vel, si iam inerat confirmatur pius humilitatis affectus*, ait Augustinus tract. 58. in Ioannem. Similiter Ambros. *Volo & ego lauare pedes fratrum meorum; volo Domini implere mandatum. Voluit me non verecundari, non dedignosci, quod ipse prius fecit. Bonum ministerium humilitatis; quia dum alienas sordes lauo, meas abluo.*

Abluendi pedes christianorum erga Christianos hospites commendatur.
Augustin. tract. 58. in Ioann. Ambros. lib. de Spiritu Sancto in prologo.

69. Praeter externam pedum ablutionem, ad spirituales in proximis peccatorum sordes abluendas Domini verba transfert Cyprianus dicens: *Non erubescat seruus, si facere iubetur, quod prius fecit Dominus. Quoties igitur cohortamur pusillanimes; & his, qui Pharaoni in luto, & lateris famulati sunt, persuademus, vt exeant de Aegypto: quoties cum infirmis infirmamur; & cum his, qui scandalum ferunt, vrimur: quoties cum afflictis gemimus; toties inhaerens lutum peccatorum, quā possumus sollicitudine lauamus: non quòd nostra ablutio ex nobis sufficiat; nisi ad lauandum omni tempore nos pius magister accedat. In hoc se periculo fluctuantem laborans anima in Canticis Canticorum conqueritur: Laui, inquit, pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quod ablutum est, timet iterum inquinari; sed in via lutulenta vix aliquid solidum, vbi pedem figat, inuenit; & in quibus saepe prouoluta est, paludum inquinamenta formidat. Clementissime magister, necesse est, vt ipse nos abluas: neque enim lauare nos possumus; sed in omnibus, quae agimus, indulgentiae tuae lauacro indigemus.*

Ser. de ablut. pedum.
Abluere peccatores à spiritualibus sordibus commendatur.
Cap. 5.

Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

Cap. 2. Christus Dominus nobis in omnibus præluxit exemplo. Tit. & n. 71. & 75. Ser. 10. in Matth.

70. IN *omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum*, Titum monuit Apostolus. Talem se suis discipulis, & nobis omnibus Dominus exhibuit, benè noscens, quàm ad persuadendum in ipso suasore virtutis exemplum efficax foret. Hoc egregiè explicans Augustinus ait: *Dicit Dominus homini ægro: Bibe calicem tentationum, & tribulationum, vt saneris, & viuas. Et ne responderet ei languidus: Non possum, non fero, non bibo: prior bibit medicus sanus, vt bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo, quod ille prior non biberit? Si contumelia, prior audiuit, cum dæmones expelleret: Dæmonium habet, & quod in Beelzebub eijcit dæmonia. Si dolores amari sunt; ligatus, flagellatus, crucifixus est. Si mors amara est, etiam mortuus est. Si genus mortis exhorrescit infirmitas; nihil illo tempore fuit ignominiosius, quàm mors crucis.*

71. *Exurge Domine Deus, in præcepto, quod mandasti; & Synagoga populorum circumdabit te*, aiebat Dauid Psal. 7. S. August. Ruffinus, Remigius, Beda, & S. Thomas verba hæc de humilitatis mandato interpretantur. Bruno autem, & Richardus Pampolitanus de præcepto charitatis. Et sensus est: Exequere tu, Domine Deus, assumpta humana carne illud ipsum præceptum, quod aliis seruandum mandasti: & statim ingens populorum concursus ad te imitandum, tibique obsequendum vndique te circundabit. Ideo Bernardus ait: *Fiducialiter sequor te, Domine, quocumque; & securè incedo viam mandatorum tuorum, sciens quòd per eam præcesseris.*

Ser. 1. de omnibus sanct. 1.

72. *Ego sum via, veritas, & vita*, Dominus dixit Ioan. 14. Vt via hæc, quæ ad cœlestem patriam ducit, compendiaria foret, perfectæ sanctitatis exemplar se nobis Dominus præstitit. *Nam longum ad virtutem per præcepta; breue, & efficax per exempla iter est*: vt bene Seneca pronunciauit. *Socrates viam ad gloriam quasi compendiariam dicebat esse; si quis ita ageret, vt qualis haberi vellet, talis esset.* Ideo si quis virtutis magistrum aliis exhibere se vult, virtute præditum se præstet, oportet. *Facilis ad exhortandum sit ratio, efficax ad suadendum: validiora sunt tamen exempla, quàm verba; & plenius est opere docere, quàm voce*, ait S. Leo Quare cum Isaias c. 30. de Redemptore dixisset: *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*: præceptorem scilicet sanctitatis exemplo prælucentem: statim subdidit: *Hæc est via, ambulate in ea. Sequamur, Domine, te per te, ad te: quia tu es via, veritas, & vita: via in exemplo; veritas in promisso; vita in præmio*, ait Bernardus.

Ep. 108. Exemplo præit viam compendiariam efficax. Cic. 2. de offic. Ser. de S. Laurentio.

Ser. 2. de Ascensione.

73. De Christo Domino prædictum fuit à Dauide Psal. 67. vers. 34. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.* Quid est dare voci vocem virtutis? Est doctrinæ addere exemplum; ita vt ea, quæ docentur, opere ab ipso docente fieri videantur. Hinc Bernardus ad Balduinum Abbatem scribens ait: *Memento voci tuæ dare vocem virtutis. Vt opera tua verbis concinant; immo verba operibus: vt cures videlicet prius facere, quàm docere. Pulcherrimus ordo est, & saluberrimus; vt onus, quod portandum imponis, tu portes prius, & ex te discas, qualiter oporteat alios moderari. Alioquin subsannabit te sapiens, vtpote pigrum illum, cui labor sit manum porrigere ad os. Arguet te & Apostolus dicens: Tu, qui alios doces, teipsum non doces? Sed & notaberis vitio Pharisæorum; qui alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt ea in humeris hominum; digito autem suo nolunt ea mouere. Sermo quidem viuus, & efficax exemplum est operis: facilè facies suadibile, dum monstras factibile, quod suadetur. Ergo in his duobus mandatis, verbi scilicet, atque exempli, summam tui officij ad conscientiæ securitatem pendere intellige.*

Exempli vis præ verbis maxima. Ep. 201. Prou. 26. Ad Rom. 2. Matth. 23.

74. Allusit supra Bernardus ad Salomonis sententiam: *Abscondit piger manum suam sub ascella; nec ad os suum applicat eam. Et laborat, si ad os suum eam conuerterit.* Vbi Gregorius ait: *Desidiosus quisque prædicator nec hoc vult operari, quod dicit: manum enim suam ad os porrigere, est voci suæ opera concordare.* Quare idem Gregorius ad Fundensem Episcopum scribens ait: *In tuis actibus plebi exempla benè viuendi existant. Tua prædicatione, qui litteras nesciunt, quid diuinitus præcipiatur, agnoscant. In Dei timore populum, quemadmodum viuere possit, sui mores instituant. Operibus exerce, quod subiectos doces, & prædicas. Actus tuus aliorum correptionem proficiant: in adiutorium sibi, vitæ tuæ imitationem assumant: sicque te in cunctis operibus exhibe, vt scriptum, conscriptionemque te habeat quicumque aut negligit, aut non potest lectione formari.* Vt talis sit spiritualis magister, qualis à Gregorio expetitur; nempè viua Scriptura, in qua etiam rudes diuinam doctrinam expressam legere possint; oportet, vt *liber sit scriptus intus, & foris*; qualem Ioannes Apoc. 5. vidit. Nimirum, vt virtutis, & sanctitatis impressos characteres non in ore solùm, sed etiam in corde habeat; vt inde foras efficacius prodeant.

Prou. 19. 24 & Prou. 26. 15. 22. Mor. c. 10. Lib. 2. Ep. 32. Opere, & ore à Prælato populus est ad salutem erudiendus.

Prælatus liber sit scriptus intus, & foris.

75. Ecclesiæ, hoc est suorum fidelium congregationi sub Ierosolymæ figura promisit Deus Zach. 2. *Ego ero ei murus ignis in circuitu.* Quomodo Deus assumpta humana carne promissum hoc præstiterit, explicat Gregorius dicens: *Vndique nobis Dominus, & per circuitum murus est; quia vt nos perfectè custodiret, omnia quæ docuit, ostendit; sicut scriptum est: Cœpit Iesus facere, & docere. Quia enim nos vocare ad cœlestem patriam venit; nimirum despicere nos bona transitoria docuit; & mala temporalia non timere. Vnde & opprobria despexit; iniurias pertulit; mortem non timuit; crucis patibulum non refugit: & cum eum voluissent rapere, & regem constituere, statim fugit. Traditorem suum diuinus pertulit; & fictè salutantis dare osculum non recusauit. Post passionem quoque suam, de his qui se crucifixerant, ad fidei gratiam vocauit: donum pro iniquitate reddidit. Qui ergo nos exemplo suo de omnibus instruxit, murus nobis per circuitum, & vndique factus est.* Quare de mystico hoc muro cum Ezechiel vaticinaretur: *Et ecce murus forinsecus in circuitu domus vndique*: Subdidit: *Et in manu viri calamus. Calamus in manu viri esse dicitur; quia Christus Iesus hoc, quod scribi voluit, operando compleuit*, ait ibi Gregorius.

Christus Dominus quomodo murus igneus in circuitu fidelibus fuerit, Hic, & n. sequenti. Hom. 14. in Ezech.

Cap. 40.

76. Ad idem significandum non qualemcumque, sed murum ignis suos erga fideles futurum se Dominus dixit. Ignis ita alios lucet, vt ipse ardeat; talis fuit Christus Dominus sanctitatis magister; talesque Apostolicos viros esse præcipit: nimirum, vt dum alios cœlesti doctrina illuminant, ipsi in se spiritus feruore ardeant. Nam vt benè Bernardus monet: *Est tantùm lucere vanum; tantùm ardere parum: ardere, &*

Act. 1. Ser. de S. Ioan. Bapt.

S. Basilij vox tonitrus fuit, quia eius vita fulgur. Orat. 20. Matth. 5. 19.

lucere perfectum. Talis fuit S. Basilius, de quo A Naxianzenus ait: *Basilij vox erat tonitru, quia vita eius erat fulgur.* Efficaciter voce tonare poterat, cum eius vita cœlesti splendore fulguraret. Hinc meritò Basilius Magni cognomen consecutus legitur; cum Dominus dixerit: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Similiter magni titulo sanctus Domini præcursor Angeli vaticinio est insignitus: *Erit magnum coram Domino.* Fuit enim ex Domini testimonio sanctissimæ vitæ exemplo, & cœlestis doctrinæ prædicatione *Lucerna ardens, & lucens.* Vbi iuxta Bernardum Dominus *non ait lucens, & ardens; quia Ioannis ex feruore splendor, non feruor prodiit ex splendore. Sunt enim, qui non ideo lucent, quia feruent; sed magis feruent, vt lu-* B *ceant. At isti planè non feruent charitatis spiritu, sed studio vanitatis.*

Luca 1. 15. Ion. 5. 35. Ser. de S. Ioan. Bapt.

Ignea lex in dextera quad. uplicem rationem alios instituendi significat.

77. Deut. 33. de Domino dicitur: *In dextera eius ignea lex.* Primò sicut diuinus legislator non in ore, sed in manu, suam habere legem dicitur: ita eam nobis non ore tantùm, sed manu; nempe opere, & exemplo esse prædicandam docuit. Secundò non in qualibet manu, sed in dextera, quæ est ad operandum promptior, & validior, legem habendam esse indicatur. Tertiò diuina lex ignea dicitur; eò quòd cœlestis doctrinæ illuminatio ex charitatis ardore, feruentisquè vitæ exemplo prouenire debeat. Quartò denique ideo dicitur ignea lex esse in Domini manu; quia *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Sunt autem iusti sanctæ vitæ exemplo veluti viua Dei lex, aliis ad imitandum proposita.

Sap. 3.

78. Ecclesiastici 45. de Mose, & de quolibet iusto dicitur, Deus *audiuit eum, & vocem ipsius.* Non solùm iusti vox; sed ipse iustus cum sanctè operatur, à Deo auditur: immò validius per opera, quàm per voces ad Deum clamatur. Quod dicitur respectu Dei, idem respectu hominum fieri debere dicendum est: vt non solùm voce, sed opere, & exemplo audiendum, & imitandum se aliis exhibeat spiritualis vitæ magister, Christi Domini imitator. *Vita iubeat, lingua persuadeat,* ait S. Athanasius ad monachos. Quomodo sanctæ vitæ exemplo obedientiam docuerit Abraham, Isaac patientiam, Iacob laborum D tolerantiam, Ioseph pudicitiam, Moses mansuetudinem, Iosue constantiam, Samuël benignitatem, Dauid misericordiam, & humilitatem, pluribus ostendit Gregorius in Exech. lib. 2. hom. 15.

Vita exemplaris iubeat lingua persuadeat. Virtutum multiplicis exempla sanctorum.

Galli intelligentia, cur à Iob celebretur. Gregorius Supra.

79. *Quis dedit gallo intelligentiam?* dicitur Iob 38. Vbi quæritur quæ tanta sit gallo intelligentia, vt ea diuina voce celebretur? Respondet idem Gregorius: *Quia cum iam edere cantus parat, prius alas excutit, & semetipsum feriens vigilantiorem reddit. Quod patenter cernimus; si sanctorum vitam vigilanter videmus. Ipsi quippe cum verbum prædicationis mouent, prius se in sanctis actionibus exercent; ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce: sed ante se per sublimia facta excutiunt; & tunc ad benè agendum alios sollicitos* E *reddunt. Prius cogitationum alis seipsos feriunt; quia quidquid in se inutiliter torpet, sollicita inuestigatione deprehendunt, & distincta animaduersione corrigunt. Prius sua punire fletibus curant; & tunc, quæ aliorum sunt, punienda denunciant. Prius ergo alis insonant, quàm tantas mittant; quia antequam verba exhortationis proferant, omne, quod locuturi sunt, operibus clamant: & cum perfectè in semetipsis vigilent, tunc dormientes alios ad vigilias vocant.* Gregorio consonat ethnicus A Poëta dicens: *Si vis me flere, dolendum est ante tibi.*

Horatius in arte.

Tubæ argenteæ ductiles spiritualiū magistrorum Symbolū.

80. Num. 10. legitur: *Locutus est Dominus ad Moysem dicens: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem.* Hæ tubæ, iuxta SS. Patres, spiritualis vitæ magistros mysticè significant. Argenteæ autem, & ductiles hæ tubæ esse debent; argenteæ ob cœlestis doctrinæ nitorem; ductiles ob mortificationis, & laboris tolerantiam; quam, antequam aliorum auribus insonent, vitæ exemplo proferre debent: *Idcirco argenteæ fieri præcipiuntur,* ait Gregorius, vt *prædicatorum verba lucis nitore pateant; & audientium mentes nulla sui obscuritate confundant. Idcircò autem ductiles; quia necesse est,* B *vt hi, qui venturam vitam prædicant, tribulationum præsentium tunsionibus crescant.* Ærumnarum tunsionibus, veluti mallei ictibus in ductiles tubas creuerunt Apostoli; & ideo *in omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum.*

Supra.

Ps. 18. 5.

Eloquium Domini, non æri, sed argento igne examinato, & à terra sordibus septuplicites purgato simile sit.

81. Quod diuina lex non verbo solùm, sed immaculatæ simul vitæ exemplo docenda sit, egregiè etiam significauit Dauid Ps. 11. dicens: *Eloquia Domini, eloquia casta; eloquia pura* iuxta Hieronymum: *argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Dicuntur diuina eloquia esse veluti argentum igne examinatum, & septuplum purgatum; debent enim eloquia diuina ita proferri, vt ex ignito charita- C tis ardore corde prodire videantur: vbi non semel, sed septuplum, hoc est sæpius purgata nihil terrenum retineant; & propterea dicuntur esse veluti argentum probatum terræ, idest separatum à terra, vt Hieronymus legit. Argentum gratum auribus sonum reddere nequit, nisi prius per ignem purgata ærugine à sordibus omnibus emundetur. Similiter spiritualis magister, vt sua voce, cœlestiquè eloquio benè auditorum auribus insonet; prius spiritualibus sordibus expurgatis, immaculatæ vitæ exemplo relucere debet. Eiiciuntur autem spirituales sordes cœlesti charitatis igne; de quo Dominus dixit: *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi vt accendatur?* Eiiciuntur sordes igne illo, quo incensi D pii illi viatores cum Domino collocuti dixerunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via? Bonus ignis, qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola peccata. Hoc igne illud morum, vel operum examinatur argentum. Hoc igne pretiosi illi lapides illuminantur; fœnum autem, & stipula consumitur. Mundat ergo hic ignis animum, & consumit errorem. Accende hunc primùm ignem in mentibus tuis, vt Christi tibi lumen affulgeat:* ait Ambrosius. *Quid scoria ad argentum?* ait Augustinus. Quid prauatum operationum exemplo ad Euangelicæ legis doctorem, qui verbo alios instruere debet? *Qui vitiorum bello subiacent, nequaquam per prædicationis vsum præesse magisterio cæteris debent,* ait Gregorius.

Hic, & in sequent.

Luca 12. 49.

Luca 24.

Ambros in illud Ps. 118. 140.

August l. 1. ad Crescon. c. 59. 21. Moral. c. 12.

E 82. Præterea argento, non æri, Dei eloquia comparantur: argentum enim si æruginosum sit, dissonum sonum reddit, vt diximus: æs autem licet æruginem contrahat, adhuc suum sonum reddere potest. Ideo Apostolus ait. *Si charitatem non habuero, factus sum velut æs sonans.* Idest si per charitatis ardorem, prauatum operationum æruginem non reliquero, & sic alios docuero; *factus sum velut æs sonans;* non vt *argentum septuplum purgatum,* qualis ministra diuini eloquii lingua esse debet.

1. ad Cor. 13.

83. De Redemptore Matthæus Euangelista

Docet tam quam potestatem habens, qui verba operibus comprobat.

Gregor. 2. Mor. c. 13. 1. ad Timot. c. 4. v. 11. & ad Titum c. 2. v. 15.

c. 7. *Erat docens, sicut potestatem habens.* Dici potest hanc docendi potestatem; seu auctoritatem suis in verbis Christum prætulisse, quia dicta miraculis confirmabat. Sed ad rem nostram Gregor. huius in docendo potestatis rationem aliam reddit, dicens: *Quod discipulo Paulus ait: Præcipe hæc, & doce cum omni imperio: non dominationem potentiæ, sed auctoritatem suadet vitæ. Cum imperio quippe docetur, quod prius agitur, quàm dicatur. Nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Non ergo ei potestatem elatæ locutionis, sed bonæ fiduciam insinuauit actionis. Vnde etiam de Domino scriptum est: Erat docens sicut potestatem habens; non sicut Scribæ, & Pharisæi. Singulariter namque, ac principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit.*

84. Exod. 28. Mosi præcepit Deus: *Facies vestimenta sancta Fratri tuo Aaron, & filijs eius; vt sacerdotio fungantur mihi.* Quod cum Moses Leuitici 8. exequeretur, *Vestiuit Pontificem, & desuper humerale imposuit; quod adstringens cingulo aptauit Rationali, in quo erat Doctrina, seu manifestatio, & Veritas,* idest lapides, per quorum fulgorem manifestabatur sacerdoti diuinum beneplacitum, ait Lyranus. *Non est ignorandum,* ait Theodoretus, *Dominum sapientissimum per signa corporea studuisse commodo eorum, qui crassioris adhuc erant ingenij, nec ad ea, quæ intellectualia sunt, peruenire poterant.* Sacerdotalium ergo vestium mystica significatio erat; vt cum sacerdos operum sanctitate, & verborum sapientia populum instruere deberet, vitæ sanctitas verba præcederet. Superhumerale enim operationem, Rationale verò sapientiam significabat. *Ipse ordo rerum, quàm sanctus sit, & quàm mirabilis inuenire,* ait Origenes, *Non antea Rationale, & postea humerale; quia non antea sapientia, quàm opera, sed prius opera haberi debent, & postea quærenda sapientia est. Tum deinde non antea manifestatio, quàm Rationale; quia non ante alios docere, quàm nos instructi, & rationabiles esse debemus. Super hæc autem adduntur veritas, quia veritas est summa sapientia. Denique Propheta hunc eumdem ordinem seruat, cum dicit: Seminate vobis ad iustitiam, & metite fructum vitæ; illuminate vobis lumen scientiæ. Vides quomodo non dicit primò: Illuminate vobis lumen scientiæ; sed primò: Seminate vobis ad iustitiam. Et non sufficit seminare; sed metite, inquit, fructum vitæ; vt post hæc possitis implere quod sequitur: Illuminate vobis lumen scientiæ.*

Iuxta 70.

In Ex. 28. v. 60.

Sacerdotis vestes bona opera præcedere, verbi deinde subsequi debere indicabant.

Hom. 6 in Leuit.

Oseas c. 10. iuxta 70.

85. Ad idem significandum; quod scilicet, sicut suo nos Dominus exemplo docuit; ita Apostolici viri suo alios exemplo docere debent; ita vt vnusquisque cum Apostolo dicere possit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi:* Exodi 28. Mosi præcepit Deus: *Stringatur Rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina; vt à se inuicem Rationale, & superhumerale nequeant separari. Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in Rationali iudicij super pectus suum.* Vbi notandum est primo, arctum nexum inter superhumerale significans opera, & Rationale iudicii significans sermonem esse debere: Rationale iudicii significans sermonem esse debere: Rationali enim indutus sacerdos, Dei sententiam, & oraculum populo enunciabat; ideoque Rationale iudicii dictum est. 2. vt notat Gregorius: *Diuina voce præcipitur, vt in Aaron pectore Rationale iudicij vittis ligantibus imprimatur; quatenus sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxa*

1 ad Cor. 11.

Rationale cum superhumerali adstringendum: verba bonis operibus socianda indicabat.

Gregor. 2. par. past. c. 2. & lib. 1.

possideant; sed ratio sola constringat; ne indiscretum quid, vel inutile cogitet; qui ad exemplum constitutus, ex grauitate vitæ semper alijs debet ostendere quantùm in pectore rationem portet. In quo etiam Rationali vigilanter adiungitur, vt duodecim nomina Patriarcharum describantur: adscriptos etenim Patres semper in pectore ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla Patrum præcedentium indesinenter intuetur; cum Sanctorum vestigia sine cessatione considerat; & cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem operis pedem tendat. Similiter Beda ait: *Tres ob causas Aaron nomina Patriarcharum inter sacrificia semper in humeris, sicut & in pectore portabat; videlicet, vt ipsorum fidem, vitamque Patriarcharum meminisset imitari: vt duodecim tribuum, quæ de his natæ sunt, orationibus, & sacrificijs memor existeret: vt ipse populus scripta in veste præsulis sui Patrum nomina videns, curaret sedulò, ne ab illorum meritis desciscens ad errorum confugia declinaret.*

Ep. 24.

Beda de Templo c. 4.

Sacerdos triplici ex causa duodecim Patriarcharum nomina in pectore gestabat.

86. Ad idem significandum citato Exodi loco num. 31. 32. 33. de sacerdotis veste etiam præcipitur: *Facies & tunicam superhumeralis totam hyacinthinam: deorsum ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies mistis in medio tintinnabulis.* Primò tunica hæc hyacinthina, nempe cærulei coloris erat; vt sacerdos se cælesti colore indutum intuens, animum ad cælestia subleuaret iuxtà Theodoretum. Secundò ab extrema vestis huius ora tintinnabula pendebant: nam, vt Hieronymus ait: *Tanta debet esse scientia, & eruditio Pontificis Dei; vt & gressus, & motus, & vniuersa vocalia sint: veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet, & ornatu; vt quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum: absque tintinnabulis enim, & diuersis coloribus, & gemmis, floribusque virtutum nec sancta ingredi potest, nec nomen Antistitis possidere.* Similiter Gregorius 2. p. pastor. c. 4. & lib. 1. Ep. 24. ait: *Aptè tintinnabula vestimentis illis describuntur inserta. Vestimenta etenim sacerdotis quid aliud, quàm recta opera debemus accipere, Propheta attestante, qui ait: Sacerdotes tui induant iustitiam? Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent; vt vitæ viam cum linguæ sonitu ipsa quoque bona opera clament sacerdotis.*

Sacerdotis tunica tota hyacinthina: & in extrema ora tintinnabula, & mala punica habebat. Hier. Ep. ad Fab. & a. sequens.

Psal. 131.

87. Porrò in sacerdotali veste mala punica iuxta Bedam multifariam virtutum operationem vno charitatis munimine tectam designantia tintinnabulis coniungebantur; vt mysticè significaretur, neque sacerdotis opera à linguæ sonitu dissentire; neque linguæ sonitum ab eiusdem operibus discordem vnquam esse debere. Plura in hanc sententiam disserit Hieron. Ep. ad Fabiolam de veste sacerdotis.

in Exodi

88. *In lingua sapientia dignoscitur, & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati,* ait Ecclesiasticus: subdit deinde: *Et firmamentum in operibus iustitiæ. Quia doctrina bona confirmatur per opera bona docentis,* ait Lyranus. Hinc salutare monitum immediatè post addit Sapiens: *Non contradicas verbo veritatis.* Quod monitum tum ad docentem, tum ad audientem dirigitur. Ad docentem scilicet, ne veræ doctrinæ, quam verbis docet, operibus contradicat. *Ne exemplo destruas verbum,* ait Primasius. Similiter Hieronymus Ep. 2. ad Nepotianum: *Non confundant opera tua sermonem tuum; vt cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno*

Cap. 4. 24.

Bene docens & male operans veritati verbo contradicit.

In Ep. ad Titum 2.

ventre de ieiuniis disputat. Accusare auaritiam latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. Similiter Gregorius in c. 28. Iob sub finem: *Lex est prædicatoribus posita, vt impleant, quod loquendo suadere festinant. Nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur. Illa vox cor audientis penetrat, quæ hoc, quod sonuerit, opere confirmat.* Cassiodorus lib. 11. Ep. 8. *Non potest auctoritatem habere sermo, qui non iuuatur exemplo; dum iniquum sit bona præcipere, & talia non fecisse.* Idem lib. 5. Ep. 21. *Age, ne tua tibi obiiciatur oratio; quia pondus est pudoris grauissimi propria voce conuinci.*

Pascua fidelibus danda sunt bona opera verbis associata.

89 De fidelium grege Dominus ait Ioan. 10. 9. *Ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Quæ sint hæc pascua optimè sic explicat Gregor. 1. p. past. c. 3. *Sic pastor operatione præcipuus, & vitæ viam subditis viuendo denunciet: & grex, qui pastoris vocem, moresque sequitur, per exempla melius, quàm per verba gradiatur. Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat: & optima ouium pascua sunt exempla pastoris.* Hæc sancti exempli pascua, siue domi inspiciatur, siuè foras prodeat, suo exhibere gregi Apostolicus pastor debet: ideo de eius grego dicitur: *Ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Hinc ei, qui aliis præest, rectè apud Cassiodorum lib. 11. Ep. 6. dicitur: *Latere non potest, quod intra cancellos egeris: tenes quippe lucidas fores, claustra patentia: & quamuis studiose claudas, necesse est, vt te cunctis aperias; nam si foris steteris, meis emendaris obtutibus; si intro ingrediaris, obseruantium non potes declinare conspectus. Vndique conspiceris, qui in illa claritate versaris.*

Prælatus domi, forisque bono exemplo præluceat. Prælatus vbique inuentium oculis subiectus.

90. Rursus cum citatus Ecclesiasticus ait: *Non contradicas verba veritatis;* tale monitum dirigitur etiam ad audientem; ne sanæ doctrinæ operibus confirmatæ contradicens, se planè rationis expertem ostendat. Nam, vt benè Chrysostomus ait: *Hæc est ratiocinatio, cui contradici non potest, quæ fit per facta.* Similiter Augustinus ait: *Vt obedienter audiatur concionator, quantacunque granditate dictionis maius pondus habet vita dicentis.* Cum diuinam legem ab hominibus pluribus non seruari Dauid tactus dolore cordis intrinsecus cerneret; vt eos ad salutem reuocaret, non tam ad verba, quàm ad opera confugiendum esse dixit: *Tempus faciendi, Domine; dissipauerunt legem tuam.* Tempus faciendi dixit, non loquendi; vt boni exempli efficacitatem maiorem præ verbis ostenderet.

Prædicatoris vitæ, quàm vocis efficacitas maior.
Hom. 3. in 1. ad Cor.
Lib. 4. de doctrina Christiana cap. 27.
Psal. 118. 126.

91. Paulus Apostolus ad Timoth. scribens ait: *Exemplum esto fidelium in verba, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate.* Et ad Titum c. 2. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.* Et Apost. Petrus Ep. 1. c. 5. Ecclesiarum pastorem sui gregis formam esse debere monet. His omnibus in locis pro forma, vel exemplo in Græco textu satis aptè legitur *typus*. Similiter 1. ad Thessalon. c. 1. vbi dicitur: *Vos imitatores nostri facti estis, & Domini, ita vt facti sitis forma credentibus.* Græcè legitur: *Facti sitis typi.* Cum enim ad imaginem aliquam imprimendam vtimur typis, eam simul tota non per partes imprimitur: Contra verò si ad eamdem describendam calamum, vel linguam quasi calamum adhibeamus, successiua temporis mora opus est. Similiter vitæ sanctitas veluti typis vtens, virtutum imaginem animis imprimit; quam prosectò imaginem minus efficaciter, & longo temporis interuallo auditoribus lingua repræsentaret. Cum igitur ad imitandum veluti sanctitatis typus, & exemplar Apostolicus vir aliis constituatur, hinc benè eum monet Hieronymus: *In te omnium oculi diriguntur; domus tua, & conuersatio tua, quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ; quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Caue, ne committas, quod, qui reprehendere volunt, dignè laborasse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere.* Ideo Apostolos cum ad Corint. scribens dixisset: *Imitatores mei estote:* subditur: *Sicut & ego Christi.* Qui enim aliis imitandus proponitur, prius ipse vitæ sanctitate Christi Domini imitator esse debet. Ideo S. Dionysius Areopagita Sacerdotes, qui populo prælucere debent exemplo, instar pellucidi crystalli solari luci expositi esse debere dixit: sicut enim Crystallum, vt in proxima loca incidentes solis radios reflectat, eos in se recipit: ita sacerdotes sanctitatis lucem præhabere debent, vt eam postea in proximos diffundant. Citata ad Timoth. Epistola cum dixisset Apostolus: *Exemplum esto fidelium in verba;* vt verbum, quo alii instruuntur, efficax sit, loquentis sanctitate, vitæque irreprehensibilis exemplo esse comprobandum significauit Apostolus subdens: *Attende tibi: hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Hinc benè S. Bernardus ad Eugenium Pontificem scribens ait: *Quatuor tibi consideranda sunt: te, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te. A te tua consideratio incohet, ne frustra extendaris in alia, te neglecto. Quid tibi prodest, si vniuersum mundum lucreris, te vnum perdens? Et si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris. Quantùm verò? Vt quidem sentiam ego, totum. Noueris licet omnia mysteria; noueris lata terræ, alta cæli, profunda maris; si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam, non structuram facias. Quidquid extruxeris extra te, erit instar congesti pulueris ventis obnoxium.*

Epist. 1. c. 4. 12.

Typis, quàm calamo vago celerius exprimitur. Calamus lingua est, typus vitæ exemplum.

Hieron. in epitaphio ad Nepotian.

1. ad Cor. 4. & c. 11. Sacerdos instar pellucidi Crystalli populo sit.

Bern. lib. 2. de Consideratione. Prælatus se, quæ sub se, circa se, supra se, considerare debet.

92. In Cantic. c. 6. ait Lyranus: *Tribus Iudæ, secundùm omnes Doctores Hebræos, & Latinos, meruit dignitatem regiam in transitu maris rubri. Nam aliis tribubus formidantibus Moysen sequi per mare diuisum; tribus Iuda, cuius Princeps erat Aminadab, secuta est Moysen, & aliis constantiæ dedit exemplum.* Ideo Ecclesiæ Christi sponsæ vox illa est: *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Vnusquisque enim in sancta Ecclesia pastor constitutus vehementer turbari, ac timere debet; ne, quia aliis ipse ad Dei ductum in Promissionis terram, hoc est in cœlestem patriam sequendum exemplo non præeat; fidelium populum ipsi commissum à Pharaonis, hoc est diaboli tyrannide non liberet.

Tribus Iudæ, quia tribubus aliis in transitu maris rubri exemplo præluxit, Principatum meruit.
Cant. 6.
Prælato est valde timendum, si aliis exemplo non præeat.

93. Ad extremum accuratè notandum est, sicut valdè meritorium, & commendabile est bonorum operum exemplo alios ad sanctæ vitæ imitationem allicere; ita valdè demeritorium, & damnabile esse aliis peccandi exemplum prauis operibus exhibere. Patet hoc Ioan. 18. 22. vbi legitur: *Vnus adsistens ministrorum dedit alapam Iesu. Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem benè quid me cædis?* Vbi quæritur cur Dominus questus sit de hac alapa, cum de eo vaticinatus sit Ieremias Thr. 3. *Ponet in puluere os suum: dabit percutienti se maxillam?* Quod Theodoretus explicans ait: *Ita cecidit, ac si os terra oppletum haberet.*

Quod quidem silentium, cum ab aliis sæpius alapis cæderetur, patientissime seruauit, vt habetur Ioan. 19. *Veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudaeorum, & dabant ei alapas.* Et Matth. 26. vers. 67. *Colaphis eum caeciderunt: alii autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit?* Respondetur, impium illum ministrum, cùm primus ausus fuerit diuinam Redemptoris faciem alapa percutere, cæteris sacrilegum percutiendi Dominum exemplum præbuisse; & propterea eum potius, vt maximè damnabilem, quàm alios, sacrilegi sceleris Dominum arguere voluisse.

Prauum exemplum quàm nocuum, & damnabile. Christus cur contra ministrum alapa eum, non cæ- dentem, & non contra alios eum percutientes questus fuit.

94. Alio ex capite, qui aliorum prauum exemplum sequuntur, Dei indignationem, & A grauius supplicium timere debent. Nam apud Danielem legimus Baltassarem Assyriorum regem, sua ob scelera regno priuatum, statim repentina morte punitum fuisse; contra verò eius patrem Nabuchodonosorem post suorum scelerum datas pœnas, regno fuisse restitutum. Respondet ad id Theodoretus: *Nabuchodonosor alterum impietatis pœnas luisse non conspexerat; ideirco dignum venia iusto Dei iudicio existimatum: Sed Baltassar summum patris supplicium suspicatus, nihil inde percepit vtilitatis. Iure ergo iustus index illi definito tempore supplicium præscripsit; istum autem nulla venia dignum censuit.* Qui igitur aliorum prauum exemplum sunt imitati, aliis inflictas pœnas considerantes, quantocyus resipiscentes ad pœnitentiam reuocentur.

Nabuchodonosor cur pœnitentiæ tempus habuit, regnoque est restitutus, Baltassar verò regno priuatus, & morte punitus.

Plura de prauo, bonoque exemplo dicta sunt feria 3. post Dom. 2. in illa de Pharisæis verba:
Dicunt, & non faciunt.



DEVS.

DIABOLVS.

E

EVCHARISTIA.

F

G

H

PECCATORES, PECCATA.

Q

R

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

PRIMVS NVMERVS FERIAM, SECVNDVS DOMINICAM, TERTIVS MARGINALEM NVMERVM INDICAT.

Ex Genesi.

Dom. 4.16. Fer. 6. Dom. 4.60 Dom. paſſ. 76. & ſequentibus: Fer. 5. Dom. paſſ. 100. & 126 Fer. 5. mai. hebd. 32.

c. 18. Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus eſt; & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me opere compleuerint; an non eſt ita, vt ſciam; Fer. 3. Dom. 4. 33.

c. 18. Conuerterunt ſe inde, & abierunt Sodomam; Abraham verò adhuc ſtabat coram Domino. Dom. paſſ. 79.

c. 19. Percuſſerunt cæcitate à minimo vſque ad maximum. Fer. 5. Dom. 4. 23.

c. 19. Quæſo, Domine mi, quia inuenit ſeruus tuus gratiam coram te. Dixitque ad eum: Ecce in hoc ſuſcepi preces tuas. Dom. paſſ. 78.

c. 21. Viſitauit Dominus Saram, ſicut promiſerat. Fer. 5. Dom. 4. 47.

c. 21. Dixit Sara: Riſum mihi fecit Deus. Fecit Abraham grande conuiuium in die ablactationis Iſaac. Fer. 5. Dom. paſſ. 2. & 3.

c. 21. Leuauit vocem ſuam, & fleuit. Fer. 6. Dom. 3. 82.

c. 21. Aperuit oculos eius Deus; quæ videns puteum aquæ abiit, & impleuit vtrem, deditque puero bibere. Fer. 6. Dom. 3. 10. & 81.

c. 21. Abraham plantauit nemus in Berſabee; & inuocauit ibi nomen Dei æterni. Dom. 4.6.

c. 22. Tentauit Dominus Abraham, & ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac; & vade in terram viſionis; atque ibi offeres eum in holocauſtum. Ecce Angelus Dei de cœlo clamauit dicens: Nunc cognoui, quòd times Deum; & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me: Fer. 4 Dom. 3. 38. Fer. 5. Dom. paſſ. 131. Sab. poſt Dom. paſſ. 90.

c. 22. Abraham vidit arietem inter vepres hærentem cornibus; quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. Dom. paſſ. 74.

c. 22. Quia feciſti hanc rem; & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me; benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. Dom. paſſ. 80.

c. 22. Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli. Sabb. poſt Dom. paſſ. 112.

c. 24. Pone manum tuam ſubter femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cœli, & terræ; vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum. Dom. paſſ. 81.

c. 24. Cum camelos feciſſet accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ, orauit Dominum dicens: Ecce ego ſto prope fontem aquæ effundens hydriam in canalibus. Fer. 6. Dom. 3. 11. & 13.

c. 24. Palearum, & fœni plurimum eſt apud nos: locus ſpatioſus eſt ad manendum. Fer. 5. mai. hebd. 33.

c. 25. Collidebantur in vtero matris paruuli. Fer. 3. Dom. 3. 59.

c. 27. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei. Fer. 5. mai. hebd. 28.

c. 28. Non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli. Sab. poſt Dom. paſſ. 47.

c. 32 Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane. Fer. 3. Dom. paſſ. 6.

c. 32. Qui cum videret, quòd eum ſuperare non poſſet. Dom. paſſ. 37.

c. 35. Dederunt ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum: & ille infodit ea ſubter Terebinthum, quæ eſt poſt vrbem Sichem. Fer. 4. Dom. 4. 50.

c. 37. Audite ſomnium meum, quod vidi. Putabam nos ligare manipulos in agro; & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum. Reſponderunt fratres eius: Numquid rex noſter eris, & ſubiiciemur ditioni tuæ. Hæc ergo cauſa ſomniorum, atque ſermonum inuidiæ fomitem miniſtrauit: Fer. 2. Dom. 3. 11. Dom. paſſ. 37. Sab. poſt Dom. paſſ. 8.

c. 37. Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare me. Fer. 4. Dom. 3. 9.

c. 37. Cum fratres eius in paſcendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Iſrael: Fratres tui paſcunt oues in Sichimis, veni, & mittam te ad eos. Quo reſpondente: Præſto ſum: ait ei: Vade. Fer. 6. Dom. 3. 5.

c. 37. Frater, & caro noſtra eſt. Dom. palm. 19.

c. 38. Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac: Fer. 4. Dom. 3. 66.

c. 39. Ioſeph gubernabat creditam ſibi domum: Nec Ægyptius quidquam aliud nouerat, niſi panem, quo veſcebatur. Fer. 4. Dom. 3. 2. Fer. 2. mai. hebd. 26.

c. 39. Huiuſmodi verbis per ſingulos dies & mulier moleſta erat adoleſcenti, & ille recuſabat ſtuprum. Fer. 6. Dom. 3 110.

c. 40. Memento mei, vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere. Fer. 6. Dom. 4. 3.

c. 40. Tres adhuc dies ſunt, poſt quos auferet Pharao caput tuum, & ſuſpendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas. Fer. 4. Dom. 3. 11.

c. 41. Pharao fecit eum ſedere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent. Sabb. poſt Dom paſſ. 57.

c. 41. Omnes prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent eſcas, & malum inopiæ temperarent. Dom. 4. 31.

c. 43. Ponite panes. Sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita ſua, & minimus iuxta ætatem ſuam. Fer. 4. Dom. 3 2. & Fer. 5. Dom. paſſ. 126.

c. 44. Præcepit Ioſeph diſpenſatori: Scyphum meum argenteum ponite in ore ſacci iunioris. Dom. paſſ. 95.

c. 47. Iacob cum appropinquare cerneret diem mortis ſuæ, vocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum ſub femore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis; & auferas me de terra hac condaſque in ſepulchro maiorum meorum cui reſpondit Ioſeph: Ego faciam quod iuſſiſti. Et ille: Iura ergo, inquit, mihi. Quo iurante adorauit Iſraël Deum. Fer. 5. Dom. 4. 21.

c. 48. Do tibi partem vnam extra fratres tuos; quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo. Fer. 6 Dom. 3. 5.

c. 49. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium filiorum meorum: iuxta ſeptuaginta interpretes, Sab. poſt Dom. paſſ. 11.

c. 49 Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt.

c. 15. Descenderunt in profundum quasi lapis. Fer. 6. Dom. 3 7.
c. 15. Ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Sab. post Dom. pass. 75. & Fer. 4. Dom. 4. 30.
c. 16. Quando sedebamus super ollas carnium. Fer. 5. Dom. 3. 13.
c. 16. Colligebant mane singuli quantum sufficere poterat ad vescendum; cumque incaluisset sol, liquescebat. Fer. 5. Dom. 3. 49.
c. 16. Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficiat ad vescendum, gomor per singula capita. Collegerunt alius plus, alius minus; & mensi sunt ad mensuram gomor; nec qui plus collegerat, habuit amplius; necqui minus parauerat, habuit minus. Fer. 3. Dom. 4. 24.
c. 19. Vade ad populum, & sanctifica illum hodie, & cras lauentque vestimenta sua. Fer. 5. mai. hebd. 51.
c. 19. Iamque aduenerat tertius dies, & mane inclaruerat: & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementer perstrepebat. ibidem. 21.
c. 20. Locutus est Dominus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis: Non habebis deos alienos coram me. &c. Sab. post Dom. pass. 92.
c. 20. Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Fer. 4. Dom. 3. 8.
c. 20. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios vsque ad tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me. Fer. 2. Dom. 4. 26. & 27. Fer. 4. Dom. 4. 5. 13. & 14.
c. 20. Faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. ibidem. 14.
c. 20. Vos vidistis, quòd de cœlo locutus sum vobis. Dom. pass. 14.
c. 21. Et Leuitici c. 20. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. Patri, matrique maledixit, sanguis eius sit super eum. Fer. 4. Dom. 3. 8.
c. 23. Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes ibidem. 76.
c. 23. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paraui: obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes; quia non dimittet, cum peccaueris. Fer. 3. Dom. pass. 70.
c. 23. Non inibis cum eis fœdus: non habitent in terra tua; ne forte peccare te faciant in me. Fer. 3. Dom. 3. 38.
c. 23. Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. Fer. 5. Dom. 3. 54.
c. 25. Iuxta lectionem Chrysostomi: Auditum vanum ne accipias. Fer. 3. Dom. 4. 33.
c. 25. Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Facient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum. Fer. 3. Dom. 3. 54.
c. 25. Facies lucernas septem, & pones eas super candelabrum, vt luceant ex aduerso. Emunctoria quoque, & vbi ea, quæ emuncta fuerint extinguantur, fiant de auro purissimo. Fer. 4. Dom. 4. 47.
c. 27. Facies in vsus eius forcipes, atque fuscinulas; omnia vasa ex ære fabricabis. Fer. 3. Dom. 3. 11.
c. 28. Facient vestimenta sancta fratri tuo Aaron, & filiis eius, vt sacerdotio fungantur mihi: stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina. Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in rationali iudicii super pectus suum. Fer. 5. mai. hebd. 84. & 85.
c. 28. Facies & tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, deorsum ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies mistis in medio tintinnabulis. Ibidem. 86. & 87.
c. 29. Facies in altari decimam partem similæ conspersæ oleo tuso. Fer. 2. Dom. palm. 10.
c. 30. Missa aqua, lauabunt in ea Aaron, & filii eius manus suas, ac pedes. Fer. 5. Dom. pass. 121.
c. 30. Adolebit incensum super eo Aaron suaue flagrans mane; quando componet lucernas, incendet illud. Fer. 6. Dom. pass. 9.
c. 32. Siquis Domini est, iungatur mihi. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium suum super femur suum: ite, & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Feceruntque filii Leui iuxta sermonem Moysi; cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum. Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino. Fer. 4. Dom. 3. 30.
c. 32. Sedit populus manducare, & bibere. Fer. 5. Dom. pass. 126.
c. 32. Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Dom. pass. 28.
c. 32. Fecerunt sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias dixerunt: Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Fer. 3. Dom. pass. 1.
c. 33. Non videbit me homo, & viuet. Sab. post Dom. pass. 10.
c. 33. Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Fer. 5. Dom. 3. 69.
c. 33. Tollens Tabernaculum tetendit extra castra procul. ibidem.
c. 33. Ego ostendam omne bonum tibi. Domin. 4. 20.
c. 34. Esto paratus mane, vt ascendas statim in montem Sinai. Moyses de nocte consurgens ascendit in montem Sinai. Fer. 5. Dom. pass. 27.
c. 34. Qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus in tertiam, & quartam progeniem. Fer. 4. Dom. 4. 5. 10. & 21
c. 34. Impletis sermonibus posuit velamen super faciem suam. Sab. post Dom. 4. 28.
c. 34. Esto paratus mane, vt ascendas statim in montem Sinai; stabisque mecum super verticem montis: nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam super verticem montis. Fer. 5. Dom. 3. 66.

EX LEVITICO.

c. 2. Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit oblatio; fundetque super eam oleum, & ponet thus. Fer. 2. Dom. 4. 31.
c. 4. Offeret hostiam Domino hircum de capris immaculatum; ponetque manum suam super caput eius: cumque immolauerit eum in loco,

EX LIBRO NVMERORVM.

c. 14. Scietis vltionem meam. Sab. post n. 4. 44.
c. 15. Dixit Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israël, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas. Fer. 6. Dom. 3. 24.
c. 15. Cum inuenissent hominem colligentem ligna die Sabbati, dixit Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste: Obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. Dom. pass. 89.
c. 16. Dirupta est terra sub pedibus eorum; & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum; descenderuntque viui in infernum operti humo. Fer. 2. Dom. 3. 7. Fer. 3. Dom. pass. 44.
c. 16. Viri proceres Synagogæ. Fer. 4. n. 4. 53.
c. 16. Murmurauit omnis multitudo filiorum Israël contra Moysen, & Aaron dicens: Vos interfecistis populum Domini. Fuerunt, qui percussi sunt quatuordecim millia hominum, & septingenti. Fer. 5. Dom. pass. 70.
c. 17. Moyses egressus inuenit germinasse virgam Aaron: & turgentibus gemmis eruperant flores; qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt. Fer. 4. Dom. 3. 55.
c. 20. Domine Deus, audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ. Fer. 6. Dom. 3. 52. Dom. pass. 18.
c. 20. Audite rebelles, & increduli. F. 3. D. pass. 11.
c. 21. Ex eo loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysen. Tunc cecinit Israel carmen istud: Ascendat puteus: concinebant: Puteus, quem foderunt Principes. Fer. 6. nom. 3. 12.
c. 21. Cur eduxisti nos de Ægypto, vt moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes. Fer. 3. Dom. pass. 52. & 54. & 60.
c. 22. Aperuit Dominus os asinæ, & locuta est. Fer. 6. Dom. pass. 10.
c. 24. Dixit homo, cuius obturatus est oculus: Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab; vastabitque omnes filios Seth. Fer. 6. Dom. pass. 11
c. 28. Offeretis decimam partem Ephi similæ, quæ cõspersa sit oleo purissimo. F. 2. n. palm. 10.
c. 28. Mense primo quartadecima die mensis Phase Domini erit; & quartadecima die solemnitas. Septem diebus vescentur azymis. Offeretis vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem. Ita facietis per singulos dies septem dierum. Fer. 5. mai. hebd. 4. & 10.
c. 31. Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Vlciscere prius filios Israël de Madianitis; & sic colligeris ad populum tuum. Fer. 3. D. 3. 5.
c. 36. Omnes viri ducent vxores de tribu, & cognatione sua; cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient; vt hæreditas permaneat in familiis. Fer. 5. nom. 3. 9.

EX DEVTERONOMIO.

c. 1. Quod iustum est iudicate. Nulla erit distantia personarum: ita paruum audietis, vt magnum; nec accipiatis cuiusquam personam. Fer. 3. Dom. 4. 22.
c. 4. Vt scires, quoniam Dominus ipse est Deus. Fer. 6. Dom. 3. 119. Sab. post nom. 4. 44.
c. 4. Testes inuoco hodie cœlum, & terram. Fer. 3. nom. 3. 41.
c. 4. Deus tuus ignis consumens est. Dom. pass. 94. Fer. 4. nom. pass. 6. Fer. 5. num. pass. 10. Sab. post Dom. pass. 7.
c. 5. Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam, & quartam generationem, his, qui oderunt me: faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, & custodientibus præcepta mea. Fer. 4. Dom. 4. 5. & sequent. & 14.
c. 5. Tu verò hic sta mecum. Fer. 5. D. pass. 64.
c. 8. Dominus Deus ductor tuus fuit in solitudine magna, atque terribili; in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas, & nullæ omnino aquæ. Fer. 6. num. 3. 51.
c. 8. Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum; vt affligeret te, atque tentaret. Vt recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te. Fer. 6. nom. 4. 12.
c. 11. Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit. Fer. 5. mai. hebd. 41.
c. 12. Subuertite omnia loca, in quibus calcauerunt Gentes deos suos. Non facietis ita Domino Deo vestro. Sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocausta, & victimas. Caue, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: sed in eo, quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres hostias. Fer. 6. nom. 3. 89.
c. 15. Fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo accipies mutuum. Fer. 5. Dom. pass. 115.
c. 16. Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem; quoniam in pauore egressus es ab Ægypto; vt memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ. Fer. 5. mai. hebd. 2.
c. 16. Immolabis Phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus. Ibidem. 10.
c. 17. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Fer. 3. nom. pass. 15.
c. 18. Et Actorum Apost. c. 3. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; & ponam verba mea in ore eius; qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam. Dom. 4. 32. Fer. 4. Dom. 4. 67. Sab. post nom. 4. 38. Fer. 5. Dom. pass. 35. Fer. 6. nom. pass. 2. & seq.
c. 19. In ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum. Sab. post nom. 4. 37.
c. 22. Si ambulans per viam in arbore, vel in terra nidũ auis inueneris; & matrem pullis, vel ouia desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis; sed abire patieris, captos tenens filios; vt bene sit tibi, & longo viuas tẽpore. F. 4. n. 3. 8.
c. 22. Non arabis in boue simul, & asino. nom. palm. 19.
c. 24. Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro fratribus: sed vnusquisque pro peccato suo morietur. Fer. 4. nom. 4. 7.
c. 25. Quando vnus ex fratribus absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri; sed accipiet eam frater eius; & primogenitum ex eo filium nomine illius appellabit. Fer. 5. Dom. pass. 5.
c. 27. In ore duorum, vel trium testium peribit, qui occidetur. Sab. post Dom. 4. 37.
c. 28. Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate. Fer. 4. num. 4. 23.
c. 28. Non erit stabile vestigium pedis tui. Fer. 5. nom. pass. 64.

EX IOSVE.

EX LIBRO IVDICVM.

c. 11. Posui animam meam in manibus meis. Fer. 5. Dom. 4. 21.

c. 14. Ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis. Fer. 5. Dom. pass. 12.

c. 15. Samson sitiens valde clamauit ad Dominum. Aperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ. D. palm. 1.

c. 16 Philistum super te Sāson. F. 5. D. pass. 4.

c. 19. Postquam lauerunt pedes suos, recepit eos in conuiuium: sederunt simul, & comederunt, & biberunt. Fer. 5. Dom. pass. 126.

c. 20. Omnes anguli populorum, & cūctæ Tribus Israël in Ecclesiam populi Dei conuenerunt, quadraginta millia peditum pugnatorum. Fer. 4. Dom. 4. 54. Sab. post Dom. pass. 4.

EX PRIMO REGVM.

c. 1. Non vadam donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini; & maneat ibi iugiter. Fer. 4. Dom. 3. 28.

c. 2. Dominus deducit ad inferos, & reducit. Fer. 5. Dom. 4. 41.

c. 2. Filii Heli, filii Belial nescientes Dominum. Dom. pass. 66.

c. 2. Quicunque glorificabit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Fer. 4. Dom. p ss. 25.

c. 2. Super ipsos in cœlis tonabit. Sab. post Dom. pass. 57.

c. 3. Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Fer. 5. Dom. 3. 78. Fer. 5. Dom. pass. 112.

c. 4 Audito nuncio, quòd capta esset arca Dei, peperit; irruerant enim in eam dolores subiti. In ipso momento mortis eius dixerunt ei: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit ei, neque aduertit: & vocauit puerum Ichabod dicens: Translata est gloria de Israël, quia capta est arca Dei. Fer. 2. Dom. 4. 12.

c. 5. Inuenerunt caput Dagon, & duas palmas manuum eius abscissas super limen. Non calcant sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur templum eius super limen. Ibidem. 5.

c. 5. Fiebat pauor mortis in singulis vrbibus. Fer. 5. Dom. 4. 8.

c. 6. Ibant in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames; & itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes; & non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram. Ibid.

c. 9. Leuauit coquus armum, & posuit ante Saül: dixitque Samuël: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede; quia de industria seruatum est tibi. Fer. 5. Dom. pass. 4.

c. 10. Filii Belial dixerunt: Num saluare nos poterit iste? & despexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille vero dissimulabat se audire. Dom. pass. 27.

c. 10. Tulit Samuël lenticulam olei, & effudit super caput eius, & deosculatus est eum, & ait; Ecce vnxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem. Fer. 5. Dom. pass. 4

c. 12. Scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini. Domin. pass. 37.

c. 14. Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu; & intinxit in fauum mellis; & conuertit manum suam ad os suum; & illuminati sunt oculi eius. Fer. 3. Dom. 4. 9. Fer. 5. Dom. pass. 97.

c. 14. Iure iurando constrinxit pater tuus populum dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie. Fer. 3. Dom. 4. 101

c. 14. Ergone Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israël? Hoc nefas est. Viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram. Fer. 3. Dom. pass. 28. & 29.

c. 14. Applicate huc vniuersos angulos populi. Sab. post Dom. pass. 4.

c. 15. Recensui quæcunque fecit Amalec Israël; quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum, atque lactantem. Fer. 3. Dom. 3. 5.

c. 15. Dixit Saül: Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini. Scidit Dominus regnum Israël à te hodie, & tradidit illud æmulo tuo. Fer. 5. Dom. pass. 133.

c. 15. Siccine separat amara mors? F. 5. D. 4. 91

c. 16. Homo videt quæ parent; Deus autem intuetur cor. Fer. 2. Dom. 3. 11. Dom. pass. 22.

c. 16. Quandocunque spiritus malus arripiebat Saül, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saül, & leuius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus. Fer. 1. Dom. 3. 13 Fer. 1. Dom. pass. 74.

c. 16. Num quid coram Domino est Christus eius? Fer. 6. Dom. 4. 77.

c. 17. Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum. Dom palm. 26.

c. 17. Percussum Philisthæum interfecit; cumque gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum. Fer. 2 Dom. palm. 13.

c. 18. Percussit Saül mille, & Dauid decem millia. Fer. 2. Dom. 3. 13 Dom. pass. 17.

c. 18. Inuasit spiritus Dei malus Saül. Dauid psallebat manu sua, sicut per singulos dies: tenebatque Saül lanceam, & misit eam, putans quòd configere posset Dauid cum pariete. Ibidem. Dom. pass 27.

c. 18. Inierunt Dauid, & Ionathas fœdus; diligebat enim eum quasi animam suam: nam expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus; & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua. Sab. post Dom. 4. 20.

c. 20. Filius mortis est. Dom. palm. 10.

c. 20. Cur non venit filius Isai? Fer 3 D. pass. 40.

c. 21. Ecce hic gladius Goliath Philistæi, quem occidisti in valle Terebinthi, inuolutus pallio post Ephod. Fer. 4. Dom. pass. 99.

c. 15. Peccaui; sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israël. Fer. 4. Dom. 3. 7.

c. 28. Posui animam meam in manu mea. Fer. 5. D. 4. 21.

EX SECVNDO REGVM.

c. 1 Montes Gelboë nec ros, nec pluuia veniant super vos, vbi ceciderunt fortes Israël. D. pass. 70.

c. 9. Numquid superest aliquis de domo Saül, vt faciam cum eo misericordiam Dei? Cum autem venisset Miphiboseth filius Ionathæ filii Saül ad Dauid, ait ei Dauid: Ne timeat, & c. Fer. 5. Dom. 3. 16.

c. 9. Tu comedes panem in mensa mea semper. Fer. 4. Dom. 3. 2. Fer. 3. Dom. 4. 10.

c. 12. Dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino. Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. Fer. 5. Dom. pass. 131.

cum respexisset, vidit eos, & maledixit in nomine Domini. Egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Fer. 4. Dom. 3. 32.

c. 2. Elifeus misit in illam sal, & ait. Hæc dixit Dominus, sanaui aquas has; & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas. Fer. 4. Dom. 4. 30.

c. 4. Filii prophetarum. Dom. palm. 11.

c. 5. Vade, & lauare septies in Iordane; & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. Fer. 4. Dom. 4. 37. Fer. 5. mai. hebd. 47.

c. 5. Pater, si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras. Fer. 4. Dom. 3. 66.

c. 5. Qui dixit ei: Vade in pace. Fer. 5. Domin. pass. 57.

c. 5. Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum. Fer. 4. Dom. 4. 5.

c. 6. Eliseus orauit ad Dominum dicens: Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussit eos Dominus, ne viderent. Fer. 4. Dom. 4. 23.

c. 6. Vbi cecidit? At ille monstrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & misit illuc, natauitque ferrum. Fer. 6. Dom. 4. 100.

c. 9. Vnusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis; & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit Iehu. Dom. palm. 25.

c. 13. Regnauit Ioachaz super Israël, & fecit malum coram Domino, secutusque est peccata Ieroboam. Iratusque est furor Domini contra Israel; & tradidit eos in manus Regis Syriæ. Deprecatusque est Ioachaz faciem Domini, & audiuit eum Dominus; vidit enim angustiam Israël, quia attriuerat eos Rex Israël. Verumtamen non recesserunt à peccatis domus Ieroboam, qui peccare fecit Israël. Fer. 4. Dom. 4. 69.

c. 13. Quidam sepelientes hominem viderunt latrunculos; & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, reuixit homo, & stetit super pedes suos. Fer. 5 Dom. 4. 34. & 46.

c. 17. Adduxit Rex Assyriorum de Babylone, & de Cutha, & de Auah, & de Emath, & de Sepharuaim, & collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filiis Israël. Fer. 6. Dom. 3. 25.

c. 19. Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam. Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? &c. Cùm adoraret in templo Deum suum, filii eius percusserunt eum gladio. Fer. 4. Dom. 3. 101.

EX LIBRO PRIMO PARALIPOMENON.

c. 2. Cognationes scribarum habitantium in Iabes Canentes, atque Resonantes, in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris domus Rechab. Fer. 4. Dom. 3. 28.

c. 17. Ecce ego habito in domo cedrina; arca autem fœderis Domini sub pellibus est. Fer. 2. Dom. 4 40.

c. 21. Præcepit Dauid, vt congregarentur omnes proselyti de terra Israël; & constituit ex eis latomos ad cædendos lapides, & poliendos, vt ædificaretur domus Dei. Ferrum quoque plurimum ad clauos ianuarum, & ad commissuras, atque iuncturas præparauit Dauid, & æris pondus innumerabile. Ligna quoque cedrina non poterant æstimari, quæ Sidonii & Tyrii deportauerant ad Dauid. Dixitque Dauid ad Salomonem: Præparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris verò; & ferri non est pondus; vincitur enim numerus magnitudine: ligna, & lapides præparaui ad vniuersa impendia. Fer. 2. Dom. 4. 40.

c. 19. Ego totis viribus præparaui impensas domus Dei mei. Aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, æs in ærea, ferrum in ferrea; ligna ad lignea: & lapides onychinos, & quasi stibios, & diuersorum colorum, omnem pretiosum lapidem, & marmor Parium abondantissime: & super hæc, quæ obtuli de peculio meo aurum, & argentum do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparaui in ædem sanctam: tria millia talenta auri de auro Ophir; & septem millia talentorum argenti probatissimi. Ibidem.

EX LIBRO SECVNDO PARALIPOMENON.

c. 1. Salomon numerauit septuaginta millia virorum portantium humeris, & octoginta millia, qui cæderent lapides in montibus; præpositosque eorum tria millia sexcentos. Fer. 6. Dom. 4 82.

c. 3. Alæ vtriusque Cherubim expansæ erant; ipsi autem stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versæ ad exteriorem domum. Fer. 5. Dom. 3. 51.

c. 6. Tu solus nosti corda filiorum hominum. Dom. pass. 22.

c. 7. Elegi locum istum, vt sit cor meum ibi cunctis diebus. Sab. post Dom. pass. 59.

c. 34. Magnus furor Domini stillauit super nos. Fer. 6. Dom. 3. 53. Sab. post Dom. pass. 50.

c. 35. Dederunt sacerdotibus ad faciendum Phase pecora commistim duo millia sexcenta, & boues trecentos. Fer. 5. mai. hebd. 10.

EX LIBRO TERTIO ESDRÆ NON CANONICO.

c. 4. Omnis terra veritatem inuocat; cœlum etiam ipsam benedicit. Dom. pass. 14.

EX LIBRO TOBIÆ.

c. 1. Genuit filium, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. Fer. 4. Dom. 3. 35.

c. 2. Filii sanctorum sumus. Ibidem. 64.

c. 2. Cum esset dies festus Domini, nunciauit ei vnum ex filiis Israël iugulatum iacere in platea; statim exiliens de accubitu suo, relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus; tollensque illud portauit ad domum suam occulte; vt dum sol occubuisset, caute sepeliret eum. Fer. 5. mai. hebd. 16.

c. 3. Ne vindictam sumas de peccatis meis; neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. Fer. 4. Dom. 4. 5.

c. 3. Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. Ibidem. 50.

c. 3. Post tempestatem tranquillum facis: & post lacrymationem, & fletum exultationem infundis. Fer. 5. Dom pass. 157.

c. 4 Omni tempore benedic Deum. F. 5. D. 3. 1.

EX LIBRO IVDITH.

EX LIBRO ESTHER.

EX LIBRO IOB.

EX PSALMIS.

EX LIBRO PROVERBIORVM.

Sab.

EX ECCLESIASTE.

EX CANTICO CANTICORVM.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

EX ECCLESIASTICO.

c. 46. Iesus Naoc successur Moysi fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus tuas, & iactando contra ciuitates romphæas? Quis ante illum sic restitit? An non in iracundia eius impeditos est sol, & vna dies facta est quasi duo? Inuocauit Altissimum potentem in oppugnando inimicos vndique, & audiuit illum magnus, & sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios. In diebus Moysi misericordiam fecit ipse, & Caleb filius Iephone stare contra hostes, & prohibere gentem à peccatis, & perstingere murmur malitiæ, fer. 5. maior. hebd. 62.

c. 48. Mortuum prophetauit corpus eius. fer. 5. dom. 4. 46.

c. 49. Ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetauerunt. Ibid.

EX ISAIA.

Cap. 1. Filios enutriui, & exaltaui; ipsi verò spreuerunt me. dom. pass. 71.

c. 1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui; Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Ibid. 65.

c. 1. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere peruerse, discite benefacere. fer. 4. domin. 3. 104. & 105. fer. 5. mai. hebd. 47.

cap. 1. & cap. 59. Manus vestræ sanguine plenæ sunt. Manus vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate. fer. 4. dom. 3. 105.

c. 2. Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super omnes colles. fer. 5. dom. 3. 63.

c. 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. fer. 6. dom. 3 95.

c. 1. Proiecisti populum tuum. Non est finis thesaurorum. fer. 5. dom. pass. 54.

c. 3. Pro suaui odore fœtor. fer. 5. domin. 3. 41.

c. 3. Exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Ibid. 71.

c. 3. Princeps esto noster. Non sum medicus, & in domo mea non est panis. dom. 4. 35.

c. 4. Apprehendent septem mulieres virum vnum. Panem nostrum comedemus, & vestibus nostris operiemur. Sab. post dom. pass. 103.

c. 4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion. fer. 5. dom. pass. 30.

c. 5. Infernus aperuit os suum. fer. 4. domin. 3 45.

c. 5. Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis; & quasi vinculum plaustri peccatum. fer. 1. dom. 4. 6. Sabb. post dom. pass. 28.

c. 5. Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. fer. 4. dom. 4. 62. fer. 3. dom. pass. 51.

c. 5. Sicut deuorat stipulam lingua ignis. fer. 3. dum. pass. 51.

c. 5. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Sabb. post dom. pass. 122. domin. palm. 9.

c. 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua; & oculos eius claude; ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. fer. 4. dom. 4. 76. dom. pass. 11.

c. 6. Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua. Ibid. 82.

c. 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri; duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. fer. 6. domin. 3. 78. fer. 5. dom. pass. 1.

cap. 6. Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum. fer. 6. dom. 4. 85.

c. 7. Caput Ephraim Samaria. fer. 6. domin. 3. 19.

c. 7. Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo? fer 6. dom. 3. 7.

c. 7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium. fer. 3. dom. 4. 37. fer 6. dom. 4. 106.

c. 7. Butyrum, & mel comedet; vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. fer. 3. dom. 3. 99. fer. 6. dom. 3 48. fer. 3. dom. 4. 12. & 37. dom. pass. 16.

c. 8. Abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio. fer. 4 dom. 4. 35. fer 6. dom. 4. 80.

c. 9. Populus, qui iacebat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. fer. 4. dom. 4. 51. Sabb. post dom. 4. 14. Sab. post dom. pass. 118.

c. 9. Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam. Sab. post dom. pass. 2.

c. 9. Sicut qui lætantur in messe. fer. 6. dom. 3. 115.

cap. 9. Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. fer. 5. maioris hebd. 51.

c. 9. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Factus est principatus super humerum eius. Zelus Domini exercituum faciet hoc. dom. 4. 34. fer. 2. dom. 4. 27. & 29.

c. 9. Vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. fer. 1. dom. 4. 2. fer. 5. domin. pass. 163.

c. 11. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini. Non secundùm visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed iudicabit in iustitia pauperes. fer. 6. dom. 4. 106. Sab. post dom. 4. 19. fer. 5. mai. hebd. 64.

c. 11. Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis; & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet. fer. 5. dom. pass. 1. fer. 2 dom. 4. 8.

c. 11. Erit iustitia cingulum lumborum eius. Sab. post dom. 3. 18.

c. 11. Habitabit lupus cum agno. fer. 5. mai. hebd. 58.

c. 40. Conſolamini, conſolamini, popule meus, dicit Deus veſter: loquimini ad cor Ieruſalem. fer. 5. dom. paſſ. 112.

c. 42. Quis cæcus, niſi ſeruus meus; & ſurdus, niſi ad quem nuncios meos miſi? fer. 4. dom. 3. 76. fer. 5. dom. paſſ. 59.

c. 42. Non clamabit, neque audietur vox eius foris. fer. 3. dom. 4. 38.

c. 42. Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris. fer. 4. dom. 4. 27.

c. 42. Ducam cæcos in viam, quam neſciunt, & in ſemitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam. Ponam tenebras coram eis in lucem ſurdi audite, & cæci intuemini ad videndum. fer. 4. dom. 4. 27. dom. paſſ. 99.

c. 43. Narra ſi quid habes vt iuſtificeris. Dic tu peccata tua, vt iuſtificeris, *iuxta Septuaginta*: fer. 2. mai. hebd. 21.

c. 43. Glorificabit me beſtia agri. Benedicent mi beſtiæ agri, *iuxta Hieronymi lectionem*. fer. 5. dom. paſſ. 110.

c. 44. Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam. Effundam ſpiritum meũ ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam, & germinabunt inter herbas, quaſi ſalices iuxta præterfluentes aquas; fer. 2. dom. paſſ. 17.

c. 45. Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Saluator. fer. 5. dom. 3. 26. d. paſſ. 49. & 100.

c. 45. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum. dom. paſſ. 98.

c. 46. Redite præuaricatores ad cor. fer. 4. dom. 3. 89.

c. 46. *iuxta lectionem Hieronymi*. Ego ſum qui ſum, & donec ſeneſcatis ego ſum. fer. 4. dom. 4. 50.

c. 47. Deſcende, & ſede in puluere virgo filia Babylon. dom. palm. 8.

c. 48. Manus mea fundauit terram; & dextera mea menſa eſt cœlos. feria 5. dominic. 4. 19.

cap. 48. Vtinam attendiſſes mandata mea; facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris. fer. 5. d. paſſ. 170.

c. 48. Non eſt pax impiis, dicit Dominus. Ibid. 150.

c. 49. Poſuit os meum quaſi gladium acutum; in vmbra manus ſuæ protexit me: Poſuit me ſicut ſagittam electam, in pharetra ſua abſcondit me. fer. 5. d. 3. 85. & 86. d. paſſ. 100.

c. 49. Non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus, & ſol; quia miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. fer. 6. dom. 3. 59.

c. 49. Vt diceres his, qui vincti ſunt. Exite: & his, qui in tenebris: Reuelamini: fer. 2: dom. 4. 6.

c. 49. Ecce dedi te in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Sabb. poſt dom. paſſ. 118.

c. 49. Seruus meus es tu Iſraël, quia in te gloriabor. fer. 5. dom. paſſ. 123.

c. 49. In tempore placito exaudiui te; & in die ſalutis auxiliatus ſum tui. Ibid. 35.

c. 50. Stemus ſimul: quis eſt aduerſarius meus? Accedat ad me: ecce Dominus auxiliator meus, quis eſt, qui cõdemnet me? dom. paſſ. 2.

c. 51. Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis. fer. 4. dom. 3. 64.

c. 51. Conſolabitur Dominus Sion; & ponet deſertam eius, quaſi delicias; & ſolitudinem eius quaſi hortum Domini. Inuenietur in ea gratiarum actio, & vox laudis f. 4. d. 4. 126.

c. 52. Dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blaſphematur. fer. 4. dom. 3. 102. fer. 3. dom. paſſ. 2.

c. 52. In Ægyptum deſcendit populus meus: & nunc quid mihi eſt hic? dicit Dominus. Sab. poſt dom. paſſ. 98.

c. 52. Quàm pulchri ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem! fer. 5. dom. paſſ. 149. & 162. fer. 5. mai. hebd. 37.

c. 53. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. f. 3. d. 3. 9.

cap. 53. Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: Deus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum. fer. 6. dom. 3. 7. dom. paſſ. 6.

c. 53. Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum. Pro eo, quòd laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur. Iuſtificabit ipſe ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. fer. 5. dom. 3. 31. Sab. poſt dom. paſſ. 14.

c. 53. Quis credidit auditui noſtro. fer. 6. dom. 4. 74.

c. 53. Generationem eius quis enarrabit, quia abſciſſus eſt de terra viuentium? fer. 2. d. 4. 41. fer. 3 dom. 4. 37. Sab. poſt d. paſſ. 14.

c. 53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Sab. poſt d. 4. 47.

c. 53. Eo quòd iniquitatem non fecerit; neque dolus fuerit in ore eius. dom. paſſ. 2.

c. 53. Non eſt ſpecies ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aſpectus; & deſiderauimus eum: deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum; & quaſi abſconditus vultus eius. Nos putauimus eum quaſi leproſum. dom. paſſ. 47. & ſequent.

c. 53. Sicut ouis ad occaſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet. Ibid. 49. fer. 5. mai. hebd. 20.

c. 53. Liuore eius ſanati ſumus. Sab. poſt dom. paſſ. 76.

c. 55. Quomodo deſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur; ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit; & dat eſcam ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo. fer. 6. dom. 3. 36.

c. 55. Ecce teſtem populis dedi eum, ducem, & præceptorem gentibus. Ibid. 85. Sabb. poſt d. 4. 31.

c. 55. Derelinquat impius viam ſuam, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius; & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Sab. poſt d. 3. 28. f. 5. d. paſſ. 172.

c. 55. Quærite Dominum, dum inueniri poteſt; inuocate eum, dum prope eſt. fer. 2. d. paſſ. 6.

c. 55. Omnes ſitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite abſque argento, & abſq; vlla commutatione vinum, & lac. Audite audientes me, & comedite bonum. Ibid. 29.

c. 56. Canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem. Sab. poſt dom. paſſ. 103.

c. 56. Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum, vniuerſæ beſtiæ ſaltus. Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi; canes muti non valentes latrare. fer. 2. dom. paſſ. 72.

EX IEREMIA.

c. 9 Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? fer. 6. dom. 3. 116. Sab. post dom. pass. 70.

c. 9. Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur; & occultè ponit ei insidias. Sabb. post dom. 3. 4.

c. 9. Dabo Ierusalem in cubilia draconum. fer. 1. dom. 4. 4.

c. 9. Ascendit mors per fenestras nostras; ingressa est domus nostras. fer. 4. domin. 4. 17. & 18. fer. 6. dom. 4. 113. & 119.

c. 9. Vt iniquè agerent, laborauerunt. fer. 2. mai. hebd. 35.

c. 11. Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam; & non cognoui, quia cogitauerunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. feria 6. dominic. pass. 9.

c. 14. Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit mouere pedes suos, & non quieuit, & Domino non placuit. fer. 5. domin. pass. 64.

c. 15. Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam stabis, & si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris. fer. 3. dom. 3. 9. 30. & 31.

c. 15. Mendacium aquarum infidelium. fer. 4. d. 3. 5. fer. 6. dom. 3. 52.

c. 16. Mittam eis multos venatores, & venabuntur eas. fer. 6. dom. 3. 8.

c. 17. Perdix fouit quæ non peperit. domin. pass. 52.

cap. 17. Domine, omnes, qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te in terra scribentur; quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Sabb. post d. 3. 12.

c. 17. Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino, super latitudinem cordis eorum. Ibidem. 16. & fer. 2. domin. 4. 36.

c. 17. Prauum est cor omnium, & inscrutabile. Quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. fer. 3. dom. 4. 16. d. pass. 21. fer. 5. dom. pass. 143.

c. 17. Maledictus homo, qui confidit in homine; & ponit carnem brachium suum; & à Domino recedit cor eius. fer. 5. dom. 4. 3.

c. 17. Confundantur qui me persequuntur; & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego. Induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos. fer. 6. dom. pass. 5.

c. 18. Da filios eorum in famem; & deduc eos in manus gladii: in tempore furoris abutere eis. Sab. post dom. 3. 30.

c. 19. Quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum. fer. 4. dom. pass. 14.

c. 20. Dominus mecum est quasi bellator fortis. Sab. post dom. 4. 47.

c. 22. Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. fer. 5. dom. 4. 16.

c. 22. Viuo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde euellam eum. Sab. post dom. 4. 12.

c. 23. Quid paleis ad triticum? Sab. post domin. pass. 22.

c. 25. Cum impleti fuerint Septuaginta anni. fer. 5. mai. hebd. 19.

c. 26. Noli subtrahere verbum; si fortè audiant, & conuertantur vnusquisque à via sua mala. fer. 6. dom. 3. 31. & 34.

c. 31. Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, & fletus: Rachel plorans filios suos. fer. 4. dom. 3. 70.

c. 33. Quos percussi in furore meo, & indignatione mea abscondens faciem meam à ciuitate hac propter omnem malitiam eorum. d. pass. 91.

c. 35. Responderunt: Non bibemus vinum; quia Ionadab filius Rechab, pater noster præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri vsque in sempiternum, & non domum ædificabitis, &c. Hæc dicit Dominus: Præualuerunt sermones Ionadab, quos præcepit filiis suis, vt non biberent vinum; & non biberunt vsque ad diem hunc: ego autem locutus sum ad vos de mane consurgens, & loquens; & non obedistis mihi, &c. fer. 4. dom. 3. 28.

c. 46. Dies illa Domini Dei exercituum, dies vltionis, vt sumat vindictam de inimicis suis. fer. 5. dom. pass. 54.

c. 48. Omne caput caluitium, & omnis barba rasa erit: in cunctis manibus colligatio, & super omne dorsum cilicium. Sab. post dom. pass. 103.

c. 51. Calix aureus Babylon inebrians omnem terram: de vino eius biberunt Gentes, & ideo commotæ sunt. fer. 6. dom. 3. 54. f. 2. mai. hebd. 35.

c. 51. Visitabo super sculptilia Babylonis. fer. 5. dom. 4. 47.

c. 51. Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam. feria 5. domin. pass. 60.

EX THRENIS IEREMIÆ.

Cap. 1. De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me. feria 5. dominic. 3. 87.

c. 1. Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est. dom. palm. 1.

c. 2. Magna est velut mare contritio tua. Sabb. post dom. 4. 16. fer. 5. dom. pass. 21.

c. 2. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, & noctem, non des requiem tibi; neque taceat pupilla oculi tui: consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. feria 4. dom. 4. 41. fer. 5. domin. pass. 13. & 17.

c. 3. Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua; sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit super se. fer. 4. dom. 3. 41. fer. 5. dom. 3. 66. & 72. & 83. fer. 3. dom. 4. 25. fer. 6. dom. 4. 79.

c. 3. Ponet in puluere os suum; si fortè sit spes. Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobriis. feria 6. dom. 3. 32 fer. 3. dom. 4. 40. fer. 6. dom. 4. 49. fer. 3. dom. pass. 2. fer. 5. mai. hebd. 93.

c. 3 Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ. fer. 6. dom. 3. 106. fer. 4. dom. 4. 21. fer. 6. dom. 4. 134. fer. 5. dom. pass. 77.

c. 3. Posuit me quasi signum ad sagittam. dom. pass. 48.

cap. 3. Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus; idcirco tu inexorabilis es. O,

EX BARVCH.

EX EZECHIELE.

tor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri. fer. 1. dom. pass. 17.
c. 37. Ossa arida audite verbum Domini. fer. 5. dom. 4. 16
c. 37. Dauid seruos meus, Princeps eorum in perpetuum. Sab. post dom. pass. 111.
c. 39. Scient Gentes, quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel, eo quòd dereliquerit me, & absconderim faciem meam ab eis, & tradiderim eos in manus hostium. dom. pass. 91.
c. 40. Et ecce murus forinsecus in circuitu domus vndique; & in manu viri calamos. fer. 5. mai. hebd. 75.
cap. 44. Victimam pro peccato, & pro delicto ipsi comedent. dom. pass. 5.
c. 44. Conuertit me ad viam portæ Sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad Orientem, & erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit; & non aperietur; & vir non intrabit per eam: quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam; eritque clausa. fer. 3. dom. pass. 4.

EX DANIELE.

Cap. 2. Tunc Rex Danielem in sublime extulit; & munera multa, & magna dedit ei; & constituit eum Principem super omnes prouincias Babylonis, & præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis. d. pass. 57.
c. 3. Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis: In hora, qua audieritis sonitum tubæ, fistulæ, &c. Cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabochodonosor rex. fer. 6. dom. 4. 130.
c. 3. Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. fer. 4. dom. 4. 3.
c. 3. Benedicite omnia opera Domini Domino; laudate, & superexaltate eum in sæcula. fer. 6. dom. 4. 130. fer. 3. dom. pass. 57.
c. 3. Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino. dom. pass. 38. fer. 5. domin. pass. 17.
c. 5. Baltassar rex fecit grand conuiuium optimatibus suis. Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem. Et biberunt ex eis rex, & optimates eius, vxores, & concubinæ illius. Mane, Thecel, Phares. Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Appensus es in statera, & inuentus es minus habens. Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis. fer. 5. d. pass. 5. Sab. post dom. 5 15.
c. 5. Iubente Rege indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo eius: & prædicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in regno suo. Eadem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus. fer. 4. dom. pass. 53. fer. 5. dom. pass. 5.
c. 6. Iubente Rege adducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem, & in lacum leonum missi sunt ipsi, & filii, & vxores eorum: & non peruenerunt vsque ad pauimentum loci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt. fer. 4. domin. 4. 12.
c. 7. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum eius, quod non corrumpetur. Sab. post dom. pass. 111.
cap. 8. & 9. Ecce vir Gabriel. Ibid. 89.
c. 9. Stillauit super nos maledictio. fer. 6. dom. 5. 53.
c. 9. Vir desideriorum. dom. pass. 48.
c. 10. Iacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. Sab. post dom. pass. 58.
c. 12. Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. fer. 6. dom. 4. 133.
c. 13. Egressa est iniquitas de Babylone à senioribus iudicibus. Sab. post dom. 5. 20.

EX OSEA.

Cap. 2. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. fer. 5. dom. 3. 78. fer. 5. dom. pass. 112.
c. 3. Diligunt vinacia vuarum. fer. 6. domin. 3. 4.
c. 4. Vinum, & ebrietas auferunt cor. fer. 3. d. 3. 27. fer. 6. dom. 3. 46.
c. 4. Fornicati sunt à Deo suo, super capita montium sacrificabant; & super colles accendebant Thymiama fer. 4. dom. 3. 92.
c. 4. Non est scientia D. in terra. fer. 6. dom. 4. 67 dom. pass. 65.
cap. 4. Peccata populi mei comedunt. domin. pass. 5.
c. 6. Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens. fer. 3. dominica 3. 69.
c. 6. Quasi diluculum præparatus est egressus eius; & veniet quasi imber nobis temporaneus. fer. 5. dom. 3. 54.
c. 6. Viuificabit nos post duos dies; & in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. fer. 2. dom. 4. 37.
c. 6. Misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocausta. fer. 6. d. 4. 67. dom. pass. 65.
c. 7. Comederunt alieni robur eius. fer. 6. dom. 4. 88.
cap. 7. Factus est Ephraim, quasi columba seducta, non habens cor. feria 4. domin. 3. 56.
c. 8. Factæ sunt ei aræ in delictum. fer. 4. dom. 4. 47. fer. 5. mai. hebd. 52.
c. 10. Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ. fer. 5. dom. 3. 17. fer. 5. maioris hebd. 84.
c. 10. Vitula docta diligere trituram. fer. 6. dom. 3. 63.
c. 11. Ego quasi nutricius Ephraim. Ibidem. 41.
c. 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis Charitatis: & declinaui ad eum, vt vesceretur. fer. 4. domin. pass. 16. 17. fer. 2. maioris hebd. 61.
c. 11. Filii motis. dom. palm. 11.
c. 13. Adducet vrentem ventum Dominus de deserto ascendentem. fer. 5. dom. 3. 68.
c. 13. Ero mors tua, ô mors. fer. 6. domin. 4. 13.
c. 14. Germinabit sicut lilium. dom. 4. 20.

EX IOELE

Cap. 1. Bestiæ agri suspexerunt ad te; quoniam

c. 11. Nemo nouit filium, nisi Pater, & cui voluerit filius reuelare. fer. 5. dom. 3. 29.

c. 11. Si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis; olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. fer. 6. d. 3 27.

c. 11. Si in Sidoniis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te; fortè mansissent vsque in hanc diem. Ibid. 30.

c. 11. Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis cæci vident, claudi ambulant, &c. fer. 4. dom. 4. 27. 28. 64. fer. 5. dom. pass. 110.

c. 12. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. fer. 3. dom. 4. 38.

cap. 12. Discipuli esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare. Pharisæi autem dixerunt Iesu: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis. feria 4. dom. 4. 44.

c. 12. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. fer. 5. dom. pass. 81.

c. 12. Sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. fer. 5. dom. 3. 44.

c. 13. Qui habet, dabitur illi, & superabundabit. fer. 6. dom. 3. 80.

c. 13. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro; quem, qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa, quæ habet, & emit agrum illum. f. 6. dom. 4 96.

c. 13. Colligent de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem. dom. palm. 19.

c. 13. Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. fer. 3. dom. 4 13.

c. 13. Apparuerunt zizania in medio tritici. fer. 3. dom. pass. 43.

c. 13. Colligite zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. fer. 5. dum. 3. 18.

c. 13. Veniens in patriam suam docebat eos in Synagogis, ita vt mirarentur, & dicerent: Vnde huic sapientia hæc, & virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas? Et sorores eius nonne omnes apud nos sunt? Vnde ergo hæc omnia ista? & scandalizabantur in eo. fer. 2. dom. 3 15. Sab. post dom. 4. 24. fer. 5. dom. pass. 16.

c. 14. Quod cum audisset Iesus secessit in locum desertum seorsum. dom. 4. 4.

cap. 16. Portæ inferi non præualebant aduersus eam. fer. 3. dom. pass. 56. fer. 5. dom. 4. 27.

c. 16. Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo. f. r. 5. d. pass. 64.

c. 16. Vade post me satana; scandalum es mihi quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. Sab. post dom. 4. 48.

c. 16. Quem dicunt homines esse Filium hominis? Alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam; alii verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Vos autem quem me esse dicitis? Respõdens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Respondens Iesus dixit ei: Tibi dabo claues regni cœlorum. fer. 6. d. 4. 75. 76. 77. 100 101. & 102. f. 5. d. pass. 87. Sab. post. d. pass. 46.

c. 16. Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Sab. post dom. pass. 5.

c. 16. Absit à te Domine; non erit tibi hoc. Ibid. 105.

c. 16. Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo; ibi sum ego in medio eorum. fer. 6. d. 3. 95.

c. 18. Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Ibid. 60.

c. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis? f. 5. d. 3. 4. & 7.

c. 19. Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël. Sab. post dom. 3. 18.

c. 19. Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. fer. 3. dom. pass. 8.

c. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende vniuersa, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. fer. 5. dom. 3. 7. & 10.

c. 19. Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Non homicidium facies, non adulterabis, &c. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? fer. 6. dom. 3. 29. f. 6. dom. 4. 61. f. 3. d. pass. 56.

cap. 20. Non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo. Sabb. post dom. 4. 35.

c. 20. Cæci confestim viderunt, & secuti sunt eum. fer. 4. dom. 4. 28.

c. 20. Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis vsque ad primos, &c. fer. 5. dom. pass. 51.

c. 20. Portauimus pondus diei, & æstus. fer. 4. d. 3. 64.

c. 21. Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, & si monti huic dixeritis: Tolle, & iacta te in mare, fiet. fer. 6. dom. 4. 17.

c. 21. Videns ficum arborem vnam secus viam, venit ad eum; & nihil inuenit in ea, nisi folia tantùm, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, arefacta est continuo ficulnea. fer. 5 dom. 3. 74. Sab. post dom. 3. 31. fer. 2. mai. hebd. 51.

c. 21. Verebuntur filium meum. fer. 6. domin. 3. 27.

c. 22. Intrauit Rex, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali: & ait illi: Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. f. 2. d. 4. 6. Sab. post d. pass. 27. f. 5. mai hebd. 50.

c. 22. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viuentium. fer. 5. dom. 4. 27. Sab. post d. 4. 4. dom. pass. 42.

cap. 22. Erant septem fratres, & primus vxore ducta defunctus est: & non habens semen reliquit vxorem suam fratri suo, &c. In resurrectione cuius erit de septem vxor? Respondens Iesus ait illis. Erratis nescientes

c. 28. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos. Ibid. 101.
c. 18. Illæ accesserunt, & tenuerunt pedes eius. fer. 6. dom. 4. 96.

EX S. MARCO.

Cap. 1. Quid nobis, & tibi, Iesu Nazarene? Venisti perdere nos. Scio qui sis sanctus Dei. Et comminatus est ei Iesus: & exclamans voce magna exiit ab eo. dom. pass. 3. fer. 2. mai. habd. 36.
c. 3. Cum audiisent sui, exierunt tenere eum; dicebant enim, quoniam in furorem versus est. fer. 3. dom. pass. 15. & 31. f. 5. d. pass. 134.
c. 3. Imposuit eis nomina Bunaerges, quod est, Filius tonitrui. f. 5. dom. 4. 27. Sab. post dom. pass. 55.
c. 4. Cum esset singularis, interrogauerunt eum hi, qui cum eo erant duodecim, parabolam. f. 5. dom. 3. 77.
c. 5. Statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis. fer. 5. dom. 4. 6. & 7.
c. 5. Puella tibi dico, surge: & confestim surrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim. Ibid. 38.
c. 5. Quis tetigit vestimenta mea? Mulier timens, ac tremens, sciens quid factum esset in se, venit, & procidit ante eum, & dixit omnem veritatem: Filia, fides tua te saluam fecit. fer. 6. dom. 4. 101.
c. 6. Calceati sandaliis. f. 5. d. pass. 14.
c. 6. Quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Præcepit afferri caput Ioannis in disco, & dedit illud puellæ. Ibid. 11.
c. 6. Ait illis Iesus: Venite seorsum in desertum locum. dom. 4. 4.
cap. 6. Nonne hic est faber? fer. 4. domin. 3. 29.
c. 7. Pharisæi, & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant; & à foro, nisi baptizentur, non comedunt. Sab. post. dom. 3. 19. fer. 4. dom. 4. 45.
c. 7. Misit digitos suos in auriculas eius; & expuens tetigit linguam eius; & statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius. Sab. post dom. 4. 29 f. 4. d. pass. 44. f. 5. dom. pass. 90.
c. 8. In generatione ista adultera, & peccatrice. fer 5. dom. pass. 23.
c. 8. Vade retro me satana; quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Sabb. post dom. 4. 48.
c. 8. Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum. fer. 5. dom. pass. 28. & 29.
c. 8 Oportet filium hominis pati multa, & occidi, & post tres dies resurgere. fer. 5. maioris hebd. 19.
c. 9. Quicunq; me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui misit me. Sab. post d. 4. 33.
c. 9. Omnis victima sale salietur. Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. fer. 5. dom. pass. 172.
c. 11. Non erat tempus ficorum. f. 5. d. 3. 74.
c. 11. Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis aduersus aliquem. fer. 5. dom. pass. 64.
cap. 12. Qui non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo. feria 2. domin. 4. 24.
c. 12. Sedens Iesus contra gazophylacium aspiciebat quomodo turba iactaret æs in gazophylacium. Et multi diuites iactabant multa. Cum venisset autem vidua pauper, misit duo minuta. Sab. post dom. 4. 46.
c. 13. Cum egrederetur de templo, ait illi vnus ex discipulis suis. Magister aspice quales lapides, & quales structuræ. Et respondens Iesus ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. dom. pass. 103.
c. 14. Erant quidam indignè ferentes intra semetipsos, & fremebant in eum. fer. 3. dom. pass. 31. fer. 5. dom. pass. 161.
c. 14. Nos audiuimus eum dicentem: Ego dissoluam templum hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactum ædificabo. f. 2. dom. 4. 35.
c. 14. Fracto alabastro effudit super caput eius. fer. 5. dom. pass. 105.
c. 15. Diuiserunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis. dom. palm. 1. & 28.
c. 15. Aue, Rex Iudæorum. Ibid. 28.
c. 15. Videns Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat. fer. 5. d. 3. 60.
c. 15. Imponunt ei plectentes spineam coronam. Sab. post dom. pass. 20.
cap. 16. Valde mane vna sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole. fer. 5. dom. 3. 43.
c. 16. Cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. fer. 5. mai. hebd. 15.
cap. 16. Surgens mane prima sabbati apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia. Illa vadens nunciauit his, qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus. fer. 6. dom. 4 7.
c. 16. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Ibid. 61. & 71. fer. 4. dom. pass. 18. & 40. Sab. post domin. pass. 99.

EX S. LVCA.

Cap. 1. Zacharias Sacerdos de vice Abia. Sabb. post dom. pass. 2.
c. 1. Erit magnus coram Domino. feria 5. mai. hebd. 76.
c. 1. Aue gratia plena, Spiritus sanctus superueniet in te. fer. 2. dom. pass. 14.
c. 1. Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. fer. 5. dom. 3. 68. Sab. post dom. pass. 125.
cap. 1. Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? fer. 5. dom. 3. 24.
c. 1. Beata, quæ credidisti; quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. fer. 2. dom. pass. 23.
c. 1. Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ; Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. dom. pass. 80. & 82.
cap. 1. Præibis ante faciem Domini ad dandam scientiam salutis in remissionem peccatorum ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. f. 4. d 3. 31. f. 6. d. 3 119 f. 5. d. pass. 161.

ſtra. feria 3. domin. 3. 51.
c. 10. Alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum. Ibid. 40.
c. 10. Qui vos audit; me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit. fer. 4. dom. 1. 66.
c. 10. Erat Maria ſedens ſecus pedes Domini. f. 5. dom. paſſ. 165.
c. 11. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. fer. 3. dom. paſſ. 63.
c. 11. Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti. fer. 4 dom. 3. 29.
c. 11. Fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. fer. 5. dom. paſſ. 116.
c. 11. Si in digito Dei eiicio dæmonis. Sabb. poſt dom. 3. 21.
c. 12. Ignem veni mittere in terram: & quid volo, niſi vt accendatur? feria 6. domin. 3. 14. dom. paſſ. 79. & 94. fer. 5. maioris hebd. 81.
c. 12. Ille ſeruus, qui cognouit voluntatem domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapolabit paucis. Ibid. 87.
c. 12. Homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos? Sabb. poſt dominic. 3. 11.
c. 13. Hæc cum ſit filia Abrahæ, quam alligauerat ſatanas decem, & octo annis, non oportuit ſolui à vinculo die Sabbati. fer. 3. dom. 3. 39.
c. 13. Neſcio vos vnde ſitis: diſcedite à me omnes operarii iniquitatis. fer. 4. dom. paſſ. 14. & 15.
c. 13. Ite, & dicite vulpi illi. dom. paſſ. 51. Sabb. poſt dom. paſſ. 103.
c. 13. Archiſynagogus indignatus, quia Sabbato curaſſet Ieſus, dicebat turbæ: Sex dies ſunt, in quibus oportet operari, in his ergo venite, & curamini, & non in die Sabbati. fer. 4. dom. 4. 44.
c. 13. Domine, ſi pauci ſunt, qui ſaluantur? fer. 3. dom. paſſ. 18.
c. 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem. & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. fer. 4. dom. 3. 30.
c. 14. Si licet Sabbato curare. fer. 3. dom. paſſ. 28.
c. 15. Erat filius eius ſenior in agro; & cum veniret. & appropinquaret domui, indignatus nolebat introire. fer. 2. dom. 3. 8.
cap. 15. Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. fer. 3. dom. 3. 30. & 61. fer. 4. dom. paſſ. 5. fer. 5. dom. paſſ. 3.
cap. 15. Qui habet centum oues, ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat? fer. 5. dom. 5. 67. Sabb. poſt domin. paſſ. 98.
c. 15. Erant appropinquantes ad Ieſum publicani, & peccatores. fer. 6. dom. 3. 37.
c. 16. Inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt. fer. 3. dom. paſſ. 57.
cap. 16. Accipe litteras tuas. fer. 5. dom. paſſ. 81.
c. 16. Eleuans oculos cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius. fer. 2. mai. hebd. 44.
c. 17. Domine adauge nobis fidem. fer. 5. d. 3. 70.
c. 17. Ite, oſtendite vos Sacerdotibus; & factum eſt, dum irent, mundati ſunt. fer. 5. dom. paſſ. 132.
c. 17. Serui inutiles ſumus; quod debuimus facere fecimus. fer. 5. dom. 3. 14.
c. 18. Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra? fer. 6. dom. 3. 26.
c. 18. Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt de Filio hominis: tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur. Et ipſi nihil horum intellexerunt, erat enim verbum iſtud abſconditum ab eis. Sabb. poſt dom. paſſ. 110. & 121.
cap. 19. Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus; & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. fer. 4. dom. paſſ. 30. fer. 6. dom. 3. 71.
cap. 19. Videns ciuitatem fleuit ſuper illam dicens, quia ſi cognouiſſes & tu. fer. 3. dom. paſſ. 30. Sab. poſt dom. 4. 16.
c. 19. Erat docens quotidie in templo. fer. 4. d. 4. 54.
c. 20. Mittam filium meum dilectum: forſitan cum hunc viderint, verebuntur. fer. 6. dom. 3. 57.
c. 20. Quia reſurgent mortui, Moyſes oſtendit ſecus rubum; ſicut dicit Dominum Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Iacob. Deus autem non eſt mortuorum, ſed viuorum; omnes enim viuunt ei. Ibidem. 94.
c. 20. Æquales Angelis ſunt, & filii ſunt Dei cum ſint filii reſurrectionis. fer. 6. dom. 4. 54. & 55.
c. 21. Verè dico vobis, quia mulier hæc pauper pluſquam omnes miſit. Sab. poſt dom. 4. 46. dom. paſſ. 31.
c. 21. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. fer. 5. dom. paſſ. 133.
c. 21. Capillus de capite veſtro non peribit. fer. 5. dom. 4. 13.
c. 21. Reſpicite, & leuate capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra. fer. 6. dom. 4. 39.
c. 22. Euntibus vobis in ciuitatem occurret vobis homo. fer. 5. dom. paſſ. 22.
c. 22. Non mea voluntas, ſed tua fiat. Sabb. poſt dom. paſſ. 78. & ſequent.
c. 22. Venit dies azymorum, in quo neceſſe erat occidi paſcha. Vbi eſt diuerſorium, vbi paſcha cum diſcipulis meis manducem? fer. 5. mai. hebd. 1.
c. 22. Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. fer. 5. dom. 3. 58. fer. 3. dom. 4. 40. fer. 6. dom. 4. 18.
c. 22. Factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Sabb. poſt domin. paſſ. 20.
c. 22. Conuerſus Dominus reſpexit Petrum; & egreſſus foras Petrus fleuit amarè. dom. 4. 10. fer. 4. dom. 4. 5. fer. 5. dom. paſſ. 74. & 87.
c. 22. & *Marci c. 14.* Oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum. fer. 5. maioris hebd. 33.
c. 22. Simon, Simon, ecce ſatanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ibidem. 63.
c. 22. Facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior. Ibid. 64.
c. 22. Domine, ſi percutimus in gladio? Sab.

riom, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum; sed separatim inuolu-tum in vnum locum. fer. 6. dom. 4. 136.
c. 20. Vade, dic patribus meis. fer. 3. dom. pass. 20.
c. 20. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem ve-strum; Deum meum, & Deum vestrum. fer. 4. dom. pass. 20.
c. 20. Nisi videro, non credam. fer. 6. domin. 4 25.
c. 21. Erant simul Simon Petrus, & Thomas, & Nathanael, & filii Zebedæi, & alii ex disci-pulis duo; & exierunt, & ascenderunt in na-uim. fer. 5. dom. 3. 7.
c. 21. Non longè erant à terra, sed quasi cubi-tis ducentis. feria 6. dom. 3. 18. fer. 2. dom. 4. 7.
c. 21. Sic eum volo manere, donec veniam. fer. 3. dom. pass. 30.
c. 21. Domine, tu omnia nosti. fer. 6. dom. 4. 101. & 102.
c. 21. Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem; qui & recu-buit in cœna super pectus eius. fer. 5. d. 4. 27. Sabb. post d. pass. 59.
c. 21. Sunt alia multa, quæ fecit Iesus; quæ si scri-berentur per singula, nec ipsum arbitror mun-dum capere posse eos, qui scribendi sunt, li-bros. fer. 1. dom. 4. 45.

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

Cap. 1. Cœpit Iesus facere, & docere. f. 5. mai. hebd. 73.
c. 1. Conuescens præcepit eis, ab Ierosolymis ne discederent. fer. 6. d. 4. 60.
c. 1. Ioannes baptizauit aqua; vos verò baptiza-bimini Spiritu sancto. feria 2. domin. pass. 17. & 19.
c. 1. Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël? fer. 5. dom. pass. 28.
c. 1. Non est vestrum nosse tempora, vel momen-ta, quæ Pater posuit in sua potestate. fer. 5. d. pass. 35.
c. 1. Omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione. fer. 3. dom. 3. 45.
c. 1. Iudas suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. fer. 5. dom. pass. 36. f. 2. mai. hebd. 13.
c. 1. De Apostolatu præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. fer. 2. mai. hebd. 58.
c. 2. Cum complerentur dies Pentecostes appa-ruerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis. fer. 4 dom. 3. 96. fer. 5. mai. hebd. 19. & 21.
c. 2 Repleti sunt omnes Spiritu sancto. fer. 2. dom. pass. 19.
c. 2. & c. 13. Propheta cum esset prouidens locu-tus est de resurrectione Christi; quia neque derelictus est in inferno; neque caro eius vi-dit corruptionem. fer. 2. dom. 4. 41.
c. 2. His auditis compuncti sunt corde, & di-xerunt ad Petrum, & ad reliquos Aposto-los: Quid faciemus, viri fratres? Et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. dom. pass. 73. fer. 4. dom. pass. 12. Sabb. post domin. pass. 15.
c. 2. Erant in Ierusalem habitatores Iudæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est. Iudæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Ara-bes. Sab. post d. pass. 9.
cap. 2. Certissimè sciat omnis Israël, quia Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. Ibidem. 25.
c. 3. Argentum, & aurum non est mihi. In no-mine Iesu Christi Nazareni surge, & ambu-la. Sab. post dom. pass. 3. feria 5. mai. hebdo-madæ. 62.
cap 3. Apprehensa manu eius dextera alleuauit eum; & protinus consolidatæ sunt bases il-lius, & plantæ. Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc; aut nos quid intuemini; quasi nostra virtute, & potestate fecerimus hunc ambu-lare? Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Ia-cob, Deus patrum nostrorum glorificauit fi-lium suum. fer. 5. dom 4. 7.
c. 3. Locutus est Deus per os Sanctorum suorum prophetarum. Moyses quidem dixit: Quoniā Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tāquam me: ipsum audietis iuxta omnia quæcunque locutus fue-rit vobis. Erit autem omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur à plebe. Sab. post d. 4. 38. fer. 5. dom. pass. 25. fer. 6. dom. pass. 2.
c. 3. Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Ia-cob, Deus patrum nostrorum glorificauit fi-lium suum Iesum; quem vos tradidistis. & ne-gastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimit-ti. Vos autem sanctum, & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis; au-ctorem verò vitæ interfecistis. f. 4. d. pass. ta.
c. 4. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. fer. 5. dom. 3. 66.
c. 4. Quotquot possessores agrorum, aut domo-rum erant, vendentes afferebant pretia eo-rum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. f. 6. d. 3. 71. fer. 5. mai. hebd. 43.
c. 4. Multi eorum, qui audierant verbum, credi-derunt, & factus est numerus virorum quin-que millia. fer. 6. dom. 3. 116. d. pass. 73. fer. 4. dom. pass. 11.
c. 5. Vt veniēte Petro, saltem vmbra illius obum-braret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. fer. 5. dom. 3. 18.
c. 5. Exurgens Princeps sacerdotum, & qui cum illo erant, repleti sunt zelo, & iniecerunt ma-nus in Apostolos, feria 2. dom. 4 21.
c. 5. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu con-cilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Sabb. post d. pass. 75.
c. 6. Surrexerunt quidam de Synagoga, quæ ap-pellatur Libertinorū, & Cyrenensium, & A-lexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia & Asia. fer. 4. dom. 4 54. fer. 2. dom. pass. 8.
c. 7. Locutus est ei Deus, quia erit semen eius accola in terra aliena annis quadrigentis. fer. 2. dom. 3. 17.
c. 7. Nonne manus mea fecit hæc omnia? fer. 5. dom. 4 43.
c. 7. Dura ceruice, vos semper Spiritui sancto re-sistitis: sicut patres vestri, ita & vos. fer. 6. d. 4. 76. Sab. post dom. 4. 41.
c. 7. Intendens in cœlum vidit gloriam Dei. Ec-ce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei. fer. 2. dom. 3. 16. Sabb. post dom. 4. 45.
c. 7. Apparuit illi in deserto montis Sina Ange-lus in igne flammæ rubi. Accedente illo, vt consideraret, facta est ad eum vox Domini: Ego Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Sab. post d. pas 91.
c. 7. Accepistis legem in dispositione Angelo-rum, & non custodistis. Ibidem. 92.

EX EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI ad Romanos.

c.7. Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. fer.6.dom.4.59.
c.8. Debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus.fer.6.dom.3.59.
c.8. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis. Ibid.70.
c.8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Ibid.14.
c.8. Quos prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui;vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Ibidem. 47.&77. fer.5.dominic. pass.51.
c.8. Deus filium suum mittens in mundum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.d.pass.4
cap. 8. Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, &c. Certus sum, quia neque mors,neque vita, &c.neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. f. 4. d.pass.27.f.5.d.pass.54.
c.8. Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Sab.post dom.pass.68.
c.8. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.Ibid. 71.
c.9. Deus volens notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ,quæ præparauit in gloriam.fer.5.dom.3.8 u.f.5.d.pass.6.
cap. 9. Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit. Quid me fecisti sic? feria 3. domin. 3. 20.
c. 10. *ex Isaia cap. 65.* Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant.fer. 4.dom.4.77.
c.10. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi: fer. 5. dom.pass. 8.
c. 10. *ex Isaia c. 52.* Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! sed non omnes obediunt Euangelio. Ibidem. 161.fer.5.mai.hebd.37.
c.11. Alioquin gratia iam non est gratia. fer.6.d. 4.71.
c.12. Multi vnum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra:fer.5.d.3.3. fer 6.dom.4. 53.
c. 12. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.fer.6.dom. 4.104.
c. 12. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: fer.5.dom: pass. 158.
c.12. Prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. fer. 5. mai.hebd. 17.
c. 13 Induimini Dominum Iesum Christum. d. pass.49.
c. 13. Induamini arma lucis.Sab. post dom. 4.6. & 20.
c. 13. Hora est iam nos de somno surgere.fer.5. dom. 4.40.
c.13. Qui diligit proximum, legem impleuit: plenitudo legis est dilectio. Sabb. post dom. 4. 5.
c.14. Tu autem quid iudicas patrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi: fer. 3.dom.4.33.& 35.
cap. 14 Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit, stabit autem; potens est enim Deus statuere illum. Ibidem. 35.
c. 15. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.Sab.post d.pass. 62.
c. 16. Deus pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter. fer. 5.dom.pass.102.

EX EPISTOLA PRIMA

Cap.1. Christus factus est vobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. fer. 6.dom.3.9.fer. 6.34.35.
c. 1. Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.Sab.post dom.pass.14.
cap. 2. Animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere. fer.6.post dom.4. 42. domin. pass. 84.
c. 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum.Sab. post d.pass.69.
c 3. Dei sumus adiutores. Sabb. post domin. 4. 33.
c. 3. Nescitis,quia templum Dei estis. f.2.d.4.1. fer.2.dom. pass. 10.
c. 2. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus. fer. 5. dom.4.6.
cap.3. Dominus nouit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt.f.6.d.4.93.
c.3. Cum sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis? fer. 5.dom.4.21.
cap. 3. Omnia vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei. Sabb. post domin. pass. 103.
c. 4. In Christo Iesu per Euangelium, ego vos genui: fer. 4.dom.3.66.
cap. 4. & cap. 11. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. feria 5. maioris hebdomadæ. 85. & 91.
c. 5. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit: fer. 5.dom.3.38.
c.5. Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio,ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. fer. 4. dom. 3.92.
c. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus: Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis. fer. 4.dom. 4. 59. feria 5. maioris hebdomadæ. 2. & 55.
c. 6. Iam iudicaui tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, vt Spiritus saluus sit. fer. 3. dom.5 39.
c. 6. Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.fer. 5.dom.3.25.
c. 6. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro: dom.palm.23.
c. 6. Secularia iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite.f. 2.mai.hebd. 25.
c. 7. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.fer.4.dom.3.88.
c. 7. Præterit figura huius mundi. d. pass. 55.
c. 7. Puto autem quod & ego spiritum Dei habeam.fer.6.dom.3.26.
c. 7. Virgo vt sit sancta corpore, & spiritu. fer. 6.dom.4.99.

EX EPISTOLA SECVNDA ad Corinthios.

EX EPISTOLA AD GALATAS.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

EX EPISTOLA PRIMA ad Thessalonicenses.

ne desiderii. feria 6. domin. 3. 107.

cap. 1. Euangelium meum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed in virtute, & Spiritu sancto, & in plenitudine multa. fer. 4. dom. pass. 44.

c. 4. Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra; & sic semper cum Domino erimus. fer. 6. dom. 3. 14.

c. 5. In omnibus gratias agentes. fer. 5. dom. 3. 14.

c. 5. Cum dixerint: pax, & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus. fer. 5. dom. pass. Sabb. post dom. pass. 121.

EX EPISTOLA SECVNDA ad Thessalonicenses.

Cap. 2. Nisi reuelatus fuerit homo peccati, & filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus. fer. 5. mai. hebd. 19.

c. 3. Nolite quasi inimicum existimare; sed corripite vt fratrem. fer. 3. dom. 3. 13.

EX EPISTOLA PRIMA ad Timotheum.

Cap. 1. Bonam conscientiam repellentes, circa fidem naufragauerunt. feria 6. domin. 4. 68.

c. 1. Quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare. fer. 3. dom. 3. 39.

c. 2. Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus. fer. 4. dom 3. 105.

c. 2. Saluabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate. fer. 6. dom. 3. 107.

c. 4. Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate. Attende tibi: hoc enim faciens & te ipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt. f. 5. mai. hebd. 91.

c. 4. In hypocrisi loquentes mendacium, & cauteriatam habentes conscientiam. fer. 5. dom. pass. 10.

c. 5. Peccantes coram hominibus argue, vt & cæteri timorem habeant. feria 3. dominic. 3. 6.

c. 5. Si hospitio recepit; si sanctorum pedes lauit. fer. 5. mai. hebd. 68.

c. 5. Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis. fer. 4. dom. 3. 7.

c. 5. Discat mutuam vicem reddere parentibus, quod acceptum est coram Deo. feria 4. dom. 3. 31.

c. 5. Si quis suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit; & est infideli deterior. fer. 3 dom. 3. 56.

c. 6. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. fer. 2. mai. hebd. 52

c. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Ibid. 27. & sequent.

cap. 6. Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide. fer. 4. domin. 3 80, fer. 9. domin. pass. 8. Sab. post dom. pass. 10 1. fer. 2. maioris hebdomadæ. 27. & 42.

EX EPISTOLA SECVNDA ad Timotheum.

Cap. 1. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis. f. 6. dom. 3. 65.

c. 1. Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem. dom. pass. 42.

c. 2. Si compatimur, & conregnabimus.

c. 2. Cognouit Dominus, qui sunt eius. domin. pass. 66. & 67. feria 4. post domin. pass. 14.

c. 2. Sermo eorum vt cancer serpit. fer. 3. dom. pass. 48.

c. 3. Refrigescet charitas, & abundabit iniquitas. Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes. fer. 4. dom. 3. 27.

c. 4. Reposita est mihi corona iustitiæ. Sabb. post. dom. pass. 48. & 62.

c. 4. Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. feria 3. dom. 5. 18. fer. 2. dom. 4. 15.

c. 5. Vidua, quæ in deliciis est, viuens mortua est. fer. 5. dom 4. 27.

EX EPISTOLA AD TITVM.

Cap. 1. Dixit quidam proprius eorum propheta. fer. 3. dom. pass. 6.

c. 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. fer. 6. dom. 4. 62. domin. pass. 66. & 69.

c. 2. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate. fer. 5. mai. hebd. 70. & 91.

cap. 2. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Ibid. 83.

c. 3. Secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quam effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum. fer. 2. dom. pass. 17.

EX EPISTOLA AD PHILEMONEM.

Paulus vinctus Christi Iesu. Tu illum, vt mea viscera suscipe. fer. 3. d. pass. 49. Sabb. post dom. pass. 47.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. 1. Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissimè locutus est nobis in filio. fer. 3. d. 3. 9. Sab. post dom. 4 39.

c. 1. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. f. 3. d. pass. 65. f. 6. d. pass. 9. Sabb. post dom. pass. 122.

c. 2. Qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus. Sab. post dom. pass. 92.

c. 2. Nusquam Angelos apprehendit. fer. 5. mai. hebd. 24.

cap. 4. Viuus est sermo Dei, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque & medullarum. domin.

EX EPISTOLA CATHOLICA B. Iacobi Apoſtoli.

EX EPISTOLA PRIMA B. Petri Apoſtoli.

6.dom.3.58.60.& 61.fer.5. mai.hebd.65.
c. 2. Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.fer.6.domin.3 41.44.45. fer.5.dom.pass 42.
c. 2. Ipsi tamquam lapides viui superædificamini domus spiritualis.fer.5.dom.5.19.
c. 2. Lapis offensionis.fer.6.dom.4.17.f 5.dom. pass.34.
cap. 2. Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.fer.3.dom.3 37.
c. 2 Siue Regi, quasi præcellenti. fer. 6.dom.3. 58.fer.2.dom.4.7.
c. 2. Quasi velamen habentes malitiæ libertatem.fer.6.dom.3.20.Sab.post dom.4.28.
c. 2. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam dyscolis.fer.4.dom.3.23.
c. 2. Si benefacientes, patienter sustinetis, hæc est enim gratia apud Deum; in hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Sab. post dom.pass 22. & 63.
c. 2. Peccatum non fecit; nec inuentus est dolus in ore eius. domin.pass.2.& 6.
c. 2. Qui cum malediceretur non maledicebat. fer.3.dom.pass.61.
c. 2 Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; vt peccatis mortui iustitiæ viuantis.dom.pass.9.fer. 5. dom.pass.141.
c. 3. Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos, reddere rationem de ea, quæ in nobis est fide.fer.6.dom.3.120.
c.4. Charitas operit multitudinem peccatorum. fer. 3 dom.4.34.
cap. 5. Forma facti gregis ex animo. fer. 5.mai. hebd.91.
c. 5. Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam.feria 5. maioris hebdomadæ. 56.
c. 5. Aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.f.6.d. 3.61.f. 5.d.pass.154.f. 5.mai. hebd.65.
c.5. Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. d. 4.17.& 31.

EX EPISTOLA SECUNDA B. Petri Apostoli.

Cap.1. Velox est depositio tabernaculi mei. fer.4.dom. pass.42.
c. 2. Hi sunt fontes sine aqua. fer.6.dom.4.69.
c. 2. Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ; quàm post cognitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.fer. 6.dom.3.87.
c. 3. Nonos cœlos, & nouam terram expectamus.Sabb.post dom.pass.96.

EX EPISTOLA PRIMA B. Ioannis Apostoli.

Cap.1. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Sabb. post dom.4.2. Sab.post dom.pass, 117.
cap. 2. Aduocatum habemus ad Patrem Iesum Christum.feria 6. dom.4.33.
c. 2. In hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus. Ibidem 61.dom. pass 6.
c. 2. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Ibid.61.& 63.d.pass.69.
c. 2. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum non est in eo. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcarunt oculos eius. Sab. post dom.4.5.
c. 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? fer.2.dom.3.16.
c. 3. In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.d.4.1.d.palm.1.
c. 3. Omnis, qui non est iustus, non est ex Deo. dom.pass.18.
c. 3. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet.dom. pass. 18.
c. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filii Dei nominemur, & simus. fer.4.d. pass.38.fer.6. dom. pass.14.& 15.
c. 3. In hoc cognouimus Charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemos pro fratribus animas ponere. f. 5.dom.pass.134. Sab.post dom.pass.20.
c. 3. In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis manet; quoniam de Spiritu sancto suo dedit nobis. fer. 5. dom. pass. 134.
c. 3. Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit; & peccatum est iniquitas. Sabb. post d. pass. 121.
c. 4. Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? fer.2. dom.3.1.
c.4. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet; *seu iuxta Augustinum.* Deus dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet. Sabb. post. dom. 4. 5. fer.2. dom. pass. 44.
c. 4. Carissimi diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est, & omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum, quia Deus charitas est. Sab. post dom.4.5.
c. 4. Perfecta charitas foras mittit timorem. fer, 3.dom.pass.72.

EX EPISTOLA CATHOLICA B. Iudæ Apostoli.

Num. 1. Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi.fer.3.dom. pass.24.
n. 7. Abeuntes post carnem alteram.fer.9 dom. 4.47.
n. 9. Cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore. non est ausus iudicium inferre blasphemiæ; sed dixit: Imperet tibi Dominus. f. 4.d.3.97. fer.6.dom.3.90.fer.6.dom.4.13 1. fer.5.dom. pass.63.
n.12. Arbores infructuosæ, eradicatæ. f.5.dom. 4.16.

EX APOCALYPSI B. IOANNIS Apostoli.

c.1. Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, &

FINIS.

VA 1 1520865